D. IOANNIS DE ESPINOSA MEDRANI PERVANI S. T. D.

In Diui Antonij Magni Cozcanæ Vrbis totius quidem Noui Orbis Metropolis insigni Seminario Regalis Collegæ,

In eodemq; Collegio prædictæ Almæ Facultatis semel, atq; iterùm Professoris Primarij, Liberalium Artium Antecessoris, olim Sancti Christophori ad Arcem Ecclesiæ Rectoris, ac pro Diuini Verbi Prædicatoribus & Parochis totius Diœcesis de Linguarum peritiâ Synodalis (vt aiunt) Examinatoris, tandem in eâdem Vrbe Cathedralis Basilicæ Canonici Magistralis, nunc Thesaurarij, &c.


PHILOSOPHIA THOMISTICA
SEV
CVRSVS PHILOSOPHICVS

Duce D. Thoma Doctore Angelico Peractus.

Vbi Peripateticorum doctrina, dilucidè exponitur, declaratur, veneranda Antiquorum sapientia noua meditatione suspicitur, explicatur: Plato, Aristoteles, Porphyrius, D. Thomas, Caietanus, alijque veteres scientiarum Antesignani ab æmulorum inuidia, & neotericorum morsiculis vindicantur, defenduntur, & vt plurimùm noua omnia hostium argumenta, non inuitâ (vt dicitur) Mineruâ perpenduntur, enodantur.

Opus sanè accuratum, & Sacræ Theologiæ Candidatis nedùm vtile, sed apprimè necessarium.

TOMVS PRIOR.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. 1688.

SVPERIORVM FACVLTATE.

IESVS MARIA.

PRæclari Operis Philosophici principem partem, Logicalem scilicet, Authore *D. Ioanne de Espinosa Medrano*, &c. Iussu Reuerendissimi Patris F. Dominici Mariæ Puteobonelli, Sacri Apostolici Palatij Magistri, sedula attentione perlegi. Et vtiquè legentem allexit Methodus clara, Stylus elegans, &, sua non carens nouitate, subtilitas; Signant profectò Authoris Ingenium ferax, selectiora Theoremata acuto calamo pertractata, politior Veritas acri bello defensa, & Mens Doctoris Angelici profundiori indagine reserata. Quamobrèm cum oleat vndiquè solidam, subtilem, sanam Doctrinam, nec sanos infirmet mores, nec Fidei Orthodoxæ Dogmata lædat, Opus iudico dignum Typis, quod dignum Cedro. Romæ in Collegio nostro S. Mariæ de Victoria septimo Idus Aprilis 1688.

F. Agapitus ab Annunciatione Carm. Discalceatus Sac. Theol. Profes. ac Philosophiæ Prælector.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Apost. Pal. Mag.

Steph. Ioseph Menattus Episc. Cyrenen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Ioseph Clarionus Sac. Theolog. Mag. ac Reuerendiss. P. F. Dominici Mariæ Puteobonelli S. A. P. Mag. Soc. Ord. Prædicatorum.

CAROLO II.
CATHOLICO
HISPANIARVM, ET INDIARVM REGI
Potentiſſimo, Inuicto, Pio, Felici; in ſuo Indiarum Senatu Noui Orbis, habenas ſanctè moderanti.

Doctor D. Ioannes de Spinoſa Medranus æternam felicitatem.

D. P.

DEFICIENTE Victimâ Alexicaco Herculi mactanda, profugerat enim bos Sacrificuli dilapſus cultro, Athenienſes arrepto pomo, ſubditiſque quatuor ramis crurum loco, duobuſque pro cornuum repræſentatione profixis: Deo ſimulacrum Victimæ, vice bouis immolantes, fauſtè tamen ſe litaſſe exiſtimarunt. Haud ſecùs mihi euenit (ò Rex Optime Maxime) qui ad tantæ Maieſtatis aras pro dignitate, non bouem, ſed Orbem ſanè integrum, ſi ſuppeterent vires, dedicare vellem. Clementiori tamen velut Herculi, non niſi vmbratilem hoſtiam, doni figmentum, munuſque chartaceum venerabundus offero. Eſt tamen exiguum hoc obſequium, magnæ rei argumentum: Mentis quippe molimina, intellectùſque conceptiones, ex Nouo Orbe Maieſtati tuæ pollucemus, vt non ſolùm corporibus ibi: ſed etiam animis, Te regnare conteſtemur. *Zenodotus*

Sanè Magnus ille Alexander, à Corinthijs pro munere ius Ciuitatis oblatum, quod reapsè tanto Rege videbatur indignum: cùm illud Herculi olim ab ipſis fuiſſe religiosè exhibitum reſciuiſſet, nedùm fuit vt antehàc aſpernatus; Verùm etiam gratanter dicitur accepiſſe, parili eiuſmodi obſequio ſe Herculi conferri arbitratus. Alexandrum igitur Te, ſiue Alciden præbebis, ſi munuſculi vilitatem haud dedigneris. Quidni heroica Tua indoles tanti nominis impleat amplitudinem? Tibi equidem, nō *Pellæo iuueni vnus non ſufficit Orbis*. Quinimmò omnes itidem Auſtriaco ſubderet imperio, ſi plures Mundos in dies Natura parturiret. Profectò Roma- *Iuuenalis.*

manus ille Imperator Mammææ filius Alexandrum se indigitauit: eo impulsus omine, quòd Nutritor Philippus, prouênit casu vnus ex rusticis, quod nomen patri Alexandri fuit. Ast Tibi non casù, sed natura, non nutritorem, sed Satorem Superi PHILIPPVM illum tèr Magnum, seu (vt Chiffletius scitè obseruauit) *maximum Archiregem* munificè concessère. Nec dissimulem hæc de illius Alexandri matre Lampridium subtexuisse: *Et cùm puer ad Imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre vt & illa videretur imperare mulier sancta*. Quæ Tibi, ac Augustæ genitrici MARIANNÆ Reginæ quidem rectiùs, germaniùsque congruere, nemo dubitauerit. Quid quod de Macedone Fama buccis crepantibus resonauit? nempe militem fessum, ac horrentem frigore in sellâ Regiâ ad ignem consedère fecisse: Ast Tu obuium fortè ruri sacrificum, qui ad homuncionem quemdã in villulâ ægrotantem sacrosanctam deferebat Synaxin, è Regali carpento desiliens, in ipsa sedere fecisti, Cælo, terrâque plaudentibus. Porrò non militem, sed ipsum exercituum Dominum, Deumque Eucharistico pane obtectum solio Tuo, Rodolphis, ac Philippis vectasti longè superior.

Lampridius.

Chiffletius.

Hic est ille panis in Castris Macedonum guttis sanguinis manantibus fractus, quem Alexandro Tyrum, obsidenti, prodigijsque territo: Aristander Vatum peritissimus, omen esse victoriæ interpretatus est, Vrbisque potiundæ copiam portendere. Nobis verò iam non opus Aristandro; Panis ipse cælestis, ac Diuino cruore succulentus, qui Austriaci Imperij Genius, & Fortuna fuit semper, nunc Tibi maiora præsagiendi ostento est: sobolem numerosam, Regnorum amplitudinem, necnon & integram nostri Orbis detectionem, Tuæ Maiestati certò auguramur. Tametsi equidem in dies noua Tuo capiti progerminent diademata, adeò vastæ dominationis moderamini, Tuum istud sapientissimum Indiarum Consistorium sat, superque prouidebit. Habes enim (nè vel hoc Alexandræum desit) Senatum Crateris, Hephæstionibusque frequentem: iustitiâ, zelo, litteris, prudentiâ, rerumque agendarum dexteritate conspicuis. Patere ergo humanissime, simul & Augustissime Monarcha, vt ad pedes Tuæ Maiestatis opellam hanc in humillimæ seruitutis meæ symbolum sistam. Interim huiusce Cathedralis Basilicæ, tot nominibus Tuæ Canonici Deum Omnipotentem assiduè precamur, vt viuas pius, viuas fœlix in hostium terrorem, in Orbis delicias, in Fidei fulcrum, in Catholicæ Ecclesiæ armamentum, & ornamentum.

Q. Curtius.

IL-

ILLVSTRISS.MO, AC REV.MO ECCLESIÆ PRINCIPI
D. FR. THOMÆ CARBONELLO
EPISCOPO SEGVNTINO
E Sacro Prædicatorum Ordine assumpto, & Regiæ Catholicæ Maiestatis à Sacris Confessionibus, &c.

PRÆCELLENS tua Virtus, nominisque celebritas (Illustrissime, ac Reuerendissime Præsul) non diù de Patrono cogitare permisit: traheret enim me, tametsi non lubentissimè currerem, vt Dominicano in Firmamento Syderis longe, latèque coruscantis lucem, calorem, faustamque radiationem Thomista protinus ambirem. Certè nomen ipsum CARBONELLI, sicuti egregias tui animi dotes quodā velut sigillo, seu ænigmate perstringit, ita fauoris, & humanitatis erga me fortunatum facit omen. *Carbonellus* enim latinè Carbunculus est, qui siue prunam sonet, siue pretiosum lapillum, vtroque te admiramur nomine commendabilem. In Pastorali equidem solicitudine Seguntinæ Ecclesiæ, zelo Diuini honoris, igneáque erga commissum gregem charitate totus ardes, totus flagras, vt verbo, & exemplo horrentes vitiorum spinas, rubos, aliaque id genus dumeta exuras, dissipes, & quidem *cum Carbonibus desolatorijs*, siue vastatorijs. Nam vt Ostiensis Hugo interpretatur: *Exempla sanctorum dicuntur carbones desolatorij, quia per applicationem inflammant, & incendunt ad amorem Dei, & vastant, & desolantur in sibi proximis carnalem affectionem, & sæcularem amorem*. Profectò suos Templum Dei habet hymiamatum focos, qui tui similium carbonibus instructi dum lucentissimè scintillant, etiam Christi bonum odorem nobis vel integro Orbe semotis suauissimè halant. Miraculo autem est, quod micantem illam, viuacemque tuæ Regularis Obseruantiæ prunam, simul & ardentissimum Episcopalis perfectionis fulgorē, nec sæcularis fastûs prophani turbines, nec Aulicorum fluctuum incursus nedum extinguere valuerint, sed nec sopire.
Psal. 119.
Hugo Cardin.

Iam verò si *Carbunculus* pro lapide nuncuperis, pretiosum te vndique suspicimus: Teste namque Isidoro *Carbunculus dictus, quòd sit ignitus vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur*. Quippe sapientiæ tuæ splendorem, virtutumque flammas nec Monastica propriæ abiectionis latebra, nec voluntariæ paupertatis, aut adfectatæ obscuritatis nox, sat obtegêre, quin ad illustrius celebriusque Mundi spectaculum tenebris licèt obluctantibus, bellissimè fulgurares. *Lucet enim in tenebris* (pergit Isidorus) *adeò, vt flammas ad oculos vibret*. Talis, tantusque esse debueras, vt CAROLVS te in suæ spiritalis expiationis ministrum, Mystamque adsisceret. Carbunculus nempe syderum æmulus, Solis calculus, Regum gemma, dignus qui ardentes inter Chrysolitos, superbosque Adamantes in Regis nostri renideas diademate.
Isidorus lib. 16. cap. 13.

Ast id ingentem omnibus in Carbunculo ingerit admirationem, quòd syderum diximus æmulum; nec quidem falsò: Septenarium enim illud stellarum, quas Hyadas, siuè forte Pleiades dicas, in ipso vno visitur lapillo: guttæ scilicet quædam aureæ intus fulgent in translucido stellantes eodem ordine, ac situ, quo in cœlo sucrulas splendere conspicimus. *Accedit religio narrata* (inquit Plinius) *à syderum cognatione ab inspectoribus, quoniam ferè stellarum Hyadum, & numero, & dispositione stellantur, ob id Chaldæis in ceremonijs habiti*. Porrò iam pridem Diuinus ille Guzmanus sydercam dedit Mundo progeniem, vt Magistri illius, ac Theologiæ Professoris in Academiā Tolosanā mirabilis visio præmonstrauit. Refert S. Antoninus: *Cum resumeret* (inquit) *lectionem, quam manè erat in scholis lecturus, aliquantulùm dormitans, vidit in somnis septem stellas sibi præsentari, quæ totum Orbem illuminabant. Experge factus cùm hora iam aduenisset legendi, ecce septem fratres cum Beato Dominico ingrediuntur: Hos ducebat B. Dominicus ad audiendum, vt pleniùs instructi, veraciùs docerent. Intelle-*
Plinius lib. 37. c. 7.
S. Antoninus 3. p. Titul. 23. cap. 2. §. 3.

telle-

tellexit Doctor, illos fratres per illas stellas eo numero, & opere designari, &c. Arridet nunc magnopere Choquetius, qui eleganti, vt assolet, stylo hæc exarauit *Portendebat quoque* (inquit) *Sydus illud, seu stellarum Conuentus, ac verè Pleiade Sanctissimi Dominici sodales, qui scilicet sub eius signis, Parthenijsque Mariæ Aquilis militaturi essent præstantibus armis à cœlo donandos, &c.* Habes septenarium astrorum, quorum nomina, atque influxus S. Antoninus perspicacissimum agens Astronomum nobis luculenter explicauit. *Possumus per septem stellas* (inquit) *hos septem notabiles Doctores intelligere filios Beati Dominici, qui natus visus est cum stellà in fronte Ecclesiam illustrante. Primus fuit Beatus Thomas de Aquino summus Doctor in Theologiâ, cuius doctrina sufficiens esset ad plenam instructionem Ecclesiæ contra omnes errores. Secunda stella Beatus Petrus Martyr, & Inquisitor Hæreticorum. Tertia stella Albertus Magnus, & in Philosophià summus. Quarta Hugo primus Cardinalis Ordinis, qui postillauit totam Bibliam. Quinta Petrus de Tarantasià dictus Papa Innocentius V. qui scripsit super Sententias, & Epistolas Pauli. Sexta Nicolaus Magister Ordinis, Cardinalis, & postea Papa Benedictus XI. pro sua scientià, & bonitate Papa creatus. Septima Raymundus compilator Decretalium, vel Sanctus Vincentius Prædicator Apostolicus.* Hactenus Diuus ille Florentiæ Præsul.

Choquetius cap. 16.

Sed quorsùm ista? inquies Carbonelle doctissime: Nempe vt ostendam, te summæ commendationis esse Carbunculum non modò aureis guttis respersum, verum etiam septenario illarum Hyadum lumine stellatum: splendes quippè Aquinatis Theologiâ, Petri fortitudine, Alberti comprehensione, Hugonis operositate, Tarantasij solertiâ, Nicolai sinceritate, Vincentij feruore. Quid plura? Pergerem vltrà: sed nè diutiùs tuam modestiam laude licet impare ita pupugerim, vt rubentem gemmam, aduentitio iterum rubore perfundam, calamum cohibeo: Hoc tamen vnum Carbunculi ingenium mihi tandem liceat obseruare: Quòd Solis feruore interdùm calefactus, chartarum phyliras ad se rapiat, seu (vt Berchorius scribit) *Qui folia librorum, & paleas attrahit.* Sanè id nunc facile experior, rapis enim tibi nostra huiusce libri folia, & simul in ipso paleas rapis; quid enim, nisi paleas Peruànus homo congessissem? Verumtamen dum id Solis Austriaci calore feruidus præstas, multum illæ frugis attulerint, si te patrono, te duce, ad Catholicæ Maiestatis suppedaneum hoc qualecumque sudoris mei specimen tanto nomini, & numini pronus deuoueam. Faue igitur, & suggere Princeps Illustrissime, & in Ecclesiæ splendorem, & Thomisticæ Academiæ columen vale, & æternùm viues. Kozki Nonis Aprilibus Anno à Partu Virgineo, cIɔ Iɔc LXXXV.

Berchorius lib. 11. cap. 17.

Dominationis Tuæ Illustrissimæ cliens, seruusque in Christo obsequentissimus

Doctor D. Ioannes de Spinosa Medrano.

CAN-

CANDIDO LECTORI.

TE comiter prius alloqui (Lector Beneuole) præter quam quòd Scriptorum iamdiú inolescens postulat mos, etiam vt mei cùm instituti, tùm operis rationem aptius reddam, valde opus habeo. Philosophiam Thomisticam Orbi literario trepidus quidem, pusillitatisque meæ haud inscius vt in lucem prodeat, penè coactus exhibeo. Sunt etenim Noui Orbis hominum studia, de barbarie Europæis valde suspecta; id sanè honoris debere fatemur *Lypsio*, non vnde quaque *Iusto*. Hoc in se præiudicium expertus est, perdoctus ille Scotista Peruanus Hyeronimus Valeras, cuius auribus *Numquid a Nazareth, aut a Peruuio aliquid boni?* non semel insusurratum: ita, vt è vestigio respondere cogeretur: *quòd potens est Deus de Peruanis lapidibus suscitare filios Abrahæ*. Profectò iniquè nobiscum agitur: nam (*iuxta illud Satyrici multorum*. *Valera logicæ prologo.*

prudentia monstrat,
Summos posse viros, magnaque exempla daturos
Veruecum in Patria, crassoque sub aere nasci. *Iuuenalis Satyra 10.*

Sed quid si ostendero, nostrum Orbem non crasso aere circumdari, Orbique veteri, nihil cedere? id certè non Peruanus, sed Romanus Vates verè simul, ac eleganter cecinit Manilius Astronomicon lib. I.

Altera pars Orbis sub aquis inuia nobis *Manilius*
Ignotæque hominum gentes, nec transita regna,
Commune ex vno lumen ducentia Sole
Diuersasque vmbras, læuaque cadentia signa
Et dextros ortus cœlo spectantia verso.

Attendas nunc quæso Lector, ne nos pro Manibus aut Vmbris habeas inanibus.

Nec minor est illis Mundus, nec lumine peior
Nec numerosa minùs nascuntur sydera in Orbe
CÆTERA NON CEDVNT; *vno vincuntur in astro*
Augusto, Sydus nostro quod contigit Orbi.

Iam vero si Poetis fidem abneges testantibus sanè, nostrum Orbem claro lumine, aere subtili, cæterisque nihil antiquo cedere: Philosophos dabo, & quidem maximos, Aristotelem, & Sanctum Thomam maiora docentes. Ille equidem libro secundo de Cœlo, & Mundo cap. 2. apertè tradit, polum hunc Antarcticum esse sursum cœli, seu partem superam, simulque dexteram illius: *Polorum autem* (inquit) *is quidem, qui apud nos videtur, pars infera est; is autem, qui nobis manifestus non est, partis rationem superæ subit*. Subscribit Philosopho Angelicus Interpret. lect. 4. *Necesse est* (inquiens) *quòd Polus inmanifestus, scilicet Antarcticus, sit sursum cœli: Si enim Polus Arcticus, qui semper est nobis manifestus, esset sursum, sequeretur quod motus cœli esset a sinistrà, & ad sinistram, quod nos non dicimus*. Pergit Stagirita: *Et eos, qui illic habitant, in hemisphærio supero esse, atque in dextris; nos autem in infero, ac sinistris*. Hæc ille. Nec hilum discrepat D. Thomas: *concludit secundum prædicta* (inquit) *differentiam habitationis terræ, dicens; quòd ex quo Polus immanifestus est sursum, illi, qui habitant sub illo polo, sunt in hemisphærio superiori, & apud dextrum cœli: nos autem, qui in hac parte terræ habitamus, sumus in inferiori hemisphærio, & in sinistrà*. Non igitur Peruani in obscuris, despectisque Mundi angulis, crassio rè sub aere nati; sed in præstantiore Terræ situ, melioreque cœlo sibi arridente: quantùm partes supernæ inferioribus, dextræque sunt sinistris potiores. Quod si etiam Græcia Disciplinarum omnium Mater, & (quod caput est) Athenæ ipsæ nostri respectù in imo, læuoque loco subsidant, possemus certè summum Mundi verticem nacti de solo, cœloque superbire. *Potest dici* (pergit Diuinus Aquinas) *quòd Aristoteles loquutus est secundùm Græciam, in quâ habitabat, quæ quidem est ad sinistram in quantum est versùs Occidentem, est autem deorsum in quantum est sub polo Arctico*. Sydera igitur Peruanis dextra quidem sunt; sed sinistra fortuna; sed cur? nisi quoniam ab Europæis vno vincuntur in astro, Augusto scilicet Carolo Rege optimo, maximo; *Aristotel.* *D. Thom.* *D. Thom.*

Cætera non cedunt: vno vincuntur in astro
Austriaco, Sydus vestro quod contigit Orbi.

Abest Regis prospectus, abest fausti syderis facies beneuola, influxus præsentaneus: altero enim Orbe dissiti caremus calore illo cœlesti, quo Princeps virtutem, artesque omnes fouet, erigit, nutricatur, & efflorescere facit. Præmia proinde, gloria, honoresque virtutibus debita, penè ex Antipodibus petenda, & vt vel serò, vel nunquàm contingant, meruisse non sat est; sed oportet & Argonautas esse. Ast hæc vetus nostratum quærela est, nec est cur illam hoc loci repetam. Legendus omninò inter alios Illustrissimus Doctor D. Petrus de Ortega huiusce Vrbis Episcopus: qui causam hanc eruditè, neruosè, argutèque perorauit. *Ortega. censura I. to: controuer. Brizeñi.*

Hæc dixerim in Patriæ dumtaxat commendationem, non quia ingeniorum in illa Floren-

rentium in me quidquam vel vmbræ periclitari præsumam: quis enim ego, vt tot, tantorumque virorum in Peruuio, litteris, ingenio, doctrina, morumque amænitate, ac Sanctitudine præcellentium, specimen audeam exhibere? Sed ad rem. Lucubrationes nostræ in (Aristotelis Philosophiam, quas in nostro olim Antoniano Collegio iuuentuti dictaueram, amicis saltem dignæ visæ sunt, quæ non perirent. Cessi amicorum iudicio *Neque enim* vt rectè iunior Plinius ait) *soli iudicant qui malignè legunt*. Quòd si alijs minùs placebunt, certè non ideò discrucier, quippe qui compertum habeo, eam esse humani ingenij imbecillitatem, vt quod vni arrisit, id eueftigio alteri displiceat; nemini enim mortalium hoc á superis concessum, quòd omnia quæcunque dixerit, aut scripserit, plausu omnes candido, integraue: censura excipiant.

Plinius.

Thomisticam profiteor Scholam: qui enim aliam possem in insigni Clericorum Sancti Antonij Magni Seminario teneris ab Vnguiculis innutritus, & vsque ad Primariæ Cathedræ præfecturam educatus? Certè ibi (magno Dei munere) non nisi Præceptoris Angelici doctrinam illimem, synceram, germanamque auidè haurimus, & alijs sine inuidiâ propinamus. Pro testimonio sit quod Rectore quondam piæ, Venerabilique memoriæ, licentiato Ioanne Rodrigues de Ribera, cùm præclarus iuuenis D. Ioannes de Isturizaga in eodem Seminario Collega, & postcà Episcopus Misxensis ad Monasticam Prædicatorum Ordinis vitam transiret; ne tamen optimæ spei adolescentis studia abrumperent (biennio enim iam inceptum liberalium Artium curriculum nondum peregerat) Dominicani Patres in eodèm Collegio Rectori concreditum habitu Ordinis, & Capillo religiosè detonso, relinquendum censuere: quæ Rectoris Seueritas, Doctrina, & vitæ sanctitas, quousque inchoata perficeret studia. Mirando quidem exemplo, & fiduciâ hactenùs non nisi S. Philippo Nerio habitâ, quod Monastici tyrocinij iuuentutem ad Prædicatorum Regulæ professionem Presbyter sæcularis exerceat, instituatur. Arbitrabantur sanè grauissimi Patres, non minùs in nostro Seminario, quàm intra sui Cænobij claustra doctrinam communis Magistri suo fore candidato fideliter instillandam. Nec spes irrita fefellit: decursis enim diebus post modùm Theologum egregium, eloquentissimumque Oratorem, *Sertenses* sacris redimitum infulis conspexere. Rectori Rodriguezio proximè successit Doctor D. Ioannes de Cardenas vitæ integritate, ac doctrinâ non inferior, cuius auspicijs, ferulæque nostrum debemus qualemqualem in literis profectum. Fato concessit meritis cumulatissimus, *memoria eius in benedictione est*, quam etiam nùnc non nisi tenerrimò refricamus amore, & amarore.

Virg. Æneid.

manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamque Magistri
His saltem accumulem donis

Igitur Antiquitatis canos Thomista suspicio, a Iuniorum vulsibus defendo, & nouâ meditatione plerumque illustro: neque opiniones neotericorum displicent, quia nouæ; sed quia cum non sint, pro nouis venditantur: neminem datâ operâ incurro, aut inuidiosè traduco, id vel inde liquet, quòd si quem disserendo nunc impugno, in eadem (non rarò) disputatione mox de alijs, quæ rectè sentiat, ingenuè laudo, eiusque industriam amplector. Non equidem hoc ingeniorum certamen intellectû militante honestè initum, ad voluntatis castra protelare fas est. Scotistas amo, & veneror, Nominales Iesuiticæ Scholæ colo, & summè diligo, nec minùs vtique, quam Duces meos, idest Thomisticæ Scholæ Doctores: sed cùm vtrosque amem, non nisi his adhærere didici ab Aristotele Metaphy. 12. lect. 9. *Deinceps* (inquit) *quædam quidem nos ipsos quærere decet, quædam autem a quærentibus sciscitari: si quid præterea, quæ nunc dicta sunt, his videatur, quæ circà hoc versantur, diligere quidem vtrosque, adhærere verò certioribus* Hactenus ille. Rationem reddit Commentator Angelicus: *Dicit, quòd oportet amare vtrosque, scilicet eos, quorum opinionem sequimur, & eos, quorum opinionem repudiamus; vtrique enim studuerunt ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adiuuerunt.* Quos potui legi, & in hoc opere laudo; non tamen Scholasticos omnes videre licuit, præsertim ex antiquioribus: nam & Capreolum non nisi a Sonzinate in epitomen redactum potui nancisci; Iuniorum autem libri vel raro veniunt, id fuit in causâ, cur eorum nominibus nostras pagellas haud ornaremus.

Aristotel.

D. Thom.

Denique vt nihil dissimulem: id solùm fateor doloris iamdiù altè meo insedit animo, quòd hæc qualiacumque scripta in Hispaniam, idest in alium Orbem prælo mandanda, mittantur, & me à Chalcographiâ quàm longissimè absente, monstrosis deturpanda sint mendis: Vidi enim nonneminis opera huiusmodi fortunam perpessa, in quibus ferè omnia fœdè corrupta, periodi mutilæ, orationes hiulcæ, syllogismi penduli, voces interceptæ. Cùmque barbari putemur qui vulgi errore vocamur Indiani, haud immeritò vereor, ne eiusmodi vitia, & latinitatis stribiligines in libri regerantur Authorem. Sed sat præfatum (Lector optime) reliquum est, vt à te non laudem, sed veniam; non plausum, sed benignitatem præstolanti humanum te præbere ne graueris. Vale.

COMMENDATIO AVTHORIS
AB ADMODVM REV. P. MAGISTRO
FRATRE IGNATIO DE QVESSADA

Generali Procuratore, & Diffinitore pro Prouincijs Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris Quitensis, & Sancti Antonini de Nouo Regno Granatensi: Priore Prouinciali, & Visitatore Generali Prouinciæ Sanctæ Crucis Indiarum: Reuerendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum pro Prouincijs Hispaniarum, & Indiarum meritissimo Socio.

EDITA hic Romæ Clarissimi Viri D. Espinosa Medrani Peruani Philosophiæ Prima Pars ad me perlata est, quod existimaretur me in Peruano Regno non potuisse non agnoscere Peruanum hominem aut ex facie, aut ex fama, quam sibi doctrina singulari comparauit. Et sane quisquis ita existimauit deceptus non est: ecquis enim in amplissimo licet Regno litteras vmquam, ac superiores scientias coluit, ad quem clarissimi Philosophi fama non peruenerit? Id sanè Europæis testari licet, Virum esse scientijs omnibus exc[illegible], cuius virtutem, eruditionem, cæterasque dotes, tot tituli quibus insignitur, etsi paginam pene impleant æquare minimè vmquam possint; & qualem demum hæc prima Philosophiæ pars exhibet, qua non dubitamus quin Viri docti specimine iam accepto huius ingenij solidi, acuti, elegantis, festiui, cæteras partes votis omnibus sint optaturi. Hactenus toti terrarum Orbi notissima satis fuerat Peruana Regio suis diuitijs, aurique venis inexhaustis, de quibus ea etiam Europæi ipsi referunt, quæ fidem superare videantur, etsi tamen rebus ipsis paria non sint; & quibus credi facilè possit, voluisse naturam, communem totius Orbis Thesaurum in Peruano solo reponere, vnde possent cætera omnia etiam veteris Orbis Regna locupletari. Hactenus etiam felicem terram, & Cælis charissimam esse tot Sanctissimi Viri satis probauerant, quorum longum agmen Diua Virgo Rosa Limana antecedit ducitque, futura cæteris sanctitatis exemplar; cuius sanctitatem quam multi hactenus æmulati fuerint

rint, exempla pressis vestigijs, eius odore persusi secuti & scit Sacra Rituum Congregatio, ad quam noui in dies processus pro declaranda eorum sanctitate, vt Ecclesiæ fastis inscribi possint referuntur. Verum vnum superesse videbatur, quo nouus Orbis cum veteri paria faceret; nimirum quod Americani acceptas ab Europæis (quod grati animi sensus fateri iubet) cum fide & Religionis cultu scientias, pari studio colerent, in ijsque excolendis non mediocrem se fructum percepisse, ac incrementum etiam addere posse ostenderent. At certè quantum valeant in excolendis etiam altioribus scientijs Peruana ingenia, egregium, vt arbitror specimen Europæis feret hæc Peruani Doctoris Philosophia, qua non immerito suaderi possis Erudite Lector, in Peruana Regione omnia esse aurea, ætatem auream, aurea sæcula, in eaque reperiri felicia ingenia bus permixtum esse aurum olim Plato dicebat: vt Peruanis ad fortunatum Imperium deesse nihil vltra possit, ad cuius gloriæ culmen assequendum tria concurrere, & necessaria esse ex Historijs obseruat D. Thomas, scilicet *Diuinum cultum*, *sapientiam Scholasticam*, *et sæcularem Potestatem*. Quid enim Peruanis desit? quos inter, tot sanctitatis exempla, aut miracula Diuinum Cultum vigere, tot immensis Diuitijs sæcularem potestatem ad summum fastigium promoueri posse, ac demum florere Academias, ac instituta scholarum exercitia hæc Peruani Philosophi Commentaria satis superque demonstrant.

L. 2. de Reg. Princip., cap. 16.

Verum si hæc à me in Peruani Philosophi commendationem dicta Europæis testari licet; etiam & Peruanis vicissim aliquando referre licebit, quantum sibi Americani de Europæorum beneuolentia aut æquitate erga suos Authores gratulari debeant: cum Espinosæ Philosophiam ab his qui veræ Philosophiæ gustum habent & probari, & magnis encomijs commendari videam. Nec sane immerito; quid enim ad absolutum opus, quod nedum Authoris, sed totius gentis famam sustinere possit etiam emunctioris naris homines desiderent. Vitio vertebat olim veteribus Philosophis Lactantius cum eorum falsam, eoque nomine indignam Sapientiam, vera Religionis Sapientia confutabat, quòd ea parte Philosophiæ instructissimi, quæ gladij instar ad aggrediendum iuuat; altera tamen parte qua instar Clypei sua defenderent destituti vndique iaculis confoderentur. At quam integram suisque partibus absolutam Philosophiam armisque omnibus gladio Clypeoque munitus Mineruæ miles Peruanus Espinosa refert. Quid enim acutius aut validius cum premit, cum vrget Aduersarium quem insequitur, & quem nullo gradu consistere sinit. Sed quàm sua tegit, ac defendit, quàm munit vndique, vt vix vlla ex parte adoriri quisquam possit. Sed quod à Romanis non poterit cum plausu non excipi; quantam in explicandis rebus etiam difficillimis elegantiam coniungit, & scientiam alioquin sterilem, & in quam si cæteros legas barbariem omnem se recepisse existimes, quàm accurata scribendi ratione, quot additis ornamentis venustissimam efficit, vt merito ambæ sorores

Lib. de falsa Sapien.

Philo-

Philosophia, & Philocatia solido festiuoque Peruani ingenio inuitatæ ipsius lateri dum scriberet adhæsisse, suasque illi partes conferre voluisse videantur.

Dicebat olim D. Augustinus dum contra Academicos dimicaret, pluraque eloquentiæ lumina vndique spargeret: *Philosophiam, et Philocaliam germanas sorores esse, et eodem parente procreatas*: Cum nihil veræ Sapientiæ, quam vera pulchritudo magis cognatum esse possit. Sed quàm multi inter vulgares Philosophos tam bellas sorores, barbari, ac rudes seiungunt, quibus nihil nisi horridum & incultum placet, qui germanam veræ Sapientiæ sororem Philocaliam exosam habent, eaque barbarie offensam exulare iubent, aut in fugam conuertunt; aut verius à quorum conuictu ipsa indignata fugit; dum interim Philosophiam cui soror ornamenta conferebat, laceram sordidamque relinqunt, ac fœdam exhibent. S. August. lib. 2. contra Academ. cap. 3.

At quàm Peruanus felicior, cui germanæ sorores in societatem admissæ ad blandiuntur, cui ita dum scribit fauent, vt sua ipsi omnia contulisse existimari possint, quas ipse vicissim ita colit, ac repræsentat, vt numquam Philosophia venustior, numquam Philocalia doctior videri potuerit.

Non potuit quidem Espinosa dum Dialecticam veluti senticetum ac vepretum in limine Philosophiæ positum colere cogitur, *spinas mentis*, vt Ambrosij verbis vtar, *et sentes animis* non pertractare: sed verissime dixerim in Espinosæ Dialectica *spinæ sepiunt* cinguntque *gloriam* florum, vt nulla forsitan hactenus Dialectica prodierit cuius plura hæc spinæ acumina maiorem sparsi flores amœnitatem exhibuerint. Hæc Europæis Romæ à Peruano dicta in commendationem gentilis sui, & Peruani benigne, vt arbitror Lector excipiet: vt de Europæis, ac in primis de Romanis plura aliquando, vt spero Americanis, & Peruanis à me referentur. Decet enim litteratos Viros his officijs inuicem, & beneuolentiæ, ac humanitatis argumentis decertare. Valeat Præclarissimus Author. Ex hoc Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam die 30. Augusti anno 1688. S. Ambros. in examer.

Fr. Ignatius de Quessada Magister
Prouincialis Sanctæ Crucis.

COLLEGII S. THOMÆ DE AQVINO LIMENSIS Ordinis Prædicatorum.

COMMENDATIO OPERIS.

PRÆCLARISSIMVM opus Viri multis titulis spectatissimi *Ioannis de Spinosa Medrani Peruani*, summa voluptate perlegimus; ac tantam multiplicemque eruditionem mirati, noluimus nostram commendationem deesse, in argumentum gratitudinis, quòd & communem Patriam nobilitet, eiusque famam nouo eruditionis titulo comparatam ad Europæos deferat, ac de nostra in primis Schola optimè meritus sit. Depulit equidem Prefatione sui Operis opinionem fortitan quorundam animis insitam, ac minus Peruanis propitiam, quam parem ac Zonæ Torridæ tamdiu creditæ fabulam dixerim: & Philosophorum Principis, ac Doctoris Angelici testimonijs, quæ Europæi minimè suspecta habeant, Polum Antarticum cui America subiacet, adeò polo Artico veteri Orbi semper conspicuo prestare demonstrat; vt Athenæ etiam, quamuis olim Sapientiæ sedes, sinistrum dumtaxat ac inferiorem in Orbe locum tenere dici debeant; & si id addi liceat *læuam* ipsis inesse *mentem*, vt Virgilij verbo vtar, si cum Peruanis conferantur, & positionis locorum, & polorum discriminis ratio habeatur.

Verum etsi si cætera nobis minus propitia sydera forent; quid non sperare liceat
Hiero. Vital. in ex Mathem. ver. Crux. Hispanice el Cruziero. Americanis ab ea sydereа Cruce, qua nos felices Europæi ipsi arbitrantur: quo benigno sydere, *seu Cruce Stellis quatuor in formam Crucis dispositis* Americani Meridionales & Peruani, vt Europæi aspectu Stellæ Polaris dum nauigant diriguntur. Nihil est quod hac in parte Europęis veterique Orbi inuideamus.

Cætera non cedant; vno vincuntur in astro,
Et Cruce syderea, *nostro quæ contigit Orbi.*

Merebatur equidem inter astra Crux reponi, Diuini fœderis, ac reconciliationis hominum cæleste signum, felicius ac duraturum magis, formata Iride concretione nubium ac refractione lucis euanidæ. At quibus nisi Americanis, & Peruanis hæc fælicitas tanta contigit, vt benignissimi huius syderis seu fulgidæ Crucis, & aspectu recreentur, & dirigantur luce, & influxibus foueantur. Sed quid nō promisisset Americanis sydera Crux ab initio conditi Orbis ipsorum semper vertici imminens? Promittebat puriores ac ardentiores fidei & sanctitatis radios e Cælis aliquando effundendos: & tandem impletum iri celeberrimum Esaiæ vaticinium, quo mittendos Apostolicos viros, Angelosque ad propalandam fidem, Crucisque mysterium detegendum tot retro sæculis Diuinus Propheta vaticinabatur.

Esai. 18. לכו מלאכים קלים אל גוי ממשך :
גוי קו קו ומבסה.

Ite Angeli veloces ad gentem dilatam: ad gentem Lineæ & Lineæ & conculcatam. Quæ enim aut Esaiæ olim, aut Orbi veteri Regio *Lineæ & Lineæ*, præter Peruanum Regnum, quo vt perueniri possit, & Lineam tropici Cancri, & Lineam æquinoctia-
Virg. 1. Georg. lis, & diffusas in immensum plagas corusco semper Sole rubentes, & torridas semper ab igni falso olim existimatas pertransire oporteat. Hæc sane regio *Lineæ & Lineæ*, magis Prophetæ Oraculo, quàm soli delitijs, diuitijsque, aut Poli fœlicitate
Isai. 26. nobilitata. *Conculcata* quidem *pedibus pauperum* cum fidei collum subdidit Peruana Regio olim superba imperio ac diuitijs. Et si quando occulto Dei Iudicio in superiorem ætatem *dilata*, longam traditatem (quæ magnarum rerum quæ diu expectantur sors esse videtur) nouis in dies editis Sanctitatis Miraculis, quæ cum plausu Ecclesia suspicit, suisque accenset, maiori nunc fæcunditate compensat.

Cant. Ferat hæc non inuitus, amicus licet ignotus Lector in nostræ gentis laudem, nec nobis Europæi inuideant, aut *nos iam nemo despiciat*; quos tandem etsi tot terrarum & marium longis tractibus, ac spatiis disiunctos, mutuo tamen fœdere eadem fides ac Religio coniungit: vt iam eadem sorte pares, etsi cætera deessent, illud vsurpare liceat.

Est

Est Deus in nobis, sunt & commercia Cæli Ouid.lib:3:de arte.
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Nec verò hæc incassum à nobis dicta eruditus Lector existimet: ex quibus etiam agnoscet quid de hac Philosophiâ sperare liceat. Omnia enim similia esse necesse est, cælum, solum, geniumque hominum. Et quæ alia de magnitudine, acumine, ac sublimitate ingeniorum, quæ Americana, & Peruana Regio alit argumenta clariora quærenda sunt, præter hoc vnum nobis Tibique Lector exhibitum, scil. hanc Peruani Authoris Philosophiam, qua nullam adhuc multis in partibus præstantiorem, vt de nostris modeste loquamur, & dicent alij forsitan, cui nec parem ad nos Europa transmisit.

Quis enim vmquam in his disputationibus scholasticis, quas nescio quis olim ob minutiarum sterilitatem, *Cancris simillimas* esse dicebat, maiorem amęnitatem miscuit? vt ipse Authoris genius ipsaque scriptio regionis amænitatem, ac delitias referre videatur. Sed quis maiorem vmquam eruditionem, in argumento alias admodum tenui, aduocauit? vt cultissimum, & per omnes scientias læuigatissimum ingenium nihil latuisse videri possit: quodque etiam etsi scholæ deditis hominibus res insolita sit, ideoque magis in nostro Philosopho suspicienda, Musas sæpius inuisit, coluitque, Augustini præceptum sequutus qui *non penitus Poetas à Philosophia contemnendos esse existimauit.* Aug.l:3:contra Acad:cap:3:

Non poterunt non colere, aut non amare Europæi Authorem in quo seipsos & agnoscant, & reperiant: cum ex Philosophis Orbis veteris, quorum ad nos libri peruenerint, vix vnum prętermittat, quem vel honoris causa humanissimo Authori nominare non placuerit. Quamuis vnum semper, & quo nostram scholam inprimis sibi deuinxit, cæteris anteponat D. Thomam, quem vbique pressis vestigijs fidissimus interpres sequatur. Sane fateri libet hoc etiā ab Europæis nos astro vinci D. Thoma, nec nostra vnquam

Vllo tantum se tellus iactabit Alumno. Virg.

Sed & hæc Sanctissimo Viro iniuria fieret, si veteris Orbis solum finibus huius doctrina clauderetur. Vltra Europam ferri debuit, vt vna esset D. Thomæ Schola Vniuersis Orbis, qua latè patet: & vt *commune ex vno lumen ducentia Sole* minora Scholarum sydera vni Doctorum soli D. Thomæ lucem acceptam referrent.

Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes Lucret.
Restrinxit stellas exortus vti aerius Sol.

Hinc præclarissima illa lumina, quæ vbique in sua Philosophia Sapientissimus D. Espinosa spargit; & quibus difficillimas quæstiones explicat: vt fateri etiam vicissim Europæi debeant Peruana ingenia aliquid ad Philosophiæ, & Sapientiæ incrementum non minus conferre posse, quam totius Europæ Regna auri ferax fertilisque regio nec sibi solum diues, auri argentique ac vnionum etiam magis pretiosis aceruis locupletauit. Vulgatum olim erat inter amicos cum cętera deessent, quo beneuolentiam demonstrarent, & ne omnino sterilis amicitia foret ἀργυρȣ ςερȣμενοι ἴαμβον ἴαλλομεν *argento destituti carmen*, & laudationem *mittimus*. At erit felicior Peruana Regio, cum diu iam auro argentoque locupletato veteri Orbi etiam sapientiam mittit nobilius commercium initura; & quæ Tua singularis laus est Sapientissime Espinosa non sola America celeberrimum nomen claudet: ibit Espinosæ nominis fama ad alterum Orbem: & quod Nobis collatum beneficium acceptum Tibi referimus, vbique terrarum D. Thomam regnare in scholis per Te Orbis vniuersus agnoscet.

In Auctoris Laudem

IOANNES DE SPINOSA MEDRANO PERVANVS

ANAGRAMMA.

En ſe Iaſon ad nos penna, purus amore Dei.

EPIGRAMMA.

Quis nouus Auſoniis Heros reſplendet in oris,
Et doctas potis eſt nobilitare Scholas?
Sic ego: ſic vati reſonare oracula Cœli
Audio: ab occiduo prodigium Orbe venit.
En penna aurata *Iaſon ſe* proripit *ad Nos*;
Et ſophicis ſeptis virus abeſſe facit:
Auratum vellus, Thomæ quo ſcripta refulgent,
En Romæ appendit, *purus amore Dei*.

Ita Eximio Doctori ex corde applaudit

M. D. F. L.

APPLAV-

APPLAVSVS
Laudem Authoris, gratulatorijs vocibus concinens.
A Collegio S. Antonij Abbatis Ciuitatis Cozcanæ, dicatus.

IOANNES MEDRANVS INDIANVS
DOCTOR THOMISTA.

Anagramma purum.

Ista manus, nocte in radio, thus dans in odorem.

ELOGIVM.

Muta Harpocrate labia muta.
Silentium sit non entium,
Sed fama, pleno ore laudem exclama,
IOANNIS.
Qui in Occidente natus, nec ex parte Occasus expers, Orientis ex toto expertus.
Orbem ornauit non orbauit
IOANNES.
Quia ex abysso Thomæ gratia Ioannis manat, nunquam ad Manes.
A teneris, tenerrimè Thomam contra impugnatores propugnat.
CÆLESTE Augurium.
Seminarista Collegij Nostri Regalis efficitur, Thomisticæ Sapientiæ collecturus Semina & aristas.
Felix Antonianum Collegium Nostrum,
In quo dum Ioannes rexit, Thomæ veritatem euexit
Et dum Magnum Antonium largum in pauperes legit,
Abunde talenta sua petentibus detegit.
Scandit dum amore Thomę candet Ioannes.
Puber natus, à Doctrina Thomæ gubernatus,
Rarus, nunc Gubernio Ecclesiæ radiat.
DISCITE
Quisquis Thomam imitatur, nunquam honoribus limitatur.
IO FAMA
Pande stupenda
Apage fabulosa harmonia Orphei, saxa in altos euocans Saltus.
MIRA METAMORPHOSIS
Ioannes Aquinati immersus, aquas etiam Oceanas mutat immergentes
Iam non Sirenæ in Oceano.
Sirenas dixeris in otio, sed in Oceano Thomistico Serenas
Hæc mutatio dexteræ:
FORTVNATA IOANNIS PATRIA.
A dextris Cæli situata, vt virum tantæ dexteritatis statueres.
LATIVS SOLATIA.
Ioannes sub Polo Antarctico nascitur, & vix visibilem Thomisticum Solem nanciscitur.
NESCIT ARGVS LETARGVM.
Quid mirum, Ioannem Solem Aquinaticum attigisse, cum Patria ipsius pars Superior
POLI SIT?
ERGO
Radiate lumina aduersa dispergite fulmina
Dum IOANNIS immortale Nomen fortunatum vobis pollicetur omen.

IN-

INGENIOSISSIMO AVTHORI
ACHATICVM, SEV AMICABILE
ELOGIVM.

GYRA PER ORBEM PANEGYRIS
tenta encomia intenta, quia necdum laus omnis scripto contenta,
non minus Ingenui, quàm Ingeniosi
IOANNIS.
Qui cum alios in Scholis excesserit, à nullo in laudum Scholijs exceditur.
Vndiquè tanti excessus præsagia.
Occidentem, Patriam habet, quasi Scientiarum Occasum irradiaturus.
QVAM PVLCHRA ANTIPHRASIS!
Ioannes in nouo Mundo lucem aspicit? immò eundem nouum efficit:
quia antiquitate errorum purgata, nouum eidem Solem confert,
quem, ex Pectore Thomæ in se Vibrantem, receperat.
AGITE FVLGORES.
Candidior ex Aquinatico Sole in Ecclesiam reuerberatio, per
IOANNEM
Qui dum honorem Ecclesiæ sua Doctrina illustrat,
honoribus ab eadem illustratur.
VNDIQVE FVLGOR.
Ex merito IOANNIS, & præmio.
Hostibus Thomæ Aquinatis Doctoris Ecclesiæ non cedit,
Sed illos cædit Verbo, non Verberibus.
HINC LVX EX MERITO.
IOANNES
Sapientiæ aurum in Thesauro Ecclesiæ reponit,
quando illius Thesaurarius nominatur.
quia
non tantum speculum in speculando est, sed fax in praxi, simul
LVCET, ET ARDET
INDE FVLGOR EX PRÆMIO.
Sed plura Venerari magis, quàm venari decet, in Tuam laudem
IOANNES.
tantùm mei muneris factum, quantum Tui honoris tactum.
Sed dum tacet clamor, placet amicus amor:
Cuius inter nos nexus, semper mansurus inflexus,
MAIOREM NÆVVM, CONCINNABIT IN ÆVVM:

Ita vouet.

Fr. Ignatius de Quessada Magister,
Prouincialis Sanctæ Crucis.

IN

IN LAVDEM AVTHORIS

EPIGRAMMA.

ESPINOSA, Tibi plaudit Thomiſtica Claſsis,
Gaudens tàm eximium promeruiſſe Ducem;
Eloquij cui vena fluit, ceù diuitis auri,
Gratia cui nomen, non ſine laude, dedit;
Sed licèt incultæ condant Cognomina Vepres,
Et flores loqueris, ſpargis & ore Roſas;
Quìn etiàm Ingenio poteras iubar addere Stellis,
Et Soli lumen iungere ſplendidius;
Nàm per Te radio meliore refulget AQVINAS
Candidiora coma ſplendet in Orbe Nouo.

Fr. Antonius Franciſcus Fracaſia M. Prouinciæ Romanæ.

De operibus, à Cl. Viro

IOANNE DE ESPINOSA

Editis ad mentem Sancti Thomæ Aquinatis.

EPIGRAMMA.

Fert varios Aquila ex aduerso Sole nitores;
 Et sobolem explorat, Sole micante, suam.

IOANNES Aquila est; THOMAS in scibilis Orbe
 Sol, quo sublato squalida quæque iacent.

THOMÆ assuetus claris impallescere chartis,
 Exin IOANNES lumina mille trahit:

Respuit, vt spurium, quicquid non vndique spiret
 THOMAM, aut non THOMÆ spiritus intùs alat.

Sic sapit à THOMA totus; sic pendet ab illo;
 Ad Solem hunc fœtus sic probat esse suos.

F. Angelus Iulianus Ord. Prædic. Theologus, ac Fidei olim Quæsitor Genuæ.

IN LAVDEM AVCTORIS
E L O G I V M.

Nec laudes delibamus tuas, nec ingenium, nec dignitates,
Hæc omnia de te, tui labores isti prædicant;
Testantur, qui in ijs quid discerent
Tribuere,
Par pari reddimus, & tibi, tuoque ingenio:
Benemeri quippè de nobis voluisse,
Beneficium certè est;
Sed maximum spontè voluisse.
Quod verò ad nos testari de te spectat,
Id vnum, te Thomisticam doctrinam
Tam dilucidè exposuisse,
Vt ambigi quidem possit, nisi te nostra vendicarent
Sæcula, an de ea tuis in scriptis disceptaret
Angelicus!
Thomam itaque in te, vt Solem in Parellio miramur:
Illius sic Theses caliginoso mentium dissensu inuolutæ,
Tui opere ingenij sibi restitutæ, ad debitum
Refulscre decorem.
Mereris ideò (si fas est dicere) quod confessus de Thoma
Deus est (Benè scripsisti)
Idem de te fateri Diuum Thomam.
Pretiosam ex Peruanis oris Margaritam
Ad nos vsque mittis.
Te ipsum, tuo hoc in opere Thesaurum reconditum;
In nouo nouus Orbe repertus est,
Ingenium scilicet tuum.
Æquum igitur rati sumus, hisce prò te laudibus
In inuidiæ, si quæ erunt, censuras
Pugnare,
Quod tam acriter prò nostra doctrina
Dimicueris
Cætera de IOANNE de ESPINOSA Cozcanæ Vrbis
Cathedræ, Zicea, Auditores
Loquuntur.

Fr. Franciscus Maria Forlani Ord. Præd.
in Collegio D. Thomæ de Vrbe
Lector Theologiæ Moralis.

AD EVMDEM IDEM EPIGRAMMA.

Gemmiferis pretiosa opibus ne viscera iactet,
Auro, fecundos Ibdica terra sinus
Diues Medrano magis illa superbiat; Orbis
Si non Medrani Patria, totus erit?
Ecce quod occiduus sol, nascitur alter in oris;
Medrani solem dixeris ingenium.

IN LAVDEM AVTHORIS.

IOANNES DE ESPINOSA

MEDRANVS PERVANVS

DOCTOR THOMISTA.

Anagramma Purum.

Iste dum à Thoma, nonne pura, decora Rosa,
Onus de spinis est?

E L O G I V M.

Fecunda consurge facundia.
Rumpite moras silentia, in encomia prorumpite.
Inter stupenda etiam saxeus loquitur Memnon elinguis
Ergo nefas vocis organa non fari.
THOMAS IN IOANNE FVLGET
Dum IOANNES in Doctrina THOMAE refulget.
REFVLSIT IOANNES
Quia ab illo irradiatus Sole, quod Ecclesiæ iubar est.
IOANNES semel natus in Occidente, semper renascitur fama Oriente.
DIVINVM OMEN.
Immaturus adhuc Regalis Seminarij Collega factus,
Vtpotè
Semina Philosophiæ Thomisticæ maturo volumine collecturus
QVAM BELLE
IOANNES Magnus Heros, Herum THOMAM imitatus
Duplicatus creatur Theologiæ Professor, vt recrearet difficultatibus implicatos.
DIGNVS IOANNIS ASCENSVS
Ex Scholastica ad Ecclesiasticam assumitur Præfecturam,
Et meritò, quia Doctrinam secutus est, quam,
Non Apollo oraculo, sed Christus à Polo Crucis comprobauit.
AGITE HONORES.
IOANNES gratiam sonans Thesaurarius virtutum in Cathedra respicitur,
Dignus Cathedralis Basilicæ Thesaurarius efficitur.

FE-

FELIX PERVANVM REGNVM
Fauet Fauonius, qui Rosas annectit Rosis, verè Auster non austerus:
Rosam Marianam petiuit, vt Rosas Thomisticas suppeteret.
Itaquè
Rosæ pergite, odores spargite.
Dum præclara memoria æternà corruscabit gloria,
Et nomen post præcisa fila intonabit vsque ad Nubila
IOANNIS.

Ita vouet, & præcatur
Ex corde affectuosissimus.
P. T. E. P. C. R. O. P.

ALIVD
IN HONOREM, ET LAVDEM
HVIVS LIBRI AVTHORIS
THOMISTICÆ PALLADIS
ACERRIMI PROPVGNATORIS.

Construis insignem magna cum laude Sophiam
Quæ cunctis, animos, cor, animasque rapit.
Nec mirum TIBI namque fauet Thomistica Pallas
Qua suaui pennà disseris atque bene.
Hinc totam SPINOSA facis Logicam sinè Spinis
Et sine labe doces, quæ sine labe micant.
Errat nunc quisquis de TE si forte loquatur
Conueniunt rebus, nomina sæpe suis,
Nam SPINOSA creas tantùm floresque Rosasque.
Hisque virens redolet tota Sophia TVA
Hinc nomen laudesque tuæ sine fine manebunt
Dantque TIBI palmam, vir, inuenisque Senex.
Quid superest? nisi quod dicam sine crimine, quod sis
Annis postrior, sed tamen arte prior.

INDEX

Librorum, Dissertationum, Theorematum, aliarumque Rubricarum, quæ in hoc Tomo continentur.

b *Theo-*

Theo-

Index Rubricarum.

DIS-

Index Rubricarum.

Theo-

Theo-

PHILOSOPHIA THOMISTICA
LIBER PRIMVS
In Ariſtotelis Organum, Diſſertationum Dialecticarum
PRÆMITTITVR DE MORE
Summula Dialecticæ, ſeù paruæ Logicæ inſtitutio.
PROLVSIO.

I. PHILOSOPHIA, quæ iam pro ſcientia vſurpatur ab omnibus, quamuis olim Pythagoras pro amore dumtaxat ſcientiæ illam primus indigitauerit, in Rationalem, Naturalem, & Tranſnaturalem communi Sapientum calculo tripartitur, quas Græci Dialecticam, Phyſicam, & Metaphyſicam appellant. Dialecticam nunc, ſeù Rationalem Philoſophiam aggredimur enarrandam; ſed quoniam ſummè difficilis eſt, non niſi in ipſius vmbra, ſeù progymnaſmate verſatos: ſolent Dialectici Doctores ad huius ſcientiæ penetralia Tyrones introducere. Principiò enim *Ariſtotelis* Logicam redigunt in Summam, quod primus præſtitit egregius ille Sacri Prædicatorum Ordinis Magiſter *Petrus Hiſpanus*, immenſumque illud pelagus in ſeptem breuiſſimos contraxit Libros: magno quidem, & adeò fœlici auſu, vt in nonnullis rei Dialecticæ tradendis, etiam ipſum Ariſtotelem ingenio dicatur ſuperaſſe: ſicut vel extra Thomiſticam Scholam teſtantur *Hurtadus diſput.* 4. Summul. ſect. 8. *Ioannes Lalemandet* Apparatu Iſagogico *partit.* 6. num. 19. & alij. Porro quoniam maximo totius Orbis Litterarij bono Tractatum hunc, quem vulgò Summulas appellant fauſtis inſtituit alitibus, vniuerſa Dialecticorum Schola ipſum obuijs (vt aiunt) vlnis amplexa eſt, adeò vt, nedum propriæ familiæ clariſſimi Doctores, inter quos inſignis ille doctrina, ac pietate Vir M. Dominicus Sotus, Petrus Bruxellenſis, Mercadus &c. Sed exterorum etiam Tartaretus, Io: Maior, & alij, Commentarijs quaſi proprium Auctorem locupletiſſimis illuſtrarint, quæ noſtri ſeculi Scriptores in multo breuiorem formam concinnant, quam potius Summularum Summulam poſſis nuncupare.

II. Pollet igitur proinde *Petrus Hiſpanus* in Summulis haud minore, quam ipſemet Ariſtoteles auctoritate, & quidem iure meritò, illum enim duobus *De priori reſolutione* libris: de re ſyllogiſtica obſcurè ſatis ac perplexè ſcribentem, clarum nobis reddidit ex nubilo, & ex inutili proficuum. Haſce tenebras ſubindicauit Magiſter Bañez in Prologo minoris Dialecticæ lib. 5. *Philoſophi ingenium* (inquit ille) *tum in alijs, tum in hac ſyllogizandi ſcientia admirantes: non poſſumus non fateri, obſcurè nimis, & perplexè loquutum fuiſſe: ſic adeò, vt niſi diligentiſſimorum Virorum ingenia, in eius intelligentia plurimùm laboraſſent, parùm vtilitatis Studioſis Dialecticæ Adoleſcentibus duo libri Priorum reſolutionum contuliſſent.* Verum enim verò cum *D. Thomas* Doctor Angelicus, qui *Ariſtotelis lingua* à *Mirandulano Pico* proclamatus eſt, iſtis libris facem non admouiſſet ſuo, vt cæteris aſſolet Commentario, nil mirum ſi Stagirita mutus, videatur ineptire. *Quorum intelligentiæ* (pergit *Bañez*) *propter obſcuritatem Grammaticalis conſtructionis, Moderni Dialectici operam non dederunt: Neque mirum, ſiquidem D. Thomas ſuper libros illos Commentarios non edidit.* Hæc de Summularum origine, & Auctore, pergo ad finem, obiectum, & noſtri methodum inſtituti.

III. Iam verò cum ſcire, ſeù philoſophari ſit virtus intellectualis, neceſſe eſt, vt & modus ſciendi ad aliquam intellectus operationem pertineat. Tres ſunt autem operationes illius, quarum prima dicitur *Apprehenſio ſimplex*, ſecunda *Iudicium*, tertia *Diſcurſus*, ad quarum proportionem in tres etiam partes hunc tractatum diſtribuemus. Agemus primò de terminis pro ſimplici apprehenſione; Deinde pro iudicio de propoſitione, denique de argumentatione pro diſcurſu.

IV. Vnde iam apparet finis ſaltem remotus huius Tractatus, qui quidem alius non eſt à fine remoto totius Dialecticæ, à qua neque hoc Progymnaſma prorsùs diuerſum eſt, qui eſt dirigere haſce intellectus operationes. Finis verò proximus eſt procliuiorem, & facilem aditum ad magnæ Logicæ difficultates penetrandas aperire. Obiectum tandem illius ſunt voces, earumque ſignificatio, non quidem vtcumque; ſed quatenus deſeruiunt ad rectificandas eiuſmodi operationes, diſcernendo ſcilicet verum à falſo: Equidem vocum ſignificationem ſub alia conſideratione non ad Dialecticam; ſed ad Grammaticam potiùs ſpectare nemo non videt.

V. Studebimus breuitati, ſtylo etiam facili, & tyronibus conſentaneo: quod ſi interdum parerga quædam, quaſi calamo indulgentes ſuperaddimus, ea ſanè, contra nonnullorum audaciam Neotericorum duximus attexenda, qui meris nugis Ariſtotelis doctrinam ſugillare veriti non ſunt: liberum tamen erit Lectori dum neceſſarijs incumbit, iſta prætermittere, vt poſtmodum dato otio: ea perluſtret, & fortaſsè non pigebit.

VI. Cæterùm cùm res huiuſmodi potiùs inſtructionis ſit, quam diſputationis, nihil ſeriò in quæſtionem vocabimus; quæ verò diſcuſſione indigent ampliore, ad proprias eorum ſcientias amandabimus: Diſplicet equidem nobis magnoperè, Viros alioqui cordatos, in Summulis non ſolùm de rebus ad Animaſticam facultatem omninò attinentibus, ſed etiam de Sacramentis, Deo & Angelis tractare, occaſione ridiculè accepta ex definitione ſigni, non niſi, vt moras trahant, Tomum Summularum integrum ſcripſiſſe dicantur, & annum in huiuſmodi quiſquilijs inſumant.

DISSERTATIO PRIMA.

De partibus Orationis integralibus, & simplicibus, quas terminos vocant.

§. I. VBI desinit Grammaticus, incipit Logicus: agit quippe Grammaticus de oratione, & partibus eius, eo fine vt congruè loquatur; Logicus verò, vt verum à falso discernat: constituit enim orationem vt sit instrumentum scienti, quo intellectus operationes dirigat: Sunt autem (vt supra diximus) eiusmodi operationes tres: *Apprehensio simplex*, quæ *est actus quidam, quo intellectus rem cognoscit simpliciter, nihil affirmando, aut negando de illa*: vt dum mente concipimus *Animal*, vel *Hominem*, quin de illo affirmemus, nec negemus quid sit, vel quid non sit. Solet autem res, quæ sic apprehenditur esse omninò simplex, vt in exemplis appositis: & solet interdum etiam esse complexa, & ex alijs composita, vt cum apprehenditur *Homo iustus*, vel *Paries albus*; quin tamen affirmetur iustitia de homine, nec albedo de pariete.

§. 2. Secunda intellectus operatio, quæ *iudicium* dicitur, *est actus, quo aliquid de aliquo affirmamus*; vt cum mente iudicas, *Homo est iustus*, quod dicitur compositio; eo quod iustitiam cum homine componit: vel *cum aliquid de aliquo negamus*. Vt si negando dicas: *Homo non est lapis*, quod dicitur diuisio, quoniam hominem diuidis à lapide. Nota autem, rem illam, quæ de alia affirmatur vel negatur, vocari à Philosophis *Prædicatum*, & illam, de qua affirmatur & negatur, appellari *Subiectum*: Verbum autem dici *Copulam*, aut vnionem. v.g. in hac oratione *Homo est Animal*, ly *Homo* est subiectum, ly *Animal* est prædicatum, & ly *Est* dicitur copula, vel vnio, quia hominem nectit cum animali.

§. 3. Tertia denique operatio, quæ *discursus* dicitur, *est actus, quo ex cognitione antecedente cuiuspiam rei, procedimus ad cognitionem alterius, vnam scilicet ex alia deducendo*; verb. gratia ex eo, quod sciam, *Solem esse ortum*, venio in cognitionem hanc: *ergo dies est*, in omnibus his actibus potest consistere modus sciendi, vt infra patebit.

§. 4. Cùm igitur oratio Dialectica, quæ *modus sciendi* dicitur, suis constet partibus, quas *Terminos* vocant, recta methodo de terminis agere incipimus: prætereuntes quæstionem, qua Summulistæ seriò rogant, *A quo sit incipiendum? à terminis ne, an à modo sciendi?* Communis enim iam Dialecticorum Schola à terminis incipit, quibus lubens subscribo, maiorum exemplo: Et quidem Magister *Sotus* vir omni laude superior, qui in prima Summularum editione à modo sciendi inchoauerat, posteà re maturiùs perpensa, cum iterum illas prælo mandasset; à terminis incœpit, primumque correxit iudicium. Magister *Bañes* Primarius Salmanticensis, qui Summulas post totam Theologiam plusquam septuagenarius scripsit, à terminis etiam censuit incipiendum, incœpitque; quæ duo magna nomina mihi pro mille sufficiunt. Adde, quod vel aduersæ opinionis Doctores, nostram hanc methodum inchoandi fatentur, esse *aptiorem secundùm se, tradendis disciplinis*, vt testantur PP. *Carmelitæ Complutens.* Incipiendum igitur à facilioribus, simplicioribusque more naturæ. Vnde pro prima intellectus functione, quæ omninò simplex est, res etiam simplices, scilicet terminos explicabimus.

THEOREMA I.

Quid sit terminus Logicalis.

§. 5. ORatio illa, quam Grammatici vocant *verbi substantiui* qualis est hęc *Homo est animal*, vel hęc *Petrus est homo &c.* à Dialecticis, nuncupatur *Propositio*, vel enunciatio: eius extrema, seù partes, sunt *Homo*, & *Animal*, quę ideò *termini* dicuntur, quia terminant, seù claudunt vtrinque orationem: & sicut eiusmodi oratio potest sola mente concipi; atque etiam voce exprimi, & tandem scripto significari: Ita dicitur, orationem diuidi in mentalem, vocalē, & scriptā; similiterque earum partes, seù *termini* erunt *mentales, vocales & scripti*: qui quidem sunt signa quædam, se inuicem ordine quodam repræsentantia. Nam *terminus* mente conceptus *est signum rei, quæ cognoscitur, seù apprehenditur*, vt hic conceptus *Homo* in intellectu, qui significat naturam rationalem: Rursus *terminus vocalis est expressio & signum mentalis*, vox etenim humana ad explicationem internarum cogitationum data nobis est. *Terminus* denique *scriptus* similiter *est signum, & explicatio termini vocalis*.

§. 6. Iam verò dictio simplex seù *terminus*, variè a modernis Dialecticis explicatur, quorum definitiones seriò confutare, immò nec vel referre lubet, aut vacat: ansam varietati dedit Aristoteles primo Priorum cap. 1. aiens: *Terminum autem eum appello, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & de quo prædicatur*. Ex quibus verbis multi deducunt definitionem illam satis communem: Terminus est *Extremum propositionis*, quæ ità quidem ampla est, vt voces etiam mutas, & nihil significantes ad classem Logicalium terminorum admittant, ideò solum, quia extrema propositionis esse possunt, vt in hac: *Blytiri est vox*. (si forte *Blytiri* nihil significat, vt vulgò creditur, de quo infra non nihil adnotabo) Alij è contrario supra rationem *extremi* addunt quod simul etiam sit *nomen*, vt voces mutas excludant. Sic PP. Complutenses: sed verò hæc eorum definitio terminus est *nomen extremum propositionis*, ità stricta, & parca est, vt excludat etiam verbum, & alia quæ rationem termini habent prout in præsentiarum loquimur, quod esse contra Angelicum Doctorem S. *Thomam* infrà monstrabo.

§. 7. Media via incedunt, qui sic definiunt: *Est Vox significatiua ad placitum ex qua simplex conficitur propositio*. Hæc definitio excludit quidem voces nil significantes: Sed verò animosè illam refellunt moderni, eo quod non comprehendat terminos mentales, quiquidem rigorosè sunt termini; & tamen voces non sunt. Veromtamen qui eo argumento nixi hanc definitionem reijciunt, vel *Aristotelem* impugnant, vel *Aristotelem* defendere ab illo nesciunt. Ille enim nomen definiuit per vocem significatiuam ad placitum,

citum; definiuit *verbum* per vocem significatiuam ad placitum: definiuit *orationem*, &c. Et tamen non ignorauit, dari *nomen* mentale, *verbum* mentale, *orationem* &c. Ergo qui definiunt terminum per vocem significatiuam, more Aristotelico definiunt, & ad argumentum respondere poterunt id ipsum, quod arguentes respondere tenentur ad suam obiectionem, quę ęquè militat contra definitiones Aristotelis.

§.8. *Cæterum M. Sotus*, vt terminos etiam mentales complecteretur, simulque mutas exploderet voces, terminum docuit esse *Signum propositionis categoricæ constitutiuum*: qua definitione etiam *verbum*, & cæteras orationis partes comprehendit, illam communiter Iuniores Thomistæ amplectuntur. Sed quia à definitione *Aristotelis* dissidere videtur, à cuius mente, vel latum vnguem discrepare, nec volumus, nec debemus; oportet explicare quo sensu Philosophus de termino ibi fecerit sermonem.

§.9. *Aduerte ergo*, terminum tripliciter considerari iuxtà triplicem intellectus operationem. *Primò* quatenus est conceptus quidam simplex, & omninò antecedit actum iudicij; de quo agit *Aristoteles* in libro Prædicamentorum. *Secundò* vt componit propositionem, estque pars illius: de qua agit ille in libris *Peribermenias*, siuè de interpretatione. *Tertiò* vt constituit ordinem syllogisticum: maior enim, & minor extremitas syllogismi dicuntur termini respectu medij, tum quia medium vtrinque terminant, tum etiam quia in eiusmodi terminos, tota resoluitur fabrica syllogistica, & de termino in hac acceptione, egit *Aristoteles* in libris *Prioris resolutionis*, idest loquebatur ibi de termino syllogistico, non de enunciatiuo, & prout componit propositionem, de quo nobis nunc sermo: quod vel indè patet, quod de sola propositionis resolutione fecit mētionem, non de compositione, quæ natura prior est. Igitur nullatenus censendum est Aristotelem, eo loco, definitionem termini tradere voluisse in ea acceptione, qua Dialectici illū in præsenti vsurpant, id enim prorsus erat alienum à suo instituto. Doceor à D. *Thoma* primo *Peribermenias* lect. prima. *Simplicium Dictionum* (inquit) *triplex potest esse consideratio: vna quidem secundum quod absolutè significant simplices intellectus, & sic earum consideratio pertinet ad librum Prædicamentorum. Alio modo secundum rationem, prout sunt partes enunciationis: Et sic determinatur de eis in hoc libro, & ideò traduntur sub ratione Nominis, & Verbi, & alia huiusmodi, quæ pertinent ad rationem dictionum, secundum quod constituunt enunciationem. Tertio considerantur secundùm quod ex eis constituitur ordo Syllogisticus.* Attende quæso lector. *Et sic determinatur de eis sub ratione terminorum in libro Priorum.* Hactenus ille.

§. 10. *Præterea patet ex ipsomet Aristotele* illum non egisse nisi de termino syllogistico, & in longè diuersa notione accepto: Nam cap. 25. eiusdem libri primi hæc habet: *Patet autem, quod omnis demonstratio per tres terminos: & non per plures erit &c.* & ad finem: *Manifestum* (inquit) *quod omnis demonstratio, omnisque syllogismus per tres terminos solus erit.* (siue vt vertit Boethius) *erit per tres terminos solos.* Ecce autem syllogismus: *Omne corpus à seipso velociter motum, est lassitudini obnoxium*: sed *omne animal currens, est corpus à seipso velociter motum*: ergo *omne animal currens est lassitudini obnoxium*. Atqui in hoc syllogismo sunt plusquam decem *termini*; ex his de quibus Summulistæ loquuntur, cùm tamen Aristoteles doceat, non posse nisi esse tres in illo: ergo Aristoteles non de his *terminis* loquitur, sed de alijs longè diuersis. Porrò quamuis ille omnia ab initio Dialecticæ, ordinaret ad doctrinam simplicis syllogismi; tamen nunquam fecit vllam termini mentionem, nisi post aliquos libros, scilicet quando iam ad tradendam structuram syllogismi peruenit, vt & ante me rectè adnotauerat Petrus Fonseca Institut. lib. 1. cap. 18.

§. 11. Terminus ergo enunciatiuus (de quo sermo præsens) est *dictio simplex propositionis constitutiua*. Bona definitio: pro genere ponitur *dictio*, in qua conuenit terminus cum omni voce significatiua, vt est oratio, negationes, & alia syncategoremata; Et vox *dictio* est omnium aptissima ad significandam rationem communem abstrahentem à partibus orationis, scilicet à nomine, & verbo, vt perspicuè docuit Aristoteles 1. perihermenias lectione 8. aiens: *Nomen ergo, & verbum dictio sit sola.* Quæ sic interpretatur Angelicus Magister: *Videtur ex modo loquendi, quod ipse imposuerit hoc nomen ad significandum partem enunciationis.* Vnde patet, hanc vocem *dictio* non ita prorsus Grammaticorum esse, vt non fuerit imposita ab ipsomet Philosopho, ad significandas partes orationis logicalis, vt Diuinus obseruat Aquinas. Per voculam *simplex* excluditur oratio tam imperfecta, quàm perfecta, quæ dictio composita est. Ly *propositionis constitutiua* differre facit terminum à dictionibus, quæ non componunt intrinsecè orationem, vt partes illius præcipuæ, quales sunt casus obliqui, coniunctiones, syncategoremata modorum &c. Nam alia (vt inquit S. *Thomas* 1. *peribermenias* lect. prima) *sunt magis colligationes partium orationis, significantes habitudinem vnius ad aliam, quàm orationis partes: sicut claui & alia huiusmodi, non sunt partes nauis; sed partium nauis coniunctiones.* Insuper vox *dictio*, commodior est ad explodendas voces nihil significantes: Nam & Grammatici lexica significationum, *dictionaria* vocant.

§. 12. *Obijcies*: Hæc definitio conuenit verbo, seù copulæ: sed verbum potiùs est vnio partium, quam pars constitutiua orationis: ergo hæc definitio non est idonea, quippe quæ conuenit alijs à termino, qui solus est pars orationis.

§. 13. *Respondeo*: Concessa maiore; nego suppositum minoris, quòd esse vnionem, seù copulam, sit contra rationem partis enunciationis: Affirmo enim, verbum esse formalissimam partem illius: Ita ex antiquis *Porphyrius*, *Ammonius Boethius*, *B. Albertus Magnus*, & alij præstantissimi Peripatetici (vt ait M. *Masius* ad primum perihermenias c. 2. *sect. vnica quæstio* 3.) *Ita Petrus Hispanus*, *Sotus Bannesius*, *Mercadus*, *Masius*, *Louanienses*, *Toletus*, *Ioannes à S. Thoma*, *Martinezius de Prado*, *Parra*, & communiter Thomistæ, & qui caput est, Thomas ipse loco supe-

superius proximè indicato: *Potest dici* (inquit) *quod sola nomina, & verba sunt principales orationis partes &c.*

§. 14. *Occurrit Hurtadus disputat.* 1. §. 6. aiens, *Sotum*, & eos, qui dicunt verbum esse partem propositionis, accedere grammaticæ significationi, alios verò id negantes, Aristotelicæ & Philosophicæ: Nam vnio (inquit) vniuersim dicitur extremorum coniunctio, & extrema sunt termini; immò eo præcisè quod sit vnio, est medium quo nectuntur extrema.

§. 15. *Sed verè fallitur* doctus ille, ac ingeniosus Scriptor: Nam *Porphyrius*, *Boethius*, *Magnus Albertus*, & alij præstantissimi Peripatetici, quos supra retuli, Grammatici non sunt, ipsiq; in Philosophica, & Aristotelica significatione asseruere, verbum esse partem orationis, quod & ipsemet docuerat Aristoteles 1. *peribermenias lect.* 6. Quod verò vnio eo ipso, quod vniat, sit extremorum coniunctio, & medium quo extrema nectuntur, minimè tollit quod etiam sit pars; erit quippe pars media, seù pars coniungens. Fateor tamen, vnionem interdum esse quidpiam diuersum realiter à partibus: At id solùm contingit in composito physico, & naturali, quod ex materia & forma substantialibus coalescit; In compositis verò artificialibus, semper vnio est pars extremas partes connectens, qualis est gluten v. g. in artefactis ligneis, ferrumen in metallicis, calx, seù bitumen in ædificijs &c. Immò etiam in toto organico nerui sunt vnio partium, & simul sunt partes compositi animati: & hoc quidem philosophicum est, & non grammaticum: ergo nihil obstat, quominus verbum *est* simul sit vnio, & pars in toto artificiali, qualis est oratio.

§. 16. *Obijcies item*: Terminus dicitur à *terminando*: ergo debet esse extremum propositionis, & non vnio media. *Respondeo*, me non negare, terminum debere esse extremum propositionis, si sermo sit de termino syllogistico, quem supra descripsi, & infra latiùs explicabimus. Sed quoniam nec Aristoteles, nec Diuus *Thomas*, nec cæteri Dialecticæ Proceres vnquam meminerunt hanc vocem *terminus*; nisi dum de structura syllogistica fecere sermonem. *Aio*, *eos*, qui ad rationem termini exigunt, non solum quod sit pars propositionis, sed amplius etiam, quod illam terminet, vel falli sono vocis, vt faciant quæstionem de nomine, vel comminisci terminum in diuersa notione acceptum.

THEOREMA II.

Voces nil significantes non esse terminos Logicales.

§. 17. DIximus supra §. 6. *Si fortè Blytiri nihil significat*, quoniam vulgus (me iudice) eo errat exemplo: *Blytiri* enim nomen est, & verè significat musicum instrumentum, quare & terminus formalis est, non minus quàm hæc vox *Homo*: idoneum produco testem Cælium Rodiginium libro 9. cap. 9. *Blytirion* (inquit) *& scindapsum, pro musico organo accipiunt Græci: At Blytiri inquiunt, ipsius est chordæ imitamentum*. Porrò Philosophi antiqui dicunt *Blitri*, vt *Zeno* apud *Laertium* lib. 7. *Differt autem* (inquit) *vox à dictione: nam vox quidem, & sonus est: sit autem dictio nihil significans, vt Blitri, &c.* Iam vero D. Thomas primo *Peribermenias* lect. 4. non scribit *Blytiri*; sed *Biltris*. *Additur autem* (inquit) *prima differentia, scilicet* (significatiua) *ad distinctionem quarumlibet vocum non significantium, siue sit vox litterata, & articulata, sicut Biltris, siue non litterata, & non articulata sicut sibilus, &c.* Sed hæc parui momenti res est, finge tibi (quod facilè est) vocem quam malueris, nihil significantem, nos enim cum Diuo Thoma vtemur *Biltri*.

§. 18. *Sed quia de significatione agitur*, prius oportet scire, quid sit signum, siue significare. Signum est: *Quod præter sui cognitionem aliquid aliud à se repræsentat cognoscenti*. Sic imago Herculis; v.g. est signum illius, quia præterquàm quod visu cognoscitur, facit videntem in Herculis cognitionem venire. Solet signum vulgo diuidi in formale, & instrumentale. *Formale dicunt, quod absque præuia sui cognitione aliud à se repræsentat*: tales sunt actus, & conceptus intellectus, quos non prius cognoscimus, quàm immediatè res ipsas per illos cognoscimus, eo quod sint expressę rerum ipsarum similitudines: atque eo ipso impropriè dicuntur signa, vt rectè notauit M. Bannesius lib. 1. cap. 2. Quoniam de ratione signi est duplex notitia: nempè vna, qua per se cognoscitur signum, altera, qua attingitur signatum, quare eiusmodi intellectus repræsentationes rectius vocandæ sunt imagines, quàm signa rerum. Sic Verbum Diuinum est imago Patris, & non signum, sicut & Filius in creatis Patris imago quidem, & non signum est.

§. 19. Signum *instrumentale*, quod propriè signum dicitur, *est quod præmissa sui notitia ad alterius rei ducit cognitionem*; vt superius definiuimus: Est duplex, *naturale* scilicet, & *voluntarium*, siue *ad placitum*. *Naturale repræsentat ex sua natura, & citra hominum voluntatem*, vt fumus est signum ignis, & vestigium est animalis illac transeuntis signum; velit, nolit homo. Signum *voluntarium*, seu *ex instituto repræsentat rem ex hominum placito*, vt clamor tubę est signum belli, & sonus campanę significat festum, non nisi ex hominum instituto. *Voces autem non articulatæ, sunt signa passionum naturalia*, vt *gemitus*, & *suspiria*; quippè quæ vbique gentium eadem pollent significatione. *At voces dearticulatæ sunt signa ad placitum*, quia Latinorum voluntate hæc vox *Animal*, significat animal; & non calceum, cum vtrumlibet potuerit repræsentare. his breuiter prælibatis: amplior enim horum disputatio, (vt optimè monuit M. Bannesius) tyroni Dialectico, non solum est inutilis, sed nociua.

§. 20. *Dico*: Voces non significatiuæ vt *Biltris*, &c. non sunt formaliter termini, sed materialiter tantum, & abusiuè. *Probo*: Vox non significatiua non est vox humana, aut rationalis in ordine naturali, neque in ordine artificiali: ergo non potest esse terminus Logicalis, idest scientificus. Probo antecedens quo ad primam partem: Vox humana & rationalis, vt distinguitur

guitur

guitur à voce brutorum, & à voce licèt hominis non humana, vt *gemitus*, *suspiria*, &c. data est a natura, vt exprimat conceptus rationis, & homo per illam socialiter, & politicè viuat: sed vox non significans nihil horum præstat, ergo non est humana, nec rationalis in ordine naturali. Minor, & consequentia liquent. Maiorem docet D. *Thomas* 1. *Perihermenias* lectione secunda: *Si quidem* (inquit) *homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animæ passiones quibus ipsis rebus conformaretur, vt earum notitiam in se haberet: sed quia homo est animal naturaliter politicum, & sociale, necessè fuit quod conceptiones vnius hominis innotescerent alijs, quod fit per vocem, & ideò necessè fuit, esse voces significatiuas ad hoc, vt homines inuicem conuenirent*. Hactenus ille. Ergo vox non significatiua adhuc in ordine naturæ non est rationalis, idest non est à natura iuxta exigentiam naturæ rationalis.

§. 21. *Probo* idem *antecedens quoad alteram partem*: Logica est modus sciendi, habens pro fine dirigere actus intellectus per instrumenta sciendi: ergo vox non significatiua nequit esse rationalis inordine scientifico, & artificiali. Probo consequentiam: Id quod nec mediatè, nec immediatè potest esse totale, nec partiale instrumentum sciendi ad directionem rationis, non pertinet ad instrumenta sciendi, nec ad terminos scientiæ rationalis. Sed vox non significatiua nullo modo ex prædictis potest esse modus, nec instrumentum sciendi: ergo vox non significatiua, nullo modo est rationalis in ordine artificiali, & scientifico, idest non pertinet ad instrumenta, neque terminos scientiæ rationalis. Maior, & consequentia probatione nō indigent: Minorem ostendo. De ratione essentiali instrumenti, seu modi sciendi est *esse ignoti manifestatiuum*: Sed vox non significatiua nullo ex prædictis modis, potest esse ignoti manifestatiua; Vox enim muta nil manifestare potest: Ergo vox non significatiua, nullo ex prædictis modis potest pertinere ad modum, aut instrumentum sciendi.

§. 22. *Dices*, vocem non significatiuam licèt per se, & seorsim nihil manifestare possit; tamen dum est actuale extremum propositionis, posse pertinere ad instrumentum sciendi, scilicet ad syllogismum, vt in hoc: Vox articulata est litterata: Sed *Biltris* est vox articulata: ergo *Biltris* est vox litterata. Item hæc propositio *Biltris est vox* habet bonum sensum, & potest manifestare ignotum, enunciat enim Biltrim esse vocem.

§. 23. *Sèd contra primo*: Quia vbi nulla est significatio, nulla est, nec esse potest ignoti manifestatio, patet in hac propositione *Biltris est Trisbil*, in qua neutra pars significat, proindèque omninò ignorabit, an propositio sit vera, vel falsa? Tum etiam quia in hac, & similibus propositionibus: tota significatio residet in copula *est*. Ergo male trahitis formalitatem, seu congruitatem sensus logicalis, à verbo ad extrema: nec ex eo, quod copula indicet affirmationem, vel negationem: in eiusmodi propositionibus extrema participant vllam rationem manifestatiui ignoti, vt per se patet.

§. 24. *Contra secundo*: Quia vt optimè notat M. *Ioannes à S. Thoma*, terminus & reliqua instrumenta Logicalia: bifariam accipi possunt. Primò obiectiuè pro ipsis rebus significatis, vt iacent à parte rei: & hoc est accipi *materialiter*. Secundò *Formaliter* pro ipsis signis mentis, aut vocis, quibus loco rerum vtimur in Scholis: Atqui vox non significatiua, vt *Biltris* adhuc intra propositionem vt plurimum est terminus, primo modo acceptus: ergo non est terminus formalis, quo Logica artificialiter vti possit, vt instrumento sciendi. Minor est indubia, *Biltris*, enim nec significat, nec significatur, proindèque solùm potest esse subiectum materialiter, & obiectiuè, sicut quælibet alia res, quæ vox non sit. Consequentiam probo: Si nutu, vel digito ostendens *Petrum*, dicerem *Est homo* reuera *Petrus* esset subiectum illius propositionis, quia de illo affirmabam, esse hominem: atqui Petrus vt erat sic à parte rei, solo digito monstratus, non esset terminus formalis, nec Logicalis, tametsi de illo affirmaretur prædicatum *Homo*. Ergo tametsi de *Biltri* affirmetur prædicatum *vox*, eo ipso, quod solùm sit subiectum obiectiuè, & materialiter, vt Petrus, non erit terminus formalis, nec Logicalis.

§. 25. *Restat ergo* quod vox muta, vt *Biltris* solum sit terminus materialiter, & impropriè, eo quod componat propositionem, & quia illam terminat, abusiuè dicitur terminus, sicuti dicitur Rex, vel Eques in ludo Scacchiæ.

Vt gemini inter se Reges, albusque, nigerque;
Pro laude oppositi, certant bicoloribus armis.

Ratio est: quia vox muta est ipsa entitas, & res obiectiua, vt est *mons*, *leo*, *homo*, &c. à parte rei, quandoquidem non est vox instituta ad repræsentationem vllius obiecti, & per accidens eo quod ore profertur, contingit, quod immediata sui repræsentatione intret propositionem, sicuti seipsis etiam intrarent *mons*, *leo*, *homo*, &c. si ore tantum produci possent vt *Biltris*.

THEOREMA III.

Argumenta Aduersariorum soluuntur.

§. 26. Obijciunt primo. Terminus ex Aristotele 1. Priorum est, *in quem resoluitur propositio tanquam in prædicatum, & subiectum*. Sed hæc propositio *Biltris est vox*, resoluitur tanquam in subiectum in hanc vocem non significatiuam *Biltris*: Ergo voces non significatiuæ perperam excluduntur à ratione, & definitione termini.

§. 27. *Dices*, vocem *Biltris* esse subiectum materiale illius propositionis, non formale; quia prò nullo supponit. Sed *contra primo*: Nam *Aristoteles* non exigit ad rationem termini vllam significationem vocis, neque formalem suppositionem, vt patet ex eius verbis, sed tantùm quod sit *prædicatum*, vel *subiectum*, in quæ resoluitur propositio. *Contra secundo*: quia etiam fiunt propositiones ex terminis supponentibus materialiter prose ipsis, vt hæc: *nomen est vox, amo est verbum*. Immò inter passiones termini logicalis

lis; numerantur Suppositio *formalis*, & *materialis*: Ergo etiam vox supponens materialiter est terminus logicalis. Consequentia est perspicua: cui enim conuenit passio, conuenit etiam essentia, sicut cui conuenit *risibile* necesse est, vt conueniat *rationale*. *Contra tertio*: extrema propositionis formalis, sunt termini formales: sed hæc *Biltris est vox*, est propositio formalis: ergo eius extrema sunt termini formales. Probatur maior: quia quicquid habet totum, è suis partibus habet: ergo quia partes sunt termini formales, propositio euadit formalis: minor est euidens, consequentia bona.

§.28. *Respondeo*; Hoc argumentum ex supradictis facilè dilutum manere; nego enim terminum vt à Summulistis in præsenti accipitur, ab *Aristotele* ibi definiri; Sed terminum syllogisticum: at quia terminus syllogisticus, supponit iam rationem termini enunciatiui, qui laxiore notione à nobis vsurpatur: *Dico*, solutionem superius datam, esse idoneam. Et ad primam instantiam *nego* antecedens: quia ad rationem prædicati, & subiecti, immo, & verbi, exigit *Aristoteles* quod sit *vox significatiua ad placitum*. Et quandoquidem vtrique assignat pro genere *dictionem*, proculdubio postulat significationem.

§.29. *Ad alteram instantiam respondeo*, in omni suppositione materiali; subintelligi ly *vox* vt cum dicimus: *Amo* est verbum, subauditur: *Hæc vox amo* est verbum. Rursus nego, omnem suppositionem materialem esse passionem termini logicalis, cum sit duplex: sola enim materialis, quæ relatiuè comitatur formalem, est passio termini; non quæ negatiuè materialis est, sine vlla habitudine ad formalem. Vndè etiam patet ad vltimam instantiam: nam hæc propositio *Biltris est Bisyllabum, Biltris est subiectum*, etsi est formalis quoad partes, ideo est, quia subintelligitur ly *vox*: vt si dicas *vox Biltris est bisyllaba*, in qua subiectum formale est ly *vox*: ast ly *Biltris* solum stat materialiter, & obiectiuè, vt communiter docent Thomistæ, à quibus recedere nolumus, *hæc enim* (vt ait M. Ioann. à S.Th.) *simpliciter est vera, & certa solutio*.

§.30. *Obijcies item*, & est replica *contra* præcedentem solutionem: illa particula, quæ ponitur pro *Biltri* in hac propositione; v.g. *Biltris est vox dearticulata*, nempè ly *vox*, vel distinguitur à *Biltri*; vel non? Rursus si distinguitur: vel realiter, vel formaliter? Atqui prædicatum debet identificari cum subiecto: ergo ibi solum datur identitas inter *vocem*. & prædicatum *dearticulata*: ergo superfluit ly *Biltris*: ergo hæc propositio est falsa. Probatur hęc vltima consequentia: ratio vocis est genus ad dearticulatam, & non dearticulatam: ergo de voce non potest prædicari *dearticulatum*, quod est differentia; sicut non potest fieri hæc propositio. *Animal est rationale*: Si vero ratio vocis distinguitur formaliter, tunc ly *dearticulata* solùm prædicabitur de *Biltri*, & non de voce, vt iam manet probatum, & propositio etiam erit falsa. Quia ratio *Biltris* est superaddita voci, ac proindè est differentia illius: ergo non potest prædicari ratio *dearticulati* de *Biltri*: quia prædicatum conueniens generi, non conuenit differentiæ: sed prædicatum *dearticulati*, saltem disiunctiuè, conuenit voci vt sic, & in communi: ergo non conuenit *Biltri*.

§.31. *Confirmatur*: in ea propositione, rogo vel ly *vox* supponit pro seipsa, & sic ipsa etiam erit terminus materialis: vel pro *Biltri*? & sic superfluit *Biltris*: quia quando vox ponitur pro suo significato, significatum non ponitur in propositione: mitto cætera, quæ ita alacriter obijcit *Alborozzin*, vt his argumentis se putet rem confecisse.

§.32. *Respondeo*: Vocem subintellectam distingui formaliter à *Biltri*, sicut indiuiduum genericum ab specifico: vt quando definitionem speciei prædicamus de suo indiuiduo, sub ratione generica; v.g. *Hoc animal, est animal rationale* pro Petro. Deindè nego vltimam consequentiam: quia hæc prædicatio, *vox Biltris est dearticulata*, non est prædicatio differentiæ de suo genere; sed differentiæ de indiuiduo sub ratione generica, vt cum *rationale* prædicatur de Petro designato per *hoc animal*, dicimus enim optimè: *hoc animal est rationale*. Tandem errat *Alborrozin* existimans, *Biltrim* esse differentiam *vocis*, cum non sit nisi indiuiduum, directè positum sub *voce dearticulata*, quæ est species *vocis* genericæ, licet ob penuriam terminorum significetur termino complexo: *vox* enim est genus, *vox dearticulata* est species, *Biltris* est indiuiduum. Video, hæc intempestiuè Tyronibus ex Isagoge Porphyriana propinari; sed importunitas argumenti in culpa est.

33. *Ad confirmationem* respondeo, *vocem* supponere ibi pro *Biltri*: & nego, ideò superfluere *Biltrim*, sicut nec superfluit ly *Petrus* in hac propositione *hoc animal Petrus, est homo*? & tamen animal supponit pro Petro: vndè etiamsi diceremus *hæc vox Biltris, est vox dearticulata*: adhuc non superflueret *Biltris*; quanto minus dum ly *vox*, implicitè tantùm subintelligitur, sic enim prædicas: *Biltris est vox dearticulata*. Denique ad illud quod postremò assumitur, scilicet: quando vox ponitur pro suo significato, significatum non ponitur in propositione: dico, id esse verum loquendo de proprio significato determinatæ vocis, vt *homo*, *leo*, *lapis &c*. Ast in præsenti non est ad rem: *vox*, enim, vt sic, & in communi, non significat propriè, aut determinatè *Biltrim*; sed significat *sonum ore animalis prolatum* in communi.

§.34. *Obijcies* præterea: hæc propositio mentalis *Biltris est vox*, est formalis, ita vt constet terminis formalibus: ergo dum postea ore profero eamdem propositionem, ly *Biltris* est terminus formalis in propositione vocali, sicut fuerat in mentali. Antecedens est certò certius: consequentia bona; tunc enim ly *Biltris* seipsum quasi reflexè significat, mediante conceptu repræsentante vocem *Biltris*, & probatur: nam ideò hæc vox *homo* v.g. est terminus formalis, quia substituitur loco conceptus mentalis, repræsentantis naturam rationalem: sed eo casu in hac propositione vocali *Biltris est vox*, ly *Biltris*, substituitur loco conceptus mentalis repræsentantis vocem

Bil-

Biltris: ergo est terminus formalis, non minus, quam hæc vox *homo*.

§. 35. *Respondeo*: dato antecedente; nego consequentiam; ad cuius probationem dico, vocem repræsentare obiectum materiale medio conceptu, quandocumque obiectum est repræsentabile per vocem, vt ex terminis patet; non vero quando ipsum obiectum materiale seipso immediatè ingreditur propositionem vocalem, nec aliter ingredi potest. Porrò cum *Biltris* quando ore profertur, sit ipsissimum obiectum materiale, quod conceptus mentis repræsentabat, non potest esse terminus formalis; tametsi conceptus repręsentans talem vocem, eo ipso sit terminus formalis. Nec refert quod illa vox aliquo modo ducat in cognitionem conceptus; id enim nullatenus est significare conceptum, neque seipsam. Sicuti non cognita imagine *Herculis*, vt imagine illius: si postea ipse *Hercules* visus, in cognitionem suæ imaginis te duceret, adhuc tamen id non esset significare, nec *Hercules* esset signum suæ imaginis, sed obiectum significatum: *Ad formam ergo*: concessa maiori; nego minorem: id enim non est substitui pro conceptu, sed immediatè seipsum repræsentare, quia illa vox erat obiectum repręsentatum per conceptum.

§. 36. *Obijcies tandem*: *Aristoteles* pro terminis vtitur litteris Alphabeti, quæ sunt voces nihil significantes: ergo iuxta mentem Aristotelis vox non significatiua gaudet ratione termini formalis.

§. 37. *Respondeo*, Aristotelem eiusmodi litteris significare terminos incomplexos, vt tradat artem syllogizandi. Ita in hoc syllogismo: *Omne B est A*: *sed C est B*: *ergo C est A*, ponitur exemplum syllogismi in prima figura, & B. significat medium terminum, A. maiorem extremitatem, & C. minorem. Vndè potius illę literæ sunt termini, prout ista significant, alioquin omnes illæ propositiones essent falsę, & impossibiles, quibus tamen vtitur Philosophus, vt omninò veris.

DISSERTATIO SECVNDA.

THEOREMA I.

De diuisionibus termini.

§. 1. ET quoniam significatio est ratio generica, & essentialis terminorum, nunc ex parte ipsius primo diuidendus venit terminus, in *Categorematicum*, idest latinè significatiuum, & in *Syncategorematicum*, idest consignificatiuum. Categorematicus terminus, est, *qui per se aliquid significat*, ita vt solus possit esse integrum prædicatum, vel subiectum in propositione, vt *homo*, *leo* &c. Syncategorematicus est, *qui per se*, *& seorsim non significat*, *sed coniunctus Categorematico*: vt hæ dictiones, *omnis*, *nullus*, *velociter &c.* quæ quamuis negari non possit, quod sint voces latinę ad placitum significatiuæ, tamen dicuntur non significare *aliquid*; *sed aliqualiter* eo quod Categorematico iunctus, illum facit aliter significare, quamobrem dicitur *consignificatiuus*, id quod tradidisse videtur *Aristoteles* primo *Periherm*, cap. 1. vbi inquit: *Omnis*, *& similia non sunt vniuersalia*, *sed vniuersaliter significant*. *Hurtadus* has, & alias definitiones à Dialecticis communi plausu receptas: nonnullis impugnat argutatiunculis, quas optimè diluit *Io. Lalemandetius*, ipsum vide in *apparatu Isagogico*: nos enim breuitati studentes, aliò festinamus.

§. 2. *Secundo*: terminus *Categorematicus*, qui propriè, & omnino terminus est, diuiditur in *incomplexum*, & *complexum*: incomplexus est, *cuius nulla pars separata significat vt leo*, *homo* &c. Complexus autem est, *cuius partes separatæ id significant*, *quod in toto*, vt *homo iustus*, *paries albus*, vndè complexus non est ille, cuius partes aliter significant, vt *Dominus*, *corpus &c.* excludũtur etiam Synonima, vt Marcus Tullius.

§. 3. *Tertiò*: terminus *incomplexus*, qui propriè, & omnino terminus est (complexus enim quædam potius est imperfecta oratio) diuiditur in *communem*, & *singularem*. Primus est, *qui significat plura diuisim*, idest rem pluribus communicabilem modo diuisibili, vt *animal*, *viuens*, per ly *diuisim* excludo terminum collectiuum, *qui plura*, *sed non diuisim significat*, vt *Ciuitas*, *Populus* &c. Secundus est, *qui significat rem tantum vni conuenientem*, vt *Socrates*. Rursus terminus *singularis*, diuiditur in *determinatum*, *vagum*, *& collectiuum*. Primus *significat vnam rem determinatè*, vt *Socrates*, secundus *significat vnam quidem rem*, *sed indeterminate*, vt *aliquis homo*. Tertius denique *significat plura coniunctim*, *& per modum vnius* vt *Collegium*, *Populus*.

§. 4. *Iam verò* terminus *communis*, diuiditur in *Transcendentem*, & *Non transcendentem*. Primus est, *qui de omni re dicitur*, *omnesque rerum differentias permeat*: vt sunt *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Vnum*. Secundus est, *qui licèt rem communem pluribus significet*, *non tamen rebus omnibus*. Vt *Animal*, *Homo*. Terminus communis, diuiditur vlterius in *vniuocum*, *æquiuocum*, & *analogum*. Primus est, *qui plura significat omnino similia in nomine*, *& in ratione essentiæ*, vt *Homo*, *Leo*. Secundus *plura significat solo nomine*, *sed non ratione similia*, *sed potiùs diuersa*, vt hæc dictio *Tempus*, quæ significat partem capitis, & simul dies, menses &c. *Canis* item, vna voce complectitur domesticum, piscem, & sydus cæleste. Tertius denique inter vtrumque medius: *significat plura*, *neque omninò similia*, *neque prorsus diuersa*, *sed quodammodò inter se conuenientia*, vt *Sanum*, quod significat *Animal* præditum sanitate, & *vrinam* sanitatis indicatiuam, & *medicamentum* sanitatis causatiuum. Omnia sunt diuersa; quodammodo tamen *Sana* dicuntur. Non hic prætercam quod vulgò adnotari solet, scilicet, quod terminus *analogus*, & etiam æquiuocus, reddantur vniuoci, si ad vnum ex suis significatis restringantur per aliquam voculam: vt si *Cani* æquiuoco addatur *Domesticus*, erit quidem domesticis omnibus vniuocus.

Quar-

§. 5. *Quartò* : terminus diuiditur in *infinitum*, & *finitum*. Primus afficitur negatione, quæ dicitur infinitans, qua scilicet terminus vnam rem determinatè negare videtur, & nihil determinatè significare, vt *Non homo*: *Non lapis*. Secundus caret tali negatione, & sua certa gaudet significatione, vt *Homo*, *Lapis*. Differt autem negatio afficiens nomen, quæ dicitur *infinitans* à negatione afficiente verbum, quæ dicitur *negans*.

§. 6. *Obijcies primò*. Hic terminus *Proconsul* est incomplexus, & tamen eius partes separatæ significant, vt in toto: ergo male explicatur terminus incomplexus. *Respondeo* omissa aliorum solutione, terminum complexum constare ex duplici termino incomplexo, qui sit pars orationis Logicalis propriè sumpta. Et cum propositiones, coniunctiones, &c. non sint termini ob ea, quæ diximus *Dissertat*. præcedenti §.11. ideò vox *Proconsul*, & *Circumfero*, & similes non sunt termini complexi.

§. 7. *Obijcies secundò*. Hæc dictio *Homo albus*, quæ terminus complexus est, exprimit diuersos conceptus, & illis mediantibus res, & essentias diuersas significat, & tamen non est analoga: ergo definitio termini analogi non rectè traditur.

§. 8. *Respondeo*, partiales conceptus, qui vnum complexum constituunt, non esse, nec dici diuersos; eo modo quo diuersitas in definitione analogorum accipitur: nam ita diuersi debent esse, vt nullatenus rem vnam, vel conceptum vnum constituant.

THEOREMA II.

De termino concreto, & abstracto, absoluto, connotatiuo, &c.

§. 9. QVintò. *Terminus vocalis*, de quo præcipuè in præsentiarum agunt Dialectici, bipartitur in *concretum*, & *abstractum*: Primus significat *formam*, *prout inest subiecto*: vt *album*, quod albedinem significat in subiecto, & hoc physicè. Et *Homo*, qui significat formam humanitatis in supposito, & hoc Metaphysicè. Secundus, *significat solam formam*, *quasi ab omni subiecto separatam*, vt *Albedo*, *Humanitas*. Cætera, quæ nonnulli Summulistarum hic subdunt, ad altiorem spectant disciplinam.

§. 10. Sextò: *Terminus* secatur in *absolutum*, & *connotatiuum*. Primus *significat rem per modum per se stantis*, & *Substantiuè*, vt aiunt Grammatici: v. g. *Homo*, *Leo*. Secundus *significat formam per modum alteri adiacentis*, siue *Adiectiuè*; v. g. *Album*, *iustum*. *Hurtadus* de more hic multa miscet contra *Sotum*, & alios, illum tamen meritò castigat *Lalemandetius*, Apparat. partit. 4. num. 15. & 16. Vnum autem monere oportet contra *Hurtadum*, nempè non omnia nomina substantiua esse terminos *absolutos*, neq; omnia nomina *connotatiua*, esse adiectiua, vt ipse perperam contendit. Hoc vt certum accipe. Quod omnia adiectiua Grammaticorum, excipe syncategoremata *Omnis*, *Nullus* &c. sunt nomina *connotatiua*, vt *album*, *nigrum*, &c. non verò è contra omnia *connotatiua* sunt adiectiua, quia multa substantiua sunt *connotatiua*, vt *Magister*, *Dominus*, &c. quod male negat Hurtadus, & *facile probatur*. Nomen quod significat formam, quæ potest esse, & abesse subiecto est terminus connotatiuus: *Magister* significat formam magisterij, quæ subiecto abesse potest, & adesse: ergo terminus connotatiuus est. Differunt autem *abstractus* & *concretus*, ab *absoluto* & *connotatiuo*, quia *Primi* se habent, vt constituens, & constitutum: *Alteri* verò, vt per se stans, & adiacens, seu non per se stans.

§. 11. Septimò: distribuitur terminus, in *terminum primæ*, & *secundæ intentionis*. Primus *significat rem vt est à parte rei*, & *secundum suam naturam*, vt *Lapis*, *leo*, *homo*. Secundus *significat rem secundum id*, *quod habet ex consideratione*, *seu fictione intellectus*, vt *Genus*, *prædicatum*, *species* &c. hoc tamen differunt nomina *primæ* intentionis à nominibus *secundæ*, quod illa possunt esse absoluta, vel connotatiua. At verò termini *secundæ intentionis* (loquendo in rigore Dialectico) semper sunt connotatiui: quia *semper significant pro formali relationem rationis adiacentem rei cognitæ*. Excipe nomina abstracta, vt specietas, vniuersalitas; quæ quia transeunt ad classem terminorum *primæ* intentionis, (quamuis materialiter sint *secundæ*) sunt termini absoluti, vt rectè adnotauit *Bañesius*.

§. 12. Octauò, fit partitio terminorum secundum comparationem eorum interse. Horum primi sunt *disparati*, seu *impertinentes* quorum vnus non infert, nec comitatur alterum, neque illi aduersatur, aut repugnat, vt *homo*, & *Planta dulce*, & *album*. Secundi sunt pertinentes, quorum vnus alterum infert, & comitatur: vel alteri repugnat. Horum qui se inuicem inferunt, dicuntur *pertinentes sequela*: vt *risibile*, & *rationale*. Benè inferes enim *risibile* ex *rationali*, & è conuerso. Qui verò sibi inuicem aduersantur, dicuntur *pertinentes repugnantia*. Vt videns, & cæcum; calidum, & frigidum, &c. de quibus sermo in post prædicamentis.

§. 13. Diuisionem autem *termini* Mentalis, supra memorati, in suas partes; infra dum de nomine, & verbo agamus, commodius exponemus. Nam cùm ex notioribus, & facilioribus procedamus, abstrusas mentis nostræ conceptiones, cum Aristotele non multum curamus nunc expedire.

DISSERTATIO III.

De affectionibus, & proprietatibus terminorum.

§. 1. EXplicatis terminorum natura, & multiplicitate, eorum proprietates nunc enarremus, oportet. Assignantur autem communiter sex scilicet *Suppositio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio*, *Diminutio*, & *Appellatio*; quarum præcipua est suppositio, cuius definitionem hoc Theoremate explanandam suscipimus.

THEOREMA I.

Quid sit suppositio terminorum.

§.2. Mirum est, quam diuersa sentiant dialectici, in suppositione terminorum explicanda. Vt enim notauit Lalemandetius, ita variè loquuntur, vt vix inuenias duos, qui conueniant saltem in terminis: quam ob rem Doctorum placita referre, & refellere, nec lubet, nec vacat: atque omissis cæteris, hæc mihi breuior omnibus, meliorque videtur definitio. *Est acceptio termini loco alicuius.* In qua *Acceptio*, sumitur pro secunda intentione rationis, fundata super passiuam acceptionem vocis; quia intellectus accipit terminum vocalem, eoque vtitur pro alio; nempè vniendo illum cum verbo. Nec acceptionem termini cum significatione confundas (vt malè fecit Hurtadus) significatio enim latius patet, quam acceptio, & acceptio latius, quam suppositio: Nam significatio est substitutio repręsentatiua vocis, quæ nobis res significatas ingerit cognoscendas: deindè præsupposita iam ista significatione vocis, illam accipit intellectus in ordine ad copulam, qua mediante sibi applicat prædicatum, & hoc stare pro aliquo vt sibi attribuatur prædicatum, est terminum supponere.

§.3. Exemplis res clarescet: in hac propositione v.g. *Petrus est doctus*, ly *Petrus* supponit pro indiuiduo humano; illi enim attribuitur prædicatum *doctus*, & adhoc illum accipit intellectus: ly autem *doctus* significat quidem doctrinam; sed ibi supponit pro Petro. Rursus hic terminus *Leo* seorsim prolatus; significat reuera; sed non accipitur, nec supponit, quia non eo vtimur in propositione: Si vero dicas *chymera volat*, ly *chymera* accipitur, sed non supponit: nam huiusmodi propositiones dicuntur *de subiecto non supponente*, eo quod *chymera* non existit, sicut supponitur existere per verbum *volat* de præsenti, quod existentiam exigit, vt per se patet. Si tandem dicas: *Leo rugit* tunc ly *Leo* significat, & accipitur, & supponit. Vnde *acceptio* ponitur in hac definitione loco generis, quia in illa conuenit *suppositio* cum ampliatione, restrictione, & cæteris terminorum affectionibus: loco autem differentiæ ponitur ly *loco alicuius* idest obiecti significati, vel quomodolibet repræsentati. Qui volet cæteras Summulistarum minutias circa definitionem suppositionis recognoscere, adeat M. Ioan. à S. Tho. qui omnibus clarius, breuiusque illas exponit, & ex externis Io. Lalemandetium, qui etiam rem dilucidè tractat.

§.4. Aduerte hinc primo, suppositionem esse adinuentam ad ostendendam veritatem, vel falsitatem propositionum in syllogismo: vnde extra propositionem nulla dabitur *suppositio*: Tum quia extra propositionem non sunt nisi termini simplices: in quibus nec veritas, nec falsitas vlla indagari potest. Tum etiam quia terminum sumi pro suo significato extra propositionem; reuera non distinguitur ab ipsa eius significatione. Tum denique quia vel ipsimet Autores, qui docent, extra propositionem terminum supponi, vel supponere, quasi id recantantes, dicunt; se non negare quod intra propositionem melius dicatur terminus supponi, quam extra: vt fatetur Lalemanderius.

§.5. Aduerte secundo; suppositionem à significatione distingui, vt clarissime docuit S. Thomas in tertio distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. Vndè non satis illam explicant; qui dicunt: *Suppositio est substitutio vocis, loco conceptus mentalis*: Quia licet voces substituantur pro conceptibus, idest vt faciant, quod conceptus faciunt: primario tamen, & per se, repræsentant obiecta, & loco obiectorum subrogantur: non equidem intendimus manifestare conceptus per voces. Ita vt dum dico *Petrus est doctus*: velim auditoribus exponere, me habere conceptum quemdam de Petro, & eius doctrina, sed intendo illis manifestare Petrum esse doctum: vnde *suppositio* non est substitutio manifestatiua conceptus, sed applicatiua potius prædicati obiecto repræsentato per conceptum, & per vocem.

§.6. Aduerte tandem tertio, quæstionem illam, debeat ne dici, terminum supponere, an supponi? esse prorsus Grammaticalem, in qua M. Bañes rectè docet, proprie loquendo dicendum esse, terminum *supponi* pro re; se tamen in hoc, sicut in alijs loqui cum multis, & dictionem Scholæ libenter amplecti. Quo circa Hurtadus ait, *Sotum meliorem summulistam, quam latinum* monere, retinendam veterem consuetudinem: Ast ipse vult, eam esse abolendam, quia mala est, vt patet ex bona Grammatica: quia *suppono* est verbum actiuum, non neutrum.

§.7. Displicet nobis Hurtadus ob multa: *Primo* quia eiusmodi verba videntur Scriptoris, qui potius velit esse melior latinus, quam Summulista, quod reuera nollet Hurtadus. *Secundò* quia Sotus nihil peccauit in latinitatem, quandoquidem defectum loquutionis talem qualem agnouit, dicensque, tolerandam esse antiquorum consuetudinem, eorum Grammaticam non laudauit. *Tertiò* quia non propter hanc animaduersionem Hurtadus optimum se exhibet latinum: nam scire, verbum *suppono, supponis* esse actiuum, non est grandis latinitas. *Quartò* quia ipsemet eodem lapsus est errore, quem exsibilabat, dum postmodum infra dicit, propositionem posse dici *de subiecto non supponente*, vt aptè sugillat illum Arriaga. *Quintò* denique quia hæc illius aduertentia est vana, & inutilis, ideoque contemnitur ab vniuersis tàm Philosophis, quàm Theologis, qui non loquuntur, nisi iuxtà veterum consuetudinem: quinimmò si quispiam nunc publicè diceret propositionem aliquam esse de *subiecto non supposito* à tota irrideretur Schola, vt rectè timuit Ouiedus.

§.8. Obijcies cum Lalemandetio: Diuum Thomam docuisse, quod terminus etiam extrà propositionem supponat. Nam 1. parte q. 39. artic. 4. *Hoc nomen Deus* (inquit) *ex modo significandi habet, vt propriè possit supponere pro persona.* Si dicas Sanctum Doctorem intelligi in ordine ad propositionem: contra: quia in responsione ad tertium ait, quod hoc nomen *Deus per se supponit pro natura communi.* Si autem per se supponit pro natu-

natura *Deus*: ergo non solum in ordine ad propositionem.

§. 9. Respondeo cum M. Veracruzio solutionem supra exhibitam esse idoneam: satis enim clarè se explicat Angelicus Doctor formans propositionem, vt *Deus creat* dum loquitur de natura, & dum loquitur de persona *Deus generat, Deus spirat &c.* Ad instantiam respondeo, quod quando dicit Deum per se supponere pro natura, & nõ pro persona, per ly *per se*, solum intendit, quod *ex se* idest secluso omni respectu cuiuslibet prædicati absoluti, supponit prò natura, vt *Deus creat, Deus est bonus*: at vero prò persona non supponit nisi determinetur per prædicatum relatiuum, vt cum dicitur *Deus generat, Deus est Pater*, in quibus non ex se, sed ratione prædicati ly *Deus* trahitur vt supponat pro persona: sed horum satis Tyroni; ne sutor vltrà crepidas.

THEOREMA II.

Explicantur variæ suppositionis diuisiones.

§. 10 NOn raro sumi solet terminus proseipso, & non pro suo significato, vt cum dicimus *Homo est nomen, Leo est vox &c.* quæ solet dici suppositio materialis, licet impropria sit loquutio. Supponi enim non est nisi prò alio poni: Alia item solet vulgo dici materialis suppositio, qua scilicet vox nihil significans sese in propositione repræsentat, quæ est materialis negatiuè idest sine vlla habitudine, aut respectu ad formalem: vt cum dicitur *Biltris est vox* Hinc prima nascitur suppositionis diuisio: nempè in formalem, & materialem: formalis est *quando terminus accipitur pro suo significato: materialis quando pro seipso accipitur*, quam solet indicare hæc vox ly, idest *illud*: dicimus enim in hac oratione *Homo est animal* ly *animal* est nomen: alij vt linguarum ostenderent peritiam Græcula voce vtuntur, & articulo Tò dicunt que *Tò animal*: at verò istos tanquam Græcismi ignaros taxauit Caramuel Grammat. Audac. num. 87. *Nec damnandi omninò* (inquit) *si illud* Tó *debitis numeris, & casibus subyciant: at ipsi per omnes numeros, & casus* Tó *scribunt, & se linguam Græcam ignorare testantur*. Nos cum antiquis Scholasticis vtimur vocula *ly*, quam non censeo esse articulum italorum, qui suum *il* ad linguam latinam transtulerint, litera inuersa dicentes *ly*, vt malè arbitratur Caramuel: quoniam potius nota quædam est, qua antiqui Doctores Parisienses vtebantur, & putatur esse pronomen Gallicum antiquum, vt vero similius adnotauit Lalemandetius.

§. 11. Suppositio autem formalis est duplex, propria scilicet, & impropria, seù metaphorica. Propria fit quando terminus sumitur pro suo proprio significato, vt cum dicitur *Ioannes est homo missus à Deo*. Impropria quando sumitur pro re, ad quam significandam vtimur metaphora. vt cum dicitur *Ioannes est Elias, Christus est Petra &c.* Rursus suppositio formalis alia simplex, alia personalis, siuè realis. Suppositio simplex definitore Petro Hispano est *Acceptio termini communis pro re vniuersali*. Reijciunt communiter iuniores summulistæ hanc definitionem: quia in hac propositione v. g. *Petrus est indiuiduum* ly *Petrus* supponit simpliciter, & tamen non est terminus communis, nec significat rem vniuersalem. Quam ob rem aliter illam sic definiunt: *Est positio termini pro suo immediato, & formali significato*. Vt Toletus, & Fonseca, quos nonnulli sequuntur Neoterici: sed est mala definitio: quia in hac propositione *Homo est animal rationale* ly Homo non supponit simpliciter; sed personaliter, cum supponat etiam prò Petro, & Paulo &c. & tamen animal rationale est immediatum formale, & primarium significatum *Hominis*: ideoquè alij prædictæ definitioni addunt voculam *tantum*: idest, quod terminus solum ponatur prò immediato suo, & formali significato, ita, quod non transeat ad secundaria, & mediata, qualia sunt singularia *Petrus, Paulus* &c. sic Carmelitani Complutenses, M. Ioan, a S. Thoma, & alij, sed nihilominus adhuc definitio est mala: Nam cum dico. *Petrus currit* Petrus supponit pro suo immediato significato, & non pro remoto; & tamen suppositio illa est personalis, & non simplex: ergo definitio eiusmodi adhuc addita particula *tantum* mala est. Melius definiunt alij sic: *Est acceptio termini pro re secundum esse quod habet in intellectu*, siuè alioqui æque bene: *Est acceptio termini pro suo significato vt subest secundis intentionibus*, vt cum dicis: *Homo est species, Animal est genus, Petrus est indiuiduum, Paulus est subycibilis*. Vnde suppositio simplex non datur vnquam, nisi dum terminum primæ intentionis subijcimus prædicato secundæ: id, quod prò canone infallibili præscripsit M. Bañes aiens: *Hanc habebis regulam: quotiescumque fuerit suppositio simplex subiecti, prouenit à prædicato secundæ intentionis*.

§. 12. Cæterum hæc definitio reuera non differt à definitione Petri Hispani, cuius auctoritatem post habere honestum non putamus; rem enim vt habentem esse cognitum in intellectu vocauit ille *commune*, & *vniuersale*. Nec argumentum Iuniorum vrget: quoniam cum oppositorum eadem sit ratio, & disciplina (vt fert Philosophicum prouerbium) cum Hispanus dixit *commune*, & *vniuersale* satis subindicauit etiam eorum correlatiua *indiuiduum*, & *subycibile*.

§. 13. Suppositio *Personalis* definitur à nonnullis. Est *Acceptio termini communis pro suis mediatis significatis*. Vt *Homo currit*, non enim currit nisi indiuiduum mediatè significatum per terminũ communem *Homo*. Sed malè: nam cum dicis *Petrus disputat*. Subiectum supponit *personaliter*, & terminus communis non est. Rectius autem illam sic definimus: *Acceptio termini non solum prò immediato: sed etiam prò remoto significato independenter à secundis intentionibus*. vt cum dicis *Homo disputat*: vel *Petrus disputat*. In prima propositione *Homo* non solum supponit prò natura rationali, quæ immediatè significatur, sed etiam prò singularibus illius, *Petro*, scilicet, *Paulo* &c. in altera subiectum *Petrus* non solum supponit prò immediato indiuiduo; sed etiam prò remoto significato, scilicet *Homine*, itavt valeat quis rectè inferre *Petrus disputat ergo homo disputat*.

§. 14.

§. 14. Rursus suppositio personalis est duplex, alia est naturalis, seù essentialis, & *fit quando terminus ponitur pro omnibus suis significatis secundum id, quod illis essentialiter conuenit*, vt *Homo est animal*, *Leo est viuens*, & hæc suppositio abstrahit à tempore: nam in hac propositione **Homo est animal** ly *homo* supponit non solum pro hominibus præsentibus, futuris, & præteritis, sed etiam prò possibilibus quod dicitur *absolui à tempore*. Alia est accidentalis, & *fit quando terminus ponitur pro re existente secundum tempus importatum per copulam, vel secundum exigentiam prædicati, vt cum dicis. Homo currit* subiectum supponit prò homine existente; & si dicas ***Homo belligerat*** ly *homo* supponit prò viris secundum exigentiam prædicati, quia fæminis bellare non conuenit.

§. 15. Insuper suppositio personalis diuiditur n *singularem*, seù *Discretam singularis est cum terminus singularis ponitur pro suo significato certo, & determinato*, vt *Petrus disputat*, & in *Communem*, quæ fit *dum terminus communis pro suis significatis accipitur*: quod fit quadrupliciter. Primo *Distributiuè, quando terminus communis accipitur pro omnibus suis significatis non solum collectiuè, sed etiam seorsim sumptis*, vt *Homo est animal*: sonat quod omnia hominis indiuidua sunt animal, adeò vt etiam seorsim de quolibet inferri possit: ergo *Petrus est animal*, ergo *Paulus est animal &c.* Secundò *collectiuè quando scilicet terminus ponitur pro suis significatis simul sumptis, & non alioqui*, vt si dicas *omnes Apostoli sunt duodecim*: ex qua non licet inferre ergo *Petrus, & Paulus sunt duodecim*; exigit enim suppositio collectiua, quod ly *Apostoli* supponat prò omnibus (dempto nemine) simul sumptis.

Tertio suppositio communis fit *determinatè, quando terminus communis accipitur pro omnibus suis significatis disiunctiuè*, vt in hac *Aliquis homo est Musicus* ex qua non licet inferre in propositione copulatiua: ergo *hic homo est Musicus, & ille homo est Musicus*, sed tantum in propositione disiunctiua, ergo *hic homo*, vel *ille homo est Musicus.* Quarto denique suppositio communis fit confusè, siue *confusa* dicitur: *quando terminus communis ita accipitur disiunctiuè pro hoc, vel illo significato, vt non supponat determinatè pro aliquo eorum, sed pro omnibus.* Differt igitur suppositio *confusa à distributiua* per hoc, *quod terminus sub disiunctione accipitur pro hoc, vel illo*: differt etiam à *determinata* per hoc, *quod nunquam sumitur pro vno determinatè, sed pro omnibus simul; attamen disiunctiuè sumptis*. Vt si dicas; Equus est necessarius ad iter faciendum. Ly *Equus* non supponit pro *Bucephalo*, neque pro alio determinatè; sicut quando dicitur *Aliquis equus*: Neque rursus supponit distributiuè, pro omnibus equis seorsim, & copulatiuè; cum non liceat inferre: Ergo *Bucephalus requiritur*; sed accipitur confuse prorsus, pro omnibus simul equis, sub disiunctione; ita vt solum etiã subdisiunctione liceat inferre: ergo *vel Bucephalus, vel Cyllarus, vel alius equus requiritur.* Hęc suppositionis cõfusæ explicatio nobis visa clarior est; Nam M. Bañes obscurè, (me iudice), illam definit; obscuriusque Poncius inter Scoticos.

§. 16. Postremo suppositio distributiua est duplex, completa, scilicet, & incompleta: prima est *acceptio termini communis pro singulis generum*, idest *pro omnibus contentis sub illo nomine*, vt *omne animal est viuens* supponit ly animal pro omnibus speciebus, atque indiuiduis animalis nomine significatis. Altera est *acceptio termini communis pro generibus singulorum*, idest *pro aliquo indiuiduo omnium generum*, vel specierum. Vt in hac oratione *omne animal fuit in arca Noe* ly animal supponit pro aliquo indiuiduo omnium, & singularium specierum animalis. Mitto alias suppositionis diuisiones, vt in mobilem, immobilem &c. quibus in multiplicandis molesti, ac intolerabiles quidem sunt antiquiores Summulistæ, cum tamen (vt rectè obseruauit M. Veracruzius) apud graues Auctores, & Theologos de istis nulla penè fiat mentio.

THEOREMA III.

De Ampliatione, cæterisque termini affectionibus.

§. 17. Ampliatio sic communiter definitur: est *extensio termini à minore ad maiorem suppositionem*. Vt in hac propositione: *Omnis homo potest esse beatus* ly *homo* extendit suppositionem ad omnem hominem, qui est, vel erit, vel possibilis est. Duplex est ampliatio: Temporum tantum; temporum, & suppositorum simul. Prima *competit tantum termino singulari*. Altera *termino communi*. Exemplum primæ: *hic cæcus videt*, *Petrus est cadauer*, ly *cæcus* supponit pro tempore præterito; tametsi ly *videt* importet tempus præsens, & ly *Petrus* supponit pro homine, qui dum viueret Petrus fuit: nam cadauer non est homo. Exemplum secundæ: *Iustus vt palma florebit*; ly *iustus* ampliat suppositionem non solum ad tempus præsens, & ad futurum ratione Verbi de futuro *florebit*; sed etiam ad homines iustos præsentes, & futuros. Supersedeo regulis Summulistarum prolixè enarrandis, quas illi, (vt benè obseruauit Bañesius, ad communem modum loquendi poterant remittere. Qui volet illas calamo vberiore explicatas videre, adeat M.Chrysostomum Iauellum. Reijcio tamen Petrum Mantuanum, qui omnem ampliationem de medio sustulit, quem prorsus deceptum ostendit Mengus Fauentinus. *Sit modus in rebus*. Aristoteles equidem ampliatione non semel vsus est, vt ex ipso ostendit Veracruzius.

§. 18. Restrictio ampliationi contraria: est *Coarctatio termini à maiore ad minorem suppositionem*. Restringitur autem terminus ad minorem suppositionem quatuor modis. Primò *per copulam implicationis*, vt si dicas: *Homo, qui est Philosophus amat sapientiam*, ly *homo* restringitur ad solos Philosophos. Secundò si *adiungas nomen substantiuum, quod nomen communius determinet*, vt *Animal Leo currit*. Vbi *animal* ad leones dumtaxat coërcetur. Tertiò si adiectiuum adnectas, vt *Homo velox benè currit*. Quartò denique *si casum obliquum admoneas*, vt *Canis Tobiæ Equus Seiani*.

§. 19. Alienatio, est *distractio termini à magis principali significato ad minus principale*, vt si dicas: *leo est marmoreus, Homo est pictus*. Principale enim significatum huius termini *Leo*, est viuus, qui ratione prædicati *marmoreus* alienatur ad minùs principale, quod per analogiam significat.

§. 20. Diminutio est *Detractio partis suppositionis per additamentum alicuius termini*, vt si dicas: *Ætyops est albus secundum dentes*. Supponebat ly *albus* absolute, idest pro toto significato; amittit tamen partem suppositionis absolutæ, & per ly *secundum dentes* additum, supponit iam pro significato secundum quid.

THEOREMA IV.

De appellatione Logicali terminorum.

§. 21. INter terminorum proprietates nulla est appellatione Dialecticis, immò, & Theologis magis necessaria, nullaque magis irretita friuolis, & fastidiosis Summulistarum regulis, & cautionibus. Illam sic M.M. Bañes, Sotus, alijque definiunt Thomistę: Est *applicatio significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius*. Vndè ad appellationem non satis est, quod prædicatum applicetur subiecto, id, quod in omni propositione reperitur; etiamsi nulla sit appellatio, vt in hac: *Petrus est Logicus* in qua nulla est, de qua loquimur *appellatio*; errauitque prorsus in Dialecticam Arriaga appellationem cum prędicatione confundens; in hac etenim propositione *Christus est æternus*: seu *Deus homo est æternus*: æternus prædicatur de *homine*, & non appellat *hominem*, sed *Deum*: non igitur est eadem cum prædicatione appellatio.

§. 22. Illam rursus male definiuit Ouiedus, dum ait, appellationem esse *Denominationem qua vna dictio aliam denominat*: quæ descriptio conuenit huic denominationi *Petrus est albus*, quæ ab appellatione toto Cælo distat. Exigitur autem vlterius, quod præter subiectum propositionis dentur duo termini, quorum vnus sit appellans, & alter appellatus, vt in hac: *Petrus est magnus Logicus*. Terminus appellans est, ly *magnus*, applicat enim formale significatum magnitudinis supra Petrum ratione Logicæ, idest ratione termini appellati, qui est ly *Logicus*. Et hæc appellatio dicitur *Realis* quippè quæ reale significatum applicat. Alia est *appellatio rationis*, de qua mox breuem faciemus sermonem.

§. 23. Exigitur insuper quod terminus appellans sit connotatiuus, & significet rem per modum alteri adiacentis, vt possit alteri applicari, & quod terminus appellatus sit substantiuus, vel se gerat ad modum substantiui. Ad quorum maiorem claritatem aduerte, quod in omni termino concreto reperitur, *significatum formale, quod est ipsa forma*, & significatum materiale, *quod est subiectum, vel suppositum formam sustentans*, v.g. significatum formale *albi* est ipsa albedo, & materiale est paries, vel *Nix*. Significatum *Hominis* est forma totalis humanitatis, materiale vero est persona, siue suppositum habens illam. Vndè euenit quod terminus inter, dum appellet subiectum ratione significati materialis, vt in hac *Petrus Logicus est magnus*, & tunc dicitur appellatio materialis, quia ly *magnus* applicatur *Petro* ratione materialis magnitudinis, seu quantitatis staturæ. Quod si appellet *Petrum* formaliter sumptum, vt *Logicum Petrus est magnus Logicus*, eo quod sit Logicæ peritus, appellatio dicitur formalis.

§. 24. Huc respexere M.M. Bañes, & Sotus (cui moderni communiter subscribunt) dum illam definientes, docuerunt, appellationem esse applicationem *significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius*. Sed verò ly *formale* displicet multis, illudque meritò censent, expungendum è definitione: aiunt enim, omnem appellationem potiùs fieri significati formalis supra materiale dumtaxat, quod patet. Nam si appellatio semper esset applicatio significati formalis ad formale; hæc esset impossibilis *Petrus albus est musicus*, quia albedo nunquam potest conuenire musicæ, cùm musica nequeat alba esse; nec nigra; vt benè aduertit Veracruzius, qui subindè colligit, ex definitione Soti sequi, hanc propositionem fore veram: *Deus est creator lapideus*, quia sensus esset, quod Deus creat lapides: ergo non omnis appellatio applicat formale significatum ad formale subiecti, sed potiùs ad materiale. At interdum applicat ratione significati formalis, & tunc appellatio sit formalis, interdum ratione materialis, & tunc appellatio est materialis.

§. 25. Duas autem regulas tradunt Summulistæ, vt dignoscas appellationem formalem, & materialem. *Prima. Quando à parte subiecti ponitur substantiuum, & adiectiuum, tunc à parte prædicati fit applicatio significati formalis ad materiale substantiui ratione materialis*, proindèque fit appellatio materialis, vt si dicas: *Petrus magnus est Logicus*, idem contingit quando subiectum est terminus concretus, qui cum habeat duplex significatum, scilicet materiale, & formale equiualet substantiuo, & adiectiuo. Vndè hæc propositio est falsa: *Christus est homo factus*, quia factio appellat *Christum* ratione significati materialis, quod est suppositum Diuinum, quod factum non est; Et hæc est vera: *Christus est homo æternus*. Quia ly æternus appellat similiter ipsum Diuinum suppositum, quod quidem æternum est.

§. 26. *Secunda* regula; *Quando ex parte alicuius extremi ponuntur duo termini adiectiui habentes se sicut substantiuum, & adiectiuum, si adiectiuus præcedat applicat suum formale significatum ad materiale subiecti ratione formalis*, & fit appellatio formalis, vt in exemplo supra posito *Petrus est magnus Logicus*, quæ vera est de homine Logicæ perito, etiamsi paruæ sit staturæ, & hæc est falsa: est *Logicus magnus*, quia adiectiuum nomen non præcedit terminum sese gerentem quasi substantiuum, qui est ly *Logicus*.

§. 27. Obijcies: In Symbolo Nicæno dicitur de Christo Domino, quod *Homo factus est*. Vbi ly *factus* ponitur post ly *Homo*. Ergo neganda esset hæc propositio de Fide. Nam ad veritatem illius dicendum erat, quod est *factus homo*.

Respon-

Respondet optimè Fonseca, verba illa non esse redacta ad formam propositionis, sicque esse redigenda: *Et Filius Dei est factus homo*.

§. 28. Respondeo tamen secundo, has, & alias Summulistarum pro dignoscendis appellationibus traditas non esse omninò certas, & infallibiles regulas, cùm non rarò, etiam obseruatæ decipiant: quamobrem, multi eas prætereunt. Sanè *Fonsecam* illæ tædio affecerunt. *Veracruzius*, ait, illas non esse tanti momenti, nec sani esse cerebri, qui in illis immoratur. *Ortizius* semel, atque iterum monuit, ad appellationes cognoscendas potiùs esse attendendum ad modos significandi, & concipiendi. *Hurtadus* saute dixit, de appellatione appellandum esse à veteribus Summulistis, quippè qui in hisce, non nisi nugantur. *Caramuel* Grammat. Audacis num. 35. illos prorsus irridet eorumque discrimina næcias vocat. *M. Bañes* huiusmodi regulas dicit,excommuni modo concipiendi esse corrigendas: Et verba in appellationibus ex communi modo loquendi sapientum esse pensanda. Cui subscribo; dependet enim plurimum appellatio terminorum ex materia, in qua fit, ex subiecto appellato, ex idiotismo linguæ, qua loquimur, ex contextu orationis, &c. Restant nunc aliæ regulæ pro appellatione terminorum numeralium primitiuæ speciei, vt vnus, duo, tres, &c. aliæ pro numeralibus deriuatiuæ speciei, vt vnicus, binus, trinus &c. quas lubens missas facio apud alios videndas: legas tamen Bañesium libro 2. cap.7. qui has,aliasque Theologici negotij appellationis in materia de Trinitate, & Incarnatione occurrentes optimè dilucidat.

§.29. Appellatio *rationis* fit: *quando formale quod applicatur est aliquid secundæ intentionis*, vt si dicas *homo est species*: non exigitur ad appellationem rationis duplex ille terminus, sicut in reali, sed sat est, quod subiectum accipiatur secundum suum proprium conceptum, vt cognitum ab intellectu. Vndè hæ appellationes sunt falsæ: *Petrus est species, homo est genus*: eo quod eiusmodi prædicata, non applicantur subiectis cognitis secundum suum proprium, & primarium conceptum.

§.30. Denique pro appellatione *rationis* est celebris illa antiquorum regula: quod verba significantia actum animæ intellectiuæ interiorem, *vt cognosco, significo, desidero, volo &c.* appellant proprium, & formalem conceptum termini immediatè subsequentis; at vero si talis terminus præcedat verba,appellant illum materialiter: v.g. in hac propositione *cognosco Papam*,est appellatio formalis supra Papam sub formalitate, & proprio conceptu Papatus: si vero dicas: *Papam cognosco*: appellat Papam materialiter, denotaturque, te eum cognoscere, vt hominem, vel dum Cardinalis erat, à te fuisse cognitum. Hinc præscribitur forma arguendi in huiusmodi appellationibus; ab appellante (scilicet) proprium conceptum, ad non appellantem; est bona consequentia, *vt cognosco Papam* ergo *Papam cognosco*: at vero è contra, nulla est illatio: quia vt dicunt, est virtualiter argumentari à non amplo ad amplum, & ab inferiori ad suum superius. Vtrum autem idem dicendum sit, de alijs verbis significantibus actus externos sensuum? etiam litem exagitant non leuem; affirmat *Sotus*: negat *Veracruzius*: sed eam cum alijs de hac re pluribus,quæ omittimus, otiosis dirimendam relinquimus; quoniam istæ Summulistarum subtilitates desuetudine, suique inutilitate iam pridem apud modernos Dialecticos penitus expirarunt.

DISSERTATIO IV.

De modo sciendi, eiusque speciebus.

§.1. MOdus sciendi communiter definitur: *Est oratio ignoti per se manifestatiua*, in qua explicatione ly *oratio* est genus, in quo modus sciendi cum propositione,& alijs orationibus conuenit. Pro differentia ponitur ly *ignoti &c.* per quam ab eisdem distinguitur, & ab exemplo, quod quidem non *per se* ignotum manifestat, sed causa ruditatis audientium adducitur in doctrina. Diuiditur modus sciendi *in definitionem, diuisionem, & argumentationem*, & quidem adæquata partitione: Nam omne exhauriunt ignotum: equidem si cuiuspiam rei naturam ignores. *Definitio* illam explicat, si partes illius cognoscere cupis, eas manifestat *diuisio*, si denique passiones, proprietatesque nescias, *argumentatio* eas tibi in lucem deducet. Iam de singulis breuem instituimus Sermonem.

THEOREMA I.

De definitione.

§.1. DEfinitio est *modus sciendi explicans naturam rei, vt animal rationale*, quæ hominis naturam exponit: & dicitur hæc definitio *quid rei*, potestque tradi, vel per partes rei, quas dicunt Metaphysicas, scilicet per suum genus, & suam differentiam, vt in exemplo exhibito, *animal rationale*. Vnde appellatur definitio Metaphysica: vel per partes rei naturales, & Physicas; scilicet per suam materiam, & formam, quæ dicitur Physica: qualis est hæc, *homo est constans corpore, & anima rationalis*; soletque etiam nuncupari *causalis intrinseca*, eo quod per causas rei intrinsecas traditur.

Præter essentialem definitionem (quæ sola propriè,& rigorosè definitio est) tres etiam aliæ, vt minus propria definitionis membra huc aduocari solent. Prima est quam dicunt, *Quid nominis*, idest *nominis rei expositio*; vt sunt Rectorum ætimologicæ explicationes, *Consul est qui patriæ consulit*; *Iupiter est iuuans pater &c.* Altera est *descriptiua*, *quæ rei essentiam explicat per suas proprietates, & passiones*, *vt homo est animal risibile*, seu *animal Deum videndi capax*. Tertia est *accidentalis*, *quæ per accidentia rei ita circumloquio quodam vtitur, vt tandem naturam illius explicet*, *vt homo est animal pulchrum, bipes implume, cui caput erectum*, quam dicitur Plato tradidisse, cuius in Scholam Diogenes ille Cynicus: Gallum gallinaceum prorsus explumatum inuexit dicens: *hic homo Platonis est*, quare adiectum

est

est, definitioni *latis vnguibus*. Refert Laertius libro 6.

§.3. Leges definitionis vt rectè fiat, sunt tres. Prima, & omnium præcipua; *quod constet ex genere proximo, & differentia*; vel saltem aliqua subrogentur, *quæ viam generis, & differentiæ suppleant*. Et ratio est, quia res, quæ per definitionem explicatur, habet necessario nonnullas perfectiones, & prædicata communia cum alijs, & hæc explicat genus: rursus habet alia, quæ sibi sunt peculiaria, & propria, & hæc exponit differentia. Sic in hac hominis definitione *Animal rationale* ly *Animal* est genus, in quo homo cum belluis conuenit: & ly *Rationale* est differentia, per quam ab illis discriminatur. Diximus *genere proximo*, quia si suppetat genus proximum, erit quidem vitiosum collocare remotum, vt in hac *homo est corpus rationale*, quare & nos definitionem supra definiuimus *per modum sciendi*; qui propinquius genus est, quam *oratio*. Hinc oritur quod *definitio sit conuertibilis cum definito*: (vocamus definitum rem, quæ per definitionem explicatur,) & è contrario definitum est conuertibile cum definitione, eo quod *definitio nil est aliud, quam tota essentia definiti clarè cognita*.

§.4. Secunda: quod *definitio omnino sit clarior suo definito*. Ratio: quia alioqui non esset modus sciendi manifestans rem ignotam, si tam ignota, ac obscura esset, quam definitum. Peccatur maximè in hanc legem, dum definitum quomodolibet intrat definitionem, vt in hac: *homo est animal humanum*.

§. 5. Tertia: *quod non sit diminuta, neque redundans*. Ratio: quia definitio nil est aliud, quam tota ipsa definiti essentia clarè cognita: proindeque nil plus, aut minus, quam ipsum exprimere debet, alioqui non explicabit essentiam illius. Vnde hæc est mala: *homo est viuens sensitiuum*; quia diminuta, & etiam hæc: *homo est animal rationale, bipes, risibile*; quia redundat. M. Lynceus in exemplum definitionis super fluentis adducit hanc: *homo est animal rationale, mortale*. Sed verò illa quidem Aristotelis est, atque Porphyrij, qui nusquam aliter hominem definierunt, quos & plurimi sequuti sunt Sancti Patres, quos infra explico in Synopsi cap. 2. de specie, & ad cap. 3. de differentia dissertatione, ... theoremate secundo.

§.6. Hinc deducitur primus arguendi modus. A definitione scilicet ad definitum, quæ reciprocari debent, valet consequentia tum affirmatiuè, *vt est animal rationale*: ergo *homo*, & è conuerso. Tum negatiuè, vt *non est homo*: ergo *non est animal rationale*; & è conuerso. Definitio nunquam est dicenda vera, neque falsa; quia non est propositio; sed bona, vel mala.

THEOREMA II.

De diuisione.

§.7. Diuisio est *modus sciendi partes totius separatim explicans*. In hac definitione ponitur pro genere ly *modus sciendi*; quia in eo conuenit diuisio cum definitione, & argumentatione ly *partes totius &c.* loco differentiæ, per quam ab illis differt; tametsi enim per definitionem explicantur partes ignoti; scilicet suum genus, & sua differentia; sed id fit illas componendo; nam per solam diuisionem noscuntur *separatim*, cuiuslibet partes totius: etenim alius longè cognoscendi modus est, si dicas, *Homo est animal rationale*: ac si dicas, *Hominis vna pars est animal, alia est rationale*, nec confundenda est distinctio rationis cum modo sciendi diuisionis, vt perperam fecit Arriaga totum appellatur *diuisum*, & partes *membra diuidentia*,

§.8. Iam vero sicut totum aliud est *potentiale* aliud *actuale* aliud tandem *accidentale*, ita & diuisio *in potentialem, actualem*, atque *accidentalem* tripartitur. Diuisio potentialis, quæ & vniuersalis dicitur, *est illa, qua totum commune distribuitur in partes, quas solum in potentia* continet, quæ dicuntur partes subiectiuæ: vt cum *animal* v.g. diuiditur *in hominem, & leonem*, quos potentialiter dumtaxat continet; non enim est monstrum actualiter ex homine, atque leone compactum. Ad hoc genus diuisionis reducitur etiam diuisio generis in suas differentias: vt cum idem *animal* in *rationale, & irrationale* partitur. Actualis diuisio *est qua totum secatur in partes, ex quibus actu componitur*, vel confuso, vt cum ens diuiditur in decem prædicamenta: vel clarè, & distinctè, vt cum hominem in corpus, & rationalem animam diuidimus. Hæc eadem actualis diuisio potest, soletque dici *Metaphysica* cum sit per partes Metaphysicas: vt hominis alia pars *animal*, alia *rationale*. *Physica* quando fit per physicas, vt in exemplo posito corporis, & animæ; & tandem *integralis* dum traditur per partes integrantes, vt hominis alia pars caput, alia pectus, &c. *Accidentalis* est qua *totum accidentale in sua membra dissoluimus*: primo quando subiectum diuiditur in accidentia, vt corpus aliud est *album*, aliud *nigrum*: secundo quando è conuerso accidens diuiditur in subiecta, vt album aliud est, *nix*, aliud *lac*. Tertio denique quando accidens diuiditur in accidentia, vt album aliud est *dulce*, aliud *amarum*. Ast reuera hæc diuisio etiam est subiecti in accidentia, quia ly *album*, quod terminus est concretus, supponit pro subiecto, illiusque gerit vicem. Quod si accidens sit de essentia aliorum accidentium; potius erit diuisio generis in species: proindeque essentialis, & non accidentalis, vt hæc: *Color alius est albedo, alius nigredo*.

§.9. Leges rectæ diuisionis. Prima: *quod membra diuidentia sint opposita, siue re, siue ratione saltem*. Ratio: Quia alioqui non essent partes, de quorum natura est se se inuicem excludere. Altera: *quod eius modi membra seorsim accepta sint inferiora, & minus ampla, quam diuisum; simul tamen sumpta illud adæquent*. Ratio: Quia partes vnitæ sunt ipsum totum; licet quælibet earum illud non adæquet.

§. 10. Hinc desumuntur. Tres arguendi modi in diuisione. *Primus* est: *à diuiso ad omnia membra diuidentia*, & è conuerso valet consequentia tùm affirmando, tùm negando: vt est animal; ergo vel rationale; vel irrationale: & è con-

è conuerso: Non est animal: ergo nec rationale, nec irrationale. *Secundus à membro diuidente ad diuisum* valet consequentia affirmatiuè; non verò negatiuè: Rursus *à diuiso ad quolibet membrorum diuidentium valet negatiuè consequentia, non verò affirmatiuè*; vt, non est Planeta ergo non est Sol. *Tertius à diuiso cum exclusione alicuius, vel plurium membrorum valet consequentia ad affirmationem residui*: Vt est elementum, & non aqua, ignis, neque aer: ergo est Terra. Diuisio sicut & definitio, bona dicenda est, vel mala: non verò vera, neque falsa; eo quod diuisio non sit enunciatio, quamuis enunciationem possit constituere: Nam hæc: Animal est aliud rationale, aliud irrationale: non tota est diuisio; sed tantum ly *aliud rationale, aliud irrationale*.

THEOREMA III.

De argumentatione.

§. 11. ARgumentatio est *Modus sciendi, quo vnum sequi ex altero denotatur*. Vt si dicas; *Sol est*, ergo *dies est*. Vndè non satis est ad argumentationem, quod vnum ex alio inferatur, sed exigitur insuper, quod signum illationis exprimatur per aliquam coniunctionem: sunt autem quatuor coniunctiones illatiuę, nempè *Si. Ergo, Igitur, Quia*. Quarum prima constituit consequentiam conditionalem: Vt *si homo volat, habet alas*. Secunda, & tertia consequentiam rationalem constituunt. Quarta denique causalem, qualis est hæc: Quia *homo est rationalis, est risibilis*. Tria sunt necessaria ad rationem argumentationis. Primum est *Principium*, ex quo infertur; quod si constet ex duabus propositionibus: prima dicitur *maior*, altera *minor*, *Secundum* est *conclusio*, quæ est id, quod infertur, vocatur quę *consequens*. *Tertium* est nota illationis, seù coniunctio illatiua, quæ dicitur *consequentia*, seù vt latissimè volunt, consequutio. Omnia perspicies in hac argumentatione: *Omnis virtus est amplectenda: Iustitia est virtus: Ergo Iustitia est amplectenda*.

§. 12. Prætermissis autem argumentationibus conditionalis, & causalis consequentiæ: argumentatio rationalis, nobis in quatuor membra venit diuidenda: quæ sunt *Syllogismus, Entymema, Inductio, & Exemplum* (mitto soritem. dilemma, bicorne &c. quę sunt Rethorum argumentationes) Syllogismus: *est argumentatio ex tribus propositionibus constans, maiore* scilicet, *minore*, & *consequente*. Entymema *constat duabus, nempè ex antecedente, & consequenti*. Inductio, *est argumentatio, qua ex singularibus aliquod vniuersale infertur* v.g. Homo est sensitiuus. Leo est sensitiuus. Equus est sensitiuus, & sic de cæteris animalibus: ergo omne animal est sensitiuum. Exemplum, *est argumentatio sumpta ab aliquo singulari ob illius similitudinem* v.g. Magdalena veniam impetrauit, quia dilexit multum: ergo si multum dilexeris similiter veniam impetrabis. Modus loquendi in argumentatione. *Consequens* dicitur verum, vel falsum: at *consequentia* solum dicitur bona, mala. Consequens nunquam negandum est, neque concedendum, sed distinguendum tantùm: sed de modo disputandi Scholasticorum, normam relinquimus Magistris viua voce tradendam, de qua M. Bañes, PP. Complutenses, Hurtadus, & alij.

DISSERTATIO V.

De nomine Verbo, & Oratione.

§. 1. EXplicatis ad simplicem nostri intellectus operationem spectantibus, nunc ad secundæ fabricas accedimus, de enunciatione, eiusque proprietatibus, & membris acturi. Respondet tractatus hic, duobus Aristotelis libris *Peribermenias*, siue de *Interpretatione*; cuius doctrinam sequimur omninò, simul, & Diui Thomæ, & M. Petri Hispani; qui Philosopho lumen egregiè adhibuerunt; vestigijs insistentes.

THEOREMA I.

Quid sit nomen Dialecticum?

§. 2. NOmen definitore Aristotele primo *Peribermenias* lectione 4. (iuxta diuisionem Doctoris Angelici) est *vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta*. Ly *vox* in hac definitione ponitur loco generis. *Significatiua* ponitur ad differentiam vocis non significatiuæ. Ad *placitum* ponitur ad differentiam vocis significantis naturaliter. *Sine tempore* ponitur ad differentiam Verbi, quod significat cum tempore. *Cuius nulla pars separata aliquid significat* ponitur ad differentiam Orationis, cuius partes separatæ aliquid significant. *Finita* ponitur ad differentiam nominis infiniti, quod non est nomen secundum logicum, sed nomen infinitum: vt *non homo, non equus* ly *Recta* ponitur ad differentiam nominum obliquorum vt *Catonis, Catoni*, quæ non sunt nomina secundum Dialecticum; sed nomina obliqua, vel casus nominum: vndè solus rectus dicitur esse nomen. Ita ex Petro Hispano.

§. 3. Contra hanc communem Dialecticorum doctrinam, non nulla obijcit Hurtadus, quæ potius contemnenda sunt, quam responsione diluenda. *Primo*: non definiri nomen adiectiuum ab Aristotele: quod est contra omnium Grammaticorum phalangem, vt patet ex Antonio Nebrissensi. *Secundo*: quod hoc nomen *Proconsul* constat partibus, quæ separatæ significant. *Tertio*: quod immerito excludantur à ratione nominum ea, quæ nomina infinita, seù infinitantia dicuntur, quia infinita tam entia, quam non entia possunt significare: ergo sunt nomina. *Quarto*: quod casus obliqui sunt nomina, quia quæ cum vno Verbo significant in recto; cum alio significant in obliquo: vt *pænitet me peccati*, & idem quod *ago pænitentiam peccati mei*. *Quinto*, *Regnis*, *Regnidis* est nomen tertiæ inflexionis, & tamen non significat ad placitum.

§. 4. Ri-

§. 4. Ridicula sunt sunt ista, & vno verbo omnia disturbantur: Aio enim, hic definiri *Nomen Dialecticum*, non Grammaticale. Iam verò ad *primum*: admitto, Aristotelem Nomen contra Grammaticos definire: sed quid indè? Ast fallitur Hurtadus putans, excludi nomen adiectiuum, vt patebit consideranti omnes particulas definitionis nominis: nam quod Aristoteles docet, nomen solo addito Verbo, debere efficere sensum, non pro adiectiuo dicit, sed pro casu obliquo nominis, qui etiam addito Verbo *est*, vel *fuit* nullum adhuc sensum efficit: *veluti Philonis* (inquit ipse Philosophus) *est, aut non est: non dum est verum, aut falsum*. Ad secundum respondet S. Thomas: *Manifestat ergo primo* (inquit) *quod pars nominis separata nihil significat, per nomina composita: in quibus hoc magis videtur*: & paucis interiectis subdit rationem: *Quod pars nominis compositi, quod imponitur ad significandum conceptum simplicem, non significat partem conceptionis compositæ, à qua imponitur ad significandum, sed oratio significat ipsam conceptionem compositam; vndè pars orationis significat partem conceptionis compositæ*. Hæc ille? Ad *tertium*: respondet ipse Aristoteles *hoc autem* (inquit) *non homo, non dico esse nomen* (& rationem exibet) *quoniam & quod est; & quod non est, in ratione rerum sine discrimine vllo significat*. Hæc ille, & valdè mirum est quod ipsamet ratio, quæ mouit Aristotelem, vt negaret, voces infinitantes esse nomina; moueat Hurtadum ad asserendum, eas nomina esse. Negauit etiam D. Thomas ibidem ob eamdem rationem, *quia* (inquit) *nihil determinatum significat*. Cuius nam enim rei nomen erit, quod infinitè tam de ente, quam de non ente dicitur? Ad *quartum*: dico, non excludi casus obliquos, qui addito verbo impersonali, verum & falsum sensum efficiunt, sed qui addito verbo substantino *est*, vel *erat* nullum sensum efficiunt, quod egregiè ad notauit Angelicus Magister *signanter autem* (inquit) *inducit exemplum de verbo substantiuo: quia sicut quædam alia verba scilicet impersonalia, quæ cum obliquis significant verum, vel falsum; vt cum dicitur pænitet sortem; quia actus verbi intelligitur ferri super obliquum, ac si diceretur: pænitentia habet sortem*. Denique ad quintum: de voce *regnis regnidis*, quæ dicitur nomen nihil significans, eadem, qua dicitur ab Hurtado facilitate, negatur à nobis, idque à mortalium nemine probabitur.

§. 5. Diuiditur nomen in *Mentale*, *Vocale*, *& scriptum*, quemadmodum supra terminum diuidi præmisimus: Aristoteles tamen, de *Mentali*, & *scripto* nihil egit. Cur autem id fecerit? non nulli alias reddunt causas: sed nobis illa arridet: Quod faciliora nobisque notiora in limine Dialecticæ tradere ex industria voluit: commodius enim fuit Discipulos per signa sensibilia, vt sunt voces, interna illa mentis molimina patefacere: Neque enim de mentalibus vllum hactenus sermonem fecit, contentus admonuisse, quod ex cognitione eorum, quæ sunt in voce: veniendum sit in cognitionem eorum, quæ in mente fiunt. Quam ob rem initio libri *Peribermenias*, illud iecit fundamentum: *Sunt ergo* (inquiens) *ea quæ sunt in voce signa eorum, quæ sunt in anima*. Sed verò de nomine, seu termino scripto cum nihil haberet specialis difficultatis, nihil esse scribendum arbitratus est.

§. 6. Rursus nomen mentale (sicut & terminus) bipartitur in vltimatum, & non vltimatum. Primus est *illa notitia, seu conceptus, quem habet intellectus de ipsa re prout significatur per vocem*, diciturque vltimatum: *eo quod ibi sistat intellectus*. Non vltimatum autem, *est notitia vocis significantis rem, effertur que eius modi vocabulo, quoniam non sistit ibi intellectus*, sed ad vlteriorem migrat notitiam, scilicet rei significatæ.

§. 7. Denique nomen Mentale (sicut & mentalis terminus) in directum, & reflexum secari solet. Directum *vocant conceptum, quem de re, vel de voce habet intellectus*: *Reflexum verò dicunt conceptum, seu cognitionem præcedentis propriæ cognitionis*, vt cum quis apprehendit suam met cognitionem, seu cognoscit se cognouisse. Cætera, quæ hic inserciunt moderni Summulistæ de notitijs, de cognitione intuitiua, abstractiua, de Verbo mentis &c. intempestiuè, præposterè, & absurde tractantur. Nos sequimur Aristotelem, qui nec nomen Mentale comprehendere voluit in definitione nominis tradita: Quod etiam dico, contra non nullos Scotistas, qui cum suo Doctore contendunt, illud comprehendisse, inter quos Rodriguezius citato Scoto primi *Peribermenias* quæst. 1. ad vltimum, docet, ly *vox significatiua*, quod loco generis subrogatur, comprehendere vocem ore prolatam, vocem mentalem, & scriptam: Nam sicut voce ore prolata loquimur præsentibus, sic scriptura loquimur absentibus: & verbo mentali loquitur sibi ipsi intellectus: Et sic *Vocem* (dicit) accipi debere indefinitione tradita à Petro Hispano, & non per accomodationem. Ita ille libro 1. cap. 2. Taudo Scotistam, quod M. Petri Hispani hominis, nempe Dominicani interpretem agere voluerit: Ast verò friget statim interpretatio, si consideres sequentem particulā definitionis *Ad placitum*, quæ nullatenus mentali nomini congruere potest, quippè quod non ad placitum, sed naturale signum, seu imago obiecti est.

THEOREMA II.

Verbum Dialecticum explicatur.

§. 8. VErbum est *Vox significatiua ad placitum cum tempore: cuius nulla pars separata aliquid significat finita, & recta*. ly *cum tempore* ponitur ad differentiam nominis, quod significat sine tempore. *Finita* ponitur ad differentiā verbi infiniti, vt *non disputat, non laborat*, quæ non sunt verba secundum Dialecticum, sed verba infinita. *Recta* ponitur ad differentiam verborum obliquorum, vt *Disputabat, Disputauit*, quæ non sunt verba; sed verba obliqua. Vnde solum Verbum indicatiui modi præsentis temporis, secundum Dialecticum dicitur esse Verbum, reliqua verò verba eiusdem modi, & aliorum modorum dicuntur verba obliqua. Aliæ particulæ ponuntur hic eadem ratione, qua in definitione nominis.

Et

Et secundum est, quod Dialecticus solum ponit duas partes Orationis, scilicet *Nomen*, & *Verbum*: alias appellat Syncathegorematicas, idest consignificatiuas. Hæc ex Petro Hispano.

§. 9. Hurtadus spreta Aristotilis definitione; Antonij Nebrissensis Grammatici descriptionem amplectitur: Verbum ait, *est vox coniugata per tempora*. Sicuti supra de Nomine *Vocem* (dixit) *esse declinatam per casus*. Nos Aristotelis Dialecticam tractamus, eius definitionem optimè traditam esse profitemur. Circa illam particulam *cum tempore* assignat M. Masius cum alijs communiter discrimen, nempe quod aliud est significare ipsum tempus, vt hodie, mensis, annus &c. Aliud connotare tempus, vt cœna, peruigilium &c. Aliud tandem significare cum tempore, idest actionem, seu passionem tempore mensuratam significare, vt *curro*, *lego* &c. & hoc conuenit verbo dumtaxat, illudque à Nomine seiungit: At verò à Participio dicunt Doctores, distingui per alia, quæ Aristoteles addidit præfatæ definitioni, scilicet: *Et est semper eorum, quæ de altero dicuntur signum*. Sic iuxta Argynopilum Antiqua Translatio habet: *Et est eorum, quæ de altero prædicantur nota*. idest, significat copulam, seu vnionem prædicati cum subiecto: putantque hæc adiici debere definitioni Petri Hispani. Alij verò id negant, aiuntque satis, superque à Participio distingui per ly *cum tempore*: quia participium non determinat tempus; cum indeterminatè deseruire possit omni tempori, *Vt est currens, erit currens, fuit currens &c.* Sic Veracruzius, & alij.

§. 10. Occasione actionis *cum tempore* significatæ per Verbum: diuidunt Dialectici Verbum in Substantiuum, & Adiectiuum: Substantiuum non significat actionem, neque passionem sed actum essendi, vt *Sum, Existo, & Subsisto*. Adiectiuum verò dicitur Verbum, quia vltra Verbum *Est*, quod omni rei substantiale est, significat aliquid per modum adiacentis ipsi, idest actionem, seu passionem accidentaliter aduenientem: vt *lego*, quod sonat *Sum legens*, *Petrus currit* idest, Petrus est currens &c.

§. 11. Circa particulam *Finita*, non leuis agitatur controuersia inter Dialecticos. Vtrum scilicet detur verbum infinitum? seu sub alio titulo: Vtrum possit verbum infinitari intra propositionem? Negant multi cum Boethio, Magno Alberto, Diuo Thoma &c. Ratio: quia negatio addita copulæ intra propositionem, illam reddit negatiuam, vt *Petrus non currit*: *Paulus non legit*: ergo impossibile est, quod Verbum reddatur infinitũ; eo modo, quo nomen solet infinitari. Sic M. Ioan. à S. Thoma. M. Parra, alijque Neoterici. Affirmant non pauci, vt Ammonius, Suesanus, Toletus, M. Mercadus, M. Sorus, M. Masius sect. vnica ad cap. 2. de Verbo q. 5. quibus hoc loco clarissimè fauet Sanctus Doctor. Videturque expressa Aristotelis, ibidem Verbum excludentis, sicut & nomen: Et exhibet rationem: *Quoniam* (inquit) *de quocumque, & de eo quod non est, similiter dicitur.* quibus frigidam quorumdam euasionem præcludit, dicentium Verbum extra propositionem dumtaxat infinitari: quod mihi non probatur: Tum quia extra propositionem non dicitur de eo quod est, & de eo quod non est; dici enim, est ipsa propositio. Tum etiam quia extra propositionem non est copula, nec Verbi munus exercet: ergo.

§. 12. Accedit, quod ipsemet Philosophus verbo infinito vsus est in illo Syllogismo Primi Posteriorum lect. 23. iuxta antiquam translationem *Stellæ non scintillantes sunt propè*; sed *Planetæ non scintillant*: ergo *Planetæ sunt prope*. in Minore ly *non scintillant* sumitur infinitè, non negatiuè; alioqui Syllogismus claudicaret; in nulla enim forma, aut figura concluditur affirmatiuè ex præmissa negatiua: ergo minor est affirmatiua ratione Verbi infiniti.

§. 13. Respondet M. Ioan. à S. Thoma qu. 2. artic. 3. Aristotelem non formasse sic Syllogismum, sed sicut ibi dicit S. Thomas: *Formetur ergo syllogismus sic: omne non scintillans est prope; Planetæ non sunt scintillantes: ergo sunt propè*. Respondet item secundò, quod etiamsi Aristoteles dixisset *Planetæ non scintillant*; deberet intelligi æquiualenter, idest sunt stellæ, quæ non scintillant, vel sunt non scintillantes.

Sed contra: Nam S. Thomas non emendauit syllogismum Philosophi per illa verba, neque dixit, Aristotelem eo modo illum construxisse. Tum quia illud falsò affirmaret. Tum etiam quia alioqui non diceret *Formatur syllogismus*, sed *Formauit syllogismum*; intentum enim Sancti Doctoris solum erat ponere exemplum demonstrationis *quia*, idest ab effectu; nec agere de verbo infinito tunc illa venit in mentem. Contra secundo: Aristoteles apertissimè proponit in Maiore ly *non scintillantes*, & in Minore *non scintillant*: Ait enim quod Planetæ sint C. idest minor extremitas: *non scintillare* sit B, idest medium: *& prope esse* sit A, idest maior extremitas: vnde concludit, quod sicut verè B, dicitur de C, idest quod *Planetæ non scintillant*, ita verè etiam dicitur A de C. idest quod *Planetæ sunt propè*. Vides ergo, Aristotelem non statuisse pro medio termino *esse non scintillantes*, per Participium infinitum, sed verbum *non scintillant*: Ergo solutio Ioan. à S. Thoma inepta est.

§. 14. Contra tertio: Altera solutio prædicti Magistri totum dat aduersarijs intentum: Ipsi enim dum dicunt ly *non scintillant*, esse verbum infinitum; dicunt subinde, quod propositio est affirmatiua, eo quod æquiualeat huic propositioni; *sunt non scintillantes*: ergo qui huius modi æquiualentiam concedit totum concedit, quod illi contendunt. Contra quarto, quia ipsemet Angelicus Doctor, non semel verbo vsus est infinito. Nam 1. p. q. 19. artic. 8. sic contra se arguit: *Omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit: sed voluntas Dei non potest impediri; Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem*. En consequentia affirmatiua; ergo negatio posita in minore, non erat negans verbum, sed infinitans. Item quæst. 85. artic. 4. sic procedit: *Nihil prohibet diuersas formas non oppositas, simul eidem actu inesse; sed species intelligibiles non sunt oppositę: ergo nihil prohibet, quod sint simul actu eidem intellectui*. En forma cum præcedenti eadem.

§. 15. Dices Diuum Thomam pro parte contraria;

traria; non pro se hęc cudere argumenta: vnde non mirum, si in forma peccent syllogistica. Sed contra: Nam si D. Thomas non approbasset formam, & consequentiam argumentorum, datis præmissis potius negaret consequentiam, quæ facilior foret solutio: Atqui intactis consequentiis, respondet ad præmissas: ergo consequentiæ sunt legitimæ. Video, hæc immaturè tyronibus proponi, quin adhuc de forma syllogistica, sint satis certiores. Videas tamen M. Banesium, qui vtramque opinionem in concordiam redigit, quod vtique placet, ne Diuus Thomas contradictoria videatur docuisse. Nos breuiter dicimus, verbum adiectiuum sub formali expressione verbi infinitari non posse; attamen posse, si resoluatur per verbum substantiuum, & suum participium; vt si ea propositio Planetæ non scintillant resoluatur in has: *Sunt Astra, quæ non scintillant*, vel *sunt astra scintillantia*.

§. 16. Circa particulam *Recta* notandum, ideo excludi *obliqua*: quia Aristoteles loquitur dumtaxat de verbo per se apto ad enuntiandam veritatem independenter ab alio: id quod præsenti indicatiui conuenit vnicè; alia enim non nisi dependenter à præsenti verificari possunt: ideo enim hæc *Angelus cecidit*, est vera de præterito, quia aliquando fuit vera de præsenti *Angelus cadit*. Et hæc *Antichristus blasphemabit*, est vera de futuro, quia olim de præsenti erit verum *Antichristus blasphemat*.

PARERGON.

§. 17. Tota hæc de infinitate Verbi controuersia ob auctoritatem Aristotelis tuendam oborta est: quippè qui Verbum definiens voculam addidit *Finita*, qua docet, se verba explodere infinita. Cæterum Hurtadus ab his se facilius curis expedit: ait enim Aristotelem non exclusisse verba infinita expresse, sed suos Discipulos id fecisse. Credidero vera dicenti; sed verò Scriptor hic nimium definitionibus Nebrissensis intentus, non legerat Aristotelem, dum ista Chartis mandauit: en audi Aristotelem: *Non valet, non ægrotat* (in antiqua translatione) *Non currit, non laborat non dico verbum esse: Nam insuper quidem tempus significat, semperque de aliquo dicitur: at differentiæ nullum nomen est positum; sed Verbum infinitum vocetur: quoniam de quocumque, & de eo quod est, & de eo quod non est similiter dicitur. Simili modo, & valuit, & valebit, non verba, sed casus verbi appello*. Hæc ille: quid expressius?

THEOREMA III.

Oratio definitur.

§. 18. O*Ratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant*. Vt Homo currit est oratio; partes enim separatæ aliquid significant, nam ly *homo*, & ly *currit* si separentur significant: Et hoc positum est ad differentiam Verbi: nan licet Verbum vox sit significatiua; non tamen habet partes, quæ separatæ significent, cum sit simplex vox, vt legit, currit.

§. 19. Oratio duplex est, perfecta, & imperfecta: Illa dicenda perfecta, quæ *perfectum sensum generat in animo audientis*: vt Homo disputat. Imperfecta est, *quæ imperfectum sensum generat in animo audientis*: vt Homo albus.

§. 20. Orationum perfectarum, aliâ *Indicatiua*, vt Homo disputat; aliâ *Imperatiua*, vt Petre disputa, aliâ *Optatiua*, vt Vtinam essem Dialecticus: Harum autem sola *Indicatiua* dicitur esse Propositio. Ita Hispanus.

§. 21. Sufficit ad orationem, vt vna ex eius partibus, sit terminus categorematicus ex Aristotele: vt dum dico. *Nullus equus*. Atque etiam primi duo modi sciendi; *Definitio*, scilicet, atque *Diuisio*, orationes, quidem sunt imperfectæ, idest non enuntiatiuæ: *Etenim ipsa Hominis Definitio* (vt ait Philosophus vbi supra lect. 8.) *nisi est, vel erat, vel fuit, aut aliquid tale addideris, non dum est enuntiatiua oratio*. Idem dic de *Diuisione*: Ast quoniam supradiximus ly *Animal rationale, Homo iustus*, & aliâ id genus, esse terminos incomplexos, difficultatem facessit non nullis, quomodo etiam dicantur orationes esse? Nam eadem species nequit contineri sub duobus generibus non sub ordinatis: Ergo nequit eadem res contineri sub ratione Termini, & etiam sub ratione Orationis; quorum nec Terminus prædicatur de omni oratione, nec Oratio prædicatur de omni Termino.

§. 22. Respondent bene Complutenses, Intentiones *Termini, & Orationis* esse accidentia rationis, non *genera*: proindeque nihil obstare, quo minus eadem entitas realis harum vocum *Homo albus*, denominetur ratione significationis, à secunda intentione rationis: Rursusque illud coniunctum ex vocibus, & significatione, postea denominetur Terminus complexus, ab alia intentione rationis accidentaliter: quemadmodum Corpus vg. est sub quantitate quatenus est extensum, & deinde est etiam simul sub qualitate, quatenus est album; sub vtroque scilicet accidentaliter.

DISSERTATIO VI.

Quid, & quotuplex sit Propositio?

§. 1. PRopositio ex Aristotele, est: *Oratio vnius de alio enuntiatiua*, quam & Petrus Hispanus dixit, esse Orationem Indicatiuam, quod perinde est, quod tradita definitio, à pluribus (& merito) vt essentialis recipiatur. Diuiditur Propositio primo in *Categoricam*, & *Hypotheticam*, idest in *simplicem*, & *Compositam*: Categorica est, *quæ habet subiectum, copulam, & prædicatum, tanquam partes principales sui*: vt *Homo disputat*. Potest autem, *subiectum*, vel *prædicatum* esse vnica dictio, vel plures; vt *Homo iustus seruat mandata*: immo & integra propositio subiectum solet esse, vt si dicas: *Homo est animal, est vera propositio*, quæ categorica est, tam & si ex alia propositione constet, cuius copula implicatur, & quia ex illa non desumitur veritas, nec falsitas totius propositionis, dicitur copula *implicationis*; at vero secunda copula dicitur *principalis*, ipsa enim veritatem, vel

fal-

falsitatem propositionis importat, quæ si præter verbum substantiuum *est*, prædicatum exprimat distinctum nuncupatur Categorica de tertio Adiacente, eo quod supra verbum tertia adiacet pars: si vero verbum sit adiectiuum, vt si dicas Petrus *disputat*, vel *currit*, propositio dicitur de secundo adiacente.

§. 2. Hypothetica propositio est, *quæ constat ex propositionibus tanquam ex partibus non rigorosa vnione*, sed *aliquali coniunctione copulatis*: *vt Maria sedet, & Martha ministrat*. Hæc Diuisio est analoga in membra non æque rationem Diuisi participantia, Categorica etenim atque Hypothetica propositio non differunt nisi *vt vnum*, & *multa*, & ratio enuntiandi veritatem, aut falsitatem, (qui præcipuus est finis huius scientię) non est absolutè, & simpliciter in Hypothetica, sed ratione Categoricæ.

§. 3. Iam vero propositio Categorica diuiditur ratione quantitatis; *estque quadruplex*: Prima est *Vniuersalis*. Secunda *Particulaeis*. Tertia *Indefinita*. Quarta *Singularis*. *Vniuersalis est, in qua subycitur terminus communis signo vniuersali determinatus. Vt omnis homo disputat*. Ille dicitur terminus *Communis, qui est aptus natus de pluribus prædicari*. Vt homo de Petro, & Paulo. signa vniuersalia sunt hæc. *Omnis*, Nullus, *Quilibet*, *Neuter*, & similia. *Particularis, est in qua subiectum est terminus communis signo particulari determinatus*, vt *Quidam homo disputat*. signa particularia sunt, *Aliquis*, *quidam alter*, & similia. *Indefinita* est, *in qua subiectum est terminus communis sine signo*, vt *Homo disputat*. Tandem *singularis est, cuius subiectum est Terminus singularis discretus, vel communis cum pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei*: Vt *Petrus disputat*: *Hic Homo disputat*. Signanter dicit Petrus Hispanus *pronomen debere esse primitiuæ speciei*, vt *Ego Tu*, *Hic &c.* ad hoc vt propositio reddatur singularis; nam id præstare non potest pronomen deriuatiuæ speciei vt *Meus*, *Tuus*, *Noster &c.* nam si Petrus habeat centum equos. Et dicat: *meus equus currit*, de omnibus centum verificari poterit; Vnde pro singulari equo non stabit.

§. 4. Rursus Propositio Categorica diuiditur ratione qualitatis, estque alia affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua est *illa, quæ prædicatum componit cum subiecto*, quod est illud affirmari, vt *Homo disputat*. Negatiua est, *quæ prædicatum remouet à subiecto*, quod est illud negari, vt *Homo non disputat*.

§. 5. Propositionum materia est triplex: *Naturalis*, *Contingens*, *& Remota*. Naturalis illa est, *in qua prædicatum est de essentia subiecti*, *vel proprium eius* vt *Homo est animal*: *Homo est risibilis*. Contingens est, *in qua prædicatum potest adesse*; *& abesse subiecto præter subiecti corruptionem*. Vt *Homo est doctus*. Remota illa est, *in qua prædicatum non potest subiecto conueuire*. Vt *Homo est lapis*. Iuxta hanc materiæ diuisionem est etiam Propositio triplex. Prima dicitur *Necessaria*, quæ respondet materiæ naturali. Secunda dicitur *Contingens*, vel *accidentalis*, quæ fit in materia contingente. Tertia denique nuncupatur *Impossibilis*, quæ in materia remota fabricatur.

§. 6. Notandum: quod omnis propositio affirmatiua in materia Naturali est necessaria; negatiua verò Impossibilis. In materia autem remota omnis propositio negatiua est necessaria, vt *Homo non est lapis*, esto, quod affirmatiua (vt supra diximus) sit impossibilis; in materia vero contingente vtraque tum affirmans, tùm negans remanet contingens.

§. 7. Diuiditur tandem Propositio in veram, & falsam, & hæc diuisio pertinet etiam ad qualitatem illius. Vera est, *quæ rem enuntiat de subiecto sicuti est*. Falsa est, *quæ rem aliter dicit, quam est in rebus*. Hinc inferes Definitionem illam vulgo celebrem: Propositio est *Oratio verum, vel falsum significans*, essentialem non esse, sed descriptiuam, quoniam traditur per quid posterius, scilicet per proprietatem enuntiandi veritatem, vel falsitatem: atque insuper ly *verum, vel falsum* sub disiunctione positum Diuisioni potius congruit, quam Definitioni, vitioque non caret; Illa tamen vtitur Aristoteles & ipsum explicans Diuus Thomas non ea ratione: quam M. Lynceus assignat. Quia scilicet Definitiones descriptiuæ sunt interdum notiores nobis, quam essentiales: id, quod inpræsentiarum est prorsus falsum. Sed ob rationem, quam ipse Magister Angelicus exhibuit 1. Perihermenias lectione 7. *Quia omne instrumentum* (inquit) *oportet definiri ex suo fine, qui est vsus instrumenti. Vsus autem Orationis, sicut & omnis vocis significatiuæ est significare conceptum intellectus: Duæ autem sunt operationes intellectus, in quarum vna non inuenitur veritas, & falsitas in alia autem inuenitur verum, & falsum: Et ideo Orationem enuntiatiuam definit ex significatione veri, & falsi*. Hæc ille. Ex quibus, patet, eius modi definitionem ex causa extrinseca finis desumi, proindeque essentialem non esse: Contra M. Parram.

§. 8. Franciscus Bonæ Spei, qui Propositionem docuit, esse *Dictionem completam, vel perfectam per verbum*. Contemnendus est potius, quam impugnandus: etenim eius Definitio conuenit Orationi Depræcatiuæ, Imperatiuæ, Interrogatiuæ, immò etiam Orationi, ab his, atque enuntiatiuis abstrahenti, alijsque sexcentis, quæ Propositio non sunt.

§. 9. Ricardus tandem Lynzeus non fælicius hanc excogitauit. Propositio est *Actus intellectus incompossibilitatis in eodem intellectu, seu oppositionis physicæ cum alio circa idem obiectum ex diuerso tendendi modo capax*. Illam M. Dominicus Lynceus ait, esse, nouam, monstrosam, & quà essentia Propositionis non explicatur, sed confunditur, obscuratur; reijciendamque tametsi ipsa suamet obscuritate, & prolixitate labascat, &c.) Lynceus Lynceum vt cæcutientem carpit, lateque impugnat. libro 4. q. 3. Arti. Nos his abstinemus. Arridet tamen, quòd monstrosum, appellauerit, eiusmodi ænigma, proindeque (vt fieri solet) non nisi populo circumstanti, mirantique monstrum exhibeatus.

DISSERTATIO VII.

De oppositione simplicium propositionum.

§. 1. SVnt, & aliæ propositionis simplicis proprietates, quæ illi conueniunt; non quidem

dem absolutè, sed comparatiuè ad alias eiusdem generis; quales sunt *Oppositio*, *æquipollentia* & *Conuersio*, quarum nulla prorsus nisi inter duas propositiones exerceri valet, & nunc prius de oppositione nobis sermo fiet.

THEOREMA I.
Explicatur definitio simplicium propositionum.

§. 2. COmplutenses, Carmelitæ, M. Ioan. à S. Thoma, alijque Iuniores oppositionem sic definiunt: Est *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*, & hanc definitionem colligi dicunt ex Aristotele 1. Perihermenias cap. 4: Ast ego video, Aristolem eo loco non nisi oppositionem contradictoriam ijs verbis descripsisse. Quare non est ita crudè, vt sonat accipienda, quoniam vt benè aduertit M. Bañesius affirmatio, & negatio eiusdem de eodem si simpliciter, & integrè accipiatur, necesse est, negationem destruere quidquid in affirmatione significatur, proindeque affirmatio, & negatio eiusdem de eodem erit ipsissima contradictionis definitio, qualis est hæc: *Plato disputat, Plato non disputat.* Rectius Oppositionem sic cum Alberto Magno definies: est *Repugnantia duarum propositionum vtroque termino, & eodem ordine participantium secundum affirmationem, & negationem. Repugnantia propositionum* ponitur loco generis. Ly *participantium vtroque &c.* pro differentia, vt excludatur diuersitas propositionum non eodem subiecto, atque prædicato constantium vt *Petrus sedet: Paulus non sedet.* Ly *secundum affirmationem, & negationem* pro vltima differentia additur, quæ oppositionem constituat, & distinguat à subalternatione propositionum, vt *Omnis homo disputat, aliquis homo disputat*, quæ oppositio non est contra Ouiedum, qui illam asserit esse oppositionem, idque constare ex communi Summulistarum consensu.

§. 3. Verùm fallitur Ouiedus. Nam potius communi Summulistarum consensu ab oppositarum classe Subalternæ reijciuntur; Etenim Petrus Hispanus Summularum Auctor Subalternas solum enumerauit inter propositiones vtroque termino, & ordine eodem participantes, non inter oppositas, seu pro oppositis. Do illius verba: *Propositionum* (inquit) *participantium vtroque termino, & ordine eodem aliæ sunt Contradictoriæ, aliæ Contrariæ, aliæ Subcontrariæ, aliæ sub alternæ.* Non dixit vt vides Propositionum oppositarū. Aristoteles autem, & Diuus Thomas, nec vel illas meminere. Vnde & præcipui & antiquiores Dialectici, & Summulistæ Subalternas propositiones non esse verè oppositas disertis docuerunt verbis, vt M. Sotus, M. Banes, P. Fonseca, Conimbricenses, Titelmanus, aliique: Ex modernis autem M. Zerna, PP. Complutenses M. Ioan. à S. Thoma, Rodriguezius, Hyeronimus de Valeta, Petrus Hurtadus, Rodericus de Arriaga, Ortizius, Dominicus Lynceus, Caberus, qui dicit, Diuum Thomam benignè interpretandum esse, cum 1. Perihermenias, lect. 11. docuit, *propositiones subalternas esse oppositas.*) Sed vero hæc Caberi benignitas ridenda quidem est, cum id Sanctus Doctor, nec somniauerit; Quinimo adhuc sub contrarias, (quod plus est) ibi negauit esse propriè oppositas, vt mox ostendam, nec de Subalternis vllum scripsit verbum: Vnde potius Caberus ipse benignè tolerandus, est, qui ex D. Thoma, nec viso, nec lecto falsum protulit testimonium.

§. 4. Exigitur autem ad rationem veræ Oppositionis *Primò* quod *participent vtroque extremo, eodemque ordine, idest habeant idem subiectum idemque prædicatum*; nam hæ propositiones *Homo est animal; Animal non est homo.* Licet participent vtroque extremo, non tamen eodem, sed diuerso, nempe inuerso ordine participant, proindeque oppositæ non sunt: non sat est, quod pro quolibet termino subrogetur Synonimum, vt *Tullius* pro *Marco.* sed petitur, vt sit identitas nnn solum in subiecto, sed etiam in modo illud concipiendi, & voce significandi: qua propter hæ propositiones *Tullius orat; Marcus non orat* non opponuntur formaliter spectato rigore Dialectico; tametsi dici possit, illas æquiualentes, seu physicè esse oppositas, idest secundum Physicorum considerationem, quorum non ita interest ista ad amussim explorare, vt rectè adnotauit M. Iauellus. Similiter *petitur identitas in copula principali.* Quod si varietur copula minus principalis, tolletur etiam oppositio, eo quod non datur identitas in vtroque extremo: quamobrem illæ non opponuntur: *Homo erit quod est: Homo non erit, quod fuit. Petrus, qui disputat, loquitur. Petrus, qui disputauit non loquitur.* Vtreque enim possunt esse veræ. In identitate Copulæ intelligitur etiam identitas modorum qualificantium ipsam, vt *Currit velociter: Agit necessario.* Vult liberè, &c.


§. 5. Exigitur secundo principaliter, *quod vna propositionum sit affirmans, & altera negans.* Tertio exigitur, *quod supra dicta extremorum identitas seruetur non solum in voce, sed etiam in significatione Termini, aliisque etiam proprietatibus eius logicalibus, scilicet Suppositione, Ampliatione, Restrictione, Appellatione, &c. eisdem circunstantijs loci, Temporis, & partis:* ita, vt si horum quidpiam reperiatur in vna propositione; & non in altera, omnino tollatur oppositio earum, quam ob rem hæ propositiones non sunt oppositæ. *Omnis Gallus est homo: Nullus Gallus est homo*, quia subiectum sumitur æquiuocè. *Omnis homo cucurrit: Nullus homo cucurrit*, quia prędicatum similiter est æquiuocum, si inalterutrà propositione sumatur pro *Cucurite*, id est pro Galli gallinacci cantū; æquiuoca enim non habent identitatem, nisi in voce. *Animal est genus, Animal non est genus*, quia non seruatur eadem suppositio, si *Animal* in vna supponat simpliciter, & in altera personaliter. *Petrus Magnus est Logicus: Petrus non est magnus Logicus*, quia variatur Appellatio. *Omnis equus Regis est albus: Aliquis equus non est albus*, quia deficit eadem Restrictio. *Æthyops est albus secundum dentes: Æthyops non est albus secundum pedes.* Quia mutatur ratio partis. *Plato disputat: Plato non disputauit.* quia mutatur Tempus. *Petrus legit Corki, Petrus non legit Limæ*, mutatur locus. Excipe tamen suppositionem, quę prouenit à signis afficientibus subiectum, vt *Omnis aliquis &c.* quæ immutari ritè possunt, vt infra docebimus.

THEOREMA II.

Quotuplex sit simplicium propositionum Oppositio?

§.6. IAm vero Oppositio est triplex, videlicet Contradictoria, & Subcontraria. Contradictoria est *Oppositio, quæ versatur inter propositionem vniuersalem, & particularem.* Vt *omnis homo est albus; aliquis homo non est albus; Vterque Equus currit: Alter equus non currit.* Cum autem dicimus, Oppositionem contradictoriam versari inter propositionem vniuersalem, & particularem, satis indicamus, nos loqui de propositionibus quæ exterminis communibus componuntur; Solus enim Terminus communis affici potest signis vniuersalibus, & particularibus, vt *omnis homo, aliquis Leo*, &c. quæ significant quantitatem propositionis. Aliæ vero propositiones singulares, quæ quantitate carent, sola qualitate affirmationis, & negationis opponuntur contradictoriè, vt *Socrates est albus. Socrates non est albus.* id quod Aristoteles non prætermisit. *Contradictiones igitur hæ* (inquit ille) *quæ vniuersalium vniuersaliter sunt, ita se habent, vt altera pars earum sit necessario vera, altera falsa: Eamdem conditionem, & in singularibus esse constat, vt Socrates est albus; Socrates non est albus.*

§.7. Contraria *est Oppositio, quæ versatur inter propositiones vniuersales.* Vt *Omnis homo est albus; Nullus homo est albus.* Subcontraria est Oppositio *quæ versatur inter particulares, vt aliquis homo est albus. Aliquis homo non est albus.* Subalternæ dicuntur *propositiones, quarum vna sub altera continetur tanquam particularis sub vniuersali; Affirmatiua scilicet sub affirmatiua, & Negatiua sub negatiua.* Vt *omnis homo est albus. Aliquis homo est albus, Nullus homo est albus: Aliquis homo non est albus.* Non sunt oppositæ, sed solum in quantitate inæquales, de quibus hoc loco egit Petrus Hispanus; eo quod Oppositis in hoc sunt similes, quod vtroque termino participant, atque eodem ordine, sicut illæ. Pro quorum maiori euidentia figurã paradigmatis nobis Proposuit oboculos, quã etnos demore exhibemus.



§.8. Lex, seu natura Contradictoriarum talis est, quod si vna est vera, altera est falsa, & è contra. In nulla materia possunt esse simul veræ, & simul falsæ: Nam si hæc est vera *Omnis homo est animal*: hæc est falsa *Quidam homo non est animal.*

§.9. Lex seu natura Contrariarum est, quod si vna est vera, altera est falsa: non tamen è contrà, quia possunt ambæ esse simul falsæ; non tamen simul veræ. Vt in materia Contingenti *Omnis homo est albus; Nullus homo est albus.* In naturali verò, vel remota semper vna est vera, & alia falsa. Vt *Omnis homo est animal. Nullus homo est animal. Omnis homo est lapis, Nullus homo est lapis.* Similiter etiam in materia Contingenti, quando est de accidente inseparabili, vt *Omnis Coruus est niger: Nullus Coruus est niger.* Sed si accidens est separabile ambæ possunt esse falsæ, vt dictum est.

§.10. Lex Subcontrariarum est, quod si vna est falsa, alia debet esse vera; non tamen è contra: quia possunt esse simul veræ; non tamen esse falsæ. Et hoc in materia Contingenti, vt dictum est in contrariarum lege. Vt *Homo disputat, Homo non disputat.* Hæc ex Petro Hispano.

§.11. Lex denique Subalternarum est, quod si Vniuersalis est vera, etiam particularis est vera, sed tamen non è contrà. Si vero particularis est falsa, etiam Vniuersalis est falsa. Vt *Aliquis homo est lapis: Omnis homo est lapis.* Et ratio est, quia ad veritatem Vniuersalis exigitur, quod omnes particulares sint veræ; Ad hoc verò vt Vniuersalis sit falsa, sat est, quod vna ex particularibus falsa sit.

§.12. Obijcies contra Definitionem Contradictoriarum: Quia accuratius definiri videntur ab alijs per esse, *Repugnantiam duarum propositionum, tàm in quantitate, quàm in qualitate.* Melius enim sic declaratur, quòd vna sit affirmans, & altera negans: Item quod vna sit vera, altera falsa quæ sunt qualitates propositionum; Ergo illas non rectè subticuimus in nostra definitione. Similiter contrariæ sic debuerant definiri; *Est repugnantia duarum propositionum in sola qualitate, & non in quantitate, &c.* ob eamdem rationem. Denique quia omisimus ly *eiusdem prædicati, & eiusdem subiecti*, quod alij etiam rectè addunt. Quinimmò Petrus Hispanus definiens Contradictorias docuit, eas esse, *Vniuersalem, affirmatiuam, & particularem negatiuam, & è contra.* Vbi apertè expressit qualitatem affirmationis, & negationis: Ergo & nos debuimus illas expressisse.

§.13. Respondeo, nihil nos reuerà omisisse eorum, quæ inobiectione notantur. Nam in illa voce *Oppositio,* quam pro genere statuimus in definitione Contradictoriæ, Contrariæ, &c. supponitur iam illas esse *affirmationem, & negationem eiusdem de eodem:* quæ est definitio Oppositionis in Communi. Quod si Petrus Hispanus singillatim expressit affirmationem, & negationem, ideo, & merito fecit, quia non definiuerat propositiones oppositas per genus *Oppositionis* sicuti nos. Sed Propositiones communicantes eodem subiecto, & prædicato immediatè diuisit in contradictorias, Contrarias, Subcontrariasque, quare & Subalternas comprehendit. Vnde & omnino debuit explicare contradictorias in ratione Oppo-

positarum per affirmationem, & negationem eiusdem de eodem, quas quidem non includunt propositiones communicantes eodem extremo, vt patet.

§. 14. Quæres, An Subcontrariæ sint propriè, & in rigore oppositæ? Affirmant Hurtadus, & Caramuel Log. Vocalis parte 2. artic. 34. negant Conimbricenses, & Fonseca. Horum fundamenta sunt. Primùm Quia Aristoteles nusquàm meminit huiusce Oppositionis. *Secundum* Quia non Opponuntur in veritate.

§. 15. Ad primum respondet Hurtadus, Aristotelem fuisse capacem obliuionis, aut ignorantiæ. Ad secundum sufficere, quod Subcontrariæ opponantur in altera specie qualitatis. Et hinc suam sententiam (quam dicit communiter docere Summulistas cum Petro Hispano) probat apriori. Quia opponuntur secundum qualitatem; Falsitas enim, quę vtrique repugnat tàm pertinet ad proprietatem propositionis, quam veritas: ergo sicut Contrariæ sunt oppositæ, quia vtrique veritas repugnat, ita Subcontrariæ opponuntur, quia vtrique veritas repugnat.

§. 16. Censeo, neutram Sententiam probari ab his Autoribus. Primò Conimbricenses, & Fonseca, qui dicunt, Aristotelem subcontrariarum oppositionem non meminisse, prorsus decepti sunt; Nam præterquam quòd ab autoritate negatiua nihil valet argumentum: Aristoteles illam meminit, docuitque apertè, non esse propriè oppositionem, vt mox dabo. Alterum fundamentum etiam est ruinosum: Nam ad Oppositionis essentiam formaliter exigitur, quod sit affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto: quod autem variata materia possint desinere, vel non desinere esse oppositæ, est proprietas secundaria earum, qualis est Hominis esse Philosophum, &c.

§. 17. Iam vero Hurtadus egregiè Aristotelem explicans non respondit ad rem, & mala consequentia: arguit depotentia remota ad actū: Aristoteles est capax ignorantiæ, ergo Subcontrarias ignorauit. Heu Manes stagiritæ! scilicet rem grandem Summulistarum ignorauit ille: Apage. Neutri ergo Autores Aristotelem recognouerant.

§. 18. Dico igitur cum Aristotele, & Diuo Thoma, Oppositionem Subcontrariam non propriè, sed apparenter dumtaxat, impropriè, & verbo tenus esse oppositionem. Ita Philosophus Secundi Priorum capite quintodecimo. *Dico autem* (inquit) *Oppositas esse propositiones Verbis quidem quatuor*, vt *Omni, & Nulli: Omni, & non omni: Alicui, & Nulli: Alicui, & Non alicui inesse. Re autem tres; nam Alicui, & non Alicui* (ecce Subcontrariæ) *Verbis solum opponuntur.* Hæc ille, quibus nihil clarius. Insuper Angelicus Magister primò perihermenias lect. vndecima *Particularis vero affirmatiua* (inquit) *& particularis negatiua non habent propriè loquendo oppositionem: Quia Oppositio attenditur circa idem subiectum: subiectum autem particularis enuntiationis est vniuersale particulariter sumptum; non pro aliquo determinato singulari, sed indeterminatè pro quocumque; & ideo cum de Vniuersali particulariter sumpto aliquid affirmatur, vel negatur, ipse modus enuntiandi non habet, quod affirmatio, & negatio sint de eodem, qdod requiritur ad Oppositionem affirmationis, & negationis.* Hæc Sanctus Doctor. Sanè res mihi clarior videtur, quam vt tantis indigeat Patronis. Nam dum dico *Aliquis homo currit*. Petro currente, & *Aliquis homo non currit*. Paulo sedente, prædicatum non affirmatur, & negatur de eodem, sed de duobus subiectis, nempe de Petro, & Paulo. Fundamentum Hurtadi supra manet iam dirutum §. 16. Caramuel nihil dicit responsione dignum.

THEOREMA III.

Obiectiones contra leges Oppositionis soluuntur.

§. 19. Contra legem Contradictoriarum, quæ lumine naturali euidens est, multa solent obijci Sophismata, quæ solutu quidem difficilia sunt: non nulla hic enodabimus, vt ex his faciliùs tyrones similia discant dissoluere. Obijcies primo: Hæ sunt Contradictoriæ, *Vterque homo currit. Alter homo non currit*; Sed casu, quo duo homines currant, & duo non currant, ambæ sunt veræ: ergo Contradictoriæ interdum sunt veræ.

§. 20. Nota vt res clarior fiat, hos terminos *Vterque*, & *Neuter* dicere Vniuersalitatem mixtam cum singularitate; dicunt enim communitatem quamdam respectu duorum, Hos autem *Alter*, & *Alter non* esse particulares, & subalternatos respectu illorum: & priorum distributionem explicat multis Ouiedus ex suo cerebro prout cogit necessitas, non ex solida rataque Dialecticorum doctrina Controu. 3. Puncto. 6. num. 11. Scias ergo, signa illa distributiua *Vterque*, & *Neuter* posse sumi completè, & incompletè. *Vterque* incompletè valet idem, ac *Aliquorum duorum quilibet.* Et vt verificetur propositio in qua ponitur, sat est, quod sint duo singularia. Ast *Vterque* completè sumptum valet, idem, ac *Quorumlibet duorum* *Nullus*: Completè verò *Nullus omnium duorum*, seu *cuiuslibet binarij nullus.* Iam verò *Alter* incompletè valet *Omnium duorum aliquis*: Completè autem *Aliquorum duorum aliquis*, seu *alicuius binarij quidam.* His prælibatis.

§. 21. Respondeo: quod si ambo signa accipiantur completè, prædictæ propositiones sunt Contradictoriæ: & tunc affirmans est falsa, negans autem vera. Quod si sumantur incompletè affirmans est vera, & negans est falsa. Rursus si in vna completè, & in altera incompletè, non erunt Contradictoriæ: Etenim si in Vniuersali sumatur signum completè, & in particulari incompletè, simul erunt falsæ, quià remanet eadem vniuersalitas, quod proprium est Contrariarum. Et si vice versa accipiatur in Vniuersali incompletè, & in particulari completè dabuntur simul verę, quia remanet eadem particularitas, quod proprium est Subcontrariarum.

§. 22. Secundò. *Omnes homines currunt, Aliqui homines non currunt* sunt Contradictoriæ: & tamen sunt ambæ falsę, casu, quo ex quatuor hominibus tres currant, & vnus non currat. Prima enim est falsa, quia vnus eorum non currit: altera

tera etiam est falsa, quia non dantur *aliqui homines* qui non currant: Ergo. Dices Huic propositioni *Omnes Homines currunt*, non opponi contradictorie illam. *Aliqui homines currunt*, sed hanc: *Non omnes homines currunt*. Sicut Huic, *Aliqui homines currunt*, non opponitur sic nisi hęc, *Non aliqui homines currunt*.

§.23. Sed contra arguit Ouiedus: *Non aliquis homo non currit*, ęquiualet huic *Omnis homo currit*: Ergò *Non aliqui homines non currunt* æquiualet huic *Omnes homines currunt*; Sed prior illa est Contradictoria huius *Aliqui homines non currunt*: Ergo & hæc posterior *Omnes homines currunt*.

§.24. Respondeo: Nego maiorem, idonea enim est data responsio. Ad Ouiedi instantiam nego consequentiam: Nam Omnis in singulari distribuit complete pro omnibus indiuiduis; ita vt nullum sit, dequo per ascensum dici non possit: *Hic homo currit*, & *ille currit*, & *ille*, & sic de cæteris: Vnde illi æquiualet *Non aliquis non*, idest: non est vllum particulare, quod non currat. At vero *Omnes* in plurali distribuit incomplete solum prohis, qui currunt, & illis, qui currunt, &c. Vnde *Omnes homines currunt*: & *Aliqui homines non currunt* potius sunt propositiones contrarię, ideoque ambę possunt esse falsæ, vt probat argumentum, quod vt soluat Ouiedus in eas se conijcit angustias, vt dicat, de vno homine tantum non currente posse dici verè *Aliqui homines non currunt*, quod quidem absurdum sit, nemo non videt. Igitur *Non aliquis non*, æquiualet *Omni*, quando afficit terminum communem, non quando singularem. Signum autem collectiuum æquiualet Singulari, vt *Populus*, *Omnia elementa*, *Omnes Apostoli*, *&c.* ratione collectionis applicatæ ad determinatam materiam.

§.25. Tertio: *Omnis hominis alter oculus est dexter*: *Alicuius hominis alter oculus non est dexter*: Videntur ambæ simul veræ. Sed Nego, eas esse Contradictorias: Quia ly *Alter*, quod est signum particulare in vna, debet mutari in vniuersale, inaltera. Sic: *Alicuius hominis neuter oculus est dexter*, & sic est falsa.

§.26. Quarto: *Omne animal fuit in arca Noë*: *Aliquod Animal non fuit in arca Noë*: Sunt verę: Primum asserunt Sacrę literę: altera est euidēs de Petro, qui non fuit in Arca. Nego eas esse Contradictorias: Quia ly *Omne* non distribuit complete pro omni indiuiduo, sed incomplete pro vno ex singulis speciebus animalium, quare vt sint Contradictorię; ly *Aliquid* debet etiam sumi incompletè, & solum negare, aliquod Animal ex singulis speciebus fuisse in Arca, quod est falsum: equidem ex specie Petri ibi fuit Noë ipse cum vxore &c.

§.27. Quinto: Suppono omnem Propositionem esse falsam. Tunc Si dicas; *Omnis propositio est falsa*: Aliqua *propositio non est falsa*, duas pronuntiabis contradictorias semel falsas: Prima enim Vniuersalis supponitur esse falsa; altera particularis eo ipso etiam est falsa, quia omnis propositio est falsa.

§.28. Nescio, cur nonnulli huius argumenti habeant rationem, quod omnino contemnendum puto. Nam qui supponit omnes propositiones esse falsas, supponit è vestigio nullam esse oppositionem inter veram, & falsam: Sicut qui supponit omnem hominem esse irrationalem, supponit subinde, nullam esse oppositionem inter rationale, & irrationale. Sunt, qui dicant, Suppositionem prædictam debere intelligi excepta illa propositione: *Omnis propositio est falsa*. Sed quid inde? Non certe vitatur absurdum admittendi Contradictorias simul falsas. (Vt bene obseruat Ouideus) quāuis enim illa sola euaderet vera, cæteræ omnes contradictoriæ, quæ propè infinitæ sunt, falsæ essent, vt *Omnis homo est animal*: *Aliquis homo non est animal*. *Plato disputat*: *Plato non disputat &c.*

§.29. Sexto: Huic propositioni *Petrus currit*, *& non currit*: nullam oppones Contradictoriam, nisi hanc *Petrus non currit*, *& currit*, & ambæ sunt falsæ; vel fateberis illam non habere contradictoriam: quia cursum, quem vna affirmat, & negat de Petro, similiter altera negat, & affirmat de eodem.

§.30. Aduerto, Coniunctiones etiam opponi: Vnde vocula *Et* est coniunctio vniuersalis, sicuti *Vel* est particularis. Prima significat Vnionem, & simultatem. Altera illam destruit, & negat. Vnde prædictæ propositioni has assigno contradictorias. Primo: *Non Petrus currit*; *& non currit*. Quia vt recte docent Summulistæ, optimus contradicendi modus est præponere negationem toti propositioni: Secundo hanc: *Petrus Non simul currit*; *& non currit*. Nam ly *Et* significat Petrum simul currere, & non currere. Tertio hanc: *Vel Petrus currit*, *vel non currit*. Hinc colliges huius propositionis *Limæ*, *& Potosii cuditur* Argentum Contradictoriam esse hanc: *Limæ*, *vel Potosii nullum cuditur* Argentum.

§.31. Exdictis colliges etiam, neque has esse Contradictorias: *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur*: *Aliquis homo non seruans aliquod mandatum Dei non saluabitur*: Sunt enim ambæ verę: Nam ly *Omne mandatum* non supponit distributiuè, & vniuersaliter, sed collectiuè; proindeque non debuit mutari in *Aliquod mandatum*, sed seruata eadem quantitate pręponi negatio: *Aliquis homo non seruans omne mandatum Dei non saluatur*. Sicut fit in singularium Oppositione. Huic etenim *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim* Non contradicit nisi hæc: *Non omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. non illa: *Aliqui Apostoli non sunt duodecim*, quæ est vera de Petro, & Paulo, quia vt diximus ly *omnes* non distribuitur per ascensum Copulatiuum: *Hic Apostolus est duodecim*. *Ille Apostolus est duodecim &c.*

§.32. Depropositionibus autem, quæ constant extremo complexo, ex recto, & Obliquo, siuè præcedat obliquum, vt *Hominis Equus*, siue sequatur, vt *Equus hominis* non nullæ sunt difficultates, quas lubens prætereo, & lectorem mitto non iam ad vetustiores Summulistas, vt fecit Lalemandetius; id enim esset hominum ingenia mactare, Sed (quod mitius est) ad M. Bañesium, qui illas accuratè versat lib. 4. tract. 1. cap. 3. Sed caue ne tibi caput vertigine rotetur.

§.33. Denique Propositiones, quas dicunt *se falsificantes*, siue etiam *Insolubiles*, quas Greci *Antistrephonta* appellant, lubentius missas facio,

vt

vt litem Protagoræ & Euadi, *Crocodyllum Viduæ*; *Ego semper mentior, &c.* quia inutiliter, & sine vllo fructu tractantur; nisi cum confusione humanæ ignorantiæ, quæ reuerà extricare non valet Contradictorias illas, quæ simul videntur veræ, & simul falsæ. de quibus videsis M. M. Sotum, Veracruzium in Summulis. Caramuelem Metalog. lib. 9. Disput. 3. Ricardum, Lynceum lib. 10. Tract. 2. cap. 4. Exantiquis Aulum Gellium lib. 5. cap. 10. & lib. 9. cap. 16. Apuleium Floridorum lib. 4. Tullium Academic. Quęst. libro 2. & libro de Fato sub initium, & alios. Scias tamen mi lector, neminem mortalium hactenus illas enodasse. Quod autem Arriaga, Alphonsus, & alij dicunt, illas non esse admittendas, nihil iuuat: Nam Sophista velis, nolis, te illas faciet; admittas; si semel non potes soluere, quomodo duæ contradictoriæ sint simul veræ, & falsæ. Subdit Alphonsus eas non esse admittendas, quia darentur duo Contradictoria simul vera: Sed hoc est petere principium, idque tute soluere teneris, idipsum enim est Aduersariorum argumentum, dari scilicet contradictoria simul vera, eademque simul falsa.

DISSERTATIO VIII.

De cæteris propositionis proprietatibus.

THEOREMA I.

De Æquipollentia Categoricarum propositionum.

§. 1. QVando duæ propositiones vtroque extremo communicantes reducuntur in eumdem sensum, & vim ratione antepositæ, vel postpositæ negationis, tunc dicuntur æquipollentes, seu æquipollentiam habere: pro qua tres regulas tradit Petrus Hispanus.

§. 2. Prima est. Si alicui signo vniuersali, vel particulari negatio præponatur æquipollet suo Contradictorio. Vt hæ æquipollent. *Non omnis homo disputat*, & *Quidam homo disputat*. Et hæ: *Omnis homo disputat, Non quidam homo non disputat*.

§. 3. Secunda: Si signo vniuersali postponatur negatio æquiualet suo contrario. *Omnis homo non disputat*, & *Nullus homo disputat*, æquiualent. Et istæ: *Omnis homo disputat*, & *Nullus homo non disputat*.

§. 4. Tertia: Si signo vniuersali, vel particulari præponatur, & postponatur negatio æquipollet suo subalterno. Vt in istis: *Non omnis homo non disputat*, & *Quidam homo disputat*. Et *Omnis homo disputat*, & *Non quidam homo non disputat*. Has regulas sequens versus explodit.

Præ-Contradic-Post contra- præ, postque Sub alter.

Præ Contradic - idest: præpone negationem Contradictorijs. *Post Contra* - Postpone Contrarijs. *Præ, postque, subalter* - Præpone, & postpone simul subalternis. Signa autem æquipollentiæ in hæc carmina redegit Hispanus, vt procliuius memorię mandentur.

Non omnis, Quidan non, *Omnis non* quasi Nullus.
Non nullus, Quidam, sed *Nullus non* valet Omnis.
Non aliquis Nullus, *Non quidam non* valet Omnis.
Non alter Neuter, *Neuter non* præstat Vterque.

THEOREMA II.

De Conuersione propositionum.

§. 5. COnuersio est *Transpositio subiecti in Prædicatum, & è contra*: Vt *Nullus Leo est homo, Nullus homo est Leo*, est valde necessaria ad reducendos syllogismos imperfectos ad figuras perfectas: quamobrem tertiam speciem Conuersionis, quam Summulistæ vocant *Per contrapositionem*, sciens, prudens, que prætermitto, quia est prorsus inutilis ad eius modi reductionem, neque vera Conuersio est, sed omnimoda mutatio terminorum finitorum in infinitos: vt sunt hi. *Non animal est non homo. Non currens est non Petrus &c.*

§. 6. Est igitur duplex: scilicet *simplex*, & *per accidens*. Simplex Conuersio est *quando fit de subiecto prædicatum, & de prædicato subiectum manente eamdem quantitate, & qualitate*. Et sic vniuersalis negatiua in se ipsam conuertitur, & particularis affirmatiua similiter. Vt *Nullus homo est lapis*: Nullus *lapis est homo*. *Quiddam homo est animal*: *Quoddam animal est homo*.

§. 7. Conuersio *per accidens* est *facere de subiecto prædicatum, & de prædicato subiectum manente eadem qualitate: sed mutata quantitate*: Et sic conuertitur Vniuersalis affirmatiua in particularem, vt *Omnis homo est animal*: ergo *Quoddam animal est homo*. Et Vniuersalis negatiua in particularem negatiuam. Vt *Nullus homo est lapis*: Ergo *quiddam lapis non est homo*. Significantur Conuersiones hoc disticon.

Simpliciter FECI, Conuertitur EVA per Acci.
ASTO per Contra, sic fit Conuersio tota.

Dele, vel ne cures secundum Carmen: & vt primum intelligas obserua sequentes Versus.

Asserit A: *negat* E: *Vniuersaliter ambæ*:
Asserit I: *negat* O: *Particulariter ambæ*.

Id est Vniuersalis affirmatiua significatur per A. Vniuersalis negatiua per E. Particularis affirmatiua per I, & negatiua per O. Hinc callebis, quid velint illæ voculæ *Feci*, & *Eua*; denotant enim quod vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua conuertuntur simpliciter. *Simpliciter Feci*, idest propositiones significatæ per E, & I. Simpliciter conuertuntur. Ambæ autem Vniuersales significatæ per E, & A. Vt in *Eua*. Conuertuntur per accidens.

§. 8. Oportet etiam vt sit legitima Conuersio. Seruari proprietates omnes terminorum, (dempta dumtaxat suppositione, quæ sumitur a signis Vniuersalibus, & particularibus, vt etiam monuimus dum de Oppositione agebamus) Etenim (vt bene notarunt Complutenses) defectu Ampliationis non valet hæc: *Senex fuit puer: ergo Puer fuit Senex, &c.*

§. 9. D. Caramuel Metalog. lib. 7. Disput. 4. inutiliter quærit: Quisnam fuerit Author illorum Carminum, *Simpliciter feci &c*? Et affert Sten-

Stengelium, qui ait, inuenta fuisse à Fonseca Viro ingenioso, & erudito. Ast vterque fallitur, neuterque viderat M. Petrum Hispanum, qui Fonsecam tercentis, & quadraginta septem annis præcessit (vt constat ex Bibliotheca Antonij Senensis) quippe qui Summularum inuentor fuit, apud quem eos legas versiculos cum sequentibus. *Asserit A. &c.* Cap. 11. *de Conuersione Propositionum*.

DISSERTATIO IX.

De propositione Modali.

§. 1. EXplicatis natura, & proprietatibus propositionis simplicis, & absolutæ, nunc de propositione Modali agendum nobis est, quæ sic dicitur, quia nonnullis afficitur modis specialem difficultatem facessentibus, non quidem contemnendas, vt perperam putauit Arriaga: Nam si cognitio Modalium necessaria non est; hoc ipsum probare non valebit, qui illas ignorauerit. Etenim (vt bene notat Caramuel) hæc ipsa propositio *Modale necessariæ non sunt*, est modalis, & impugnari non pôtest sine Modalium exacta cognitione. Profectò res perplexa est hæc, & non satis expedita, vt fassus est Spinula, proindeque attentè tractanda: Quoniam, *nunquam veteres illi Philosophi* (ait optimè Titelmanus) *ingenio acerrimo prediti tantam rebus istis peruestigandis, & tractandis impendissent operam, si vel nihil, vel minimum Vtilitatis existimassent in eis contineri*: Accedit Cardinalis Toletus: Et hæc *nulla ratione* (inquit) *sunt paruipendenda, cum horum Modorum cognitio non mediocrem ad rerum naturas cognoscendas vsum exhibeat*. Nos non omnia excutiemus: *Non omnia possumus omnes*, sed quæ tyronum alioqui captui procliuiora videbuntur. Ast quoniam Caramuel gestit, vt solet, Cornici oculos configent (vt in prouerbio est) contra ipsum nonnulla dabimus parerga pro Aristotelis, & D. Thomæ defensione, quæ si volent tyrones poterunt impune præterire.

THEOREMA I.

Quid sit propositio Modalis, & quotuplex?

§. 2. MOdus (definitore Petro Hispano) *est adiacens rei determinatio* M. Banesius, quia putat, hanc definitionem ad physicum Modum esse accomodatiorem: sic Dialecticum descibit: Est *Dictio modificans vnionem prædicati cum subiecto*. Vnde non est Sermo de modis determinantibus subiectum per nomen adiectiuum, vt *Homo albus currit*, neque de afficientibus prædicatum, vel significationem verbi per aduerbium. Vt *Petrus currit velociter*, vel *disputat eruditè* &c. qui propè infiniti sunt, sed de modis determinantibus conuenientiam prædicati cum subiecto afficiendo ipsam Copulam, qui sex communiter numerantur: scilicet. *Verum, Falsum, Necessarium, Impossibile, & Contigens*: quorum *Verum*, & *Falsum* nihil addunt supra significationem absolutarum, seu de *inesse* vt dicunt: *Idē enim significatur* (ait Summula Dialecticæ D. Ioan. de Espinosa. Angelicus Doctor Opusc. 40.) *cum dicitur Sortes non currit, & Sortem currere est falsum. Et Sortes currit, & Sortem currere est verum, quod non contingit de alijs quatuor modis, quia non idem significatur, cum dicitur Sortes currit, & Sortem currere est possibile*. Hæc ille. Propositio igitur Modalis non solum indicat prædicatum conuenire subiecto, sed & modum exprimit, quo conueniat: quamobrem solum de illis quatuor, cum Petro Hispano agendum est; reliquis communiter prætermissis.

§. 3. Sumitur in præsenti ly *Contingens* non pro eo, quod potest esse, & abesse accidentaliter, vt seriò docuerunt hoc loco Aristoteles, D. Thomas, & omnes, sed pro eodem, ac *Possibili*, scilicet, *pro eo, quod non repugnat esse*, abstrahendo à defectibilitate, vnde idem sonat. *Contingens*, ac *possibile*, nisi quod contingens videtur addere actum. siue exercitium non repugnantiæ. (Vt in Parergo liquebit) Propositio ergo Modalis, *est quæ aliquo ex prædictis modis afficitur*: ita, quod *dictum seu Oratio verbi infiniti sit subiectum, & modus ipse sit prædicatum*; vt *Petrum disputare est possibile, Hominem esse animal est necesse, &c.* Et hoc quidem fit, quando Modus sumitur nominaliter, vt *Possibile necessarium*, &c. Nam quando sumitur (potest enim, soletque) aduerbialiter, non est prædicatum, sed affectio copulæ, seu syncathegorema prædicati, vt si dicas: *Petrus necessariò disputat*: *Petrus contingenter currit*. Et huius modi propositiones ad absolutas, seu *de inesse* reducuntur. Vnde

§. 4. Diuiditur Propositio Modalis in Compositam, & Diuisam. Composita est, *in qua Modus se habet, vt prædicatum integrum, & Dictum vt subiectum*: vt in hac: *Sedentem scriberē est possibile*. Diuisa est *in qua Modus aduerbialiter sumitur*: Vt si dicas: *Sedens possibiliter scribit*. Hinc orta est diuisio propositionis Modalis in sensu composito, & in sensu diuiso. Tunc facit propositio sensum Compositum, *quando Modus significat, quod prædicatum dicti appellat formaliter supra significatum formale subiecti*: *Frigidum esse calidum est possibile*. Si modus significat frigiditatem connecti formaliter cum calore simul, eodemque tempore, Sensum facit Compositum, idest componit formas terminorum sui dicti, & in hoc Sensu propositiones huiusmodi passim sunt falsæ. Si vero solum significet quod calor potest esse in frigido materialiter sumpto, seu quod subiectum, quod tunc est frigidum, diuerso tamen tempore calidum erit, facit Sensum diuisum.

§. 5. Et hoc valde notandum est in Dictis, quæ confundunt actum cum potentia: Nam cum dicis: *Sedentem stare est possibile* Sensus Compositus *coniungit actum sedendi cum actu standi*; ita vt quis simul sedens stet, quod falsum est, & impossibile. Sensus autem diuisus adhuc dupliciter fieri potest: *Vel coniungendo potentiam sedendi cum potentia standi*: & vtroque modo verum est, *Sedentem posse stare*, non enim opus est remouere potentiam à subiecto, quando importantur formæ oppositæ; suppolita enim, & commota potentia sedendi *Sedens potest stare*: idest statio non excludit potentiam sedendi. Hinc est quod apud Theologos hæc propositio Thomistica *Voluntas efficaciter mota potest non operari in Sensu diuiso* non

 signi-

significat; exigi diuisionem motionis efficacis, seu quod remoueatur motio efficax ad hoc, vt voluntas non operetur: sed quod stante motione, remanet adhuc potentia ad non operandum; tametsi non sit potentia ad simul coniungendum actus oppositos motionis, & non operationis.

§. 6. Quod si petas: Quodnam signum distinguat Modalem in sensu Composito ab ipsa in Sensu diuiso? Respondeo in Diuisa interponi Modum inter subiectum, & verbum; Vt *Sedentem possibile est currere, Petrus contingenter currit, &c.* At in Composita *Dictum Subijcitur, & Modus prædicatur sine illa interpositione, vt sedentem currere est possibile.* Quam obseruationem non solùm nostræ Scholæ homines, sed etiam extranei probauere Doctores, vt Titelmanus, Rodriguezius, & alij: quæ dixerim contra Poncium, qui Complutenses ob illam cauillat. Fatebor tamen, quòd in publica disputatione, quia cum pluribus loquendum est, procliuius erit distinguere æquiuocationem sensus, quomodolibet Modalis proferatur; omninò autem aduertendum est, à Modali diuisa ad Compositam, non valere consequentiam, sicut nec à sensu diuiso ad compositum: esset enim arguere à potentia ad actum, quo nihil ineptius.

PARERGON I.

§. 7. D. Ioannes Caramuel Logicæ Vocalis parte 2. artic. 37. Peripateticos sugillat, quòd nihil verum putent, nisi quòd ab Aristotele assertum sit. quem tamen diminutum censet in recensendis quatuor dumtaxat modis, *Necessè, Contingens, Possibile, & Impossibile.* At ille alios multos se dicit inuenisse, & dilucidasse, vt *Fallibile, Infallibile, Fide Diuina tenendum, Censura dignum, Temerarium, Proximum hæresi, Probabile, Improbabile, &c.* quos ad viginti quatuor perducit, de quibus latiùs agit in Hercule Logico.

§. 8. Verùm enim verò Aristoteles modos enumerat, sumitque ex intrinseca determinatione copulæ, & ratione materiæ necessariæ, possibilis, & contingentis; non eos accepit, nec debuit, ab extrinseco actu assentiendi nostri intellectus, qui est multiplex, & ab eo possent multò plures accipi Modi; non tamen tales, qui propositiones efficiant Modales, quarum *Æquipollentia, Oppositio, & Conuersio*, aliam, & specialem difficultatem habeant: sed quales sunt vulgares, & absolutæ *de inesse*. Sic *Verum, & Falsum* ad quæ reducuntur *Probabile, Improbabile, Erroneum, &c.* Modales efficiunt impropriè, & abusiuè dictas, eo quod nihil differant ab absolutis, vt sæculo ante Caramuelem notauerat M. Veracruzius. Porrò si earum esset habenda ratio, potiùs Caramuel dicendus est diminutè se gessisse; multò enim plures ei adnumerabo modales: vt *Deum fieri hominem est incomprehensibile. Hominem volare est imaginabile. Contradictorias esse veras est in intelligibile, &c.* Rursus ex naturali assensu diuersarum scientiarum ferè innumeræ colligi possunt: vt *Hominem esse speciem est Dialecticum. Animal esse organicum est physicum, Petrum esse personam est Metaphysicum, Paulum esse prædestinatum est Theologicum, &c.* In summa, non sunt, neque possunt plures modi, quam Aristotelici, qui Modales constituant à propositionibus *de inesse* diuersas in æquipollentia, conuersione, &c. nec Caramuel contrarium ostendit, nec ostendere poterit.

PARERGON II.

§. 9. Modales omnes tollere. & ad simplices reducere dicit Caramuel se facilè posse, si mentis oculos aperire velimus. Nam hæc Modalis *Necessarium est hominem esse animal,* æquiualet huic: *Homo debet esse animal.* Hæc: *Impossibile est Equum esse lapidem.* Huic *Equus non potest esse lapis.* Hæc; *Possibile est hominem esse viridem* Huic: *Homo potest esse viridis.* & tandem hæc; *Possibile est hominem non esse bipidem.* Huic: *Homo non potest esse bipes.* Nihil clarius, nec faciliùs. Vndè gloriatur ille, Crucem quam Aristoteles magnis ingenijs erexerat, se sustulisse; proindèque Peripateticis omnibus hos accinit versiculos.

Stagirita Crucem hìc, vbi declarare Modales
Cœperat, ingenijs fixit Aristoteles:
Illas ad reliquas summa breuitate reduco,
Antiquamque breui tempore tollo Crucem.

§. 10. Nos equidem grates Caramueli ageremus meritò, si Crucem verè sustulisset, sed illam tollere nec debet, nec potest; quòd seriò ostendere, nunc non vacat breuem Summulam concinnanti: Ast quale discrimen erit rogo inter hanc propositionem *Homo debet esse animal*, quæ est necessaria, & hanc *Homo debet esse prudens, esse gratus &c.* quæ est contingens? illas prorsùs confundit. Et hæc *Homo potest esse viridis*, quàm ponit pro *contingente*, confunditur cum hac necessaria; *Homo potest esse animal.* Hæc *Equs non potest esse lapis* impossibilis confunditur cum hac, *Equs non potest currere,* quæ de Equo claudicante enuntiatur contingenter. Et hæc quidem Caramueli difficiliora sunt, quippè, qui mordicùs negat, *Contingens* æquipollere *Necessario*, cum sit prorsùs accidentale: atque errare quotquot omnes *contingens* pro *Possibili*, vel necessariò vsurparunt, vt infra ostendam. Non ergo Modales tam facilè, tam clarè cum simplicibus ab illo assignatis recurrunt. Quinimmo in nonnullis materijs, ita opus erit interdum propositione Modali, vt sine illa omninò sit aberrandum. Rei testem aduoco Caramuelem ipsum, qui alicubi hostilibus pressus argumentis, non nisi ad Modales, tanquam ad murum aëneum confugit.

§. 11. Sententiam affirmantem, omnia peccata contra naturam esse eiusdem speciei defendebat Caramuel; Impugnabat illum, & expugnabat validè Angelus Bossius Bernabita: Et cùm argumenta concluderent, ea non esse eiusdem speciei, non potuit Caramuel tela aliter eludere, nisi dicens, se non affirmasse istam propositionem simplicem: *Peccata contra naturam sunt eiusdem speciei.* Sed hanc Modalem: *Probabile est Peccata contra naturam esse eiusdem speciei.* quæ longè diuersa est; primam verò se nec somniauisse.

Addit

Addit insuper, quòd nisi Bossij argumenta inferant pro conclusione eiusmodi Modalem, nihil concludere contra suam positionem. Sic ille in Theologia Fundamentali Fundamento 57. & etiam in Epistola 1. ad Angelum Bossium, ibi: *Sed quid indè* (inquit) *contra doctrinam Caramuelis, qui hoc ipsissimum statuit, cum pronuntiat Modalem hanc*: Probabile est eiusmodi peccata non distingui specie *esse euidenter veram*: *Quod si tu positionem de inesse cum Modali, diuersa toto cælo, confundas, tibi imputes: qui enim Theologiam profiteris, exactè sentire, & loqui debes*. Hæc ille. Ex quibus has consequentias contra Caramuelem infero, & quidem liquidas: Ergo si tua conclusio non esset Modalis, de te triumphasset Bossius. Ergo *qui Theologiam profitetur* non debet *positionem de inesse cum Modali confundere*, & qui confundit, *non sentit, nec loquitur exactè*. Ergo Modales omnes in simplices redigere, nec vtile, nec facilè est. Patet etiam hæc vltima illatio ex prædictis.

§. 12. Quòd si Modalis, ita facilè recurrit cum simplici propositione *de inesse*: quomodò dicis, eas *toto cælo esse diuersas*? aut quo pacto res *toto cælo* distantes, nullo negotio dicis te in idem reducere: Sed agedum, reduc quæso Modalem illam, quam asseruisti: *Probabile est Peccata contra naturam non distingui specie*. Certè illam non aliter pronuntiabis *de inesse*, quam sic: *Peccata contra naturam non distinguuntur specie*. Et habebit intentum Bossius, propositionem, quæ asseres, ab Ecclesia iam damnatam; proindèque improbabilem. Non igitur deserenda Modalis est, nec Crux tollenda, quidquid iactes versiculis: equidem pro carmine Carmen reponemus.

Desine Caramuel priscum vexare Modorum
Schema, quod ingenijs asseris esse Crucem,
Quam si sustuleris, perdet te Bossius: Ergo
Stare, Crucem tolera, qua est tibi parta salus.

THEOREMA II.

Quantitas, Qualitas, & Oppositio Modalium explicantur.

§. 13. QVantitas, & Qualitas Modalium sumitur ex Modo, non ex dicto propositionum: *Sciendum est autem* (inquit D. Thomas opusc. 40.) *quod omnes modales de dicto sunt singulares, eo quod modus prædicatur de hoc, vel illo sicut de quodam singulari*. Absolutè ergo propositio dicitur vniuersalis, vel particularis; ex eo quod modus sit vniuersalis, vel particularis: sed quia dictum solet esse vniuersale, & modus particularis, vt in hac: *Omnem hominem esse album est possibile*. Solet dici vniuersalis *de Dicto*, sed particularis *de Modo*. Modi vniuersales sunt *Necesse*, & *Impossibile*. Primus est affirmatiuus, vt *Omnis*. Alter negatiuus, vt *Nullus*. Particulares sunt *Possibile*, & *Contingens* (vtrumque enim pro eodem vsurpat Aristoteles) & est affirmatiuus, vt *Aliquis*: Et *posibile non*, siue *Contingens non*, qui est negatiuus, vt *Aliquis non*.

§. 14. Circa veritatem, aut falsitatem. Omnes Modales veræ, sunt necessariæ; & omnes falsæ sunt imposibiles, nullæ sunt contingentes; quamuis enim aliqua dicta sint contingentia; Modales tamen ipsæ, si veræ sunt necessariæ sunt, & si falsæ, imposibiles. Vndè hæc *Equum currere est contingens* est necessaria, quia ita est, nec aliter esse potest, quin sit contingens, Equum currere. similiter hæc *Equm currere est impossibile* prorsùs est etiam impossibilis. Igitur propositio potest esse necessaria de dicto, & non esse necessaria de modo, quia potest esse contingens de modo.

§. 15. Haud secùs affirmatio, & negatio, etiam ex modis petenda est. Propositio enim Modalis dicitur absolutè affirmatiua, vel negatiua secundum affirmationem, vel negationem Modi, & non dicti: Vndè hæc *Sortem non currere est possibile* est affirmatiua; hæc verò *Sortem currere non est possibile*, est negatiua.

§. 16. Oppositio autem proportionaliter fit sicut in simplicibus. Nam quemadmodum *Omnis*, & *Nullus*, faciunt propositiones opponi contrarias: ita *Necesse*, & *Impossibile*, qui modi sunt vniuersales, oppositionem constituunt contrariam. Vndè hæ: *Necesse est hominem esse album*. *Impossibile est hominem esse album* opponuntur contrariè. Et sicut *Omnis*, & *Aliquis non*, opponuntur contradictoriè, ita & *Necesse*, & *Possibile non*: similiterque *Impossibile*, & *Possibile*, contradictoriè opponuntur: v.g. *Necesse est hominem esse album*, *Possibile est hominem non esse album*. Hæ verò, *Possibile est hominem esse album*, *Possibile est hominem non esse album*, sunt subcontrariæ: Hæ tandem *Necesse est hominem esse album*, & *Possibile est hominem esse album* sunt subalternæ.

§. 17. Propositiones ita oppositæ redduntur æquipollentes, etiam ratione præpositæ, vel postpositæ negationis, vt supra pro simplicium æquipollentia tradidimus in eo versiculo; *Præ-Contradic Post Contra, Præ, postque Subalter*. Vndè *Necesse*, & *Possibile non*, qui sunt modi contradictorij: si alterutri præponas negationem, fient æquipollentes, vt sunt hæ *Non necesse est Petrum disputare, Possibile est Petrum non disputare*. Et sic de cæteris. Sed ne tyrones ambigant, quando antecedat, aut quando sequatur negatio? aduertunt Complutenses, in propositione Modali, tunc præponi negationem, quando *modus* negatur; tunc verò postponi, quando negatur *dictum*: Tunc denique præponi simul, & postponi, quando negatur vtrumque.

§. 19. Iam verò vnusquisque ex quatuor modis iam recensitis, facit quatuor quoque propositiones Modales formarum dissimilium, quarum *Prima* est in qua, neque modus, neque dictum negatur: vt *Petrum disputare est possibile*, *Petrum disputare est necesse*, *&c.* *Secunda*, in qua dictum negatur, & non modus: vt *Petrum non disputare est possibile*. Tertia in qua dictum affirmatur, sed modus negatur: vt *Petrum disputare non est possibile*. Quarta, in qua tam dictum, quam modus negatur, vt *Petrum non disputare non est possibile*. Vt autem omnia hæc melius memoria retineantur, inuenere Veteres Dialectici, quatuor voces quadrisyllabas: scilicet: PVRPVREA, ILIACE, AMABIMVS, & EDENTVLI: in quibus quatuor reperies vocales A.E.I.V. Harum A, significat Modalem affirmantem tam dictum, quam

modum. V autem, è regione significat Modalem negantem tam dictum, quam modum. E, denotat negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. I tandem, affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, quæ omnia perstringit versiculus ille apud Hispanum.


E dictum negat, I que modum; nihil A, sed V, totum.

Eodem pollet sensu Distichon apud Diuum Thomam, licèt non ita breui periodo.

Destruit V totum; sed A confirmat vtrumque,
Destruit E dictum, destruit I que modum.

§. 19. Quælibet ex dictis vocibus significat quaternarium propositionum Modalium, inter quas primum locum obtinet, *Possibile*, Secundum *Contingens*. Tertium *Impossibile*, Quartum *Necessè*, licèt enim Aristoteles primo loco posuerit Necessè, tamen prædictum Petri Hispani ordinem, communiter vt commodiorem sequuntur Dialectici. Vndè prima Vocalis huius vocis *Purpurea* v.g. cum sit V, indicat propositionem de Possibili negantem simul dictum, & modum: vt *Petrum non disputare non est possibile*. Secunda cum similiter sit V, indicat etiam negantem dictum, & modum de contingente: vt *Petrum non disputare non est contingens*. Tertia, quæ est E, denotat negatiuam dicti, & affirmatiuam modi de *Impossibili*, vt *Petrum non disputare est impossibile*. Quarta denique est A, indicat què Modalem affirmantem tam dictum, quam modum de *Necessè*, vt *Petrum disputare est necessè*. Et sic proportionaliter discurres in *Iliace*, & cæteris vocibus, quas vulgus Rotulos vocat.

§. 20. Cæterùm hæ quatuor voces, quæ vt dixi, quaternarium propositionum Modalium significat, ita disponuntur in quatuor angulis quadratis, vt superiori loco statuantur *Purpurea*, & *Iliace*, atque in imò *Amabimus*, & *Edentuli*; quodlibet autem quadratum continet quatuor propositiones æquipollentes interse; ac proindè si cuilibet earum, aliqua ex aliis quadratis opponatur contrariè, similiter opponetur omnibus contrariè; si contradictoriè, vel sub contrariè similiter aduersabitur omnibus sub eodem quadrato contentis. Vndè *Purpurea*, & *Iliace*, opponuntur contrariè: *Amabimus*, & *Edentuli*, sub contrariè. Rursus *Purpurea*, & *Edentuli*, repugnant contradictoriè. Denique *Purpurea*, & *Amabimus*, erunt Subalternæ, sicuti *Iliace*, & *Edentuli*, quæ omnia pro faciliore tyronum captu sequenti schemate oculis subiecit Hispanus.



§. 21. Iam verò notandum est, quòd adhoc, vt propositiones de *Necessè*, & *Possibili*, quando sunt de dicto vniuersali, sint contradictoriæ, oportet quòd dictum non sumatur vniuersaliter in vtràque, neque item particulariter, sed vniuersaliter in vna, & particulariter inaltera. Vndè hæc *Omne animal esse hominem est necessè* in *Purpurea*, habebit pro contradictoria in *Edentuli* hanc: *Aliquod Animal non esse hominem est possibile*. Similiter in *Iliace* hæc: *Omne animal non esse hominem est necessè*, contradicet in *Amabimus* huic: *Aliquod animal esse hominem est possibile*. Etenim si dictum in vtràque sumatur vniuersaliter, ambæ erunt falsæ, etsi particulariter ambæ erunt veræ: v.g

Omne animal esse hominem est possibile: Omne animal non esse hominem est necessè, sunt simul falsæ: etiam si statuantur in *Iliace*, & *Amabimus*, quæ sunt contradictoriæ: Hæ verò *Aliquod animal* non esse *hominem est possibile*, & *Aliquod animal esse hominem est necessè* sunt simul veræ; tametsi ponantur in *Purpurea*, & *Edentuli*, quæ similiter sunt contradictoriæ. Mutanda est igitur illarum quantitas, tùm vt ritè sibi contradicant. Tùm etiam vt æquipolleant cęteris propositionibus in eodem quadrato Secum comprehensis. Modalium oppositiones etiam subeunt leges absolutarum, scilicet, Quòd contradictorię nullatenùs possint esse veræ simul, nec falsæ. Contrariæ possint simul esse falsæ, &c.

§. 22. Obijcies contra prædictum schema propositionum. Hæ propositiones *Petrum disputare est possibile, Petrum non disputare est necessè*, non sunt contradictoriæ; & tamen prima, est prima de *Amabimus*, & altera est vltima de *Iliace*: Ergo propositiones dispositę exaduerso angulo contradictoriæ non sunt. Patet: Quia non participant eisdem extremis, Nam in vna subiectum est *Petrum disputare*, & in altera *Petrum non disputare*. Item prædicatum in vna est *Possibile*, & in altera *Necessè*. Tum etiam quia vtraque propositio est affirmatiua; ergo prædictæ propositiones non sunt contradictoriæ.

§. 23. Respondeo, eas quidem esse contradictorias, eo quod æquiualeant contradictorijs veris, & formalibus, quæ vtroque extremo participant, & quarum vna protsùs negat, quod altera affirmat, his videlicet Modalibus diuisis: *Petrus possibiliter disputat: Petrus necessariò non disputat*. Quòd sat est, vt etiam illæ eodem sensu pollentes, sint contradictoriæ de modo enuntiandi. Alij fortassis meliùs respondebunt. Nos Veracruzio, & alijs antiquorum subscribimus.

§. 24. De Modalibus diuisis nihil suppetit aduertendum, nisi quòd ad earum oppositionem contradictoriam mutetur quantitas Modorum, si illæ sint de subiecto singulari: idest vt alter sit vniuersalis, & alter particularis, vt *Petrus necessariò disputat, Petrus possibiliter non disputat*. Si verò sint de subiecto communi, mutanda erit etiam quantitas dicti. Vndè hæc *Omnis Homo necessariò disputat*, pro contradictoria habebit hanc: *Aliquis homo possibiliter non disputat*. Cætera autem ad normam propositionum absolutarum elimanda sunt.

PARERGON I.
De Contingente.

§. 25. HErculem Logicum scripsit Caramuel tribus gloriosum laboribus. Primus tollit omnem negationem propositionis, Secundus ostendit, hoc syncategorema *Non omnis*, non significare *Aliquis non*. Tertius expungit ex Modalibus vltimum modum *Contingens*, cuius notionem dicit; Veteres omnes cum Aristotele ignorasse. Mitto duos priores (de quibus sermo nonnullus alibi forsan erit) Tertium laborem nunc inanem, inutilem, Musisque iratis tentatum ostendere nostri fuerit instituti.

§. 26. Iuniores (inquit ille) *quia malunt veteribus credere, quam res examinare* tenent has propositiones esse æquipollentes: *Petrum studere est possibile, Petrum studere est contingens*. Sed verò contingens est, *quòd potest esse, & non esse*. Hanc vocis acceptionem *in verò rerum vsu, & autoritate fundatam, probari potest, oculos ad Cælum erigendo, & quærendo, an non sint blasphemæ istæ propositiones.*

Existentia Dei est contingens.

Deum dicere veritatem est contingens

A Patre procedere Verbum est contingens, &c.

Subdit infra: *Quæro quid dicendum de ista propositione?* Contingens est hominem esse album? *Quid de ista?* Contingens est hominem non esse album? an sint affirmatiuæ? an negatiuæ? *Et respondeo* (inquit) *esse æquipollentes*. Et quia responsum præsto esse suboluit, hæc infra Articulo 1. subtexuit. (*Scio Iuniores*, aliquos, Veterum errorem obseruasse, & dixisse *Contingens* sumi dupliciter: largè & strictè; primò modo æquipollere *Possibili*, & secundò inuoluere esse, & non esse, & hoc sensu non pertinere ad Modales propositiones, quas exponimus. Et vtrumque est absolutè falsum. *Nam si contingens, aliquo vero, & accepto à viris doctis sensu, idem est, ac possibile, eodem contingens erit, dari Deum. Et quis hoc asserat?* Sanè Deus necessarius est, &c.) Hactenus ille. Rursus artic. 2. Paulum Vallium adducit aientem, contingens primò modo acceptum, confundi cum possibili: *Vndè etiam necessaria dicuntur contingentia, & dicimus* (inquit) *Hominem esse animal est contingens.* interpellat Caramuel: *Sed quis sic vnquam fuit loquutus præter Vallium?*

§. 27. Vt ab hoc Vltimo incipiam: Dico, Aristotelem lib. 1. Priorum cap. 3. apertè docuisse, hanc vocem, *Contingens*, multiplicem habere significationem & *Necessarium*, *Possibile*, & non necessarium æquè dici Contingens hic, vbi Philosophus de modalibus agit. Audi. *At in contingentibus* (inquit) *cùm multipliciter dicatur contingere; Necessarium enim, & non necessarium, & possibile contingere dicimus.* Sumitur enim quoad pręsens Modalium institutum pro eo quòd actu fit seu quòd reuerà contingit, vt non obscurè indicauit ipse Philosophus in fine dicti capitis; contingit enim (inquiens) *per indè disponitur, atque ipsum est*; qua in acceptione omninò præciditur à defectibilitate, seu contingentia indiferente ad esse, & non esse; Cuius naturam, tametsi hoc capite memorauit ille, tamen explicare distulit vsque ad caput duodecimum, ibi: *De contingenti verò* (inquit) *post hæc dicamus quando, & quo modo, & per quæ erit Syllogismus: Dico autem contingere, & contingens, quod cum non sit necessarium, si tamen ponatur inesse; nihil erit propter hoc impossibile: Namque, Necessarium æquiuoce contingere dicimus.* quid clariùs? Aristotelem sequutus D. Thomas. Sciendum (inquit agens de Modalibus vbi supra) *quod Possibile, & Contingens idem significant; vndè propositiones de possibili, & contingenti similiter ordinatæ æquipollent.* Similiter Summularum Autor Petrus Hispanus hoc capite decimo. *In prædictis regulis* (inquit) *non fit mentio de Contingenti, quia conuertitur cum possibili.* Non eget testibus Caramuel, fatetur enim, hunc fuisse ve-

terum

terum errorem, illisque Iuniores adhæsisse: & sanè multi sunt. D. Thomas, Sotus, Titelmanus, Toletus, Conimbricenses, Veracruzius, Bañes, Masius, Fonseca, Rodriguezius, Murcia, Zerna, Complutenses, M. Ioannes à S. Thoma, & alij plurimi, quos omnes falsum absolute docere pronuntiat, idque hoc vnicó probat argumento. *Quia si aliquo verò sensu à viris doctis accepto, contingens idem esset, ac posibile: Deum dari esset contingens; sed quis hoc asserat?*

§. 28. Respondeo, me iam viros doctos ostendisse, & quidem Caramuele doctiores. Aristotelem, atque Diuum Thomam, vt cæteros taceam, apud quos non duplicem tantum, sed triplicem habet acceptionem: *Contingens* scilicet pro Necessario, Defectibili, & Posibili. Porrò si sumatur in secunda notione pro contingente defectibili, nemo sanæ mentis dicat, *Deum dari esse contingens: Patrem æternum generare esse contingens, &c.* At vero si vsurpetur in alia acceptione (vt hoc loco solet, & debet vsurpari) pro posibili iam existente, quod cum Necessario actuali recurrit, nemo itidem sanæ mentis non dicat, Dei existentiam nunc actualiter contingere. Querit ille, *qui hoc asserat?* Possem multos producere, sat pro mille Titelmanus, Hassellensis vir pius, & apprimè doctus, non blasphemus, non hæreticus, qui libro 3. de Enuntiat. Cap. 23. hæc habet. ***Aliquam personam in Diuinis esse Patrem est posibile: Aliquam personam esse Patrem in Diuinis est contingens: Aliquam personam in Diuinis esse Patrem non est impossibile: Aliquam personam in Diuinis non esse patrem non est necesse. Hìc manifestum est, tres priores esse veras; quarta autem falsitatem habet.*** Hæc ille. Vides, qua notione accipiant Contingens Dialectici in Modalibus. Et certè si sumatur pro accidentali, seu Defectibili, quod esse potest, & non esse, non opus est, vt quis oculos ad cœlum attollat, seu erigat (vt Caramuel loquitur) sed apud terram oculos demittendo, nemo non videbit, blasphemum esse dicere, *Contingens esse Deum dari, Patrem Diuinum generare Verbum, &c.* Accipit enim illud Caramuel in sensu, quem nec somniarunt Dialectici. Quod si ille voluisset, huius modi propositiones non vulgò inter idiotas, ac mulierculas esse proferendas, ne non satis penetrata Contingentis significatione, illud cum defectibili confundant, fateor, tolerabilior esset.

§. 29. Denique de his propositionibus: *Contingens est hominem esse album: Contingens est hominem non esse album:* interrogat, an sit affirmatiuæ an negatiuæ? Et quia respondere nescimus: dicit, illas non esse nisi æquipollentes, quasi hoc ille in Confirmationem suæ sententiæ primus inuenisset. Verum enim verò nihil est apud Summulistas vulgarius, quam quod propositiones de contingente specialiter, & secundo modo sumpto affirmatiuæ concertatur in negatiuas, & negatiuæ in affirmatiuas, id quod accipere ab Aristotele 1. Priorum cap. 12. vbi docet, propositiones de contingenti *indefinito* conuerti in oppositam qualitatem: idest affirmans in negantem, & è contrà. Vnde apud omnes eius modi propositiones sunt conuertibiles, & æquipollentes. Vides ergo, Caramuelem non rectè dixisse, huius vocabuli significationem Veteres non intellexisse, & nos *in Grammaticam, & Theologiam peccasse, vt infimam, summamque scientiam nostra opinatione macularemus.* Vides insuper laborem istum Herculis frustraneum esse, ac irritum: Corruunt enim funditus explicatis terminis, omnia, quæ ille fuerat machinatus: Quinimmò, quo ille vult sensu, & agnoscunt omnes, nullum habet, quem deuincat hostem: ea etenim non solum negat nemo, sed nec vnquam de ijs hactenus dubitauit.

PARERGON II.

De Contingenti.

§. 30. Pergit Caramuel, & Pauli Vallij sufragio animosior Modalium æquipollentiam ait, sibi omnino displicere propter confusionem Contingentiæ, & Posibilitatis: Aristotelis sententiam esse falsam, & veras propositiones cum falsis confundentem. Probat id ex futili illo, & falso præiudicio sibi familiari, nempe quod Contingens æquipollere non potest posibili: Quia hæc propositio *Contingens est Deum esse bonum* est falsa (ait) & tamen æquipollere dicitur his: *Posibile est Deum esse bonum, Non est posibile Deum non esse bonum. Non est necessarium Deum non esse bonum.* Et sic alias pronuntiat in eumdem lapidem impingentes. Præterea (inquit) hæ assertiones *Non est contingens Deum non esse bonum: Non est contingens esse bonum* contrariæ dicebantur, & tamen sunt simul veræ: Hæ etiam Subcontrariæ *Contingens est Deum esse bonum, & Contingens est Deum non esse bonum* sunt simul falsæ contra regulas Dialecticorum. Hæc ille.

§. 31. Ne vltra progrediamur: aio, Caramuelem vehementer hallucinari, putans, tot viros morum Sanctitate, & doctrina insignes esse blasphemos, aut Manichæos, quippe, qui eius modi propositiones in sensu a se male intellecto affirment. Aio insuper, ex Contrarijs à se assignatis illam: *Non est Contingens, Deum esse bonum* esse omnino falsam: Et ex Subcontrarijs, quas affert, illam *Contingens est Deum esse bonum*, esse prorsus veram, si semel admitatur triplex Contingentis acceptio; nam si non admittatur, faciet vanam de nomine quæstionem.

§. 32. Ventum est ad correctionem Schematis æquipollentiarum, & Oppositionum Modalium. Robertus de Vitrij Iesuita, qui etiam illud emendatione egere existimauit. *Melius ergo* (inquit) *mutaretur secunda vocalis istarum quatuor vocum (nimirum Purpurea, Amabimus, Iliace, Edentuli) respondens Contingenti, & loco illarum diceretur Punicea, Calebimusr, Triturare, Celaturi. Sicque Contingens Subalternabitur Imposibili, & contradictoriè opponetur Necesse, vt vides in sequenti figura.* Illam exhibet cum nouis illis vocibus per quadrata dispositis; sed euentu quidem infælici: Nam (vt ait Caramuel) errores primę sententię ipse emendator transtulit, non sustulit: Nam si sequatur eius paradygmata, adhuc reperimus (inquit) contrarias simul veras, & Subcontrarias

simul falsas. Nam *Punicea*, & *Triturare* sunt Contraria, & illud *NI* prioris, & *TV* posterioris sunt simul veræ: Vt *Non est contingens hominem esse animal: Non est contingens hominem non esse animal*. *Pergit* alia ostendere contra nouum illud *Schema*.

§. 33. Vnde nulla Caramueli melior visa est correctio, quam omnino expungere modum *Contingens*, & delere secundam vocalem ex illis vocibus, quas *Rotulos* vocant. Ita vt *Purpurea* maneat *Purea* detracta, scilicet secunda V. quæ significabat *Contingens*, similiter *Abimus, Iace, Etuli*, quas in has voces transire iubet.

Lugebat
Satyrus
Lisander
Gemuit.

Quibus arte noua dispositis (inquit ille) sequens paradygma formamus] Sed reuerà non capio, quid artis nouæ habeat communi Modalium figuræ vnam literam deleuisse. Certè hoc forsitan erat labor Herculeus, & nos nesciebamus. Porrò nobis nunquam placuit mutilatio, nec bonus est Chirurgus, qui remedijs oportunis non tentatis, continuò adhibet mucronem: Nam si tanta licentia ferri, quid maneat integrum? Caramuel non medetur, sed amputat, secat quæ curari desperat. Si *Contingens* hoc loco accipiatur sensu, quo Aristoteles, S. Thomas, & vniuersa Philosophia sumit, & sumere debent, res manet integra; nihil est, quod emendari, aut tolli possit, aut debeat.

§. 34. Scio Petrum Fonsecam iam pridem modum illum *contingens* omittendum duxisse; sed non quidem falso Caramuelis ratiocinio persuasus, sed potiùs contradictorio: nempe, quia cum esset omninò idem cum Possibili, tyronibus voluit negotium breuiare *Quia cum Enuntiationes* (inquit ille) *ex Contingenti, quas Aristoteles adiunxit non differant ab enuntiationibus ex Possibili, vt eo loci sumitur contingens, accomodatior ad nouitios Dialecticos, qui omnem multiplicitatem deuitant, erit doctrina si confectis ternarijs, genus illud enuntiationis prætermittatur*. Hæc ille lib. 3. cap. 12. Trisyllaba Modalium vocabula apud ipsum hanc efficiunt sententiam,

Maturè
Declina
Iurgantis
Impetum.

§. 35. Voces sunt quidem vt minimum alacriores, quam Caramuelis tristissimum schema de Satyro lugente, & Lysandro gemente. Quod si vellis contingens specialiter sumptum pro defectibili, *quod potest esse*, & *non esse* ad æquipollentiam, & oppositionem more cæterarum Modalium reductum videre, adeas M. Bañesium, qui hoc facinus operosè simul, & ingeniosè peregit, & pulchro quadratarum schemate expressit lib. 4. tract. 2. cap. 3. ibi: *Nunc laborem* (inquit) *ex modernis neminem suscepisse video: Sed potius quosdam de industria, de Contingenti certa documenta dare prætermisisse*. Dixisset certè; *ipsum modum contingens castrasse*, si Caramuelem vidisset. Nemo sanè ambigat, hoc Bañesij opus esse difficilius, generosius, & Hercule dignum, de quo tamen ipse temperatè sic loquitur: *Hæc omnia operosè nimis meditati sumus, vera quidem illa: sed fortassis non tam necessaria, quam subtilia: quamuis vtilitatis non nihil habeant ad adolescentium ingenia exercenda*. Vide viri modestiam: *operosè nimis* dicit; non dicit heroicè, non herculeè.

PARERGON III.

De Contradictorijs.

§. 36. HOs modos *Necesse*, & *Possibile non* putabat etiam Caramuel, non esse Contradictorios, idque probat; Quia in Sententia Diui Thomæ, Materia prima, nec diuinitus potest informari omnibus, vel multis formis, nec omni forma carere. Vnde has componit modales. *Necesse est, omnem formam esse in hac materia*, & *Possibile est, omnem formam non esse*; at qui ambæ sunt falsæ in schola Thomistica: ergo non sunt Contradictoriæ. Eodem modo probarat antea *Possibile*, & *Possibile non*, non esse subcontrarios: Quia hæ propositiones: *Possibile est omnem formam esse in hac materia. Possibile est omnem formam non esse in hac materia* sunt ambæ falsæ; si admittatur Sententia Diui Thomæ. Vndè infert, difficilius esse, quàm vulgò creditur determinare, & coordinare paradygma Propositionum Modalium. Sic ille Articulo tertio.

§. 37. Profectò valde miror Virum alioqui doctissimum, simulque diligentissimum, in re, quæ vel Summulistici tyrocinij pueros latere non solet, ita insigniter cæcutisse! sed iam non miror; homines enim sumus, & in plano cæspitamus, cum nobis super æthera videmur volitasse. Caramuel non vidit discrimen inter *non omne*, & *omne non*: primum est particulare, & æquiualet syncategorematí *Aliquis non*: Alterum est vniuersale, & æquiualet voci *Nullus*: vt patet ex versiculo, seu canone.

Non omnis Quidam non: *Omnis non quasi Nullus*.

§. 38. Propositiones autem, quas illæ format, non sunt Contradictoriæ, quia ipse non posuit secundam negatiuam, & particularem de modo *Possibili non*, quæ sic erat pronuntianda: *Possibile est, non omnem formam esse in hac materia*, quæ est prorsus vera, & contradicit huic vniuersali affirmatiuæ, & falsæ: *Necesse est omnem formam esse in hac materia*. Sed ille sic posuit: *Possibile est omnem formam non esse in hac materia*, negationem coniungens cum verbo Dicti, quæ coniungenda erat cum modo *Possibile*. Et quantitatem vniuersalem Dicti in vna, quæ mutanda erat in particularem in altera, reliquit immutatã vt *Possibile est omnem formam non esse in hac materia*, idest *nullam formam esse in hac materia*, quæ est vniuersalis. In summa: *omnem formam non esse* confundit cum *non omnem formam esse*, quod longè aliud est: vt patet si Modales illas reducas in suas propositiones de *in esse*, sic; *Omnis forma est in hac materia: Omnis forma non est in hac materia* sunt contrariæ, ideoque simul falsæ: Quia ly *omnis non* est idem *ac Nulla vniuersaliter*. Et vt sint contradicto-

ctoriæ, sic sunt efferendæ: *Omnis forma est in hac materia*: *Non omnis forma est in hac materia*, Quia *non omnis* quo ad præsens habet vim illius syncategorematis, *Aliqua non*; quidquid contra laboret Hercules.

§.39. Hoc eodem pede claudicant propositiones illæ, quas pro Subcontrarijs adduxit ipse. Secunda enim sic erat efferenda *Posibile ast, non omnem formam esse in hac materia*: preponendo scilicet negationem voci *Omnem*, non verbo *esse* quare subcontrariæ non sunt, vt à Caramuele pronuntiantur, eo quod ille negationem malè collocauit; neque in hoc vlla potest esse alia difficultas.

THEOREMA III.

De Conuersione propositionum Modalium.

§.40. Diximus, ad Oppositionem Modalium non esse habendam rationem de *Dicto*, sed de *Modo*: Nunc tamen ad conuersionem earum vice versa dicimus, non esse habendam rationem de Modo, sed de Dicto: Inuariato enim, & manente eodem prædicato, nempe eodem Modo, conuersio fit transmutando subiectum Dicti in prædicatum Dicti, & è contra. Vt *Posibile est hominem esse animal*: ergo *Possibile est animal esse hominem*. *Imposibile est hominem esse Leonem*: *Impossibile est Leonem esse hominem*. Et hic modus conuersionis est de quo in præsenti instituitur sermo, & non est parua difficultas, quam habet, & quæ non reperitur in alijs conuersionum modis, quæ in Modalibus fieri possunt.

§.41. Proficit etiam nunc ad Modalium conuersiones, & est vnica earum regula versiculus ille: *Simpliciter* Feci, *conuertitur* Eua *per acci.* Vnde vniuersalis negatiua, & particularis, affirmatiua conuertendæ sunt simpliciter. Vniuersalis negatiua, vt *Necesse est, nullum Leonem esse hominem* Ergo *Necesse est, nullum hominem esse Leonem*. Particularis affirmatiua vt *Posibile est aliquem hominem esse Musicum*: Ergo *Posibile est aliquod Musicum esse hominem*. Rursus vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua conuertuntur per accidens. Negatiua vt *Posibile est, nullum hominem esse Musicum*. Ergo *Posibile est, aliquod Musicum non esse hominem* (id est organum, sonus, vel cantus, hęc omnia enim Musica dicuntur) Affirmatiua, vt *Necesse est, omnem hominem esse animal*. Ergo *Necesse est, aliquod animal esse hominem*. Particularis autem negatiua de *Necesse* nunquam conuertitur, quia daretur antecedens verum, & consequens falsum: vt *Necesse est aliquem animal non esse hominem*. Ergo *Necesse est aliquod hominem non esse animal*. Idem dicendum de Contingenti, quod hic sumitur pro Posibili, & Necessario, quibus æquipollet. Franciscus Alphonsus ait: Aristotelem non meminisse particulares negatiuas, & ideo, se illas omittere, vt parùm vtiles. Sed vero Alphonsus planè non legerat illum: Ecce Aristoteles 1. Priorum Cap. 3. *Particularis autem negatiua* (inquit) *non conuertitur ob eam causam, quam antea diximus*.

§.42. Obijci multa hic solent, quę Summulistarum superant institutum, & dignius versantur ab interpretibus Aristotelis in libris Priorum Analyticorum, quibus prætermissis nonnulla tamen proponemus breuiter enodanda. Primo hæc propositio. *Necesse est Musicum esse hominem* non bene conuertitur simpliciter, vt ait Aristoteles: non enim valet: Ergo *Necesse est hominem esse Musicum*. Datur enim antecedens verum, & consequens falsum. Secundo hæc. *Contingens est hominem non esse Musicum*: Ergo *Contingens est aliquem Musicum non esse hominem*, etiam est mala conuersio: Ergo.

§.43. Respondeo: Ad rectam conuersionem omninò seruandum esse eumdem sensum in vtraque propositione: item necessitatem vel contingentiam semper ex parte eiusdem extremi seruandam. Vnde conuertens primæ illius propositionis, quæ obijcitur hæc erit: Ergo *Necesse est hominem esse subiectum, quod est Musicum*: Similiter si exemplum ponatur in albo: *Necesse est album esse Corpus* conuertitur sic: *Necesse est Corpus esse subiectum, quod est album*. Ad alteram conuersionem secundæ propositionis, quę multum pupugit Caramuelem: dico, negandum esse, illam esse malam conuersionem: *Musicum non esse hominem est contingens*; etiam dato, quod contingens quomodolibet sumatur (inpræsentiarum enim non sumitur, nisi pro Posibili vt toties monuimus) Nam vt supra dixi, organum, & sexcenta alia sunt Musica, quæ homo non sunt: Conuertentem igitur sic proferas: Ergo *aliquod Musicum non esse hominem est contingens* neutro scilicet genere, non aliquem in masculino.

§.44. Prætereà: Hæ sunt malæ conuersiones. *Imposibile est, omne animal esse hominem*: Ergo *imposibile est, aliquem hominem esse animal*. Item *Imposibile est, nullum hominem esse animal* Ergo *Imposibile est, aliquod Animal non esse hominem*. *Non est necesse omne animal esse Leonem*: Ergo *non est necesse, omnem Leonem esse animal* Ergo regulæ pro conuersione per accidens, & simpliciter sunt falsæ.

§.45. Respondent non nulli, eiusmodi conuersiones esse quidem malas, sed non ideo, quia propositiones sint modales, id est non ratione sui, sed quia repugnantia earum prouenit ex signo distribuente, *Omnis*, vel *Nullus*, quod addit specialem repugnantiam. Nam homini Vg. secundum se non repugnat identificari cum animali; ast repugnat identificari cum omnibus animalibus. Vnde quandocumque hęc specialis repugnantia non obstat, fit recta conuersio propositionum de *Imposibili*. Vt si dicas: *Imposibile est omnem hominem esse lapidem*: Ergo *imposibile est aliquem lapidem esse hominem, vel omnem lapidem esse hominem*.

§.46. Sed multo facilius respondet Toletus, aiens Modales omnes, de Imposibili affirmato, & de contingenti, Posibili, & Necesario negatis, non conuerti quoties dictum est vniuersale affirmatiuum: proindeque non valere hanc: *omne animal esse hominem est imposibile*, vel *non est necese*: *ergo hominem esse animal est imposibile*, *vel non est necese*.

§.47. De contingente sumpto specialiter

pro

pro eo, *quod esse*, & *non esse potest*, diuersam tradunt Dialectici doctrinam, eo quod sit mixtæ qualitatis, & quantitatis: equiualet enim huic complexo *Possibile esse*, & *Possibile non esse*, quare de illo sub alia classe tractarunt Bañes, Toletus, Murcia, Conimbricenses, & alij: Et Franciscus Alphonsus postquam de Modalibus egisset, ait, se de *Contingente* specialiter sumpto, nihil dicturum, præsertim cùm difficile admodum sit certam regulam de his stabilire: Quæ addidero, ne quis in materia Modalium vt ab Aristotele tradita illud etiam *Contingens* confundi existimet cum *Necessario*, & *Possibili* vt ratus est Caramuel: Et vt qui volet illud ad æquipollentiam, & oppositionem noua arte redactum contemplari & addiscere, legat omninò M. Bañesium loco superius indicato.

DISSERTATIO X.

De propositionibus Hypotheticis.

§. 1. PRopositio Coniuncta, quam Hypotheticam vocant, & supra Dissertatione 6. descripsimus, nunc diuidenda venit. Est triplex. *Conditionalis*, *Copulatiua*, & *Disiunctiua*. Conditionalis est, *in qua coniunguntur duæ Categoricæ per hanc voculam Si*, vt *Si Petrus disputat, Petrus loquitur*. Et illa Categorica, cum immediate præponitur ly *Si*, dicitur Antecedens, reliqua verò Consequens.

§. 2. Ad veritatem Conditionalis exigitur, quòd antecedens non possit esse verum sine consequenti: Vt *Si homo est; Animal est*. Vnde omnis Conditionalis vera est necessaria, & omnis falsa est impossibilis. Ad falsitatem Conditionalis sat est, quod antecedens possit esse verum, consequente existente falso. Vt *Si homo est, albus est*. Ita ex Petro Hispano.

§. 3. Ad conditionales reducuntur Hypothetica Causalis, & Rationalis: Vt *quia Sol est, dies est. Petrus currit, ergo mouetur*. Aduertunt hic bene PP. Complutenses ex communi Thomistarum doctrina, particulam *Si* posse dupliciter sumi: primo *illatiuè*, idest in vi consequentiæ, ad cuius veritatem sat est bonitas illationis. Secundo *Concomitanter*, cuius veritas fundatur in aliqua promissione secundum intentionem veram promittentis. Vt *Si cantaueris, dabit pecuniam*, de quibus multa, eaque prolixè veteres Summulistæ, quæ prorsus prætereo. Sat videre prædictos Patres, & si otium est, Veracruzium.

§. 4. Copulatiua propositio est, *in qua coniunguntur duæ Categoricæ per hanc coniunctionem Et*. Vt *Petrus arguit, & Paulus respondet*. Ad veritatem Copulatiuæ exigitur, vtramque partem esse veram, vt *Deus est summum bonum*, & *Homo est animal*. Ad falsitatem eius sufficit, alteram partem esse falsam, vt *Homo est animal, & Equus est lapis*.

§. 5. Disiunctiua propositio est, *in qua coniunguntur duæ Categoricæ per hanc coniunctionem vel*: Vt *Petrus disputat, vel Paulus disputat*. Ad veritatem Disiunctiuæ sufficit, alteram partem esse veram. Vt *Homo est animal, vel Equus est lapis*. Et tamen permittitur, quod vtraque pars sit vera, sed non ita propriè: Vt *Homo est risibilis, vel Equs est hinnibilis*. Ad falsitatem eius requiritur vtramque partem esse falsam. Vt *homo est equs, vel Equs est lapis*. Ita Hispanus.

§. 6. Porro si vtraque pars Disiunctiuæ sit vera, erit ipsa falsa. Vt *Homo vel est animal, vel est rationalis*. Ita Autor Opusculi 48. quod inter Diui Thomæ Opuscula circumfertur cap. 14. Titelmanus, & communiter Dialectici contra Veracuzium: At complutenses vtramque volunt fæderare sententiam aientes, Coniunctionem Disiunctiuam si sumatur in rigore disiunctionis (tunc enim virtualiter continet propositionem exclusiuam, & reddit hunc sensum: *Alterum tantũ istorum est verum*) propositionem efficere falsam: At verò interdùm sumi Coniunctionem, non in rigore disiunctiuo, sed vt valet idem, ac *saltèm*, vel *ad minus*. Et tunc reddit hunc Sensum. *Vnum saltem istorum est verùm*. Et hoc modo patet, non obesse ad Veritatem Disiunctiuæ, quod vtraque pars sit vera. Sic ille.

§. 7. Sed verò, licet ista Complutensium explicatio mihi non displiceat; Censeo tamen, illam interdùm fallere posse: Nam hæc Disiunctiua. *Vel Christus est in Cœlo; vel in Eucharistia* omninò est falsa: quando quidem eius contradictoria omninò est vera: scilicet *Christus est in Cœlo, & in Eucharistia*. Quod si illa est falsa ratione rigorosæ disiunctionis; adhuc non video, quomodo etiam si sumatur ly *vel* pro *saltem*, siue pro *ad minus* possit verificari hæc propositio *Christus est in Cœlo, vel saltem in Eucharistia*.

§. 8. Huc reuocandæ sunt propositiones *Exponibiles*. Exclusiuæ, Exceptiuæ, & Reduplicatiuæ, de quibus longam texunt Iliadem Seueriores Summulistæ. *Propositio exponibilis est, quæ obscurum habet Sensum, ratione alicuius termini in ea inclusi manifestabilis per aliam, vel alias clariores*. Diuiditur in Exclusiuam, Exceptiuam, & Reduplicatiuam. *Exclusiua est*, in qua ponitur signum exclusionis, vt *tantum, dumtaxat, solùm*, &c. quod si ponatur ex parte subiecti, facit propositionem absolutè exclusiuam, atque omnia alia subiecta remouet à participatione prædicati, vt in hac: *Tantum homo est rationalis*, quæ hanc habet exponentem: *Homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale*, quod si vox exclusiua afficiat prædicatum similiter remouet à subiecto omnia alia prædicata, vt in hac Homo est tantum rationalis, quæ sic exponitur: *Homo est rationalis, & nihil aliud est*. Vocant eiusmodi enuntiationem de *extremo excluso*.

§. 9. Aduertas, ly *tantùm* excludere, vel ratione altereitatis, vel ratione alietatis, vel denique ratione pluralitatis: primo modo fit maximè exclusio in terminis connotatiuis. Exemplum primi: *Tantùm Petrus est albus*. Exemplum secundi: *Tantum homo est animal*. Exemplum tertij: *Tantùm quatuor sunt elementa*.

§. 10. Exceptiua dicitur, quæ continet signum exceptiuum, vt *Præter*, per quod ex ratione communi distributa, aliquid excipitur: vt omne animal est brutum præter hominem, exponitur sic: *Omne animal est brutum, excepto homine*, vel sic: *Omne animal, quod non est homo, est brutum*.

§.11. Reduplicatiua dicitur, quæ subiectum, vel prædicatum habet duplicatum ratione huius Syncategorematis *prout*, *in quantùm*, *quatenus*, & similium: vt si dicas *Album prout album disgregat visum*. Sumitur bifariam prædictum syncategorema, scilicet *specificatiuè* (vt aiunt) & *reduplicatiuè*. Tunc sumitur specificatiuè, quando determinat formam, naturam, seu partes, cuius ratione prædicatum conuenit subiecto: vt si dicas *Corpus quatenus sanabile est obiectum Medicinæ. Color inquantum lucidus terminat visionem.* Reduplicatiuè sumitur, quando designat rationem causæ inclusam in termino, vi cuius prædicatum enuntiatur de illo: vt si dicas, *Homo inquantum rationalis est risibilis, Animal quatenus est viuens, mouetur localiter.* Prima acceptio ostendit naturam, seu formam rei, sed non vt causam conueniendi prædicatum: Altera geminat terminum, vt causam ostendat.

§.12. Omnes istæ propositiones exponibiles habent veritatem exponentium, habent oppositiones, contradictorias, contrarias, &c. quibus nunc supersedemus explicandis, lectorem tamen monentes, vt (si vacat) legat M. Banesium lib. 4. Tract. 3. cap. 3. & deinceps, vbi rem hanc doctè, fusè, & curiosè pertractat, vt nil amplius desiderari queat.

DISSERTATIO XI.

De Syllogismo, eiusque structura.

§.1. POst simplicium Vocum, & Enuntiationum considerationem, quæ Argumentationis materia quædam sunt, illius nunc superest enarrare naturam, delineare formas, modosque præscribere, quæ præcipuum Dialecticæ instrumentum, præcipuusque finis, quippe in quem omnia hactenus tradita tanquã in scopum prorsus collimant, sunt autem (vt supra prelibauimus) quatuor Argumentationis species: Syllogismus inquam, Inductio, Entimema, & Exemplum; quarum principalis, & præstantissima est Syllogismus, ad quem cæteræ (vt imperfecta solent) tanquam ad perfectum reducuntur.

THEOREMA I.

Syllogismi definitio, principia, Figuræ.

§.2. INcipit agere de Syllogismo M. Petrus Hispanus ab ipsius materia, nempe à propositione, termino Syllogistico, eiusque principijs. Nos ordine paululùm inuerso, ab illius definitione exordimur: Syllogismus ex Aristotile est *Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his, quæ posita sunt necessario accidit*. Ponitur in hac definitione *Oratio* loco generis: cætera loco differentiæ. Et cum Syllogismus sit species legitima argumtatationis poni meliùs poterat pro genere *Argumentatio*. Concedit hoc M. Bannes; verum quia oratio erat quid notius argumentatione, dicit, Aristotelem maluisse orationem, quæ commune genus est modi sciendi ponere loco generis, tametsi non sit immediatum genus ad Syllogismum: vnde illius definitionis sensus est, quod Syllogismus sit *Argumentatio constans ex tribus propositionibus quarum vltima concludit vnionem extremitatum inter se ex vi vnionis factæ cum medio in præmissis*. Vocantur extremitates termini propositionum præmissarum.

§.3. Principia quibus innititur tota vis, & fabrica Syllogismi sunt duo: *dici de omni*, quod est affirmatiuum, & *dici de nullo*, quod negatiuum est. *Dici de omni* est quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum. Vt *omnis homo est animal*, vbi animal prædicatur de homine, de quo non dicitur animal. *Dici de nullo* est, quando nihil est sumere sub subiecto, à quo non remoueatur prædicatum. Vt *nullus homo disputat*, hic disputatio remouetur ab homine, & nihil est sumere sub homine à quo non remoueatur disputatio. Statuitur primum principium *dici de omni* pro Syllogismis perfectis, & affirmatiuis, quales suntqui fiunt in *Barbara*, & *Darij*, vt mox dicemus: Alterum *dici de nullo* pro perfectis negatiuis, qui fiunt in *Celarent*, & *Ferio*.

§.4. Diuiditur Syllogismus in categoricum, & hypotheticum, categoricus *constat propositionibus simplicibus, & categoricis*: hypotheticus *constatur ex hypotheticis, & conditionatis*: Rursus propositiones categoricæ possunt esse absolutæ, seu modales, & iuxta harum naturam etiam Syllogismus in modalem, & absolutum secari valet. Ast in præsentiarum de absoluto, & categorico Syllogismo dumtaxat sermo fiet; eò quod clariùs expeditiùsque eius natura declaratur, quam qui perfecte callucrit, facilè cæteras Syllogismorum species proportione seruata penetrabit. Denique Syllogismus categoricus diuiditur in concludentem directè, & concludentem indirectè, deducentem ad impossibile, & in expositorium, de quibus infra singillatim agemus. Nec diuidimus Syllogismum in verũ, & Pseudosyllogismum, seu Falsigraphũ, quia hic reuera Syllogismus non est.

§.5. Omnis Syllogismus (vt ait Petrus Hispanus) constat ex tribus terminis, & duabus propositionibus, quarum prima *Maior*, secunda *Minor*: ex tribus autem terminis non possunt duæ formari propositiones, cum quælibet debeat habere duos: nisi vnus eorum bis sumatur; Tunc ille, qui bis sumitur si subijcitur in vna: & prædicatur in alia, constituit primam figuram: Et si prædicatur in vtraque efficit secundam figuram: Aut si subijcitur in vtraque tertiam format figuram.

§.6. Terminus ille, qui bis sumitur, vocatur *Medium*, & terminus, qui sumitur cum medio in priori propositione vocatur *maior extremitas*: Et qui sumitur cum medio in secunda propositione vocatur *minor extremitas*. Ex duabus enim propositionibus, quæ in antecedenti efferuntur, prima dicitur *Maior*, altera *Minor*.

§.7. Exigitur ad Syllogismum modus, & figura. *Figura est ordinatio trium terminorum secundum debitam subiectionem, & prædicationem.* Et sic prima figura est *quando medium subijcitur in vna propositione, & prædicatur in alia*. Vt *omne animal est substantia: Omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia*. Secunda figura est *quando medium prædi-*

prædicatur in vtraque. Vt nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: ergo *nullus homo est lapis*. Tertia figura est, *quando medium subijcitur in vtraque*. Vt *omnis homo est substantia: Omis homo est animal*: ergo *quoddam animal est substantia*. Hoc figurarum discrimen vno carmine compræhenditur.

Sub, præ, Prima: Secuuda bis præ: Tertia bis sub.

Idest: in Prima medium subijcitur, & prædicatur. In secunda bis prædicatur. In tertia bis subijcitur.

§. 8. Modus est *ordinatio duarum illarum propositionum in debita quantitate, & qualitate*. Debita quantitas est, quod si vna præmissarum est particularis; alia sit vnuersalis. Et qualitas debita; quod si vna est negatiua, alia sit affirmatiua; quæ clariùs percipies ex sequentibus regulis.

Regulæ pro recta consequentia.

§. 9. PRima est. Ex puris particularibus indefinitis, aut singularibus nihil sequitur. Ob id oportet, alteram præmissarum esse vniuersalem, id quod alij sub alijs terminis explicant, aientes, medium in aliqua saltem præmissarum debere distribui.

§. 10. *Secunda est*. Ex puris negatiuis nihil sequitur: vnde oportet, alteram præmissarum esse affirmatiuam.

§. 11. *Tertia*. Si aliqua præmissarum fuerit particularis, conclusio erit particularis, & non è contra.

§. 12. *Quarta*: Si aliqua præmissarum fuerit negatiuá, conclusio erit negatiua.

§. 12. *Quinta*. Medium nunquam debet poni in conclusione. Omnia, quæ ad Canones, & præceptinas Syllogismorum regulas attinent, ex ipso Petro Hispano exhibemus. Pro quinta regula obserua, quod per accidens, & vt seruetur eadem ampliatio, seu restrictio, potest medium poni in conclusione. Vt contingit in hoc Syllogismo. *Pater generat: Pater est essentia diuina*: ergo *essentia diuina est pater, qui generat*. Ly *Pater* id est medius terminus conclusionem intrat, & meritò; alioqui sic esset inferendum: Ergo *essentia diuina generat*, nempe consequens falsum, & hæreticum ex antecedente vero: vbi autem huius modi non vrget necessitas, nunquam medium in conclusionem protrahere licet.

THEOREMA II.

De prima figura Syllogistica eiusque modis.

§. 13. PRima Figura, quæ omnium nobilissima, & perfectissima est, nouem modos Syllogismorum continet, qui vt memoria melius teneantur, nouem dictionibus significantur: in hoc Disticho allegatis.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Secunda autem Figura non nisi quatuor modos habet, quos similiter hæ quatuor voces repræsentant.

Cæsare, Camestres, Festino, Baroco,

Tertia denique sex modos exhibet, quos hæ voces indicant.

——— *Darapti,*
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Omnes sunt nouemdecim: Nouem Primæ, Quatuor Secundæ, & Sex Tertiæ. Primi quatuor modi Primæ Figuræ sunt omnium perfectissimi, & concludunt directè: Concludere directè est, maiorem extremitatem prædicari de minore in conclusione. Indirectè concludere est, minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione; alij verò quinque eiusdem Figuræ concludunt indirectè.

§. 14. Obserua, in omnibus his modis quatuor esse vocales literas, A, E, I, O, quæ quantitatem, & qualitatem propositionum significant, vt suprà diximus, nam iuxta versiculum *Asserit A. negat E, &c.* A, denotat Vniuersalem Affirmatiuam, E vniuersalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, & O particularem negatiuam. Item quælibet ex his vocibus, tres habet syllabas, quarum prima significat maiorem Syllogismi, Secunda Minorem, & tertia Conclusionem: quod si *Baralipton*, & *Frisesomorum* plures quam tres habeant, de illis non est habenda ratio, quia admetri integritatem dumtaxat adiunctæ sunt.

§. 15. Obserua item: primos quatuor modos non solum esse omnium perfectissimos, vt diximus, sed esse quasi normam, & amussim, ad quam cæteri omnes perficiuntur: in cæteris enim modis fiunt Syllogismi imperfecti, qui ad illos quatuor reduci debent, vt perfectè concludant. Et vt quisque facilè percipiat, quinam modi perficiendi sint per quemlibet ex illis prioribus, scilicet *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*: artificiosè excogitatum est, vt eadem litera, qua Barbara incipit, nempè B, incipiant etiam omnes illi modi, qui ad Barbara reducendi sunt: & similiter incipiant in C, quotquot reducendi sunt *ad Celarent*, & sic deinceps. Pertinent igitur ad Barbara, *Baralip., Baroco, & Bocardo*. Reducuntur ad Celarent. *Celantes, Cæsare, & Comestres*. Ad Darij spectant *Dabitis, Darapti, Disamis, & Datisi*. Denique *Ferio* habet pro suffraganeis *Fapesmo, Frisesom, Festino, Felapton, & Ferison*.

§. 16. *Barbara* primus, & potissimus modus, qui triplici A constat, tres propositiones vniuersales, & affirmatiuas continet, quoniam constat ex duabus vniuersalibus affirmatiuis, vniuersalem affirmatiuam directè concludentibus. Vt *Omne animal est substantia, Omnis homo est animal*: ergo *Omnis homo est substantia*.

§. 17. *Celarent* secundus modus est, cuius prima propositio est vniuersalis negatiua, Secunda vniuersalis affirmatiua, & quæ concludunt directè tertiam, idest conclusionem vniuersalem Negatiuam, vt *Nullum Animal est lapis*; *Omnis homo est animal*: ergo *Nullus homo est lapis*.

§. 18. *Darij* tertius modus constat ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam directè concludentibus. Vt *Omne animal est substantia*; *aliquis homo est animal*: ergo *aliquis homo est substantia*.

§. 19. *Ferio* quartus modus constat ex vniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, particularem negatiuam directè concludentibus. Vt *Nullum animal est lapis, aliquis homo est animal*: ergo *aliquis homo non est lapis*.

Modi concludentes indirectè.

§. 20. *Baralip.* Quintus modus constat ex maiore, & minore vniuersalibus, & affirmatiuis, quæ particularem affirmatiuam indirectè concludunt: Vt *Omne animal est substantia. Omnis homo est animal*: ergo *aliqua substantia est homo.* Nota benè prædicationem indirectam; Enunciatur enim homo de substantia, quæ erat maior extremitas: Nam si viceversa diceret. Ergo *Omnis homo est substantia*. Syllogismum iam formaret in Barbara, de cuius reductione infra dicemus.

Sextus.

CE- *Nullum animal est lapis*;
LAN- *Omnis homo est animal*:
TES Ergo *Nullus lapis est homo*.

Septimus.

DA- *Omne animal est substantia*
BI- *Aliquis homo est animal*
TIS. Ergo *aliqua substantia est homo*.

Octauus.

FA- *Omne animal est substantia*.
PES- *Nullus lapis est animal*.
MO. Ergo *aliqua substantia non est lapis*.

Nonus.

FRI- *Aliquod animal est substantia*,
SE- *Nullus lapis est animal*.
SOM. Ergo *Aliqua substantia non est lapis*.

§. 21. Vides in omnibus his quinque modis medium subijci in maiore, & prædicari in minore, quæ (vt diximus) dispositio est constituens primam Figuram. Vides insuper conclusiones indirectas eorum, quibus degenerant à primis quatuor perfectis modis eiusdem figuræ.

Regula pro prima Figura.

Prima est: Maiore existente particulari, nihil inferri potest. Altera: Minori existente negatiua, nihil similiter potest inferri.

THEOREMA III.

De secunda, & tertia Figura, earumque modis.

§. 22. SEcunda autem Figura quatuor tantum modis contenta est, qui directè concludunt, & semper negatiuè. Vt patet in *Cæsare*, qui constat ex vniuersali negatiua maiori, & minori vniuersali affirmatiua, quæ vniuersalem negatiuam directè concludunt: Habes exempla pro omnibus quatuor modis.

Primus.

CE- *Nullus lapis est animal*.
SA- *Omnis homo est animal*.
RE. *Ergo Nullus homo est lapis*.

Secundus.

CA- *Omnis homo est animal*.
MES *Nullus lapis est animal*.
TRES. *Ergo Nullus lapis est homo*.

Tertius.

FES- *Nullus lapis est animal*.
TI- *Aliquis homo est animal*.
NO. *Ergo aliquis homo non est lapis*.

Quartus.

BA- *Omnis homo est animal*.
RO- *Aliquis lapis non est animal*.
CO. *Ergo aliquis lapis non est homo*.

§. 23. In hac secunda Figura, & in tertia Dialectici non assignarunt modos indirectè concludentes, quia (vt benè notarunt Complutenses) facilè quispiam potest illos colligere conuertendo conclusionem, & ita satis fuit apponere exempla in prima figura. Vel quia (sicut etiam rectè, obseruauit Franciscus Alonsus) Alij quatuor modi indirectè concludentes, qui ex prædictis colligi possunt, sola transpositione præmissarum fiunt directè concludentes, vnus quisque in vno ex alijs modis directè concludentibus in hac figura; quapropter nulla hic modorum indirectè concludentium mentio facta est. Vide Alonsum lib. 5. cap. 5.

Regulæ pro secunda Figura.

§. 24. *Prima*. In secunda figura ex puris affirmatiuis nihil sequitur. Quia ex veris sequeretur falsum, vt *Omnis homo est animal, omnis leo est animal*; ergo *Omnis leo est homo*. Secunda, semper est concludendum negatiuè. Quia data vna præmissarum negante, necessario euadet conclusio negans; Tertia, ex maiore particulari nihil sequitur, alioqui ex veris colliges falsum. Vt *Homo est albus. Nullus Æthiops est albus*: ergo *Nullus Æthiops est homo*.

§. 25. Tertia denique figura (vt præmisimus) sex continet modos Syllogismorum directè concludentium, quorum agmen ducit *Darapti*. Constat ex maiori, & minori vniuersalibus affirmatiuis particularem affirmatiuam concludentibus directè. Exempla modi huius, & cæterorum præstò sunt.

Primus.

DA- *Omnis homo est substantia*.
RAP- *Omnis homo est animal*.
TI. *Ergo Aliquod animal est substantia*.

Secundus.

FE- *Nullus homo est lapis*.
LAP- *Omnis homo est animal*.
TON. *Ergo aliquod animal non est lapis*.

Tertius.

DI- *Aliquis homo est animal*.
SA- *Omnis homo est substantia*.
MIS. *Ergo Aliqua substantia est animal*.

Quartus.

DA- *Omnis homo est animal*.
TI- *Aliquis homo est substantia*.
SI. *Ergo aliqua substantia est animal*.

Quintus.

BO- *Aliquis homo non est lapis*.
CAR- *Omnis homo est animal*.
DO. *Ergo aliquod animal non est lapis*.

Sextus.

FE- *Nullus homo est lapis*.
RI- *Aliquis homo est animal*.
SON. *Ergo Aliquod animal non est lapis*.

§. 26. Modi indirectè concludentes in hac tertia figura, qui etiam sunt sex, prætermittuntur à Dialecticis ob easdem rationes, quibus modi secundæ non memorantur, & quas tetigi supra.

§. 23. Nam & indirectæ conclusiones in *Palemo*, *Bacordo*, & *Fisemo*, à recentioribus nominatę sola pręmissarum transmutatione reddentur directę in *Felapton*, *Bocardo*, & *Ferison*, vt rem speculanti liquebit.

Regulæ pro tertia Figura.

§. 27. *Prima.* Minore existente negatiua nihil inferri potest; Sequitur enim falsum ex veris, & in hac *Omnis homo est animal*; *Nullus homo est leo.* ergo *Leo non est animal*. Secunda. Semper conclusio est inferenda particularis, siuè affirmans, siuè negans. Vide si lubet M. Chrysostomum Iauellum, qui Regulas defensiuas omnium modorum syllogizandi in tribus Figuris clarè, & vtiliter scripsit Tract. 6. *de Syllogismo formali cap. 6.*

THEOREMA IV.

Detur ne quarta Figura, quam Galeni dicunt?

§. 28. Testatur Auerroes 1. Priorum cap. 8. Galenum quartam figuram addidisse: cuius medium prædicatur in maiore, & subijcitur in minore, & directè concludit: vt in hac argumentatione. *Omnis homo est animal*: *Omne animal est viuens*: ergo *Omnis homo est viuens.* quam admittunt nonnulli, inter quos Lalemandetius, & iuratus hostis Aristotelis Caramuel. Logic. Vocal. parte 4. artic. 5. num. 827. qui illam ait, esse Platonicam, & naturalissimam, priorem omni forma. Ratio: quia eiusmodi syllogismi sunt efficaces, boni, & optimè intentum euincunt.

§. 29. Dices, eos à syllogismis primæ Figuræ solo ordine præmissarum distingui, quòd non sufficit ad distinctionem modorum syllogizandi: quia ille ordo præmissarum non reperitur in mente. Sed contra: Falsum est, non sufficere præmissarum ordinem ad syllogismorum distinctionem. Nam *Cesare*, & *Camestres* in secunda: nec non *Datisi*, & *Disamis* in tertia, ordine præmissarum dumtaxat differunt: Quòd autem in mente non sit ordo præmissarum, quid indè? cum hic agamus de syllogismo vocali.

§. 30. Dico cum omnium Peripateticorum consensu, eiusmodi figuram Galeni nullam esse: vel in re, à prima Aristotelis non esse distinctam. Probatur non leuiculo illo Arriagæ, & aliorum ratiocinio, quod Caramuel impugnat, sed communi Thomistarum fundamento, quòd ex Iunioribus Complutenses apte expressere. Quia in qualibet Figura, vt syllogismus concludat directè, maior extremitas debet in Conclusione prædicari de minore, non ob aliam rationem, nisi quia illa est extremum superius, quòd continendo medium continet consequenter aliud extremum inferius, scilicet minorem extremitatem; proindèque omninò necessarium est, maiorem extremitatem in præmissis talem habere situm, & positionem, vt possit continere minorem. Atqui impossibile est, quòd talem habeat; eo ipso, quòd maior extremitas sit reuerà subiectum, & minor prædicatum, vt patet. Subiectum enim non continet, sed potiùs continetur à prædicato: ergo ea dispositio, quæ statuitur, vt resultet quarta figura, ex se non est congrua, nec habilis ad formam syllogisticam. Dixi *reuerà*: Quia in supradicto syllogismo, aliisque similis formæ, conclusio rectè sequitur ex præmissis, quia reuerà syllogismus est in prima Figura Aristotelis: nam quæ ponitur loco minoris, reuerà non est minor, sed maior; quamuis quoad vocum apparentiam præmissæ sint transpositæ: id quòd liquidò apparet si illas inuertas sic: *Omne animal est viuens*: *Omnis homo est animal*: ergo *omnis homo est viuens*, & fiet syllogismus in *Barbara*.

§. 31. Ocurrit Caramuel articulo 3. aiens, in Galenico syllogismo medium proprius, & verius esse medium: quia est in situ medio, vt in hoc.

Homo est ANIMAL: ANIMAL est viuens
Ergo Homo ——————————— est viuens.

Vndè colligit, potiùs omnia in figura Galeni recta esse, & omnia in Aristotelica inuerti; & cum adhuc dicitur, hanc concludere directè, illam verò indirectè, se condolere ait Iuniorum pusillanimitati, qui malunt credere auri, quàm oculo, & errare cum multis, quàm ab ipso veritatem demonstratam admittere. Hæc, & alia futiliter pronuntiat ille, nullo digna responso. Vndè & eius condolescentia risu potiùs excipienda est, quàm gratitudine. Nos enim non dicimus, syllogismum esse directum, nisi ex prædicatione directa, qua maior extremitas de minore enuntiatur in conclusione, non ex materiali positione medij: Rursus non dicimus, in Figura Galeni conclusionem esse indirectam, sed potiùs directam ratione maioris transpositæ: & contra hæc non solùm non demonstrat veritatem Caramuel, vt ipse iactat, sed nec vllum video rationabile argumentum ab ipso proponi.

§. 32. Dices. Ergo saltem hæc quarta Figura admittenda est: si semper minor extremitas prædicetur in conclusione de maiore, vt si dicas: *Omnis homo est animal*: *Omne animal est viuens*: *ergo aliquod viuens est animal.* Respondent optimè Complutenses, omninò repugnare dari figuram congruam, in qua Conclusio non possit esse directa. Et ratio est euidens: ideò enim syllogismi indirectè concludentes sunt boni, & vtiles, quia per conuersionem conclusio indirecta potest fieri directa: ergo impossibilis est figura, cui repugnet habere conclusionem directam. Pro hac Galeni figura, Hurtadus sequentes recitat versiculos.

Barmaba, Calerem, Dimari, Firemo, Bamalipton.
Calemes, Dimatis, Fesapo, Presisomorum.

Ast Lalemandetius apparatus Isagogici, partit. 4. benè ostendit, Hurtadum hallucinari, & sibimet contradicere. Vndè prędictas voces corrigens, hæc reponit carmina.

Bar-

Barmapi, Calerems, Dimaris, Firemos, Bamaliton, Calement, Dimati, Fisapos, atque Fesisso.

Qui volet huius figuræ modos in gratiam Galeni versare, præcitatum consulat Lalemandetium.

PARERGON I.

§. 33. CAramuel, cui nihil est in rebus, quòd syllogismus non sit, Logicam vocalemSyllogismorum formis locupletissimam conscripsit; in illa adeò Logicales ostentat diuitias, vt Aristoteli, & Peripateticis omnibus inopiam, & pauperiem exprobret, quippèqui tribus dumtaxat figuris syllogismorum sint contenti. Vndè eos relinquere dicit, vel vt barbaros, qui nudi luctantur, seu vt pauperes, qui tugurijs, & casis degunt rusticis, siue vt plæbeios, qui lanea veste, & rudi cibo vitam transigunt. Etenim *Magni Scholarum Principes, Belli triumphales Duces, Lycæique clara lumina*, debent arma habere, quæ exercitibus sufficiant instruendis, Palatia, & turres superbas, quæ Regiæ congruant maiestati, mille vinorum, & ciborum differentias multò labore, & ingenio apparatas. Quoniam *aliter* (inquit) *pauperes omnia; aliter Principes factitant, & quæ enim pauperi superflua sunt; solent non sufficere Principi*. Hæc ille multis gloriabundus prosequitur, & tandem Lectorem monet, vt si velit pauper esse in Dialectica, sequatur Aristotelem, & militiam eius pedestrem, & reptantem, sufficient enim Aristotelicæ meditationes pauperi, quæ licèt exactæ, & bonæ sint, portionem tamen faciunt istius Logicæ centesima parte minorem: proindèque, vt diues sit, & opulentus Dialecticus, quærat in illo opere multiplices illas Syllogismorum conformationes, quas Aristoteles ignorauit.

§. 34. Pergit ille, eòque instigatus Genio totum se in syllogismos fundit, Poetas, Oratores, Historicos, Sanctos Ecclesiæ Patres, & quòd caput est, ipsa etiam Euangelia in syllogismorum modos, & formas, digerit, versat, detornat, deducit. Et cum Hispanos Vates etiam Lope de Vega, & Franciscum de Queuedo tanquam in theatrum producit epicheremate ratiocinantes: valdè miror, sibi subterfugisse ioculare illud vulgi carmen.

Polifemo tiene vn ojo
Vos Señora teneys dos;
No soys Polifemo vos.

Ex illo etenim protinus elegantem conflasset syllogismum in modo, & figura ab Aristotele turpiter ignoratis. Sed vt iocos mittam: prorsùs laudo laborem improbum, diligentiam, & ingenium viri alioqui eruditi: laudo tot exemplorum copiam, quibus tam varias exornat argumentationes, laudo fælicitatem, qua interdum obscuris doctorum hominum locis facem adhibet. Non tamen adducat, vt vllatenus credam, Aristotelem, & ipsum differendi artis Authorem nescisse modos, & formas syllogismorum, quos ipse primo fabricatus, vel reiecit, vel probauit: in hoc non laudo.

§. 35. Primò. Quia Caramuelis diuitiæ, gazæ, & opulentia adeò debuccinata (si rem benè inspicias) tota consistit in Figura Galenica, & in modis indirectè secundæ, & tertiæ figuræ Aristotelis, quibus nomina, seu vocabula noua fecit. Atqui Figuram Galeni ignorare non potuit Aristoteles, quoniam Caramuel ipse docet, illam non esse nisi Platonis. Rursus dicit, esse naturalissimam, & ante omnem figuram artificialem. Ergo Discipulus nescire non potuit Magistri sui formam arguendi familiarem. Ergo nec naturalissimum discurrendi modum potuit ignorare.

§. 36. Secundò. Falsum est prorsùs asserere, veteres Dialecticos secundæ, & tertiæ figuræ modos indirectos ignorasse, vt perperam Caramuel artic. 2. part. 4. *Figuræ istæ* (inquit) *Aristotelis sunt; modi non omnes, singulis enim indirectos addidimus, quòd nec Aristoteles fecit, nec hucusque correxerant Peripatetici*. Sed quid rogo, Aristoteli faciendum erat? quid Peripateticis corrigendum, Profectò res erat, ita facilis, vt potiùs illam contempserint, tanquàm regulis, vel arte noua indignam. Audi Complutenses: *Non autem assignarunt* (inquiunt) *modos indirectè concludentes in alijs duabus figuris, quia facilè potest vnusquisque illos colligere, conuertendo conclusionem, & ita satis fuit, apponere exempla in prima figura.*

§. 36. Accedit etiam alia inopia, seu egestas modorum pro consequentijs secundarijs, quas etiam ignorauere Peripatetici omnes. Nam iudice Caramuele recensere debuerant in *Barbara, Barbari*, in Celarem, *Celarò, Celaror* in *Camestres Camestrer, Camestror &c.* ex quibus pamet, *tres tantum notos fuisse Peripateticis* (inquit ille) *cæteros à nobis additos*. Sed verò M. Banesius nostræ desidiæ, vel inscitiæ rationem reddet. *Si quis tentauerit* (inquit) *plures alios modos adinuenire, facilè erit ostendere, illos esse vel superfluos, vel prorsùs ineptos ad syllogizandum: Superfluos quidem, vt si quis velit inter perfectos modos primæ figuræ annumerare* Barbari, *&* Celare: *Et in vniuersum in reliquis modis, in quibus vniuersalis propositio affirmatiua, vel negatiua concluditur velit multiplicare alios modos affines, in quibus particularis affirmatiua, vel negatiua substituatur loco conclusionis vniuersalis, nihil magis superfluum inuenietur in arte syllogizandi. Ratio est, nam vsque adeò per se manifesta est consequentia à subalternante vniuersali propositione ad subalternatam particularem, vt super vacaneum, & stultum sit, propterea alium modum syllogizandi distinguere. Nulla enim ars necessaria est ad cauendum id, in quo nemo errare potest.* Hactenus ille libro 5. cap. 6. Preme illud quæso *super vacaneum, & stultum est.*

§. 37. Tertiò. Omnes Syllogismorum formas, quas innominatas producit Caramuel, priùs nouerat, expenderat, examine liberauerat, reieceratque Aristoteles in primo Priorum fusè satis, & accuratè, vbi ex tota possibilium Syllogismorum congruè summo labore, & delectû ad tres figuras redegit, quotquot vtiles esse inuenit. Vndè Caramuel, si nouos alios adducat, vel furfures, & reiectamenta Aristotelis colligat, necesse est, vel si vtiles, & rectos affert, ad prædictas tres figuras reducendi omninò venient; nemo enim illos admittet, alioqui, velut plumbeos, quinimmò etiamsi aurei forent,

ad

ad primos quatuor primæ Figuræ modos tanquàm ad Lydium lapidem examinandi, probandique sunt, vt rectè notauit Hurtadus: *Quatuor modi primæ Figuræ* (inquit) *sunt prototypus, & exemplar perfectissimæ ratiocinationis, ad quòd cæteri modi reuocantur, vt aurum ad Lydium lapidem*. Ergo tota Cornucopia, & opulentia Syllogismorum Caramuelis ex paupertina Aristotelis penu deprompta est: etenim tanquàm ex magna auri, vel argenti massa Peripateticorum, tot, & tam varias monetarum formas cudit, dispendit. Patet hæc consequentia: Nam vt suprà aduertimus Figura Galenica à Barbarica Aristotelis reapse non differt: cæteræ autem ad arcas Aristotelis, fundumque spectant. Vbi ergo, vel quales sunt istæ opes? Vbi thesauri nunquam ab Aristotele visi, nec auditi? Caramuel equidem nullos hactenùs, nisi formam Galeni, & tres Peripateticorum figuras monstrauit.

PARERGON II.

De Syllogismo transfigurato.

§. 38. MVltus etiam est Caramuel Parte 5. in examine vnius Syllogismi, quem sibi obiecerat D. Thomas 1. p. q. 48. quo probare aduersarius intendit, *malum esse naturam quamdam*: sic arguit.

Quod non est, non agit;
Sed malum agit:
Ergo malum est.

In quo maior negatiua est, & conclusio affirmans; contra regulas artis Syllogisticæ, & tamen bonus est, & conuincit: ad quam ergo figuram pertinebit? Deum immortalem! quanto molimine Caramuel, quot episodijs, quot Carminum historiarum, & argumentationum apparatu paginas opplet, vt ostendat, illum non esse de numero eorum, quos in trium Figurarum classes distribuit Aristoteles, sed vagum, formam quidem dicit esse bonam, & efficacem; sed se nescire, cur bona sit? Vnde concludit, multos eiusmodi Syllogismos reuerà vtiles, atque conuincentes Aristotelem latuisse.

§. 39. Sed verò res facilis est, nec tanto strepitu digna, sed nullo dirimenda negotio. Dico enim, Syllogismum propositum esse in *Barbara*. nam in maiore virtualiter continetur hæc præmissa: *Omne quod agit est ens*, cuius loco Sanctissimus Magister posuit probationem ipsius propositionis, compendium amans, ne iterùm cogeretur probare maiorem. Ponitur ergo conuertibilis, seu æquipollens, & probatio maioris pro maiore: Nec nouum quidem, aut insolitum est, propositionem affirmantem in negatiua virtualiter contineri, vt Syllogismus rectè concludat: in hoc enim Aristotelis Syllogismo. *Astra quæ non scintillant sunt prope: sed Planetæ non scintillant: ergo sunt propè*. Communiter dialectici dicunt, in minore virtualiter contineri hanc affirmatiuam. *Planetæ sunt astra non scintillantia*. Est igitur illa Diui Thomæ argumentatio implicitum epicherema, idest Syllogismus, cuius præmissæ probantur: qualis est hic; *Omnis homo est risibilis, quia est admiratiuus: sed omnis Philosophus est homo, quia est animal rationale: ergo omnis Philosophus est risibilis*. Non absimiliter processit ille: *Omne quod agit est ens, quia quod non est non operatur*: Sed *malum agit*: & subdit probationem; *Quia corrumpit bonum: ergo malum est*. In illa maiore imbibita est immediate hæc propositio, *Quod agit est ens*: quia per immediatam, & necessariam consequentiam sponte colligitur ex altera negatiua: *Quod non est non operatur: ergo quod operatur, est*. Et hoc consequens est formalis maior prædicti Syllogismi; licet altera sit virtualis.

§. 31. Postquam hæc scripseram, incidi in Sūmam Theologicam M. Hyeronimi de Medicis, qui Operum Sancti Doctoris formam Syllogisticam exprimere habet pro instituto: & prædicto primæ partis loco vidi, explicitum proponi Epicherema, quod ego fueram meditatus sic enim arguit.

Quod non agit est natura quædam.
Quod enim non est, non agit:
Sed malum agit, quia corrumpit bonum:
Ergo malum est natura quædam.

Vidi, & gauisus sum, eo quòd cum viris ità doctis inscius discurrissem.

DISSERTATIO XII.

De reductione Syllogismorum.

§. 1. OMnes Syllogismi imperfecti, seu indirectè concludentes reducuntur ad primos quatuor primæ Figuræ modos, vt directè concludant: vnde recolendum est, quod Dissertatione præcedenti §. 15. obseruari iussimus, nempe quemlibet modum imperfectum Syllogizandi incipere ab vna ex literis, quibus incipiunt quatuor primi modi, vt per ipsam facilè quisquam manuducatur ad modum perfectum, ad quem ille reuocari debet: vt *Baroco* ad Barbara, *Camestres* ad Celarem, *Dabitis* ad Darij, *Ferison* ad Ferio, &c.

§. 2. Duplex est Reductio, siue modus reducendi eiusmodi syllogismos. Vno modo reducuntur ministerio Conuersionis: scilicet conuertendo propositiones eorum, tùm Conuersione *simplici*, tùm Conuersione *per accidens*: & interdum etiam mutando maiorem in minorem, vel è contra, & hæc dicitur *Reductio ostensiua*: quia ostenditur vis, & perfectio syllogismi ex ipsis propositionibus ita conuersis, vel transmutatis. Altero modo reducuntur per reductionem ad imposibile, id est cogendo aduersarium ad hoc, vt concedat duas contradictorias, quæ prorsus sequuntur ex eo quod neget aliquam consequentiam ex illis indirectis, qui difficilior reducendi modus est, de quo infra.

§. 3. Obserua igitur pro Reductione ostensiua, in quolibet vocabulo modorum indirectorum artificiosa industria includi has literas consonantes S. P. M. C. quarum S. significat propositionem indicatam per suam vocalem esse conuertendam *simpliciter* (prima enim vocalis vt supra diximus Maiorem denotat, secunda Minorem, tertia conclusionem.) P. significat, conuertendam esse *per accidens*. M. significat, *mutandam esse maiorem in minorem*, vel è *contra*. C. tandem significat reductionem fieri debere deducendo ad *Contradictorias*, & aliter non posse: quam literam solum in *Baroco*, & *Bocardo* reperies.

§. 4. Exemplis res clarescet: Reducendus tibi

tibi est Syllogismus hic in Fapesmo, v.g. *Omne animal est substantia. Nullus lapis est animal*: ergo *aliqua substantia non est lapis*. Et quia *Fapesmo* incipit ab *F.* debet reduci ad *Ferio*. Conuerte per accidens maiorem, nam F. afficit primam vocalem, sic: *Aliqua substantia est animal*. Deinde conuerte minorem simpliciter, vt iubet illud. S. in secunda vocali *pes* -- hunc in modum: *Nullum animal est lapis*. Et quia simul adest etiam M. *pesmo*, teneris mutare maiorem in minorem, & è contrà: & ecce consurgit Syllogismus in *Ferio* perfectissimus: *Nullum animal est lapis, aliqua substantia est animal*: *ergo aliqua substantia non est lapis*. Similiter Syllogismus in Frisesomorum: *Aliquod animal est substantia. Nullus lapis est animal*: ergo *aliqua substantia non est lapis*. Reducendus est ad *Ferio*. Conuerte maiorem simpliciter, & etiam minorem eodem modo, id enim iubet duplex S positum in vtraque vocali: Deinde muta maiorem in minorem, vt vult illud M. & Syllogismum reuocasti ad *Ferio*. *Nullum animal est lapis, aliqua substantia est animal*: ergo *aliqua substantia non est lapis*. Syllogismum in *Dabitis* ad *Darij*, quia incipit à D. conuertendo ad conclusionem *simpliciter*, vt significatur per literam S, quæ afficit tertiam, & vltimam vocalem. Similiter *Celantes* reuocabitur ad *Celarent* eodem benificio, incipit enim in C. Reduces tandem *Baralip.* ad *Barbara* conuertendo conclusionem per accidens, quia tertiam vocalem sequitur P. & sic de cæteris.

§. 5. Obijcies. Syllogismus in *Baralip.* non potest ad Barbara reduci ostensiuè, conuertendo conclusionem per accidens: ergo id falsò docuit Hispanus. Probatur antecedens: Quia propositio particularis affirmatiua conuertitur simpliciter, vt supra ex Aristotele docuimus, nec potest per accidens in vniuersalem conuerti: vnde hæc conuersio non valet: *Aliquis homo est animal, ergo omne animal est homo*.

§. 6. Respondeo, dum dicitur conclusionem particularem in *Baralip.* debere conuerti per accidens, sensum esse quod ipsa particularis, quæ potius est conuertens per accidens, mutetur in conuersam, vt erat antea: nam reuera potius conclusio Syllogismi in Barbara fuit conuersa per accidens in Syllogismo Baraliptico, & ipsa conclusio Syllogismi in *Baralip.* est conuertens illius. Quandocumque igitur concluditur vniuersalis affirmatiua, quæ fuerat conuersa in *Baralip.* reducitur Syllogismus ad Barbara, v.g. *Omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis*: *ergo aliquod risibile est homo*. Est in *Baralip.* Inter conclusionem vniuersalem affirmatiuam, quę conuersa erat per accidens in prædicto Syllogismo, sic: *Ergo omnis homo est risibilis*, & reuocabis illam ad Barbara.

§. 7. Iam verò Reductio *per impossibile*, quæ denotatur per literam C, fit hunc in modum. Negat aduersarius consequentiam indirectam alicuius ex prædictis modis, concessis præmissis eiusdem. Tunc inferenda est contradictoria conclusionis negatæ, quam necessario concedet respondens, nè duas contradictorias simul negет: Deinde hæc contradictoria conclusionis concessa ponitur pro præmissa in Syllogismo simul cum maiore, vel minore anteà concessis, & colligitur in *Barbara* contradictoria conclusionis antea negatæ, quæ iterùm negari iam non potest ob euidentiam conclusionis in *Barbara*, proindeque cogitur aduersarius, concedere duas contradictorias. Sic, & non aliter Syllogismi in *Barocco*, & *Bocardo* reuocari possunt ad *Barbara*: hoc tamen discrimine, quod in reductione Syllogismi in *Baroco* seruatur maior concessa, & pro minore ponitur contradictoria conclusionis negatæ. Ast in *Bocardo* contradictoria conclusionis negatæ ponitur pro maiore, & seruatur minor ante concessa. V. g. En Syllogismus in Baroco. *Omnis homo est animal; aliquis lapis non est animal*: *ergo aliquis lapis non est homo*. Negata consequentia infer contradictoriam. *Ergo omnis lapis est homo*, quam propugnans tenetur concedere, eo ipso, quod oppositam negauerit. Statue nunc pro minore hanc propositionem concessam, & retine etiam maiorem concessam, ex quibus hanc inferes conclusionem. *Ergo omnis lapis est animal*. Et Syllogismus euadet perfectus in *Barbara*. *Omnis homo est animal, omnis lapis est homo; ergo omnis lapis est animal*. Atqui hæc conclusio negari non potest, & tamen est contradictoria minoris iam concessæ, & conclusionis antea negatæ, quam pro minore posuisti; Ergo cogitur duas concedere contradictorias, quas impossibile est, esse simul veras.

§. 8. Perge iam ad Syllogismum in *Bocardo*. *Aliquis homo non est lapis, omnis homo est rationalis*: *ergo aliquod rationale non est lapis*. Si negetur consequentia, ergo eius contradictoria erit concedenda, nempe: *Ergo omne rationale est lapis*. Tunc stathe hanc pro maiore, & retine minorem concessam præcedentis Syllogismi, ex quibus inferes contradictoriam maioris iam concessæ. Ergo omnis homo est lapis. Fietque Syllogismus in *Barbara* hunc in modum: *Omne rationale est lapis, omnis homo est rationalis*: *Ergo omnis homo est lapis*. Et quia conclusio in Barbara negari non potest, velit, nolit respondens, duas vorabit contradictorias, vt veras.

§. 9. Cæteri autem modi imperfecti, quos ad priores primæ Figuræ ostensiuè reduci diximus, etiam possunt ad eosdem reuocari per hunc prædictum modum reductionis *per impossibile*. Sũt omnes quindecim, & vt facile scias, qui nam eorum, & ad quosnam ex perfectis reduci debeant, id significarunt Dialectici quindecim etiam literis vocalibus, quæ in his dictionibus continentur.

Prima *Nesciebatis*
Secunda *Odiebam*
Tertia *Lætare Romanis*.

Quarum *prima* habet quinque syllabas respondentes quinque modis imperfectis primæ figuræ, *secunda* habet quatuor pro quatuor modis secundæ figuræ, Duæ sequentes habent sex, quæ similiter respondent *sex modis tertiæ*. Omnes sunt *A. E. I. O.* quarum significatum supra expressimis versiculis: *Asserit A. negat E*, &c. Vnde *A.* significat conclusionem vniuersalem affirmatiuam in *Barbara*. *E.* Vniuersalem negatiuam in *Celarent*. *I.* particularem affirmatiuam in *Darij*. *O.* particularem negatiuam in *Ferio*: his bene notatis. Vide quem modum ex imperfectis reducere

velis

velis per *impossibile*? Si aliquem primæ figuræ; vade ad vocem *nesciebatis*, in qua prima syllaba significat primum modum *Baralip.* reducendum per *E*, idest ad *Ferio*. Secunda, quæ est *I*, significat secundum modum *Celantes* reducendum ad *Darij*, & sic deinceps. Similiter modos secundæ figuræ reduces iuxta vocales illius secundæ vocis, *Odiebam*: id est primum modum *Cesare* respondentem primæ vocali *O*, reduces ad *Ferio*: Camestres autem, quia secundus est ad *Darij*, quia secunda vocalis est *I*, &c. Denique tertiæ figuræ modos eodem ordine reuocabis: primum nempe *Darapti* respondentem primæ vocali *E*. in *Cæsare* ad *Ferio*, secundum *Felapton* ad *Barbara*, quia secunda vocalis est *A*, & sic deinceps.

§. 10. Sed quia in Reductione *per impossibile* prædictorum modorum debet retineri vna ex præmissis, posita contradictoria conclusionis negatæ pro maiore, vel minore; ne dubites, quando retinenda sit maior, quando ve minor, aduerte, quod in modis imperfectis primæ figuræ semper contradictoria conclusionis ponenda est pro maiore, & seruanda minor iam concessa: excipe tamen modum in *Celantes*, in quo res vice versa se habet.

§. 11. In huius modi Reductionibus non semper deducitur aduersarius immediatè ad duas contradictorias concedendas vt veras, sed interdum etiam ad duas contrarias simul veras, vt contingit in *Fapesmo* in secunda, necnon, & in *Darapti*, & *Felapton* in tertia; id quod etiam est imposibile.

§. 12. Pro modis autem secundæ, & tertiæ figuræ quo pacto te debeas gerere sequentes versiculi docebunt.

Seruat maiorem, variat que secunda minorem:
Tertia maiorem variat, retinet que minorem.

Idest: in Reductione modorum imperfectorum secundæ figuræ retinetur maior anteà concessa, & pro minore ponitur contradictoria conclusionis negatæ: in tertia res viceuersa se habet: pro maiore ponitur contradictoria conclusionis negatæ, & retinetur minor. Fateor hæc omnia non facilè posse versari à tyronibus, nec nisi laboriosè exequi: qua propter *Instante præceptore* (monitum M. Banesij adiungo.) *Discipuli ingenium exerceant: maior tamen diligentia adhibenda est circa exercitationem reducendi, & reuocandi quindecim modos imperfectos ad quatuor perfectissimos.* Et vt cum Hurtado rem concludam: *Hic opus est memoria, & contentione iuuenili.*

DISSERTATIO VLTIMA.

De Syllogismo expositorio.

Syllogismus expositorius est cuius medium est terminus singularis omninò. Diciturque talis; eo quod adeo sit perspicuus, & euidens, vt rem illatam quasi oculis inspiciendam exponat. Vt hic; *Plato est Philosophus*; *Hic homo est Plato*: ergo *hic homo est Philosophus*. Diximus *singularis omninò*, idest prorsus in communicabile alteri. Quia si medium alioqui singulare, etiam sit simul communicabile alteri, vt hic terminus *Deus*: Syllogismus haud concludet, nec expositorius erit. Vnde hæc illatio non valet: *Pater est hic Deus, Filius est hic Deus*: ergo *Filius est Pater*. Potest huiusmodi Syllogismus in omnibus formari figuris: aptius tamen in tertia, quia medius terminus, cum sit singularis, procliuiùs subijcitur, quàm prædicatur. Vide, si lubet plura de Syllogismo expositorio apud Banesium lib. 5. cap. 9.

FINIS SVMMVLARVM.

DISSERTATIO PRIMA.

De natura, obiecto, & proprietatibus Dialecticæ artificialis.

§. I. BREVITER, pinguique (vt aiunt) Minerua Proœmiales, quas dicunt quæstiones expediam: Odi quippe nonnullos, qui in Dialecticæ prologo menis omnes fermè difficultates ad libros de Anima, & Metaphysicam spectantes immatura disputatione consarcinant. Vt de vnitate, & specificatione scientiarum, de Habituum influxu, de Practici, & speculatiui notionibus, de operationum humani intellectus œconomia, &c. quibus nihil sanè præstant; nisi Tyrones Dialecticam alioqui difficilem aggredientes deterrent: ipso enim limine aliunde quæsitas obijciunt feras.

Multaque præterea variarum mostra ferarum.
Centauri in foribus stabulant Scyllæ que biformes, &c.

Profecto in Dialecticæ iam versatis palestra, assiduoque luctandi puluere duratis eiusmodi Gorgones, & terriculamenta non adeò horribilia apparerent, cederent fortasse, & iuuentutis animos in ipso scientiarum vestibulo ostenta haud præpedirent, quin ad earum penettalia possent peruenire: Ast nunc.

Vestibulum ante ipsum, primis que in frontibus Artis.
Luctus, & vltrices posuere cubilia curæ.
Terribiles visuformæ, Lectumque, Laborque.

Quæ meritò doluit sapientissimus M. Sotus, atque ad eius modi formidamina allusisse videtur, dum in nuncupatoria Epistola ita proloquitur: *Adde quòd monstrorum turbam, quæ suis cuiusque locis agitata mitiora fuissent, in ipsum statim vestibulum proferunt, quibus qui Dialecticam adere cupiunt ingressu arceantur.* Nos vero terrores hosce amoliemur, monstra cicurabimus, & rem iuuentuti horribilem, ac duram emollire, breuiare, & vt si di-

sic dicam, mansuefacere pro virili conabimur.

§. 2. Dialectica, seu Logica (licet ab antiquis pro diuersis fuerint habitæ; & primum nomen *à disserendo*, & alterum *à loquendo*, seu *ratiocinando* Græca origine appellationem traxerit) nunc iam pro eadem facultate promiscue vsurpatur à Doctoribus. Describitur à S. Isidoro lib. 2. Ætymolog. cap. 22. *Dialectica est disciplina ad discernendas rerum causas inuenta, ipsa est, Philosophiæ species, quæ Logica dicitur, idest Rationalis definiendi, quærendi, & discernendi potens: docet enim in pluribus generibus quæstionum, quem admodum disputando vera, & falsa dijudicantur.* Ex quibus nonnulli antiquorum sic definiunt: est *Ars, seu scientia, quæ doctrinaliter tradit præcepta definniendi, diuidendi, & argumentandi.* Thomistarum vero recentiores alij hac vtuntur definitione. *Habitus speculatiuus præstans scientificam, & artificialem cognitionem modi sciendi in communi*, quæ videtur præstabilior; omnis enim scientia in ordine ad suum proprium obiectum definienda est; quippè quæ ab eo suam capit specificationem, & essentialem perfectionem: Sed quoniam nemo dubitat Logicæ munus, ac præcipuum scopum esse tradere modos, seu instrumenta sciendi, quibus intellectus operationes rectificet, & dirigat, omnino oportet, nunc inquirere: quod nam sit illius obiectum formale? Modus nesciendi realis, qui est ipsemet actus intellectus ab ipsa directus, aut dirigibilis? an vero modus sciendi obiectiuus, seu aliquod ens rationis, quod dicitur *secunda intentio Logicalis*? (Nam ens rationis in tota suæ notionis amplitudine acceptum, nemo sanæ mentis existimat Dialecticæ formale obiectum esse, cum ad Metaphysicam eius contemplatio spectet, & quidem secundario, & per accidens) ex horum enim notitia plenius, planiusque natura ipsius Dialecticæ innotescet. Quo circa sit,

THEOREMA I.

Quodnam sit Dialecticæ obiectum? Modus nè sciendi realis, an secunda intentio?

§. 3. Obiectum est id, quod *potentiæ, vel habitui cognoscendum obijcitur*, seu ad cuius *contemplationem scientia, vel potentia ordinatur*: nuncupatur etiam *Subiectum*; non quidem quia scientia illi inhæret, sed quia subiectum est passionum, & prædicatorum, quæ de illo scientia demonstrat: appellatur etiam *Materia* circa quam habitus, vel potentia versatur. Est duplex, materiale, & formale: Materiale est, *quod non per se, sed per obiectum formale, & ratione illius attingitur, vel consideratur*: Formale vero est: *quod per se, & primario attingitur*, vel *consideratur à potentia, vel scientia.* Sic in pariete viso vg. color erit formale obiectum visus, quoniam primo, ac per se cernitur per visum: paries vero materiale erit obiectum, quippe qui non per se, & primò, sed quia vt coloratus, & ratione coloris visionem terminat. Obiectum formale solet etiam dici ratio formalis *sub qua*, & est, *quæ habitum specificat & distinguit ab alijs. id, quod obiecto materiali non conuenit.*

§. 4. Rursus obiectum, aliud est adæquatum, scilicet, quod, *omnia contineat quæ tractantur in scientia*, Aliud inadæquatum, & *est aliquid eorum, quæ in illa contemplantur tanquam inferiora obiecti adæquati.* Inter quæ inadæquata obiecta, id quod est excelentius, & cuius notitia præcipuè attenditur in scientia dicitur obiectum principale, seu principalitatis Sic *homo* vg. quod animalium præstantissimum est, erit huiusmodi obiectum scientiæ naturas animalium considerantis. Denique obiectum adæquatum, alia notione, dicitur, *Attributionis*: Tum primo: Quia omnia quæ in scientia tractantur ad illud reuocantur, seu attribuuntur, vel tanquam principia, vel tanquam partes, aut species, siue vt proprietates illius. Tum secundo, quia de illo præcipuè curat scientia. Tum denique tertiò, quia per illud scientia à cæteris distinguitur: quæ sunt condiriones à Diuo Thoma præscriptæ super Prolog. Sententiar. artic. 4.

§. 5. Iam vero vt omnino certum statuo, Logicæ finem vltimatum, & remotum esse dirigere operationes nostri intellectus, quod eleganter explicuit Doctor Angelicus primo Posterior. lect. prima *Ars quædam necessaria est* (inquit) *vt sit directiua ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter & sine errore procedat. Et hæc ars est Logica, idest rationalis scientia, quæ non solum rationalis est ex hoc, quod est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicuti circa propriam materiam.* Posuerat ille supra exemplum de Architectonica, seu Artefabrili. *Sicut igitur* (inquit) *ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinuenta est Ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinatè huius actus exercere pot est: eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius actus rationis.* Hæc ille: Ex quibus liquido apparet, malè à nonnullis confundi obiectum formale cum fine remoto, & extrinseco cuiuslibet facultatis. Nam sicut Ars ædificatoria necessaria est ad dirigendas actiones manus, ita secundum D. Thomam Logica est necessaria ad dirigendas operationes rationis; at qui stultum esset dicere, actiones manus vt dirigibiles esse obiectdm formale Artis ædificatoriæ, cum certum sit ipsam Domum arte factam, vel factibilem esse ipsius formale obiectum. Igitur nec operationes intellectus adhuc vt dirigibiles erunt formale obiectum Logicæ: Esto sit finis illius extrinsecus, remotus, seu vltimatus directio illarum etiam in cæteris scientijs: Sicuti finis remotus Artis ædificatoriæ est commoda hominum habitatio, seu defensio illius à Cœli tempestatibus, ad quam illa vltimò tendit.

§. 6. Diriguntur autem operationes intellectus per instrumenta sciendi, qualia sunt: *Definitio, Diuisio, Argumentatio*, quæ Logica conficit considerando, vel conficiendo considerat: Et sumitur hic modus, seu instrumentum sciendi, non strictè pro faciente scire formaliter; hoc enim modo sola demonstratio, quæ est Syllogismus ex præmissis euidentibus, & necessarijs compactus, facit scire, & generat scientiam: Sed sumitur pro omni instrumento quod me-

dia-

diatè, vel immediatè, complexè, vel incomplexè deseruiat ad acquisitionem scientiæ, vt *Definitio, Diuisio, Syllogismus Topicus &c.* adquæ etiam reducimus terminos simplices, vt *prædicatum, Subiectum, Vniuersale, &c.* Iam vero operatio intellectus bifariam sumitur: Primo, *pro ipso actu intelligendi*, Secundo pro *conceptu obiectiuo, idest pro re cognita, & repræsentata per conceptum formalem*. Rursus directio huiusmodi operationum intellectus est duplex: alia enim est actiua, *quæ se habet ex parte ipsorum actuum dirigentium*, alia passiua, *quæ se habet ex parte conceptus obiectiui, & rei cognitæ*, quæ eo ipso denominatur *directa* extrinsecè à directione actiua: & hæ ambæ sunt reales. At vero si noster intellectus præter hanc denominationem extrinsecam eius occasione concipiat aliquam quasi formam intrinsecam in ipso conceptu obiectiuo, à qua illum denominat intrinsecè dispositum, ordinatum, seu *directum* (eo scilicet modo, quo in pariete viso, præter hoc, quod passiuè denominatur *visus* extrinsecè; potest illud esse visum apprehendi in illo, quasi esset aliquid intrinsecum ipsi) hoc sanè erit ens rationis, siue directio ficta ab intellectu: Fit enim ens rationis ex D. Thoma, dum intellectus nititur apprehendere, quod non est, perinde, ac si esset. Denique cùm nihil actu dirigatur, quin potentia non sit dirigibile, seu non habeat capacitatem directionis, consideranda est etiam dirigibilitas quædam, seu aptitudo in ipso actu intellectus, vt dirigatur, quæ quidem omnino realis est, vtpote passio naturam eiusdem realiter consequens.

§. 7. Facile est, hæc omnia in vno Syllogismo vg. ostendere. Discursus ipse *est operatio actiuè sumpta, seu conceptus formalis, obiecta vero extremitatum, & medij sunt operationes, seu conceptus obiectiui*. Rursus ex regulis Logicæ decentis, ea sic debere disponi, nempe, *quod præmissæ sint vniuersales, & in prima Figura*, quòd *Medium subijciatur in maiore, & prædicetur in Minore, quod illatio sit directa, &c.* dum intellectus hæc exequitur directionem præstat *actiuam*, & conceptus obiectiui eo ipso redduntur *passiuè* directi: At vero relationes eius modi, quas concipit intellectus *Extremitatum, Medij, Figuræ, subiecti, prædicati, &c.* sunt quædam species Entis rationis, quas dicimus *secundas intentiones Logicales*, cùm re vera talis ordo rebus cognitis non competat à parte rei; atque in his consistit artificium huius scientiæ: est enim forma artificialis, quæ actuat, & perficit materiam artificialem (vt sic dicam) nempè actus & operationes intellectus per illam dirigibiles: eo ferè modo, quo forma artificialis Domus vg. actuat, & perficit materiam illius vg. *lapides, ligna, &c.* Equidem ordo ille apprehensus, nempe artificium Logicale est formalissima directio, seu instrumentum dirigendi operationes intellectus, atque ita præcipuum, vt illo posito, actus intellectus tàm formalis, quàm obiectiuus statim reddantur formaliter directi. Posito enim ordine *generis*, & *differentiæ*, statim constituitur *Definitio* formaliter directa: posito ordine totius ad suas partes, dirigitur formalis *Diuisio, &c.* Difficultas ergo tota est in explicando, quænam ex his directionibus sit obiectum formale Logicæ? Quo circa tot sunt Dialecticorum sententiæ, vt vel sola earum enumeratio difficiliorem reddat Quæstionem. Ricardus Lynceus lib. 2. tract. 2. cap. 5. Viginti sententias recenset præter suam. & M. Sotus ait, in hac quæstione tot esse opiniones, quot capita: nos eas ad duas dumtaxat principales redigemus.

§. 8. Prima sententia tenet, obiectum formale Logicæ, esse quid reale, scilicet, ipsas intellectus operationes vt dirigibiles; ita vt dirigibilitas earum sit ratio formalis sub qua illæ considerantur. Alij vero dicunt, esse ipsam directionem passiuam earum operationum prout extrinsecè denominantur à directione actiua, scilicet à cognitione Vg. definiente, diuidente, &c. ab his enim habet actus intellectus rectitudinem Definiti, prædicati, diuisi, &c. quæ denominationes proculdubio sunt reales. Ast quoniam non nulli aduerterunt huiusmodi directionem, seu rectitudinem constitui per ordinem quemdam rationis, vt generis, & Differentiæ in Definitione, & per ordinem totius ad suas partes subijcibiles in Diuisione, &c. qui quidem respectus, seu ordo reuera non conuenit intrinsecè, neque rebus cognitis, neque actibus intellectus illas repræsentantibus à parte rei, sed solum ex mera mentis nostræ apprehensione: Dicunt consequenter eius modi secundas intentiones esse quidem aliquid Entis rationis intrinsecè afficiens Definitionem, Diuisionem, Syllogismum, &c. Negant vero Logicam considerare tanquam obiectum formale eius modi entia rationis, quæ postea secundariò, & per accidens resultant. Nam in *Definitione* vg. eo ipso, quod realiter detur cognitio expressè repræsentans essentiam rei, dabitur quidquid exigitur ad modum sciendi realem, & obiectum Logicæ, adhuc antequam per illam cognitionem in re cognita resultet, vel non resultet Ens rationis, vel secunda intentio. Cæterùm Neoterici Scriptores hac de re ita variè loquuntur, sicut PP. Carmelitani Complutenses notarunt, nunc ad vnum; nunc ad alterum dicendi modum declinantes, vt me iudice, vel ipsa varietas, & incertitudo opinantiũ eos faciat vehementer de falsitate suspectos.

§. 9. Altera sententia affirmat obiectum formale Logicæ esse quoddam Entis rationis *genus*, quod secunda intentio appellatur; *fictum* quidem sed cum maximo in rebus fundamento. Hanc tenent constanter Peripatetici omnes, & vtraque orbis literarij florentissima Schola, Diui Thomę scilicet, & subtilis Scoti, quorum innumeros recensere Discipulos superuacaneum est. Vnde perperam scripsit Ricardus Lynceus, illam iam labantem Thomistas tibicinibus quibusdam fulcire, id quod etiam de Scotistis dicere debuit: At vero infra videbimus tormenta bellica, & Arietes, quibus illam faciat ipse labascere.

PROTASIS THOMISTICA.

§. 10. Dico primo: Obiectum formale Logicæ non est quid reale. Probatur primo

mo communiter à nostratibus: Operationes ipsæ intellectus vt tales, & adhuc vt dirigibiles non possunt esse obiectum formale Logicæ; Nam vt ex fundamento, quod supra §. 5. indicauimus patet, eiusmodi operationes sunt ipsa materia dirigibilis, in quam inducenda est directio, seu forma artificiosa Logicalis: Ergo illæ potius sunt subiectum receptiuum eius modi artificij, ac proinde sunt obiectum materiale; Immò aliquid aliud ab illis distinctum, easque intrinsece informans erit obiectum formale Logicæ. Antecedens admittitur ab Aduersarijs: Consequentia probatur. Omnis ars dirigens aut perficiens aliquam materiam ab ipsa dirigibilem, aut artificiabilem, habet pro obiecto formali ipsam formam artefacti intrinsecè perficientem talem materiam, ab illa que realiter distinctam; Sed Logica dirigit operationes intellectus tanquam propriam materiam ab ipsa artificiabilem: ergo habet pro obiecto formali non quidem intellectus operationes, sed formam intrinsecè illas perficientem, & constituentem in ratione artefacti Logicalis, ab illisque realiter distinctam. Maior est per se nota, & ostenditur inductione in omnibus artibus. Minor docetur clarissimè à D. Thoma supra §. 5. laudato. *Sicut enim* (inquit) *ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinetur, adinuenta est Ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinatè huius actus exercere potest: eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius actus rationis.* Consequentia est bona.

§. 11. Probatur secundo. Neque item ipsa directio actiua, etiam vt denominans extrinsecè actus intellectus est obiectum formale Logicæ: Quoniam Nulla ars præsertim si sit simpliciter practica habet pro obiecto formali ipsas actiones, motus, seu tendentias, quibus attingit formam illius artefacti, ad quod per se ordinatur; Sed per vos Logica est ars simpliciter practica: ergo non habet pro obiecto formali ipsas actiones, motus, seu tendentias, quibus attingit formam artefacti, ad quod illa per se ordinatur. Discursus legitimus. At qui directio actiua etiam vt denominans extrinsecè actum intellectus, est ipsa tendentia, seu actio, qua Logica attingit formam illius artefacti, idest actus artificio Logicali directi, respectu cuius dicitur practica, seu directiua: Ergo potius habet pro obiecto formali ipsam formam artefacti, & non directionem actiuam illius. Consequentia liquet. Antecedens ostenditur inductione in omni arte, & facultate practica: Nam Architectonica non habet pro obiecto formali actiones manus dolantis lapides, ligna, &c. Ars Pictoria non habet pro obiecto motus Penicilli, neque actiones pingendi, &c.

§. 12. Confirmatur: Dirigibilitas actus intellectus, vel est ipsa realis passiua capacitas, quam intellectus habet in actu primo, vt dirigi possit: Et sic eius consideratio non pertinet ad logicam, sed potiùs ad Philosophum Animasticum. Vel est dirigibilitas formalis, idest aptitudo, vt in actu secundo dirigatur per actus Logicæ: & sic est mera denominatio extrinseca sumpta à directione actiua, quæ vt supra ostensum est, neque ipsa est obiectum formale Logicæ, neque aliquid intrinsecum formale ponit in actu intellectus denominato, quod re vera exigebatur ad rationem formæ artificialis inducendæ in operationes intellectus vt dirigibiles.

PROTASIS ALTERA,

§. 13. Dico secundo: Obiectum formale Dialecticæ est secunda illa intentio, quam Logicalem appellant, applicabilem primis; genus scilicet Entis rationis cum fundamento in rebus fabricatum. Est expressa Diuini Aquinatis, & subtilissimi Scoti Sententia, vt supra edixi. Probatur primùm celebri illo, & aduersarijs formidabili Sancti Doctoris testimonio ad 4. Metaphysicæ lectione quarta. *Ens est duplex* (inquit) *ens scilicet rationis, & ens naturæ. Ens autem rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huius modi Ens rationis est propriè subiectum Logicæ. Huiusmodi autem intentiones intelligibiles Entibus naturæ æquiparantur, eo quòd omnia entia naturæ sub consideratione rationis cadunt, & ideo subiectum Logicæ ad omnia se extendit, de quibus ens naturæ prædicatur.* Hæc ferè eadem docet ille locis ferè innumeris.

§. 14. Respondet Alphonsus Peñafiel, nec vnum ex his verbis scripsisse D. Thomam, & quæ citantur ficta esse, quia eo loco non egit de Logica, proindeque non potuisse illum ibi de obiecto Logicæ agere. Sed vero responsio hæc non impugnanda, sed ridenda est; tamen obiter nota duas Peñafielis malas consequentias. *Prima est:* Ego nunquam vidi, neque legi Diuum Thomam eo loco Metaphysicæ: ergo hæc verba, quæ inibi citantur ficta sunt: *Altera* D. Thomas lectione illa Metaphysicæ non agit de Logica: ergo non potuit de obiecto illius agere. Respondet secundo. Sanctum Doctorem ibi loqui de obiecto secundario. Tertio: conceptus mentales appellari entia rationis. Verum enim vero nullam harum interpretationum admittimus: Tum quia si verè affirmasti Diuum Thomam nihil tale scripsisse: quomodò nunc dicis, illum sic, vel sic esse loquutum? Tùm etiam maximè, quia qui nec literam Diui Thomæ vidit, aut legit, non potest illum aptè interpretari, nec connexionem verborum, aut textus sensum assequi, vt est euidens.

§. 15. Porrò adeò perspicua, ac dilucida sunt D. Thomæ verba pro nostra sententia, vt omnes aduersariorum explicatus sint omninò violenti, detorti, ac insipidi. Nam quòd aiunt, sermonem esse de *obiecto secundario*: aperte, refellitur per ly *Huiusmodi ens rationis est propriè subiectum Logicæ*. Quod autem alij entia rationis exponunt de operationibus intellectus, quæ eo vocabulo solent appellari, facilimè confutatur per illa verba *Sicut intentio generis, speciei, & similium: quæ quidem non inueniuntur in rerum natura*. Quis enim nisi mentis inops dicat conceptus mentales, & cognitiones intellectus *non inueniri in rerum natura*?

§. 16. Probatur secundo ratione. Logica dirigen-

rigendo operationes intellectus habet pro obiecto formali formam sui artefacti, seu artificium intrinsecum, quod ponit in operationibus ita artificialiter directis; At qui talis forma artefacti Logicalis, seu artificium intrinsecum, quod in illis ponit, est formaliter ens rationis, siue secunda intentio, & non quid reale: Ergo obiectum formale Logicæ est ens rationis, siue secunda intentio. Maior est per se nota, & Inductione patebit in omni arte: nulla enim non habet pro obiecto formam sui artefacti, vt Architectonica formam Domus, Ars frœni factoria formam frœni, &c. Minorem probo: Logica construit tanquam proprium artefactum instrumenta sciendi, vt Definitionem, Diuisionem, Syllogismum, &c. quæ sunt concreta quædam, quæ cõstant ex entitate reali actus intellectus tanquam materia, & ex secunda intentione tanquam forma; ergo forma huiuscemodi artefactorum est ens rationis. Probo antecedens: Ordo *Generis* ad *Differentiam* v. g. sicuti potentiæ perfectibilis ad actum perfectiuum constituit *Definitionem* inesse compositi, & artefacti Logicalis: Ordo totius potentialis, vt resolubilis in partes subiectiuas constituit *Diuisionem*: *Ordo* præmissarum ad inuicem, & ad conclusionem tanquam Causæ ad effectum constituit *Syllogismum*; sed huius modi ordines nullum esse habent à parte rei, sed solum modò existunt in nostra apprehensione: ergo instrumenta, quæ Logica fabricatur, constant ex ente rationis, seu secunda intentione tanquam ex forma artificiali. Minor, & consequentia satis clarent. Maiorem ostendo primò ratione. Quia in actu intellectus directo per Logicam nihil intrinsecum ponit directio actiua realiter, sed solam denominationem extrinsecam, quæ forma intrinseca illi esse non potest: ergo si quid apprehenditur in actu ita directo, & formato in instrumentum sciendi quasi artificiosa dispositio, seu ordo intrinsecè illi inhærens, erit purum ens rationis fictum, & solummodo apprehensum; secundo: Quia eamdem maiorem eleganter docuerat Magister Angelicus primo Ethicorum lectione prima. Vbi post quam docuit, ordinem rerum quadrupliciter comparari ad rationem, ex cuius distinctione colligit diuersitatem scientiarum hæc habet. *Ordo autem* (inquit) *quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad inuicem, & signa conceptuum, quæ sunt voces significatiuæ. Tertius autem &c.* & paucis interiectis pergit sic: *Secundum hos diuersos ordines sunt diuersæ scientiæ. Nam ad Philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio considerat, sed non facit. Ordo autem quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam* (Ecce Logica: & attende Lector) *Cuius est considerare ordinem partium orationis ad inuicem, & ordinem principiorum ad inuicem, & ad conclusionem.* Hæc ille. Ergo Ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu est forma artefacti Logicalis. Vt ordo *partium orationis ad inuicem* in Definitione scilicet Genris ad differentiam, & è contra. Ordo *principiorum ad inuicem* in Syllogismo, scilicet *Maioris*, atque *Minoris Extremitatis, situationis Medij, &c. Et ad conclusionem*, scilicet illam continere, causare directè, indirectè, &c. Patet ergo ex verbis Angelicis, obiectum Logicę formale, atque primarium esse secundam intentionem, seu quoddam entis rationis genus: Tum quia eiusmodi ordo est omnino fictus, quippe *quem ratio considerando facit in proprio actu*. Tum etiam, quia Logica diuersificatur ab alijs scientijs per hoc quod *eius sit considerare*, tanquam obiectum *eius modi Ordinem*: Obiecta autem secundaria non tribuunt scientijs distinctionem, sicuti nec vnitatem, & specificationem.

§. 17. Confirmatur communiter ex manifesto Logicæ progressu, quæ tota in explicandis secundis intentionibus insumitur. Nam introductio Porphyrij agit de *Prædicabilitate, & quinque Vniuersalibus*: liber *Prædicamentorum* pro simplici apprehensione explicat terminos; res enim omnes, quæ subiectum, & prædicatum esse possunt in certas redigit classes. Equidem de substantia, de quantitate, &c. non agit secundùm quod sunt partes Entis realis, cum hæc consideratio ad Metaphysicam spectet, sed quatenus *subijcibilia*, vel *prædicabilia* sunt, quatenus *genera* sunt, *& species &c.* Vt clarè ostendam infra Dissertat 37. Et licet nostri sæculi vitio plus debitò de rebus ipsis occasione abutentes, immaturè tractemus; hoc tamen vnum ibi nec meminimus quidem, scilicet agere de dirigibilitate, seu directione actuum intellectus. Tum libri *Perihermenias, & Analytici* pro secunda, & tertia operatione intellectus regulas tradunt terminis, vocibus que secundæ intentionis, totique secundis intentionibus scatent, vt sunt *æquipollentia, Conuersio, Suppositio, Fabrica trium Figurarum, maior, minor que extremitas, reductio per impossibile, &c.* quibus materia artificiabilis nempe iudicium, & discursus recipiant artificium, & rectitudinem Logicæ.

§. 18. Dices cum P. Alphonso: ea omnia esse entia realia: Nam circa *Definitionem* v. g. Logica solum considerat, quòd sit clarior definito, quòd de ipso possit mutuò prædicari, &c. Ast ex eo quod præcise detur cognitio expresè repræsentans naturam rei, ipsa est clarior, quam natura, & de ipso prædicari potest; siue ex tali cognitione resultet ens rationis, siue non. Idem dicitur de genere, specie, differentia, &c. de quibus Logica solum considerat, quod abstrahantur à suis inferioribus, & de illis possint prędicari, quin curet, an constituantur per ens rationis &c.

§. 19. Sed contra: Hæc solutio prorsus est falsa, & quidem obnoxia Censuræ Magistri Sanchezij, quam infra excribemus. Tum quia tacet quod est præcipuum considerationis Logicæ in *Definitione* v. g. scilicet, quòd *debeat constare ex genere, & differentia*: neque enim definimus, nisi prædicata essentialia reducantur artificialiter ad partem materialem contrahibilem, nempe terminum incomplexum, qui essentiam significet in *Quid* incompletè; & ad partem contractiuam, quæ

quæ significet essentiam in *Quale*; At qui hæc constitui non possunt formaliter, nisi posito ordine rationis in huius modi partibus: Nam inter Animal, & Rationale v.g. nullus est ordo à parte rei, cum vtrumque sit vnus, & idem Petrus, vel Paulus: ergo Definitio formaliter sumpta, seu secundùm quòd formam artificialem dicit non est ens reale. Tum etiam: Quia hæ cognitiones repręsentant expresè prædicata intrinseca Hominis: Homo est *Substantia*, *Corpus*: Homo est *rationalitas*, *& ens*: Homo est *sensibile corpus, substantia*, *& animal &c.* Et tamen non eo ipso sunt definitiones Logicales: ergo non eo Ipso præcisè, quòd quælibet cognitio repræsentet expresse essentialia rei prædicata est Definitio artificiosa Logicæ. Tùm denique quia iam inculcas ipsa entia rationis, quæ fugere conaris: ait enim, Logicam solum considerare de Genere, an abstrahatur à suis inferioribus, & possit prædicari? Ast me hercle prædicari, & esse inferiora Generis entia realia non sunt, quis enim dicat, ordinem inferioritatis ad genus non esse fictum ens?

§. 20. Dices iterum cum Murcia Complutensi, & alijs, operationes reales, seu actus intellectus non vt cumque esse obiectum Logicæ formale; sed quatenus sunt modus sciendi: Sed contra: rogo enim, quid illud sit, quod additur, & actui accrescit, vt sit, fiat que modus sciendi? Nam re verà etiam cognitio hominis rustici est operatio intellectus, & tamen non est modus sciendi: ergo non per aliquid reale secum identificatum redditur modus sciendi. Certè nunquam probabit (opinor) ly *quatenus* nisi recurrat ad artificium Logicale, seu ordinem rationis, quo fiunt instrumenta sciendi.

§. 21. Hinc inferes primò: Modum sciendi obiectiuum communiter acceptum, & abstrahentem à Definitione, Diuisione, & Argumentatione esse formale, & adæquatum obiectum Logicæ: Obiectum verò principalitatis esse Syllogismum Demonstratiuum, qui est omnium instrumentorum sciendi præstantissimum, & ad quem cæteri ordinantur tanquam ad finem. Diximus autem *Obiectiuum*, Quia vt optimè notarunt PP. Complutenses: materia propria, & immediata, in qua recipitur formale obiectum Logicæ non sunt actus intellectus, sed res ipsæ, & entia: res enim sunt quæ propriè dicuntur, & sunt Genus, Species, Definitio, Syllogismus, &c. Quæ omnia solum conueniunt actibus intellectus secundum quid, & in repræsentando; dicuntur enim Definitio, quia repræsentant definitionem, & sic de cæteris.

§. 22. Inferes secundo: ad obiectum formale Logicæ pertinere etiam modos sciendi, seu secundas intentiones, quæ fundantur in vocibus, vt sunt *significatio, suppositio, Appellatio*, *Exclusio*, &c. quia harum notitia plurimum valet ad ostensionem veritatis; eo tamen discrimine, quod intentiones fundatæ in rebus primariò, & per se spectent ad formale obiectum Logicæ, & intentiones fundatæ in vocibus secundario; per se tamen: quod clarè docuit D. Thomas primo Perihermenias lect. secunda. *Sed quia Logica* (inquit) *ordinatur ad cognitionem de rebus sumendam, significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptibus intellectus pertinet ad principalem considerationem ipsius*. Hæc ille, quem sequuntur communiter Thomistæ. Inferes tertio tandem: quod quando dicimus, operationes intellectus esse materiam ipsam artificiabilem, & dirigibilem, de illis nos loqui prout vices gerunt obiecti, & sunt ipsæ res in repræsentando; nam vt sunt entitatiuè, & physicè in seipsis, non nisi valde remotè materia dici possunt.

Argumenta Aruersariorum confutata.

§. 23. Sed contra obijciunt primò: Omnis scientia causatur à suo obiecto; sed ens rationis non potest causare Logicam, quę est qualitas realis; cum sit imperfectius ipsa: ergo ens rationis non est obiectum Logicæ.

§. 24. Confirmatur: Logica agit de demonstratione v.g. secundum esse reale, quod habet; & non secundum vllam formam rationis, seu secundam intentionem: Sed Demonstratio est modorum omnium sciendi præstantissimus: ergo Logica agit de cæteris modis sciendi secundùm quod entia realia sunt. Maior probatur. Logica agit de demonstratione, quatenus est causatiua scientiæ; sed vt talis non est ens rationis: ergo agit de ipsa secundum esse reale, quod habet, id enim solum potest realiter generare scientiam.

§. 25. Respondeo. Distinguo Maiorem: Obiectum causat scientiam, tribuendo realem entitatem, nego maiorem: tribuendo specificationem extrinsecam. & commensurationem veritatis, concedo maiorem: deinde nego consequentiam. Nam secunda intentio Logicalis solum est causa veritatis, & specificationis actus Logici, qui eatenus est Logicalis, & verus, quatenus exprimit obiectum, scilicèt secundam intentionem vt est in se, quæ dicitur conformitas actus cum obiecto. Causatur autem scientia quoad realitatem ab actibus intellectus, scilicèt à Syllogismo demonstratiuo artificialiter constituto; ita tamen, quod *ipsum artificium* non sit causa realitatis scientiæ, licet sit conditio necessaria ad hoc vt actus in forma, & figura ordinatus causet sciontiam. Vide si vis Ortizium conferent. 2. Summul. num. 47. Vndè demonstratio v. g. causat scientiam sumpta *primo intentionaliter*, & pro substrato formæ rationis; ast sumpta *secundo intentionaliter* non causat actum scientificum, nisi signatè, & idæaliter, idest vt regula, & exemplar doctrinale ad hoc, vt exercitè fiat demonstratio: & hoc secundo modo sumpta, non primò, consideratur à Logica: per quod patet ad confirmationem, cuius maiorem nego, & eius probationis itidem nego maiorem.

§. 26. Obijciunt secundo. Quemadmodum Medicina est ars sanatiua corporis viui, ita Logica est ars directiua operationum intellectus; Sed corpus viuum vt sanabile est obiectum formale Medicinæ: ergo operatio intellectus vt dirigibilis est formale obiectum Logicæ.

§. 27. Respondeo data maiore distinguo mi-

minorem, vt sanabile est obiectum formale Medicinę, sanitate artificialiter acquisibili concedo minorem: Sanabile quomodolibet sumptum, nego minorem: Nam vti corpus sanabile in actu primo solum est materia, inquam est introducenda sanitas arte acquisibilis vt forma: ita operatio intellectus se habet, vt recipiat formam rationis artificiosam, quæ est formale obiectum Logicæ.

§. 28. Obijciunt tertiò: Sicut operationes intellectus quatenus tales spectant ad Philosophiam naturalem, ita quatenus sunt *dirigibiles* spectant ad Logicam: Atqui semel admisso, quod spectent ad Logicalem considerationem, non videtur quo modo possint reduci ad instrumenta directiua: ergo considerantur per se, & formaliter. Minor ostenditur: Nam operationes non sunt propter instrumenta, sed potiùs instrumenta propter operationes, *media enim reducuntur ad finem*, & non *finis ad media*: ergo operationes non reducuntur ad instrumenta, sed vt dirigibiles sunt obiectum formale Logicæ.

§. 29. Respondeo: nego minorem, & ad probatum distinguo: Operationes non sunt propter instrumenta inesse physico concedo: inesse scibili nego antecedens: quando enim scientia, vel ars est instrumentaria, qualis est Logica, primario considerat, & cudit instrumenta, & si operationes interdum consideret, ideo facit, vt commodiùs, rectius que ad illas dirigendas construat instrumenta: Sic ars frænofactoria non rarò considerabit ora, palatumque equorum, non per se, & formaliter, sed per accidens, & materialiter, idest vt frænos meliùs, commodatius que conflet. Sic ipse Aristoteles in libris Posteriorum egit de scientia, vt melius explicaret demonstrationem, quæ est obiectum primarium, & formale eius modi librorum: & tamen inesse physico demonstratio est propter scientiam, & scientia est finis demonstrationis; ordinatur autem, & reducitur inesse scibili non demonstratio ad scientiam, sed è contra scientia ad demonstrationem, & quod ibi solum fit sermo de scientia, vt rectè conficiatur instrumentum causatiuum ipsius, id quod & ante me alij scitè obseruarunt.

§. 30. Obijciunt quarto, & simul est instantia contra nostram solutionem. Multæ sunt artes instrumentariæ, in quibus videmus non instrumenta esse obiectum, sed operationes, ad quas eius modi instrumenta ordinantur. Nam in arte scribendi non *calamus*, sed *scriptura*, ad quam ordinatur, est obiectum: in arte Pictoria, non *penicillus*, sed *pictura*: in Medicina non *pharmaca*, sed *sanitas*: ergo similiter Logica non instrumenta dirigendi operationes intellectus respiciet per se formaliter, sed veritatem, & rectitudinem formalem earum, ad quam sua instrumenta ordinantur per se.

§. 31. Respondeo dato antecedente; nego consequentiam: & reddo disparitatem. Nam artes, quæ in argumento memorantur non sunt simpliciter instrumentariæ: cum etiam attingant opus, ad quod sua ordinantur instrumenta: aliæ vero sunt, simpliciter, & præcisè instrumentariæ, vt *Pharmacopæa*, respectu *Medicinæ*, Frænofactoria respectu Equestris (vt docet Aristoteles) Ferraria respectu lignariæ, &c. Ast Logica inter cæteras artes intellectuales est omnino, & simpliciter instrumentaria, nec aliud munus habet, quam ministrare instrumenta sciendi, & speculandi cæteris scientijs, quibus omnibus inferior est: Vnde sicut *Pharmacopæa* deseruit Medicinæ conficiendo pharmaca, et Medicinalia instruinstrumenta, ita quidem formaliter, & per se, vt non respiciat vt formale obiectum ipsam sanitatem corporis causabilem per huius modi instrumenta medica, sed tantum vt finem extrinsecum & remotum: haud secus Logica deseruit omnibus scientijs ministrando dumtaxat instrumenta differendi & speculandi rectè, quin formaliter specificetur à rectitudine, aut veritate operationum formalium intellectus, sed solum à rectitudine obiectiua, & artificiali suorum instrumentorum.

§. 32. Obijciunt quinto. Si vllum ens rationis esset obiectum formale Logicæ, maximè illud quod consequitur operationes intellectus definientis, deuidentis, & Syllogizantis: Sed hoc non: ergo nullum. Antecedens probatur primo: Per solam ordinationem extrinsecam obiectorũ inesse cognito, idest definitio, diuisio, &c. Verificatur quòd obiecta cognoscantur artificiosè per modum instrumenti Logicalis: ergo antequam resultet, & consequatur vllum ens rationis datur totum, quod exigitur ad obiectum formale Logicæ, scilicet forma artificialis. Antecedens liquet: Nam eius modi extrinseca ordinatio procedit ab actibus artis Logicæ: ergo denominat obiecta artificiosè cognita iuxta regulas artis. Probatur secundò primum antecedens: Prius natura conficitur definitio, diuisio, &c. quam resultet ens rationis: Quia actus definiendi, & diuidendi sunt fundamenta eiusmodi entis rationis; fundamentum autē semper est prius natura, quam res fundata; At qui in illo priori datur iam Logica, cum in ipso priori possit quis documenta Logicæ obseruare in constructione Syllogismi: ergo in illo priori datur iam obiectum Logicæ antequam pullulet ens rationis.

§. 33. Respondeo: nego minorem: & ad primam probationem dico, extrinsecam denominationem cogniti non posse eo ipso esse formam artefacti Logicalis, quæ debet esse intrinseca ipsi: quam ob rem quo vsque aliquid apprehendatur, vt quid intrinsecum artificiale inobiectis ita ordinatis, non dum actus habet formam, neque logica obiectum, nisi infieri, & extrinsecè: sicuti Domus per ædificationem actualem non dum est formaliter Domus nisi inchoatiuè, & infieri. Ad alteram propositionem dico: Actus exercitos definiendi, & diuidendi, &c. solum gaudere eiusmodi prioritate in ordine executionis; nam in ordine intentionis prior est forma artificialis, atque idæalis, quam dicimus esse secundam intentionem Definitionis, vel Diuisionis signatæ, quam logica contemplatur in eiusmodi operationibus: Vnde falsum est, dari logicam in aliquo priori, in quo data definitione, speculatur obiectum, quod non sit secunda in-

ten-

tentio, impossibile est enim dari definitionem sine forma Definitionis, Syllogismum sine artificio rationis, &c. quod est ordo ille, quem supra explicui §.16.

§. 34. Objiciunt sextò Neoterici contendentes Definitionem, Syllogismum, &c. non esse entia rationis, sed realia. Et Arriaga sic arguit: Modus sciendi est obiectum logicæ; sed modus sciendi est ens reale: ergo. Minorem probat. Modus sciendi sunt ipsi actus intellectus: sed hi sunt ens reale: ergo, &c. Mirari se (ait Arriaga) potuisse aliquos asserere adæquatum logicæ obiectum esse ens rationis: Quia licet illis daremus, denominationes definiti, diuisi, & similes esse entia rationis; quomodo negare possunt (inquit) Definitionem, Diuisionem, & Argumentationē, quæ sunt entia realia, (vt ipsi velint, nolint fateri debent) esse saltem partiale obiectum logicæ, & pergit ostendere, quod nec illæ denominationes sunt entia rationis.

§. 35. Non longe abest Ouiedus, qui sic obijcit. Obiectum logicæ sunt operationes intellectûs; hæ non sunt entia ficta, sed realia: ergo obiectum logicæ est aliquid reale. Probat minorem: Definitum, vt definitum tantùm importat denominationem extrinsecam, quæ non est ens fictum, sed reale indistinctum à subiecto denominato, & à forma denominante, scilicet à cognitione: ergo Definitum, vt definitum non dicit quid fictum, sed tantum, quid reale extrinsecum.

§. 36. Ricardus Lynceus inde probat. Ens rationis nō esse obiectum logicæ: Quia nec denominatio actiua, nec passiua actus definientis, diuidentis, &c. est ens rationis: ergo. Sed quia in neutra constituimus ens rationis, totum facilè damus Lynceo; cum id nec leuiter perstringat nostram sententiam. Tum sic obijcit *primo*: Hic actus *Animal aliud est rationale, aliud irrationale*, præcisa quacumque relatione rationis fictitia est Diuisio, & totum quoddam potestatiuum in suas partes distribuit: ergo per suam realem entitatem, & non per ens rationis est diuisio. *Secundo*. Similiter hic actus *Homo est Animal rationale* per se ipsum, & ante omne ens rationis repræsentat, hominem esse animal rationale, & per se ipsum est Definitio: Alioqui non esset vera, & realis definitio, sed fictitia, & chymerica; nam ideò homo albus non est substantialiter albus, quia albedo, quæ est forma denominans album non est substantia, sed accidens: ergo si forma artificiosa denominans Definitionem esset quid fictitium, definitio esset fictitia. *Tertio*. Nam quod intellectus arguat vnum ex alio inferendo, nihil est, nisi quod ex assensu extremorum cum medio, assentiatur identitati immediatæ eorumdem inter se, quod non est ens rationis. Hæc ille: quæ iam pridem obiecerat Hurtadus. Cætera, quæ longiùs ille prosequitur, vt leuioris momenti missa facimus cum versibus Vergilianis.

§. 37. Hoc argumentum ita communiter arrisit neotericis, vt ferè nullus eò non vtatur: sed ea est humana ingenij conditio, eo quod multis placuit pluribus interdū displiceat. Certe per doctus Vir M. Sanchez illud omninò contempsit, & asperrima censura taxauit: Et licet illud diligenter proposuerit, confirmationibus, & instantijs multo quidem fortiùs, quam, & ipsi aduersarij moderni faciunt, roborauerit; sic tamen reponit ad vndecimum *Respondetur, quod hoc argumentum est plenum stultitia logicali, & est indignum, quod à Viris doctis soluatur.* Abstineo à censura. Cæterùm licet Thomistæ vno verbo respondeant, Definitionem, & cætera, quæ in argumento supra memorantur esse quidem entia realia pro materiali, non vero pro formali sumpta: iubet tamen partem solutionis Sanchezij in medium proferre, vt pateat iam pridem hæc à nostratibus fuisse diluta. Postquam ergo ille plura reffellisset, ita sequitur.

§. 38. [*Similiter propositio* (inquit) formaliter est aliquid rationis, licet voces, & conceptus componentes illam sint aliquid reale: Nam accidit huiusmodi vocibus, & conceptibus sic ordinatis. *Homo est animal*, quod sint *propositio*, sicut accidit homini, quod sit albus, accidit inquam, in quantum sic accipiuntur ab intellectu. Licet enim iudicium sit aliquod reale, *propositio* formaliter est aliquid rationis, nec Prædicatum esse vnitum cum subiecto est aliquid reale: nam vnio accidit illi ex acceptione intellectus, & formaliter est relatio rationis. *Discursus* similiter, hoc est ratio cōsequentiæ quid rationis est formaliter, licet materialiter sit reale: Nam quod vna propositio sit id ex quo alia infertur, & è conuerso, accidit per intellectū illis materialibus, ex eo quod sic accipiuntur; nam neque ex natura sua habent quod sit antecedens, vel consequens: Fateor tamen assensus *maioris*, & *minoris* causare effectiuè assensum conclusionis, & materialia propositionis generare scientiam, & esse aliquid reale. Similiter esse *maiorem* formaliter est aliquid rationis, & esse etiam *minorem*, quia esse *propositionem*, est aliquid rationis formaliter: ergo esse maiorem propositionem: Fateor quidē quod significatio cōceptuū est aliquid reale. Cæterum, quod illi conceptus sortiantur rationē *propositionis* est secunda intentio, sicut quod Animal quod est quid reale sortiatur rationem *generis formaliter*. Et infra post aliorum solutionem de Definitione hæc subdit: *Definitio*, quidditatiua pro materiali est aliquid reale, formaliter vero est aliquid rationis? Nam quod illi conceptus sic accipiantur ab intellectu, sine sui mutatione fit: Clara vero, vel obscura significatio est in materialibus conceptibus, non in *secunda intentione*] &c. Hæc M. Sanchez.

§. 39. Hinc oportet iam singillatim Neotericis occurrere: Arriagæ nego vtramque minorem pro formali sumptam. Deinde ad suam admirationem dico, illum perperam mirari, quoniam qui dicimus secundam intentionem rationis esse obiectum adæquatum logicæ, de formali dumtaxat obiecto loquimur, nec in mentem venit excludere obiectum materiale: Qui enim diceret, adæquatum obiectum formale visus esse colorum nec memoraret parietem, qui solum est materia receptiua coloris, & affirmaret eum minimè esse nec partiale obiectum formale visus, rectè quidem, & verè id diceret: quinimmò qui miraretur hoc ab aliquo dici: irrationabiliter miraretur.

§. 40. Quiedo similiter nego maiorem: cu-

ius

ius cætera argumenta tyronibus proponere consulto noluimus, quia non paruam inuoluunt confusionem, & abusum terminorum: quæ ne inuidiosè ab homine Thomista, dici videantur, recognoscas apud Mastrium qu. proęmial. articulo 4. num. 36. Vbi eiusmodi argumenta optimè dirimit: quem serò licuit videre, & cum iam hæc prælo mandanda mittere parabamus.

§. 41. Lynceo tandem satis, superque responsum à M. Sanchezio. Sed quia dicit, Diuisionem Animalis in rationale, & irrationale sine vlla relatione fictitia distribuere totum potestatiuum in partes suas: necesse est aduertere, etiam ipsum esse *totum potestatiuum* non fieri, nisi relatione fictitia rationis, non enim datur in rebus: neque homo, leo reuera habent rationem *partium subiectiuarum* respectu illius, nisi ficto respectu. Vnde cum ita impingit ille in ipsas, quas refugit intentiones, vulgare nobis Hispaniarum in mentem reuocat prouerbium: *No jurcis Angulo: juro à Dios, que no juro.* Certè quale fuerit totum, talis erit diuisio, quæ nil aliud est quam resolutio totius in suas partes: & si totum, & partes relatione rationis constituuntur, nequit ipsa Diuisio simili relatione non constitui.

§. 42. Rursus malam consequentiam infert, *Definitionem* fore fictitiam, & Chymæricam, & non veram, & realem, si forma illius esset fictitia: Mala inquam: quia *fictitium, & Chymæricum* sunt prædicata opposita transcendentibus, ideoque suo modo sunt etiam transcendentia, quippe, quæ immediate appellant supra *rationem Entis*: Vnde etiam si forma accidentaria *Definitionis* sit fictitia, non potest absolute verificari de tota Definitione, quæ secundum substractam materiam est ens reale, quod sit *fictitia*: sed debet affirmari cum particula restringente *formaliter*, seu *secundo intentionaliter*, ita vt hæc propositio si vera: *Definitio secundo intentionaliter sumpta, seu secundum quod dicit de formali, est aliquid rationis, seu ens fictum.* Peccat tamen Lynceus, dum pro eodem vsurpat *fictitium*, & *Chymæricum*. Quoniam *Fictitium* potest esse quid cum fundamento in rebus, & ratione ratiocinata meditatum: *Chymæricum* vero significat monstra non solum falsæ, sed nugacis cognitionis, & sine fundamento delirantis. Tandem aduerto contra Lynceum, Definitionem non dici veram, & realem; sed bonam vel malam: non ergo pugnat cum forma rationis fictitia. Qui plura volet argumenta à nostratibus soluta adeat Sanchezium, & ex modernis M. M. Parram, & Dominicum Lynceum, qui ad satietatem vsque mensas dabunt. Nos enim longiùs quam promissis par erat, in his moram fecimus.

THEOREMA II.

Quid sint Logica docens, & vtens, & an in vicem distinguantur?

§. 43. SIcut Syllogismus diuiditur in *Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum*, quorum primus, *constat ex præmissis omninò veris, euidentibus*, ac *certis*; secundus *ex probabilibus*, & tertius *ex apparentibus, & falsis*: Ita Logica artificialis primo diuiditur in *partem Demonstratiuam, Topicam, & Sophisticam.* Secundo diuiditur in Logicam Docentem, & Vtentem: id, quod omnibus etiam artibus est commune: Sicut enim Architectonica primo docet regulas, & tradit exemplaria Domus ædificandæ, deinde illas mandat exequutioni, ac suis regulis vtitur: ita Logica dum *tradit præcepta, & normam conficiendi instrumenta sciendi, scilicet Definitionem, Diuisionem, Syllogismum*, &c. *Docens* dicitur: dum autem *illa exequitur conficiendo definitiones, & Syllogismos*, vt omnibus scientijs ministret, *Vtens* nuncupatur: Vnde apparet voculam *Vtens* sumi debere *actiuè*; nam si *passiuè* accipiatur, etiam ipsa *docens* Logica posset dici *Vtens*, vel fortasse rectius *Vsa*, quatenus omnes scientiæ vtuntur ipsa.

§. 44. Dicitur Logicam esse Docentem secundum omnes suas partes: quia non solum in parte Demonstratiua tradit scientificè regulas conficiendi *Demonstrationes*, sed etiam in parte Topica docet more scientifico, quomodo ex probabilibus probabiliter est deducenda conclusio, & quomodo ex præmissis fallacibus, & apparentibus conflari debeat *Sophisma*. Vtrùm vero habeat vsum, & dici debeat *Vtens* etiam secundum omnes suas partes? res est parui momenti, ac inutilis. Sunt qui affirmant, Logicam etiam in parte Demonstratiua esse Vtentem. (Nam in Topica, & Sophistica nemo dubitat, Logicam probabiliter, & interdum apparenter in omni materia suis Vti, & differere instrumentis.) Id probant: quia Logica in parte Demonstratiua dum ipsa tradit præcepta, modisque sciendi, in eis tradendis, & docendi vtitur ipsismet regulis, quas tradidit: ergo etiam est vtens in hac parte. Rursus: Quamuis Logica concurrat ad actus aliarum scientiarum, quatenus docens, idest proponit instrumenta communia, vt ordinatè procedant, & quamuis eas illuminet concursu directiuo, & doctrinali, tamen cum ipsis scientijs applicat in actu secundo easmet regulas formæ Syllogisticæ, &c. ad hoc vt suas eliciant Demonstrationes: Sed hoc pertinet ad Logicam quatenus est *Vtens*: Ergo, &c.

§. 45. Sunt contrà qui negent, quorum ratio est præcedentibus omnino opposita. Nam vel vsus Logicæ demonstratiuæ, fit in materia aliarum scientiarum, vel in propria? sed in neutra fit: ergo. Probatur antecedens quo ad primam partem. Nam in materia Philosophiæ v. g. Philosophia ipsa conficit demonstrationes vtendo regulis Logicæ directiuis; alioqui si huius, & cæterarum scientiarum demonstrationes sola Logica conficeret; sola Logica esset vniuersalis omnium scientia. Rursus quoad secundam partem probatur prædictum antecedens. Logica in propria materia non nisi suis vtitur secundis intentionibus Logicalibus, & non principijs extraneis aliarum scientiarum: Atqui ex D. Thoma 4. Metaph. lect. 4. *Vsus partis Demonstratiuæ consistit in vtendo principijs rerum, quæ ad scientias reales pertinent, non vtendo intentionibus Logicis.* Ergo Logica in materia propria non habet vsum partis Demonstratiuæ. Vtraque sententia est probabilis inter Thomistas: ast neganti fauet D. Thomas, qui

qui clarissimè ibidem sic ait: *Quædam partes Logicæ habent ipsam scientiam, & doctrinam, & vsum, sicut Dialectica tentatiua, & Sophistica; quædam autem doctrinam, & non vsum, sicut Demonstratiua.* Rationes affirmantium facile diluuntur, si dicas eiusmodi exercitium non extrahere vsum Logicæ demonstratiuæ à ratione Doctrinæ, quia est ipsa Doctrina actualis; non vsus propriè dictus, qui à D. Thoma qualis esse debeat supra ostenditur. Deinde nega, Logicam, aliarum scientiarum demonstrationes effectiuè elicere, cum non nisi extrinsece, ac idæaliter illas dirigat. Sed vt iam monui inutilia sunt ista.

§. 46. Quæres. An Logica docens distinguatur realiter ab Vtente? Respondeo, Diuisionem hanc esse Logicæ secundum diuersa eius munera, non in membra realiter distincta: sed quia Logica *docens* habet actus diuersos ab actibus Logicæ *Vtentis*, Logica docens prout connotat hosce actus, distinguitur à seipsa per considerationem intellectus, prout connotat, & producit illos alios. Hic enim actus v. g. *Omnis Definitio constare debet ex genere, & Differentia*, qui docentis est, diuersus est ab hoc, illud præceptum exequente. *Homo est animal rationale*, qui est actus Vtentis. Et vt exemplo M. Soti id ostendam. Idem habitus sub diuersis tantum considerationibus, est docens, & Vtens, sicut idem Malleus est, quem docet facere Faber Ferrarius, & quo vtitur Faber Lignarius.

THEOREMA III.

An, & quatenus Logica sit Scientia.

§. 47. IMmaturum esset hic de scientiæ natura, & diuisionibus serio agere, proindeq; breuiter dico Logicam esse scientiam, quia est *notitia habitualis certa, & euidens per Demonstrationem acquisita*. Id quod de Logica docente fatentur omnes: Quia de suo obiecto demonstrat passiones, & euidenter probat, quod Syllogismus *Demonstratiuus generet scientiam*, quod Topicus *pariat opinionem*, & Sophisticus *fallaciam*. At vero de Vtente melior, maior que Thomistarum pars censet, illam recedere à ratione scientiæ, quatenus in parte *Topica*, & *Sophistica* circa omnes aliarum scientiarũ materias disserit probabiliter, & apparenter: quod plane docuit Doctor Angellicus 4. Metaph. lect. 4. nec debet difficultatem facessere, quod cum logica docens sit scientia, & Vtens realiter sit eadem cum docente, tamen hæc non sit scientia, quod videtur contradictionem implicare; eadem enim facultas esset realiter, scientia, & non esset, quod est impossibile. Fatemur autem, Logicam vtentem realiter, & quo ad suam entitatem esse quidem scientiam, quia est ipsissima docens, ac reduplicatiuè prout vtentem, dicimus non explicare rationem scientiæ: Nam si iuxta regulas Logicæ docentis Philosophus naturalis, v. g. conficiat Syllogismos probabiles, & Sophista apparentes, & fallaces, neuter producet scientiam: & tamen eiusmodi Syllogismos per Logicam vtentem conficiet.

§. 48. Ratio à priori est, quia potest quælibet scientia præter actus primarios, quos respicit, & secundum quos specificatur, habere etiam nonnullos secundarios, & imperfectos, qui intra latitudinem eiusdem obiecti non pertingant ad perfectionem primorum. Firmum igitur habeat Tyro Logicam Docentem ab Vtente non nisi penès munera distingui. Nam eadem logica prout exercet munus disserendi: non scientificè, sed topice, atque sophistice consideratur, vt recedens à perfectione scientiæ; sicuti eumdem vnum Melchisedecum, qui realiter, & verè erat Rex, tamen prout offerebat panem, & vinum non consideramus Regem esse, sed Sacerdotem.

THEOREMA IV.

Qualis nam scientia Dialectica sit, Theorerica ne, an practica?

§. 49. CVm omnis scientia naturalis debeat esse formaliter, vel Theorica, idest speculatrix, vel practica, idest operatiua, logicam oportet alterutram esse. Facultas speculatiua est, *quæ in contemplando veritatem versatur*, ita quidem, *vt finis eius præcipuus sit ipsa veritatis indagatio*. Practica autem, quæ dicitur à Græco verbo *Praxis* est *quæ versatur circa opus*, vt docuit Aristoteles 3. Metap. cap. 2. quem ita exposuit Commentator: *Per speculatiuam sciuimus, vt sciamus: per practicam vero sumus scientes vt operemur, quia practicæ finis opus.* Hic debito operosiùs disputant Doctores an operationes intellectus sint praxes; seu an ad rationem praxis necesse sit, vt sit operatio distinctæ potentiæ ab intellectu, vt vult Scotus? quem nominales non male impugnant, & ex Thomistis M. Sotus, qui illum falsò pro se Aristotelem allegare ostendit, quæ Theologis excutienda relinquimus. Hoc tamen omnino certum esse debet, actum intellectus secundum se esse meram cognitionem, & speculationem obiecti: Vnde ad hoc vt à ratione speculationis, ad rationem practicæ transeat, debet ordinari ad operandum: sed quia omnis actus intellectus est etiam operatio quædam, certè non omne opus extrahet intellectionem à ratione speculationis, alioqui nulla daretur scientia speculatiua in rebus: sed debet ordinari ad opus extrinsecum voluntatis, vel alterius potentiæ, quod speculatio non sit. nam in practicis datur speculatio, quæ intellectus non extrahit à ratione practici, ita in speculatiuis datur etiam operatio, quæ non extrahit illum à ratione speculatiui. Vnde D. Thomas 1. p. quæst. 79. articulo 2. sic ait: *Intellectus etiam practicus veritatem cognoscit sicut speculatiuus, sed veritatem ordinat ad opus.* Item in 1. 2. quæst. 57. artic. 3. *Etiam in ipsis speculabilibus* (inquit) *est aliquid per modum cuiusdam operis, puta Constructio Syllogismi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, vel mensurandi: Et ideò quicunque ad huiusmodi opera rationis habitus speculatiui ordinantur dicuntur per quamdam similitudinem artes*. Ita ille: in quibus hæc valdè sunt notanda. *Primum*, quod opera rationis, vt constructio Syllogismi, &c. numerantur inter speculabilia: *Secundum*, quod illa non sint propriè, & simpliciter

opera, sed *per modum cuiusdam operis*. Tandem *Tertium*, quod ad huiusmodi opera possunt ordinari, immò reuenera etiam *habitus speculatiui ordinatur*, & non ideo fiunt practicij quibus breuiter ordinatis.

§. 50. Dilecticam omnino esse practicam, tenent Nominales, & eorum moderni sequaces, quorum, nullum aliud est fundamentum, nisi quod Logica tota occupatur indirectione actuū intellectus, seu in operatione, & fabrica modorum sciendi; construendo scilicet definitiones, syllogismos, &c. quod est cognitionem ordinare ad opus. Ast vtraque Sancti Doctoris, & Subtilissimi Scoti Schola, constanter docet Logicam omnino, & simpliciter esse speculatiuam, & solum per quamdam analogiam, seu secundum quid practicam. Sic D. Thomas 2. 2. quæst. 51. artic. 2. *Dicendum* (inquit) *quod etiam in speculatiuis, alia rationalis scientia est Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem &c.* cui subscribimus.

§. 51. Ratio: Si ob aliquam rationem Logica esset simpliciter practica, maximè quia construit opera rationis, & instrumenta sciendi; sed hoc non sufficit ad rationem practici: ergo non est practica simpliciter. Maior est in confesso apud aduersarios. Minorem probo *primo*: Quia opus rationis, quod fit ad instrumentum speculationis, & ad meliorem cognitionem veritatis non est simpliciter practicum, sed fit *admodum cuiusdam operis*, & constituitur *in ipsis speculabilibus*, vt ait Magister Angelicus: ergo id sat non est, vt Logicam simpliciter practicam constituat. Probo consequentiam. Ad rationem practici exigitur, quod cognoscamus, vt operemur; sed per constructionem instrumenti ad indagandam veritatem, non cognoscimus, vt operemur; sed potiùs operamur, vt sciamus, & cognoscamus: Ergo constructio instrumentorum sciendi non sufficit ad constituendam rationem practici simpliciter. Probatur *secundo* eadem Minor manifesto exemplo Diui Thomæ in opere mensurandi, & opere numerandi, & aliorum exemplo in fabrica Astrolabij, Trianguli, &c. quæ opera non extrahunt à mera speculatione Geometriam, Arithmeticam, nec Astrologiam: ergo non quodlibet opus ordinatum ad contemplationem constituit rationem practici simpliciter. Probatur *tertio*: Tota constructio instrumentorum habet pro fine vltimo, quod vitetur error speculatiuus, seu ignorantia obiecti: ergo non practicum, sed potius speculatiuum constituit: Consequentia est clara; nam Practicum, & Speculatiuum à solo fine capiunt rationem talium, & vt D. Thomas loco primum citato ait: *Practicus intellectus dicitur, qui quod apprehendit ordinat ad opus, & hoc est, quod Philosophus dicit 3. de Anima, quod speculatiuus differt à practico fine*. idest secundum finem.

§. 52. Obijces: Logica *primo* fabricatur suum obiectum: *Secundo* non consistit in contemplatione, sed tran[illegible] opus. *Tertio*. Non speculatur, vt speculetur, sed vt dirigat operationes intellectus. *Quarto*: Habitus speculatiuus est propter se, ex Aristotele: l. Metaph. cap. 2. Logica non est propter se, sed propter alias scientias; ergo Logica est simpliciter practica, & non speculatiua.

§. 53. Respondeo ad *primum* antecedens, Logicam fabricari secundas intentiones, idest instrumenta sciendi eo fine, vt speculetur tam impropria materia, quam aliarum scientiarum; nego tamen, hoc opus esse praxin, vel practicum. Ad *secundum*. Do, Logicam transire ad opus rationis; nego tamen in opere sistere, ex illo enim clarius transit in speculationem veritatis. Ad *tertium*. Distinguo: speculatur, vt dirigat: idest conformando actum cum obiecto verè, vt rectè cognoscamus, concedo: Vt dirigat, idest ordinando ad efficientiam, seu existentiam actus, vt merè operemur, nego. Ad *quartum*. Dico. Aristotelem loqui de scientia speculatiua principali; ast Logicam non esse, nisi instrumentariam, ideóque expetibilem propter alias.

§. 54. Aduersariorum omnia argumenta nihil probant, nisi alteram partem nostræ assertionis, nempe Logicam quodam modo, & per analogiam esse practicam. Fatemur enim, *In ipsis speculabilibus esse aliquid per modum cuiusdam operis*. Vt est mensurare, & numerare in Geometria, & Arithmetica. Sententia putans, Logicam simul esse practicam, & speculatiuam simpliciter, tangit difficultatem de eminentia Sacræ Theologiæ: Et illa, quæ tenet, Logicam esse partim speculatiuam, & partim practicam, tanquam sit vna scientia ex duobus partialibus habitibus conflata, inuoluit quæstionem de simplicitate Qualitatum, & Scientiarum, quæ omnino Logicę prolegomena exedunt. ideoque eas prætereo.

§. 55. Circa intelligentiam autem illius communis axiomatis *Intellectus extensione fit practicus*, cuius examen Theologis incumbit; interim tamen videndi sunt omninò Complutenses disp. 1. quæst. 6. §. 1.

THEOREMA V.

Vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas?

§. 56. NOn est Sermo de Logica naturali, sed de artificiali: negarunt antiquorum non nulli, illam esse vllo modo necessariam ad cæteras scientias acquirendas: alij verò è contra affirmant ipsam prorsus esse necessariam: nobis medium iter carpendum. Sed notare oportet primo; Scientiam acquiri posse bifariam: scilicet in *statu perfecto*, vel *imperfecto*. Tunc scientia acquiritur in *statu perfecto*, quando *per illum resolutiuè proceditur, discurrendo per omnes conclusiones, & veritates, illasque vsque ad prima principia reducimus*. Tunc verò scientiam habemus in *statu imperfecto*, quando, *aliquam demonstrationem efficimus euidentem*: qua quidem, eo ipso generatur scientia quo ad substantiam (vt inquiunt) idest quoad primum, & imperfectissimum gradum.

§. 57. Rursus nota: Dialecticos non loqui de necessitate absoluta, idest prouenienete ex aliqua causa essentiali, & intrinseca, qualis est, qua Homo v. g. necesse est, vt sit rationalis; ratione scilicet suæ causæ intrinsecæ, quæ est forma: sed sermo est de necessitate secundum causam extrinsecam, quæ est finis: ita est necessarius v. g. cibus ad finem conseruandi vitam. Diuiditur hæc

necessitas iterum in necessarium *simpliciter*, & necessarium *secundum quid*, quorum primum est ita *necessarium, vt sine ipso non possit res haberi*: v.g. lingua est ad loquelam *simpliciter* necessaria. Alterum est, *quod solum expetitur ad melius, seu commodius esse rei*, vt Equus, vel currus ad iter faciendum.

§. 58. Dico igitur, Dialecticam esse simpliciter necessariam adscientias in statu perfecto acquirendas; ast vero ad illas in statu imperfecto addiscendas non nisi secundum quid esse necessariam. Sic D. Thomas opusculo 70. quæst. vltima artic. 1. quæstiuncula 2. ad 3. *Quandoque* (inquit) *necesse est in addiscendo non incipere ab eo, quod est facilius, sed ab eo, à cuius cognitione cognitio sequentium dependet: & hac positione oportet in addiscendo à Logica incipere, non quia ipsa sit facilior scientijs cæteris, habet enim maximam difficultatem, cum sit de secundo intellectis: sed quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientijs.* Preme quæso illa verba: *Quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent.* Quibus refelles glossemata explicantium Sanctum Doctorem de necessitate secundum quid; plus enim dicit dependentia.

§. 59. Probatur prima pars asserti, ratione. Tunc scientia est in statu perfecto, dum omnes conclusiones resolutione discutit, ac veritates in prima reducit principia. Sed intellectus nudus, & omni facultate destitutus, quæ illum ad huiusmodi discussionem, & resolutionem dirigat, non potest moraliter hoc agere: ergo facultas, seu habitus ille, qui ipsum dirigat est simpliciter necessarius; atqui ille est Logica. Ergo, &c.

§. 60. Altera pars asserti probatur. Scientia quoad substantiam, seu imperfectè acquiri potest absque Logica. Nam vnam demonstrationem, vel indoctus quispiam Logicæ, construere potest, vt cernimus experimento. Ergo Logica tantum erit necessaria secundum quid, idest ad melius esse illius scientiæ imperfectæ, non tamen simpliciter.

§. 81. Obiicies. Logica est scientia, & tamen ad illam acquirendam non est necessaria alia Logica; sic enim abiretur in infinitum: ergo Logica non est vllo modo necessaria ad omnes scientias acquirendas. Distinguo minorem: non est necessaria Logica, vt scientia est, concedo, vt est modus sciendi, nego: hoc enim peculiare Dialecticæ est, quæ cum simul sit etiam modus sciendi, sibimet comparandæ adminiculo est.

§. 62. Obiicies item. Vna, vel altera demonstratione elicita sine Logica, redditur intellectus etiam idoneus, habilisque ad cæteras similiter conficiendas solo naturæ lumine: equidem ob effectionem primæ, & alterius non minuitur lumen naturale intellectus, sed augetur potiùs: ergo facilitate, qua primas elicuit, poterit cæteras vsque ad perfectum statum scientiæ, absque Logica conficere. Distinguo antecedens: ad cæteras etiam est habilis intellectus, ad cæteras eiusdem facultatis, & dispositionis, concedo: ad cæteras absolutè nego antecedens. Occurrent enim Conclusiones plurimæ, quarum obscuritas, & difficultas expediri non possit per principia naturali lumine cognita, indigeatque intellectus illas examinare per regulas artificialis Logicæ, vt si constent præmissæ terminis ex ponibilibus, vel obliquis. Aut si inferantur per consequentias modorum imperfectorum, quarum bonitas non potest regulari per principia posterioristica naturaliter cognita, sed reductionibus indigent artificij Logicalis, vt optimè adnotauit Magister Lynceus, quem, cum alijs Iunioribus vide si vis. Nos enim rem facilem amplificando nolumus tyronum ingenia mactare: negabit enim nemo, in his, nec pedem nos posse mouere, quin multa de scientiæ natura, causatione, proprietatibus, de habitu primorum principiorum, deque alijs ad Libros Posterioris resolutionis pertinentibus misceamus, finem cum exordijs Logicæ præposterè confundentes.

LIBER SECVNDVS

De Vniuersalibus.

I. PORphyrius natione Phœnix, patria Tyrius, professione Philosophus, secta Platonicus, Religione Christianus (quamuis postremò apostata desipuerit) Aureliano, & Diocletiano Imperatoribus (vt Suidas refert) partus Virginei sub anno 280. floruit Siciliæ. Plotinum habuit præceptorem. Inter discipulos autem Iamblicum Philosophia celebrem, & Chrysaorium Romanum, genere Patricium, ad quem è Sicilia (ibi enim scholam publicè aperuerat) libellum hunc titulo Πορφυρίȣ εἰσαγωγὴ idest *Porphyrij introductio*. Romam misit. Nam cum Chrysaorius Aristotelis Cathegorias perscrutatus, in voces quasdam minus notas impingeret, *Genus* videlicet, *Differentia, Species, &c.* vt rem faciliùs ille calleret, viamque Discipulo sterneret, in Aristotelis prædicamenta Introductionem hanc breuissimè compilauit, quem de *Quinque vocibus Porphyrij*, vulgus inscripsit; cum tamen titulus fronte Eisagoge, seu Introductio antonomasticè præfixus hucusque apud omnes meritò inualuerit.

II. Nec pius Lector tam virulenti hostis nomen perhorrescat, qui in Ecclesiam quindecim Libros fœdè euomuit, iampridem ab Hieronymo, Augustino, alijsque Catholicæ militiæ antesignanis valida manu impugnatos, immò expugnatos; cum præsens libellus res nudè Dialecticas, Christianæ Disciplinæ nunquàm vtiles, atque à bonis Philosophis, præsertim Aristotele mutuatas contineat, quem sicut & Origenis, Tertulliani, & aliorum eiusdem farinæ desertorum Libros in Theologiæ adminicula maturo tolerat consilio, ac vbi hæreseos pestis insana

non

non irrepit, facilè amplectitur, prudenterque euoluendos non abnuit. Hunc igitur pro more explicandum suscipimus, iuxta Diui Anitij Seuerini Boethij translationem, quæ germanior nobis Argyropili versione visa est: nonnumquam tamen vbi rei discussio id exigat, ipsius Argyropili, immò & Perionij, Gruchij, aliorumque versiones in medium proferemus.

III. Nec refert, quòd M. Sotus erga Boethium male affectus, præferat Argyropilum, aiens: *Quòd quamuis Boethius Author reuera non sit contemnendus, tamen traductio eius vulgata sub obscurior est, & forsan quæ phrasin Græcam non tam ad verbum Latine reddat, quàm Argyropili: qui vt natione Græcus, & Latine egregiè doctus, Græcam proprietatem latinissime exhibuit*. Hæc ille: Nescio tamen quo pacto M. Sotus Græcæ linguæ non multum peritus, homines diiudicet eiusmodi idiomatis doctissimos, temerè quidem id fecit, vt ipse volens, nolens fatetur dicens: *Forsan*. Debuit autem ille Authorem hunc maximè reuereri, qui Diuum Thomam meruit habere Commentatorem, & Interpretem. Certè homo Thomista, vel debuit sequi translationem antiquam, qua Doctor Angelicus vtitur, vel Boethium non carpere, quem Thomas veneratur. Equidem quamuis in pluribus Aristotelis Libris commentario D. Thomæ illustratis, in Romana Editione legatur ad latus translationis antiquæ, etiam Argytopili versio instar textus; S. Thomas tamen nec Argyrophilum nouit (vtpotè ætate posteriorem) nec eius translationem vnquam fuit secutus, nec eiusmodi textum suis commentarijs ipse præfixit, sed vel Typographus, vel Romanæ Impressionis Promotores, illis intruserunt Argyropilum, sicut & Bessarionem, Vatablum, Vicomercatum, Aretinum, & alios Iuniores Interpretes. At verò quantum Boethius antecellat Argyropilum eleganter tradidit Angelus Politianus, vir sanè litteratissimus, & Græcanici idiomatis Magistro Soto longè peritior, nec non huius litis de Græcis translationibus Censor opportunior. Qui Miscellan. lib. 1. cap. 1. Ciceronem defendens ab Argyropilo docente, Tullium non intellexisse Aristotelis Græcam vocem *Endelechiam*, hæc habet: *Iam primum igitur Argyropili huius apud me quoque non exigui ponderis authoritas alijs authoritatibus, multòque (arbitror) valentioribus reffellenda est*. Et paulò post: *Nam quis Boethio, vel in Dialecticis acutior? vel subtilior in Mathematicis? vel in Philosophia locupletior? vel in Theologia sublimior? Quem tanti Iuniores etiam Philosophi longè (arbitror) omnium perspicacissimi fecerunt, vt Aquinatem Thomam Diuum hominem, Magnumque illum Thomæ præceptorem (Deus bone!) quos viros habere meruit enarratores, & ab ipsius sententia ne sit vlla quidem penè iam prouocatio*. Vides in explicanda Græca voce Aristotelis Boethium præstare, cuius authoritatem ait Politianus, Argyropili sententia multò valentiorem esse.

IV. Fateor autem, prorsus me ignorare, apud quosnam probæ notæ Authores Baronius lib. 2. Annalium Porphyrium non Phænicem, sed Iudæum fuisse legerit. Porrò apud Eusebium Cæsariensem lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Christianos vellicans, talia in Moysem, ac Iudaismum effutiuit Porphyrium, vt eum minimè fuisse verpam ex ipsiusmet verbis liquidò appareat. Immo hinc Christianos insimulat, *quòd ineptijs Iudaicarum Scripturarum adhæreant*. Eosque ob fidem Moysi datam illudit, exprobatque: *Quia* (inquit ille) *inflati mente, ac tumidi, obturbato in semetipsis rationis humanæ iudicio, Sacramenta putant, in quibus imperitus, & agrestis Scriptor explicare se non valet*. Quæ de Moyse nullus è recutitis vnquam pronuntiaret. Sed res parui momenti hæc; Phænix ille sit, Frax, vel Siculus: Iudæum tamen non fuisse Authorum grauissimi sunt attestati, sit penes illos fides, nobis tamen de Lucifuga illo hæc perstrinxisse sufficiat. Nonnulla de eiusdem doctrina, ac authoritate fide cap. de Differentia Dissertatione, theoremate secundò. Diuiditur Liber hic in tres partes, prima continet procemium. Secunda de singulis quinque vniuersalibus, quinque etiam Capitulis disserit. Tertia omnia inuicem comparat, & in quibus ea conueniant, differant ve sedulo recenset: ex quibus rectò ordine nunc prologus Porphyrij nobis explanandus occurrit.

SYNOPSIS

Textus Porphirij D. Boethio interprete.

V. CVM *sit necessarium Chrysaori, & ad eam quæ est apud Aristotelem Prædicamentorum doctrinam nosse quid sit Genus &c.* Hoc exordio Porphyrius primo commendat vtilitatem huius libelli ad capessendam doctrinam Prædicamentorum Aristotelis. Deindè enumerat quinque vniuersalia, de quibus breuiter, & introductoria methodo se dicit acturum. Postremo in hæc definit: *Mox de generibus, & speciebus illud quidem siue subsistant, siue in solis nudis intellectibus posita sint, siue subsistentia corporalia sint, an incorporalia, & vtrū separata à sensibus, an in sensibus posita: & circa hæc consistentia dicere recusabo; altissimum enim negotium est huiusmodi, & maioris egens inquisitionis, &c.* Cuinam Dialecticorum hæc non incutiant timorem? Abstinere se ait à supradictis difficultatibus, vt à negotio tyronibus altissimo; cum tamen nobis non modo eas, quas ille recusauit, verum & multò subliniores, longeque neruosiores quæstiones enodandum sit. Tres quidem ille prætermissit. Prima est, *an vniuersalia* (hæc enim ille *Genera*, & *species* nuncupat) *existant in rerum natura, an verò sint figmentum quoddam, mente solum, ac intellectu conceptum?* Secunda: *an vniuersalia, si in rerum natura existant, corporea sint, an incorporea?* Tertia: *an vniuersalia isthæc in ipsismet singularibus, atque indiuiduis rebus, quas sensu percipimus: an verò ab illis separata sint?* Quas omnes quæ-

stiones

ſtiones, nonnulli tam veteres quàm neoterici, ad Metaphyſicam miſſas faciunt (exemplo Porphyrij) ad robuſtiorem ſcientiam, ea quæ Dialeſticæ tyronis captum exuperant amandantes. Nos verò Noſtratum vegia ſequti, de vniuerſalibus in præſenti ſermonem inſtituemus, qui (vt dictum) hac tempeſtate multo difficilior, ſententiarumque varietate perplexior exiſtit, quam Porphyrij ſæculo, immò & Melchioris Cani tempore, qui libro 9. de locis Theologicis cap. 7. licet, ſe ingenij non nimis tardi eſſe dicat, quæſtionem tamen de vniuerſali numquam ſe capere potuiſſe fatetur, quantumuis in ea multum operis, & olei inſumpſiſſe teſtetur. Philoſophos deinde carpit, quod ea in re tantum laboris, vel otij impendant, quæ plus moleſtiæ, quam vtilitatis pariat, & fructum tam leuis momenti tanto ſudore conquirant. Quid ſi præciſſionum obictiuarum ſpinas, & abſtractionum per actus intuitiuos, & alias huiuſmodi ſalebras à Neotericis exitatas, & in dies magis, ac magis aſperandas incurreret, contrectaret? Sane Canus vir ingenio acri, & litteratura nulli ſecundus, tyronibus non paucis ſua confeſſione diſſidentiæ præbebit occaſionem, eoſque à propoſito absterrebit, niſi illam non Religioſo modo, ſed & nimiæ tribuamus modeſtiæ. Nobis autem modus ſeruandus eſt; equidem quæ de præciſſionibus Diuinarum formalitatum occurrent, de abſtractionibus per actus intuitiuos, de diſtinctione modali, & alia huiuſmodi ad altiorem Diſciplinam reijciemus, ea dumtaxat differentes, quæ Dialectico inſtituto maximè neceſſaria videbuntur.

DISSERTATIO II.

Quid, & quotuplex ſit vniuerſale?

§. 1. OMne, *quod plura reſpicit,* ſeù omne quod *ordinem dicit ad multa*, dicimus *vniuerſale*. Et iuxta diuerſos modos reſpiciendi plura, diuiditur illud in *vniuerſale, in cauſando, in repreſentando, & in eſſendo, ſeù prædicando*. Vniuerſale in cauſando illud eſt, *quod plura reſpicit, vt illorum cauſa communis*: vt Deus, ſol, & alia principia æquiuoca, quæ omnes, vel plures producunt effectus. Vniuerſale in repræſentando, ideſt *quod plura ſignificat*, vt ſpecies impreſſa, actus intellectus, & etiam nomina vocalia, vt homo, animal; quæ vniuerſos homines, & cuncta animalia ſignificant: de quibus nobis diſputandum non eſt, quia hæc vniuerſalia potius, & propriſſimè ſunt ſingularia, vt ſatis apparet. Vniuerſale autem in eſſendo, ſeù prædicando exprimitur ab Ariſtotele 7. Metaph. cap. 13. vbi iuxta verſionem antiquam habes: *Hoc enim dicitur vniuerſale, quod pluribus ineſſe natum eſt*. Et iuxta Beſſarionis translationem. *Hoc enim dicitur vniuerſale, quod pluribus natura aptum eſt ineſſe*. Item primo Perihermenias cap. 5. *Dico autem Vniuerſale quod de pluribus aptum eſt prædicari*. Ex quibus Doctor Angelicus prędicto Metaphyſicæ loco huiuſmodi conflauit definitionem; *Hoc enim eſt vniuerſale, quod natum eſt multis ineſſe, & de multis prædicari.* Qua eſſentia vniuerſalis explicatur; conſiſtens *in vnitate, & in aptitudine ad eſſendum in multis*: explicatur inſuper propia paſſio ipſius vniuerſalis, quæ eſt *aptitudo proxima ad prædicari de illis*. Vndè (vt benè aduertit Ortizius) illa eſt virtualiter duplex definitio, ideſt vniuerſalis vt talis, & vt *Prædicabilis*.

THEOREMA I.

Proponitur Doctrina communis, & vniuerſalis explicatio.

§. 2. EX ſupradicta definitione colliges, vniuerſale debere eſſe *vnum* ideſt *terminum incomplexum*, tum ipſa voce, tum re ſignificata per vocem, per quod excluditur vniuerſale *complexum*, quod eſt *propoſitio affecta ſigno vniuerſali*: quo ſenſu memoratur ab Ariſtotele 1. Metaph. cap. 1. dum dicit, *principia ſcientiarum eſſe vniuerſalia, ideſt propoſitiones vniuerſales, ex quibus vnaquæque ſuas elicit concluſiones*. Item per ly *vnum* denotatur, id debere eſſe ens quidpiam completum, quare excluditur ens incompletum, vt caput, anima, & reliqua alia, quæ ſuopte ingenio ad integrandum, vel componendum aliquod totum ordinantur. Excluduntur etiam Analoga, & Æquiuoca, quæ non ſunt ſimpliciter quid *vnum*, ſed tantum, vel ſecundum quid, vel ſolo nomine vna; vndè per illam particulam vniuoca, tantum primo, & per ſe ſignificantur. Ratio eſt, quia ex his tantum coordinatur ſeries prædicamentorum, quorum notitia eſt præcipuus harum diſputationum ſcopus: *Analoga* autem, & *Æquiuoca* à prædicta ſerie expunguntur, de illiſque ſeorſim agit Philoſophus, ſcilicet in Anteprædicamentis, & de complexis in Libris de poſteriore Analyſi.

§. 3. Colliges etiam, per ly *aptum*, ſignificari, ad rationem vniuerſalis non ſufficere eſſe vnum in ſe, & in pluribus ſubiectis reperiri, ſed quod natura ſignificata capacitatem habeat, & potentiam ad multiplicationem ſui in pluribus; ita vt in illis diſperſa, & multiplicata exiſtat in ratione naturæ, vt animal v.g. quòd licèt mente concipiatur, vt aliquid vnum in homine, & leone; tamen ita eſt aptum ineſſe illis, vt ratio, vel ſubſtantia illius diſperſa ſit in leone, & homine: adeò vt ſicut leo, & homo ſunt duo, ita in illis reperiuntur realiter duo animalia, duo viuentia, duo ſenſibilia diſtincta. Hinc anima iterum rationalis excluditur ab vniuerſalitate, quia manens eadem, & vna numero, & in pluribus partibus corporis; Et ſi per impoſibile, data hypotheſi, cum pluribus corporibus identificaretur ſimul, vel ſucceſſiuè, vniuerſalis non eſſet: ſicut nec Diuina Natura, quæ cum vna, & indiuiſa numero reperiatur idemtificata tribus Perſonis, Perſonæ tamen non ſunt plures in ratione naturæ Diuinæ, Non equidem redduntur realiter tres Dij, ſed vnus numero, & indiuiduus Deus. Ad vniuerſale autem exigimus, vt inferiora ſint plura in ipſa ratione vniuerſali, vt leo, & homo ſunt plures in ratione animalis. Quòd tradidit S. Thomas ad Anibaldum diſtinct.

29. quæſt.

29.quæst.4.artic.2.ad 2.aiens:fundamentum vniuersalitatis non esse vnitatem singularitatis, sed *vnitatem conuenientiæ*.

§.4. Colliges tandem denotari per ly *aptum* sufficere ad vniuersalitatem, quod natura realis habeat aptitudinem aliquam, ad hoc, vt in pluribus reperiri possit, tametsi actu non reperiatur, vt si præter Adamum, v.g. nullus existeret in rebus homo; tamen natura humana apta esset realiter ad hoc, vt in multis existeret, ac proindè vniuersalis esset. Eo modo, nunc, Sol qui vnicus est, nec secundum potentiam physicam multiplicari potest; tamen, quia penes Dei absolutam potentiam, non repugnet quamplures fieri soles (quod vocant multiplicabilitatem Logicam) denominari potest vniuersalis, eo quòd, licèt Solaris natura non sit actu in multis, esse tamen potest, spectata qualibet potentia. Equidem vniuersale non est, quod actu multis inest, vel quod actu de multis prædicatur, sed quod aptum natum est ad essendum in multis, & ad prædicandum de illis; actualis tamen prædicatio erit exercitium illius potentiæ, seu prædicabilitatis, quæ vt propria passio vniuersalitatis, iam supponit naturam vniuersalem constitutam per aptitudinem ad essendum in multis, quasi per essentiam; eo modo, v.g., quo risibile præsupponit rationale, sicut proprietas essentiam.

§.5. Hinc excluditur necessariò natura omninò indiuisibilis, seu cui repugnet multiplicitas, qualis est Diuina, & Angelica, quæ iuxta Thomistarum communem sententiam, nec de absoluta Dei potentia multiplicari potest: adeò vt tam contradictorium sit, duos fore Michaeles in eadem specie, quam duos Deos in eadem natura. Scias tamen non esse omninò exploratum in sententia Angelici Doctoris, Naturæ v.g. Michaelicæ repugnare de absoluta Dei potentia multiplicitatem indiuiduorum, cum multi, nobilesque Thomistæ eam adstruant, & ostendant cap. de specie. Dissert. .... theorem. . at verò ea repugnantia admissa, impossibile est, huiusmodi naturam esse vniuersalem (quidquid mugineturCaietanus cum sequacibus) Ratio est manifesta. Quia talis natura non esset apta inesse multis, nec prædicari de multis, vt illi supponunt: ergo nec vniuersalis; sed de his latè infra.

§.6. Huiusmodi igitur *Vniuersale in essendo* totum quoddam est ex natura reali, & quadam entitate rationis concretum; equidem in animali v.g. vt vniuersali, reperies naturam realem, idest substantiam viuentis sensibilis, & præter illam considerabis respectum ordinem habitudinem, seu indifferentiam ad plura illa animalia, in quibus est, & de quibus prædicari apta est, quæ quidem vnitas, & aptitudo ad plura, eo ipso quod non competat realiter naturæ, & prout animal in rebus existit, non potest esse nisi quid fictum, & solo intellectus molimine naturæ reali extrinsecè adhibitum, quod dicitur secunda intentio, estque relatio rationis, qua natura per rationem respicit plura inferiora. Subiectum autem materiale, seu materia huius concreti, quod est natura vna per abstractionem à multiplicitate indiuiduorum, dicitur vniuersale Metaphysicum, eo quod Metaphysicus de huiusmodi agit essentiis in abstracto consideratis. Forma vero talis concreti est ipsa relatio rationis, seu vniuersalitas logica, qua constituitur vniuersale logicum, diciturque tale, quia proprium munus logicæ est essentiam, & proprietates eiusmodi secundarum intentionum speculari, ad quarum plenam notitiam cum plurimum conducat cognoscere naturas rerum, quæ illis substernuntur, idcirco non raro logicus tractat quæstiones, quæ ad Metaphysicam videntur spectare. Hæc pro Tyronibus. Nunc autem: num sit in rerum natura vniuersale in essendo? disquirimus.

THEOREMA II.

Antiquorum Philosophorum placita de vniuersali recensentur.

§.7. PRima sententia est quorundam veterum Philosophorum, qui nullum admiserunt vniuersale, & consequenter omnes de medio scientias sustulerunt, quorum Princepes teste Platone in Theæteto, & Aristotele 1. Metaph. cap. 6. & 4. Metaph. cap. 5. & lib. 3. de Cœlo text. 3. fuisse dicuntur Heraclitus, Ephesius, Cratylus, & Epicurei omnes: his adnumerat Ammonius Ambistenem, & Suesanus Herculeanos lib. 7. Metaph. Dilucidatione 7. Existimabant, nullas esse in rerum natura essentias vniuersales, & multis communes; sed omnia esse singularia, ac proindè caduca; atque mutationibus obnoxia. Hinc nihil putabant perpetuum, stabile, & sempiternum, sed fluxa omnia, fragilia, & continua successione instar fluminis ad communem interitum cuncta properare. Quem errorem suxisse illos autumat S. Clemens Alexandrinus ab illa gnome malè intellecta, Ecclesiastæ clamantis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sic ille eruditissimus Pater Stromateon lib. 5. *Iam vero Epicuro, vt existimaret temerè ferri omnia, hinc in mentem venit, quod hoc dictum non intellexisset: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Cum igitur scientiæ versari non possint, nisi circa obiectum vniuersale, æternum, & incorruptibile, tollebant omninò illas; eo quod nihil esset in rerum natura, nisi corruptibile, caducum, & transitorium. Ratio eorum: Quia omne quod est in mundo, seu omne quod à parte rei existit, singulare est, vtpotè productum à causa secunda, ergo non est vniuersale, & incorruptibile: de obiecto autem corruptibili, & mutationibus obnoxio, nihil potest certè, fixeque affirmari, vel negari.

§.8. Argumentum hoc non caret veritate in sensu à nobis infra explicando; eo enim vtuntur Doctores Catholici aduersus Platonem vniuersalia à singularibus separantem. Non probat tamen, quod Heraclitus, & Cratilus contendebant, quorum pium se exhibet Patronum Zacharias Pasqualigus Metaph. tom. 1. disp. 11. sect. 4. aiens, non esse verisimile, quòd illi negarent vniuersale, eo sensu, quo ab omnibus admittitur. Immò esse improbabile, hos eximios Philo-

Philosophos non cognouisse, plura indiuidua in vna natura conuenire, cum hoc notum sit vix prima rudimenta Philosophiæ initiatis. Ast parcendum viro, alioqui docto, quod male fiderit Aristoteli, Diuo Thomæ, & vniuersæ Peripateticorum Scholæ, qui istorum deliria, non nisi communi hominum risui memorant, toto quidem orbe cantatissima. Quis equidem neget, insanum fuisse Cratilum, qui Dialecticam, ac scientias omnes negauit? Docebat enim, nec vel vna propositione veritatem posse enuntiari. Vndè nec verbis vtendum esse dictitabat: dum autem suos conceptus volebat exprimere, nutibus vtebatur, digitumque dumtaxat mouebat, prorsus credens, veritatem rei enunciandæ priùs transire, quam oratio finiretur, digitis autem breuius res indicari: ob hæc etiam Heraclitum increpabat, quia dixerat possibile esse, eundem fluuium bis transire; ipse enim neque semel existimabat posse, cum nouis succedentibus vndis, etiam noua flumina succedere arbitraretur. Bone Deus! quis vnquam laudatorem desperet, cum deliros hos, atque nugaces vetulos etiam Pasqualigus eximios Philosophos appellet?

§. 9. Secunda sententia huic proxima, est Nominalium. Sic appellabatur grex quidam Hominum ducentium, nihil esse in rebus commune, aut vniuersale, nisi nomina: quare Sortes, v.g. & Plato, non nisi in nomine *homo* conueniebant apud istos, quod est admittere vniuersale in significando dumtaxat. Has nugas primus è Rabinnorum incude suscitauit Rucelinus natione Brito, Præceptor Petri Abelardi Nouatoris, primus enim sectam *Nominalium* instituit aduersus *Reales* (teste Auentino lib. 6. & Nicolao Causino lib. 4. de Inuent. & locis cap. 34.) Is in nominum cognitione longam rerum Iliadem latere docuit, sub annum Domini 1140. eo conatu nominum Philosophiam defendens, vt apud Parisiensium Studia, fera, cruentaque prælia excitaret. Recitat Auentinus vetus Epigramma in eiusmodi sectam compositum, ex quo licèt coniectari, quam illa omnibus merito displicuerit.

Quas Ruceline doces, non vult Dialectica voces,
Iamque dolens de se, non vult in vocibus esse,
Res amat, in rebus cunctis vult esse diebus.
Voce retractetur, res sit, quod voce docetur,
Plorat Aristotiles nugas dicendo seniles,
Res sibi subtractas per voces intitulatas,
Porphyriusque gemit, quia res sibi Lector ademit,
Qui res abrodit Ruceline Boetius odit:
Non argumentis, nulloque Sophismate sentis.
Res existentes in vocibus esse latentes.

Rudis Musa; sed veridica. obsoleuit hæc secta eo sæculo satis irrisa, omnibusque odiosa. Donec eam iampridem emortuam, veternoque sepultam, iterum exitauit Guilielmus, Ochamus, Franciscani Ordinis, ac Scoti Discipulus, qui eam reuocatam ab inferis, viuido afflauit spiritu, tamque improbo, & acri studio excoluit, adstruxitque prima parte suę Logicę cap. 14. & 15. Quodlibeto 5. & etiam in 1. distinct. 2. quæst. 4. vt non paucis similis genij Philosophis eam fecerit probabilem, multosque allexerit asseclas, & Discipulos, eo euentu, vt quasi veteris disciplinæ instaurator, titulo fuerit satis glorioso decoratus, appellatusque à suis *Venerabilis Inceptor*, vt referunt Soncinas, Sotus, Masius, Conimbricenses, & alij. Interijt iterum dogma hoc, & longissimis temporis, atque obliuionis tenebris obrutum, tandem à Petro Hurtado Hispano Societatis Iesu Scriptore valdè ingenioso, & alijs Socijs restitutum est, atque à Lethæis vndis vindicatum. Illum ferè omnes eiusdem Familiæ authores sequuntur, qui præcisiones obiectiuas acriter impugnantes eiusmodi sententiam reuexerunt in lucem, & (vt cum spinula loquar) mirificè illustrarunt. Nec possum Seraphico Franciscanorum Ordini non gratulari, quòd triplici Scholarum Hyerarchia stipatus (quarum *Seraphicus* Bonauentura, *Subtilissimus* Scotus, *Venerabilisque* Ochamus Principes extitere) tandem in Iesuitica Familia Nominalium suorum rediuiuam agnoscat progeniem, totque præclaros nactus sit Discipulos, qui Nominalium Doctrinam fugant, autoritates obseruent, studijsque Ochamicis nutriantur, ea insiti germinis feracitate, & breui ætate tot pepererit prouentus, tamque opimos, vt & Poeta magnus opportunius cecinisse videatur.

—— Nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cælum ramis fælicibus arbos,
Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

Nominalium igitur vestigijs insistentes, tenent ij omnes, nihil esse vniuersale, nisi ipsa singularia confusè cognita, nihilque illis commune, nisi ipsum nomen mentale, seu conceptus mentis, quo eiusmodi singularia confunduntur.

§. 10. Tertia sententia præcedentibus omninò opposita, Platonis est docentis dari *naturas* rerum vniuersales, & communes, à singularibus separatas; quas ipse Idæas rerum vocat, ita vt dari diceret hominem vniuersalem realiter à Socrate, & Callia, cæterisque singularibus separatum, qui non dependeret à loco, nec à tempore, nec à materia, & per cuius participationem homines fiebant particulares: sicuti per impressionem vnius sigilli in multis ceris, efficiuntur sigillationes multæ, & sic de cæteris naturis, ac essentijs. Hanc sententiam Aristoteles non modo impugnauit totis viribus, sed & irrisit. 1. Posterior. text. 35. & Metaphysicæ pluribus in locis appellans Platonis Ideas *meras nugas, cantilenas, monstra, &c.*

§. 11. Sed de Platonis ingenio non pauci sunt ita benemeriti, vt illum quidam ab eiusmodi nugis vendicarent, dicerentque, Platonem per Idæas intellexisse idipsum quod nostri Theologi intelligunt: Rationes videlicet seu species, quæ sunt in mente Diuina Creatoris, quæ ab ipsa essentia Diuina non distinguuntur, quia ipsa est quodammodò omnia; equidem Deus se intuens, vt exemplar, & archetypum Creaturarum, res extra producit, sicut Faber arcam in mente molitur, deindèque iuxta mentalem eiusdem imaginem opere exhibet. Ita ex SS. Patribus D. Augustinus, libro 22. de Ciuita-

te Dei, cap. 26. S. Iustinus Martyr. orat. Parenæt. ad Gentes. Citari etiam solent Basilius, Origenes, Gregorius Nazianzenus, apud Magist. Sanchez, citant etiam Conimbricenses D.Thomam Opusc.20. lib.4. cap. 4. sed falsò. Ibi enim nec verbum facit S. Doctor de tali intelligentia vniuersalium Platonis pro Idæis Diuinis. Ex Philosophis, & Scholasticis Iamblicus, Appuleius, Philopponus, Plotinus, Cicero, Seneca, Plutarchus, Simplicius, Donatus, Eustratius Serranus, Durandus, Scotus, & alij quamplures.

Quidam autem addunt etiam Aristotelem hanc sententiam (seu sensum sententiæ) Platoni falsò imposuisse, vt Abulensis, qui Aristotelem vocat inuidum, & impostorem: Acerbius loquitur Franciscus de Mayronis 1. sentent. de huiusmodi inuidia, & impostura, aitque, Aristotelem ignorasse abstractiones Metaphysicas, quas Plato profundissimè considerabat. *Licèt enim* (inquit ille) *Aristoteles fuerit optimus Physicus, fuit tamen pessimus Metaphysicus, quia nesciuit abstrahere; ideò pessimè Metaphysicam suam composuit*. Sed quis non videat Mayronium delirare, dum Aristotelem carpit Metaphysicæ ignarum? Audi M.Flandrensem modestè; emphaticè tamen huic Authori respondentem, Metaph. lib. 1. quæst. 12. artic. 2. *Sed cum prædicti Doctoris reuerentia, Quia gratiosius potuisset loqui: si enim tales Doctores tacuissent, Philosophi fuissent*. Probant aliqui hanc imposturam, authoritate D. Thomæ, dicto Opusc. 20. lib.4.cap.4. vbi docet, Aristotelem non recitare fideliter opiniones Socratis, & Platonis. Ast S.Thomas tale quid non docuit; & licèt loco citato dicat ab Aristotele refferri opiniones Socratis, & Platonis verbis parum immutatis, seu phrasi diuersa; sensu tamen ac sententia minimè ab eorum mente discordare affirmat: Accipe Thomam: *Hæ autem rationes sunt, & multæ aliæ, quas Philosophus reffert iuxta opinionem Socratis, & Platonis; licèt non per eadem verba, sed à sententia non discordat*. Igitur Diuus Thomas nihil docet contra Aristotelem, vt isti Authores iactabant. Verum enim verò tametsi Libri ipsi Platonis non aperte faterentur, Aristotelem nihil Platoni imposuisse: mihi maximè dissuaderet Ratio efficax Thomistarum ex M. Soto. Nam si non sensisset Plato ita, sicut ab Aristotele traditur: certè viuentibus plurimis Platonis Discipulis, non imposuisset illi tam aperto mendacio sententiam absurdissimam, incredibile enim videtur tantum Magistrum viuente Discipulorum turba trahi posse in errores, nugas, & cantilenas. Præcipuè cum Aristoteles nimium fuerit gloriæ cupidus, quàm (vt benè Magist. Sanchez) hac falsa doctrinæ impositione fœdasset maximè.

§. 12. E contra autem multi sentiunt, Platonem tenuisse eo modo, ac sensu, vt Aristoteles reffert hanc sententiam; non verò vt ab alijs benignè explicatur pro Idæis Diuinis, quam partem tuentur Auerroes, Themistius, Alexander, Boethius, & alij antiqui. Multumque ponderis affert authoritas D. Thomæ idipsum docentis, 1.par. quæst.15. artic.1.ad 1.& quæst.48, artic.1. Et in 1.distinct.36. quæst.2.artic.1. ad 1. Quapropter inter duas sententias omninò contrarias, quarum alteram D. Augustinus deffendit, cum plurima Authorum copia, & aliam D. Thomas cum grauissima Iuniorum schola: media nobis via est eligenda, dicendumque Aristotelem non impugnare in primo, & septimo Metaphor. sententiam Idæarum, vt à Platone posita fuerat, sed vti eam malè intellexit Xenocrates, & alij eiusdem ætatis Philosophi. Hæc apparet verisimilius, per quod & sedatur dissidium inter contrarios Authores, simulque D. Thomæ authoritas sine Platonis iniuria deffenditur. Loquitur enim S. Doctor de sententia Platonica in eo sensu, quo Platonici ipsam docebant, idest de ea, quam iactabat Xenocrates successor Cathedræ, & scholæ Platonis, docens, Platonem eo modo idæas intellexisse, quo ipse interpretabatur; cum ille aliter, ac ipse Plato rem obscuram intelligeret. Hunc modum dicendi tribuunt Conimbricenses D. Augustino lib.7. de Ciuitate Dei cap.28. sed falsò, cum prædicto loco, nil prorsus meminerit Augustinus de huiusmodi interpretamento; solum enim tradit ibi, per Idæas Platonis Varronem intellexisse Mineruam, quod quidem ab hoc instituto toto cælo distat. Ex modernis Zacharias Pasqualigus optimè deffendit ex ipsius verbis, Platonem de Idæis Diuinis loquutum. Metaph. tom.2. disput.11.sect.3. Ricardus verò Lynceus, quasi rem nouam ipse excogitasset lib.8. tract.2. cap. 2. ex quibusdam Thomistarum principijs aliam viam monstrat deffensandi, & explicandi Platonem. Sed hoc iampridem ipsi Thomistæ præstiterunt, vtpotè qui sua principia melius intellexerant, inter quos Magister Flandrensis, à quo (fortè) accepit Lynceus, & Magist. Arauxo, qui Flandriæ hanc palmam detulit. Metaph. lib.5. quæst.3. artic.2. aiens: *Positio igitur Idæarum à singularibus separatarum* (ait Flandria) *debet intelligi de naturis abstractis abstractione secundum esse essentiæ, non altera abstractione, scilicet secundum esse existentiæ*. Vtrumque videte. Nos infrà ex Peripatetica, & Thomistica doctrina nihil absurdi Platonem, per eiusmodi Idæas docuisse ostendemus. Videamus nunc an probè ipsum Aristotelici reffellant?

THEOREMA III.

Vniuersale Platonicum impugnatur ab Aristotelicis; eorum argumenta, tum vetera, tum noua examinantur.

§. 13. SVppositis, quæ à §.10. superiori theoremate diximus, inquirendum est, an ita irrationabilis fuerit Platonis sententia, vt communi Philosophorum censura, improbari meruerit, &, an id satis conuincant Aristotelicorum argumenta? Omitto rationes purè Metaphysicas, quibus Aristoteles Platonem impugnat, quia omnes eas latè soluit in fauorem Platonis M.Flandrensis (exercitij tamen, & recreationis causa, vt ait ipse) Metaph.1.quæst.12.per totum, & quæst.13. etiam per totum. Accedit Magist.

Magist. Soncinas, qui Metaph. lib.7. quæst.25. nonnulla argumenta Aristotelis affert, adducitque solutiones, & instantias quibus eludi, & impugnari possent. Tandem Magist. Matthias Aquarius Ordinis etiam Prædicatorum luculentam instituit disputationem de Idæis Platonicis (estque appendix ad Physicam Ferrariensis) qua probat, Aristotelem Magistro non aduersari. Agit vbertim de Idæis, quatenum ad Metaphysicum, Theologumque spectant, sequutus Simplicium, qui docuerat, Platonem non nisi de Idæis Diuinis fuisse loquutum. Adducit multa Aristotelica, quibus eiusmodi Idææ comprobantur, & quæ eas impugnabant quadraginta soluit argumenta. At verò de illis quatenus sunt vniuersales in essendo, & prædicando, apud Platonem (quod præsentis erat instituti) nec verbum quidem meminit: totus enim est in probando, Aristotelem etiam admisisse Idæas Diuinas, quas solum voluit Plato, docuitque separatas. Nos tamen, ne Dialecticæ metas excedamus, in tantum argumenta examinabimus, quæ pro præsenti instituto Logici communiter vsurpant.

§. 14. Primum argumentum, quo Platonem impugnant Aristotelici sic habet. Implicat contradictionem, eandem naturam esse communem, & non esse communem; sed ex positione Platonis sequitur, naturam vniuersalem esse communem, & non communem: igitur impossibilis est natura vniuersalis à singularibus separata. Maior, & consequentia satis liquent. Minor indè probatur, quod esset vniuersalis, & communis, vt supponit Plato: non esset communis, quia nihil est in rerum natura, quod non sit determinatum, & singulare. Confirmatur, quia quod est determinatum non potest esse indifferens. Hoc argumento vtuntur M.Sanchez, Collegium Complutense, M.Ioannes à S.Thoma, M.Lerma, M.Ortiz, Conimbricenses, Merinerus, Stephanus Spinula, M.Martinez de Prado.

§. 15. Secundum argumentum. Natura illa vniuersalis esset secundum Platonem incorruptibilis; ergo non posset prædicari in quid de indiuiduis corruptibilibus; equidem corruptibile differt genere ab incorruptibili; ac proindè nequit cum illo identificari. Vtuntur hoc argumento M.Masius, M.Zerna, Conimbricenses, Rodericus de Arriaga, &c.

§. 16. Tertium argumentum. Vniuersale illud Platonicum esset quid productum à Deo: ergo per determinatam actionem: ergo esset quid singulare. Sic argumentantur M.Oña, Murcia, Ouiedus, Thomas Comptonus, M.Parra, Sebastianus Izquierdo.

Quartum argumentum. Implicat contradictionem, creaturam aliquam non esse à Deo: ergo repugnat natura vniuersalis separata, improducta, immutabilis, æterna, incorruptibilis, immortalis, &c. quæ Deo soli competunt. Sic argumunt M.Sanchez, M.Oña, Mag.Zerna, M.Lerma, Zacharias Pasqualigus, Arriaga, Lynceus, Murcia, Moneda.

§. 17. Quintum argumentum. Illa natura vniuersalis, vel distinguitur ab indiuiduo, vel non distinguitur? si non distinguitur: ergo est singularis; si distinguitur: ergo non erit indifferens, vt sit in indiuiduis. Ita Toletus, Suarez, Ouiedus, Pontius Scotista, & alij.

§. 18. Sextum argumentum. Sequeretur, quod Petrus, & Paulus v.g. essent vnus homo in eadem natura realiter communi, vt tres Personæ sunt vnus Deus in eadem natura Diuina: quod est impossibile, vel esset vna natura in multis indiuiduis, sicut vnum corpus, si esset in pluribus locis: igitur neutro modo esset vniuersalis. Ita M.Zerna, Pontius, Ricardus Lynceus, & alij.

§. 19. Septimum argumentum. Quicquid existit in rebus, vel est creatum, vel increatum; si increatum: ergo Deus, ac proindè illa natura vniuersalis non erit eiusdem rationis, ac indiuidua creata, nec identificabilis cum illis. Si est quid creatum: ergo terminat actionem singularem, & productionem causæ primæ, vel secundæ: ergo erit singularis; nisi sit singularis, & non singularis, separata, & non separata: quæ omnia repugnant. Ita M.Sanchez, M.Araujo, Murcia, Caberus, Conimbricenses, M. Oña, Lerma, Moneda, & alij.

§. 20. Octauum argumentum. Illa natura separata, quam vocat Idæam Plato non posset prædicari de indiuiduis naturæ v.g. humanæ; non enim valet dicere Petrus est idæa, Paulus est idæa; ergo non esset vniuersalis, nec prædicaretur essentialiter de illis. Sic arguit Toletus, sequuntur Conimbricenses.

§. 21. Nonum argumentum. Talis natura separata esset, quid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; ergo esset quid singulare; quod enim ab alio omninò diuisum est, seu alteri est incommunicabile, non potest non esse singulare. Ita M. Flandrensis, M. Sanchez, Pasqualigus.

§. 22. Decimum argumentum. Quicquid est realiter separatum ab alio non potest prædicari essentialiter de illo: igitur illa natura vniuersalis non posset prædicari de indiuiduis. Antecedens lumine naturali notum est. Tum quia nulla quidditas, vel essentia separari potest ab eo, cuius essentia est. Tum quia eo ipso, quod illa natura separata non sit in singulari, sequitur quod non constituat illud, ac proindè quod singulare sit alterius naturæ; non enim esset Petrus homo, si essentiam hominis in se non haberet. Tum denique, quia ipsa prædicatio essentialis, qua illa natura enuntiaretur de singulari, vt *Sortes est homo* conuinceret manifesta contradictoria, quia affirmatio hominis de Socrate, identificaret hominem cum Socrate, intima, & intrinseca vnione; & aliundè ipsum prædicatum non esset in Socrate, vt supponitur, quod est esse separatum, simulque non separatum. Hac ratione vsi sunt Caietanus, M. Flandrensis, M.Sotus, qui acceperunt à D. Thoma. Opusc. de Ente, & essentia, cap. 4. sequuntur Thomistæ, vt Masius, M. Arauxo, M. Sanchez, Magist. Zerna, Mag. Oña, Complutenses, Rubius, M. Lerma, M.Par-

M. Parra, M. Moneda. Adhærent extranei, Toletus, Murcia, Suarez, Valera, Pasqualigus, Pontius, Merinerus, Comptonus, Lynceus, Sebastianus Izquierdo, & alij, qui eomet vtuntur argumento.

Confirmatur ex Thoma Comptono. 1. Petrus, & Paulus esset idem, ac vnicus homo, iuxta illud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Quod est impossibile. 2. Deindè. Natura hæc vniuersalis iam non est realiter idemtificata cum singularitate Antichristi: ergo numquam poterit cum ea idemtificari; duo enim realiter distincta numquam in vnam realiter entitatem possunt coalescere. 3. Inter producens, & productum datur distinctio realis: ergo si Idææ illæ in cornibus Lunæ existentes rerum sublunarium sunt productrices, ab illis distinguantur necessè est: ac proindè cum eisdem non possunt vnam entitatem realiter constituere. Hæc Comptonus.

§. 23. Vndecimum argumentum. Ex vniuersali Platonico sequerentur non pauca absurda. Equidem eadem natura humana esset in Christo, & in Iuda, eadem natura puniretur in inferno, & beatificaretur in Cælo. Deindè in Eucharistia ratio substantiæ panis eadem est, ac substantia Curporis Christi: ergo cum idem non posset conuerti in ipsum, non tota substantia panis conuerteretur in substantiam corporis Christi. Sic arguit Arriaga, cuius argumentum vsurpat ijsdem verbis Lynceus. Complutenses verò consulto, se argumenta Theologica omittere dicunt, vt de peccato Originali, quod quidem totam naturam humanam infecit; cum tamen Christus Dominus incapax illius fuerit, &c.

§. 24. Duodecimum argumentum. Nulla est necessitas admittendi tale vniuersale, nec vllum est indicium illius: igitur non est admittendum. Sic M. Flandrensis, & Pontius. Item si daretur: maximè, vt causaret singularia, vt fatetur Plato; sed eo ipso, quod esset separata non transmutaret materiam: ergo non causaret totum, nec generaret formam. Sic M. Sonzinas.

Tredecimum argumentum. Quod est omnium, non est proprium alicuius indiuidui: ergo Idæa non esset propria substantia Indiuidui, ac proindè nec essentia. Sic idem Soncinas.

Decimumquartum argumentum. Intellectus agens ponitur in rerum natura, adhoc, vt essentiam abstrahat, & separet à singularitatibus: ergo illa non supponitur separata. Sic arguit M. Masius.

Quindecimum argumentum. Omne finitum subsistens est singulare; sed illa natura vniuersalis, seu Idæa esset, quid finitum, & subsistens: ergo esset singularis, & indiuidua. Maior, & consequentia liquent. Minor probatur. Esset finita, quia esset creatura, & non Deus: esset itidem subsistens, quia operaretur, & causaret singularia; sed operari, & causare est singularium, & subsistentium: igitur singulare subsistens esset. Ita argumentantur Magist. Flandria. M. Sotus. M. Arauxo. Thomas Antonius Martorrellius, & alij. Hæc sunt argumenta, tam veterum, quam Iuniorum, qui Aristotelem sequuntur, impugnantes Platonem: quibus antequam respondeamus, oportet Peripateticorum doctrinam expendere, vt qui Aristotelem sequntur, Aristotelem se deseruisse videant, & volentes, nolentes interdum Platonizasse fateantur.

THEOREMA IV.

Peripatetica Doctrina S. Thomæ, & Scoti de æternitate, & veritate vniuersalis expenditur.

§. 25. HOc Theoremate nonnula breuiter perstringam, quæ fussius in Metaphysica persequar: proferam medium quem meliori, grauiorumque peripateticorum portio circa vniuersalia, & rerum essentias docet. Iam vero nihil celebrius est in Schola Doctoris Angelici, quam quod essentia rei distinguatur realiter à sua existentia: Essentia v.g. hominis est connexio prædicatorum animalis, & rationalis, seu quidditas intrinseca; ita homini necessaria, vt in quolibet tempore, immo in quouis puncto æternitatis petit cum ipso idemtificari, & de ipso essentialiter prædicari, siue actu homo existat. Etenim nondum creato homine, si quæreret Angelus, quid esset homo possibilis, & aliquando creandus? optime, & vere sibi responderetur: quod *animal rationale*. Existentia autem dicitur vltimus actus, quo res illa possibilis ponitur actu in rebus, extrahiturque à statu illo possibilitatis; quæ quidem existentia realiter ab essentia rei distingui necesse est, quia ad hoc, vt res habeat essentiam, sufficit, quod ipsa non repugnet poni in rerum natura, seu quod sit posibilis: at vero vt habeat existentiam petitur amplius, quod aliqua causa potens rem producere, illam è sua posibilitate extrahat, seu è sua potentialitate ad esse transferat in actum, & exercitium existendi. Hæc Thomistæ.

§. 16. Has igitur rerum essentias dicunt non incępisse in tempore, sed esse ab æterno. Homo enim ab æterno fuit possibilis, etenim non fuit impossibilis; alioqui hodie non existeret homo. Affirmant igitur, quod essentia rei possibilis ante omnem existentiam, & ordinem ad omnipotentiam Dei, ab æterno est actualiter aliquid: hoc est, continetur actualiter in linea entis distincti ab ipso Deo (vt loquitur Ortizius Physicor. Cōfer. 1. tract. 2. Proem. §. 2. num. 285.) Quidnam autem sit hoc aliquid actuale, quod fuit ab æterno? Varie explicatur à Thomistis. Veteres asserunt id esse quid reale, positiuum, incomplexum, & actuale: Ita Capreolus Thomistarum Princeps in 2. distinct. 1. q. 2. art. 3. ad 4. Caietanus de ente, & essentia cap. 5. q. 11. ad 1. Mag. Nazarius 1. p. q. 3. art. 4. Controuers. 1. §. *Resolutio*. Aiens, eandem esse mentem Flandrensis, Sonzinatis, &c. Albertinus tom. 2. (Vbi Thomistam agit) dist. 1. quæst. 1. qui affirmat, hanc sententiam conformiorem esse doctrinæ Thomisticæ. Accedit Henricus in Summ. art. 2. quæst. 25. & Quodlibeto 9. quæst. 1. & 2.

& 2.& quodlib 11.q.3.Ægidius in opusc.de ente, & essentia. Scotus cum Asseclis (de cuius mente mira) fauet S.Thomas in 1.dist.33.q.1.art.1.ad 1.

§. 27. Recentiores autem Thomistæ quamuis fateantur, ab æterno Rerum essentias fuisse, hoc tamen negant, quod sit positiua, & absoluta entitas, sed quoddam esse obiectiuum, in quo relucet non repugnantia inter subiectum, & prædicatum, quod est esse negatiuum, & secundum quid. Ita se habet res. Homo v.g. cognoscitur ab intellectu Diuino, in quo habet quoddam esse per modum obiecti illius: videt Deus animal, non repugnare rationali, nec rationale animali, & in hac non repugnantia, seu negatiua conformitate subiecti, nempe hominis, & prædicati, nempe animalis rationalis consistit possibilitas remota hominis, per quam redditur capax factibilitatis, subditurque Omnipotentiæ Diuinæ: Vnde possibile remotum antecedit Omnipotentiam Dei, quia prius est rem non repugnare, quã quod sit factibilis Deo; Possibile tamen proximum vtrumque dicit; scilicet rem non repugnare, & Deum illam posse facere, quod est ordo, seu respectus ad omnipotentiam: Sic M. Ioannes à S. Thoma 1.p. q.14. disp.18. art.1. M. Ortizius vbi supra §.3. nu.291. & alij apud Parram 1. Physic. disp.3. num.7. Abstrehendo tamen ab vtroque modo possibilitatem explicandi, Concors horum Thomistarum sententiam est, essentias rerum ab æterno aliquid esse distinctum à nihilo, seu Chymera, & etiam distinctum quid ab ipso Deo: hoc tamen non secundum esse existentiæ (quod quidem fide Sanctum est incepisse in tempore, vt patet ex 1.Geneseos) sed tantum secundum esse essentiæ, quod est series prædicatorum essentialium, & quidditatiuorum. Et ratio est (attingam fundamentum Caietani) Quia res creata est indifferens ad esse, vel non esse ad distinctionem Dei, seu entis increati, quod vt ens necessarium essentialiter, & necessariò existit, ita vt non possit non existere. Ab æterno igitur Rosa v.g. possibilis, indifferens erat ad esse, & non esse, idest ad existere, vel non existere, at vero non erat indifferens ad Rosam, & nõ Rosam. Subiungit Caietanus: *Vt enim dicunt Alpharabius, Auicenna, Algazel, & Albertus, siue Rosa sit, siue non sit, semper est Rosa, & semper est substantia corporea.* Igitur Rosa ab æterno sibi determinat esse Rosam, quin sit indifferens, vt sit lapis, non tamen determinat esse existentiæ, quia incępit in tempore, & est ens contingens.

§. 28. Subtilis item Doctor Scotus, rerum essentias docet, habere ab æterno quoddam esse intelligibile independens ab Omnipotentia Dei, productum ab ipsa Diuina cognitione, quod vocat *ens diminutum*, ad distinctionem entis simpliciter: equidem illud esse diminutum, in quo consistit res possibilis remotè, nec est ita realis, vt res existens; nec ita nihilum, vt sit ens rationis, Chymera, seu fictum quid in sua sententia. Sequuntur suum Doctorem Lychetus, Fartaretus, & cęteri Discipuli in 1. dist.35. 36. & 43. Poncius tamen politissimus Scotista, nec à Diuino intellectu dependere tale ens affirmat; Censet enim quod essentia possibilis ex se habet eiusmodi entitatem diminutam: Vnde nec in esse intelligibili à Deo productam esse per suam cognitionem (vt cęteri Scotistæ autumant) sed omnino esse à Deo independentem asseuerat. Disput.69. num. 53. Ratio Scotica. Quia tales essentiæ intelligebantur ab æterno a Deo, & actu terminabant istam cognitionem, siue primario, siue secundario; non enim illam Deus cognoscebat in sua essentia, & virtute tantum; sed etiam perfectissimè in se ipsis, prout non sunt Deus; igitur erant aliquid reale ab æterno, idest non ens rationis, Chymera, aut nihil.

Doctrina hæc vniuersæ Scholæ Peripateticę immo Aristotelicę (sic voco Thomisticam, & Scoticam) multis impetitur argumentis, & quidem fere iisdem, ac vniuersale Platonicum. Vnũ tamen proponam, quod ad institutum nunc attinet præcipuè, estque omnibus difficilius: exibebo etiam varias eiusdem solutiones pro vnaquaque schola.

§. 29. Essentia illa rerum, seu ens possibile, quod ponitur esse ab æterno secundum esse essentiæ, vel est quid increatum, vel quid creatum? si increatum; certè Deus erit. Si creatum: ergo erit res dependens à Deo, & accipiens suam entitatem ab ipso per veram productionem, atqui secundum fidem nulla fuit ab æterno creaturæ productio: ergo nulla res creata habuit esse actuale, & reale ab æterno. Probatur prima consequentia. De conceptu essentiali entis creati est dependentia à Deo, & per hoc distinguitur essentialiter ab ente increato; Homo enim v.g. in ratione Hominis concipitur vt distinctus à Deo, sicut distinctus ab equo, sed discrimen à Deo est per ens ab alio, sicut à Bruto per rationale: ergo nequit concipi homo nisi vt ens ab alio, alioqui adstrueretur error Vuidephi existimantis, dari ab æterno res actuales à Deo independentes, quod est hæreticum. Non effugit hanc difficultatem Recentiorum Thomistarum opinio, docentium, illud esse essentiale, & actuale esse tantum quid negatiuum, & secundum quid actuale. Nam si illud est quid reale distinctum a nihilo, & à Deo, de ipso inquiritur, an sit creatum, vel increatum? Et si creatum sit, easdem patitur instantias, ac esse positiuum essentiale, actuale, iterumque redibit argumentum.

§. 30. Similiter premitur Scotista. Etenim illa res, quæ est possibilis ab æterno distincta à Deo, & à nihilo, Licet sit quoddam ens diminutum; certè eoipso, quod non sit Deus, erit quid creatum, ac proinde dependens à Deo in genere causæ primæ: igitur adhuc illud *Ens diminutum* non est ab æterno; cum ab æterno non sit à Deo productum, nec à Deo vllo modo participatum.

§. 31. Respondent Thomistæ, essentias rerum creatas esse, secundum esse existentiale, quod habuerunt in tempore, ac proinde sufficere hanc dependentiam, quod scilicet non possint poni in esse existentiali, nisi media creatione, vel productione Dei, ad hoc vt absolutè dicantur, esse creaturas, ens dependens, ens participatum, &c. At vero secundum esse essentiale dicunt, eas esse omnino improductas, & independentes à Deo, & a qualibet alia causa efficiente. Cum illud essen-

sentiale habeant necessario à se ipsis, & actualiter ab æterno, dependent tamen, vt existant à Deo, quæ dependentia in existendo sufficit (vt dictum est) ad hoc vt nõ sint Deus. Sic Soncinas, Capreolus, M. Mauritius de Gregorio, Albertinus, &c.

§. 32. Respondet Henricus. Quod essentia (vt sæpe dictum est) habet duplex esse, scilicet *esse* essentiæ; & *esse* existentiæ, primum esse istorum habet à Deo, vt est causa exemplaris, dans per suum itelligere *esse* intelligibile, & quidditatium cuiuslibet essentiæ. Secundum autem *esse* dat, vt est causa efficiens, & sic non sequitur, quod creatura habeat aliquod esse, quod non sit à Deo, sed solum, quod non dicatur creari quantum ad primum, sed quantum ad secundum esse. Henrico adhærent Capreolus, qui solutionem approbat, censetque ab omni prorsus errore alienam, Soncinas, Mauritius de Gregorio, in secundo distinct. 2. q. 2. fol. 378. Albertinus vbi supra, q. 2. num. 6.

§. 33. (Respondet Scotista ferè idipsum, quod antiqui Thomistæ. scilicet, ens diminutum dependere quoad essentiam ab intellectu Diuino, tantum in esse cognito, intelligibili, seu intentionali: eo quod Deus in secundo si creo cognoscens suam essentiam, vt exemplar gnaturarum, producit intentionaliter Rosam v. g. in esse cognito: quod redolet dependentiam à Deo, tanquam à causa exemplari, Idæali, seu intentionali: Poncius verò (vt supra monui) nec hanc dependentiam agnoscit in possibili fundamentali, & remoto; sed illud omninò dicit, esse independens à Deo.

§. 34. Quod si instes. Posset creatura quasi gloriari, quòd ex se habeat aliquid, quod non sit à Deo realiter acceptum, vel participatum ab eius infinita bonitate; haberet enim à se, & ex se totam entitatem rei, & solum deesset illi modus, existendi, & quan tum adhoc solum esset à Deo: ergo. Occurrit Thomista: negando sequelam: quia cum creatura secundum esse essentiæ dependeat à Deo tanquam à causa exemplari, & secundum esse existentiæ tanquam à causa efficienti; non poterit inaniter gloriari, cum quicquid habeat, à Deo habeat.

§. 35. Porrò Poncius his creaturarum gloriolis non terretur: Mastrio enim impugnanti respondet. Non esse inconueniens, quod Creaturæ possint gloriari; hoc est dicere, & agnoscere, quod ab ipsarummet natura intrinseca competat ipsis, quod non repugnet ipsis reali terexistere. Sicut non est inconueniens, quod homo possit dicere, quòd Deus ipse non possit efficere, vt sit lapis, aut ens rationis.

§. 36. Ex his apertè colliges: has rerum essentias ab æterno actuales omnino esse ingenerabiles, & incorruptibiles, vtpotè quæ à nulla causa efficiente dependent per se; quamuis per accidens, hoc est ratione singularium generentur, & corrumpantur, vt docent cum communi PP. Complutenses disput 4. de vniuersal. quæst. 1. num. 6. Equidem non ex eo, quòd Petrus, & Paulus nunc generentur denuò, sequitur, essentiam hominis generari; nec eo quod ipsi corrumpantur, & intereant, interibunt prædicata vniuersalia, & quidditatiua hominis vt sic. Ratio est (vt præmissi) quod non datur ab æterno causa generans, nec corrumpens eiusmodi essentias: ergo illæ negariuè, idest per negationem, & absentiam generantis, & corrumpentis sunt perpetua, ingenerabilia, & Incorruptibilia, tametsi ratione singularium generentur, corrumpanturque. Sic docuit D. Thomas, de veritate quæst. 1. art. 5. ad 13. *Hoc quod dicitur* (puta iuxta doctrinam Aristotelis) *Vniuersale esse perpetuum, & incorruptibile Auicenna exponit dupliciter. Vno modo, vt dicatur perpetuum, & incorruptibile ratione particularium, quæ numquam incæperunt, nec deffîcient, secundum tenentes æternitatem mundi* (quibuscum errauit Aristoteles) *Alio modo, vt dicatur perpetuum, quod non corrumpitur per se, sed per accidens ad corruptionem indiuidui*. Et inferius ad 14. tradit rationem incorruptibilitatis negatiuæ vniuersalium sub his verbis. *Non enim dicitur vniuersale incorruptibile, quasi habeat aliquam formam incorruptionis; sed quia non conueniunt ei secundum se conditiones, siue dispositiones materiales, quæ sunt causa corruptionis in indiuiduis*. Eodem sensu dixit Aristoteles, scientiam esse vniuersalium, quæ necessaria sunt, & incorruptibilia 1. poster. cap. 13. & 2. de Anima text. 60. Hinc que ortum est axioma celebre circa propositiones essentiales, siue in materia necessaria enunciabiles; vt *homo est animal, lapis est corpus*, scilicet *vniuersalia esse æternæ veritatis*, idest, has propositiones veritatem habere, etiam rebus non existentibus: existente enim, vel non existente homine, ab æterno valuit dicere *homo est animal*. Non (vt aliqui doctrinæ Peripateticæ minus gnari comminiscuntur) quia id sit verum solum ex supppositione, scilicet si homo sit: sed sicut explicat D. Augustinus, qui lib. 2. de libero arbitrio, docet, aliquas propositiones esse veras solum quando ponitur constantia subiecti; vt est ista. Cælum est, Terra est: Alias verò esse perpetuæ veritatis, etiam subiecto non existente, vt est ista: Duo & tria sunt quinque, & cæteræ omnes necessariæ, & essentiales. Vides amice lector, apicem Peciparteticorum scilicet Thomistas, & Scoticos ab æterno ãdstruere essentias, quidditates, seu possibilia, vt entia actualia, à Deo, vt causa creante omninò independentia in essendo: siue ea sint quid positiuum, siue quid negatiuum (vt Thomistæ autumant) siue quid intentionale, vel intelligibile, vel potius (vt Spinula pungit) in intelligibile, quod Scotus Ens vocat diminutum, siue tandem quid possibile remotum, & fundamentale, quod neque ab intellectu Diuino dependeat, vt Poncius docet: quicquid tamen illud est: apud istos ens reale est, & non Deus: quod in ipsorum doctrina supponere, & tanquam certum præ oculis monstrare necessum duxi, vt in Platonis deffensionem veniamus.

THEOREMA V.

Plato defenditur, & explicatur, Aristotelicos non bene ipsum refellisse; immò ad sua principia consequentius platonizasse ostenditur.

§. 37. EXprælibata superiori Theoremate doctrina, necessariò sequuntur hæc co-

corollaria peripatetica, & Aristotelica. *Primum*. Essentia, seu quidditas rei datur actualis ab æterno. *Secundum*. Essentia, seu quidditas rei, sic ab æterno habens esse essentiæ, non est Deus. *Tertium*. Essentia, seu quidditas rerum non creatur à Deo, nec ab eo vllo modo dependet in essendo, tanquam à causa effectiua per omnipotentiam, *Quartum*. Essentia rerum non est generabilis, neque corruptibilis. *Quintum*. Genito singulari, non gignitur essentia vniuersalis, nec corrupto, aut pereunte singulari, perit aut corrumpitur essentia rei vniuersalis. *Sextum*. Essentiæ, & quidditates rerum fuerunt aliquid actuale ab æterno, at vero singularia incæperunt in tempore. *Septimum*. Essentia rei realiter distinguitur ab existentia rei. *Octauum*. Essentia rei ab æterno actualis in essendo prout realiter distincta ab ipso Deo, non dependet ab illo, nisi tantum vt ab Idea, vel exemplari, seu inesse intelligibili, & representatiuo. *Nonum*. Essentia rerum prout distincta, & etiam separata ab existentia, non dependet à loco, nec à tempore; sed potius abstrahit ab hìc, & nunc.

§. 28. Dico igitur, Platonem optimè suas Ideas constituisse, easque pro rerum speciebus, & essentijs vniuersalibus (quas dumtaxat requirebat ad obiecta scientiarum) sapienter, & profundissimè vsurpasse, quin ex sua sententia vllum sequatur inconueniens, quod Aristotelici æquali iure deuoraturi non sint. Thesis hæc Vti à me proponitur, à nemine (quem sciam) hucusque defensa fuit: Tam & si pro parte faueant M. Flandrensis Metaph. lib. 1. quæst. 12 art. 2. M. Arauxo Metap. 3. q. 3. art. 2. probanda tamen est facile: & quidem primò. Platonem eiusmodi essentias ab æterno actuales significasse per Ideas manifestè ostendo ex eiusdem verbis in Parmenide; Vbi hæc ait: *Ipsum esse autem quid aliud est, quam ESSENTIÆ cum præsenti tempore participatio, quemadmodum ipsum erat cum præterito, & ipsum erit cum futuro ESSENTIÆ ipsius communicatio*, idest. Nihil aliud est existere, nisi pro temporum differentijs, eiusmodi æternæ essentiæ per productionem singularium participatio, seu communicatio. Clarius item in Phædone: *Siquidem* (inquit) *sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet, atque bonum, & omnis eius eiusmodi ESSENTIA, ad quã omnia sensibus percepta referimus, quæ & prius erant nostra, & tanquam nostrum quærentes inuenimus, atque ad ipsius exemplar referimus &c.* Profuit M. Flandrensis inquiens: *Plato autem considerabat naturã humanã secundum suã essentiã, secundum quod habet esse in suis principijs essentialibus, & formalibus, quam, Idæam dicebat esse singularium, quæ includunt in se hanc naturam. Et licet illa natura sic considerata, non habeat esse, vt sit in singularibus, sibi tamen non repugnat: Vnde Plato voluit, quod tales Idææ sic consideratæ haberent esse extra intellectum Diuinum & humanum, & extra singularia: quia abstrahunt ab omni illo, quod non est de intellectu quidditatiuo earum.* Hæc illæ. Probo secundo ratione. Quicquid requiritur ad constituendum vniuersale Platonicum reperitur in Essentia rei possibili, & æterna prout tradita ab Aristotelicis: Igitur admittendum est vniuersale Platonis. Probatur antecedens. Ideo in Essentia rei abstracta ab hic, & nunc, & prout tradita ab Aristotelicis non reperiretur quicquid petitur adæquatè ad constitutionem vniuersalis Platonici, quia principia Platonis dicunt indifferentiam, vt ex illis deducatur contradictorium, scilicet essentiam realiter esse à singularibus separatam; & realiter cum illis identificatam, & non separatam; Sed principia Aristotelica laborant eadem indifferentia, vt ex illis deducatur Essentia, vel natura communis realiter à singularibus separata, & non separata: ergo quicquid exigitur ad constituendum tale vniuersale iuxta principia Platonica, reperitur in Aristotelicis: Igitur vel dicendum, Platonem non concessisse vniuersale separatum realiter à singularibus, vel si ita est, Aristotelicis etiam iuxta sua principia hoc vniuersale ita separatum deuorandum est. Hic discursus est legitimus. Maior, & consequentia negari nequeunt: Minor in qua est tota difficultas, ostenditur concessa ex Corollarijs Peripateticis supra §. 37. positis.

§. 39. Dices primo: Minorem prædicti Syllogismi non benè probari ex corollarijs Peripateticis supra enumeratis: tùm quia constans omnium sententia est, Platonem tradidisse vniuersale realiter à singularibus separatum, & per se existens, Tum etiam quia principia Aristotelica id non conuincunt; optime enim cohærent iuxta illa, quod ab æterno dentur essentiæ actuales, seu ens illud diminutum, & quod hæc realiter identificentur cum singularibus, ac minimè ab illis separata existant.

§. 40. Sed contra: Quia eiusmodi vniuersalis separatio à singularibus non docetur directè à Platone, sed ex eius doctrina legitime infertur ab Aristotele: Rem explico, & probo. Plato immediatè impugnabat Heraclytum, & Cratilum, qui omnia dicebant esse fluxa, & corruptibilia, vtpote singularia, ac proinde non non posse dari obiecta scientiarum. E contra autem Plato docebat, dari obiecta vniuersalia scientiarum æterna, incorruptibilia, quæ etiam extinctis singularibus non perirent, essentque omnium exemplaria, & formæ idæales. Ecce origo, & principium vniuersalis Platonici: hinc arripuit ansam Aristoteles dicendi, Platonem separasse realiter naturas à singularibus: ex eo enim quod singulare perisset, essentia non periret, singulare dependeret à causa productiua, loco, & tempore, essentia vero minimè, sed esset ab æterno immutabilis, intulit: Ergo illud vniuersale existit separatum, ac distinctum realiter à singularibus: quã illationem videant Aristotelici; concedant, negent ve, qui essentias positiuas ponunt ab æterno actuales, & *Entia diminuta*. Simili enim consequentia dicetur, eos separasse essentias realiter, ac entia diminuta à singularibus tempore existentibus. Probo: Potissimum signum separationis inter essentiam Petri, & Petrum, est Petrum perire, essentiam non perire; essentiam non generari per se; Petrum per se generari, Essentiam humanam fuisse ab æterno; Petrum incæpisse in tempore: Ergo si hæc non conuincunt separationem essentiæ à singularibus, malè arguunt Platonem, quòd

quòd essentiam vniuersalem posuerit separatā à singularibus, cum Plato nihil aliud tradiderit, vnde eiusmodi separatio inferatur ab Aristotelicis, nisi id ipsum, quod Aristotelici fatentur. Et, si ea omnia conuincunt separationem essentię à singularibus: ergo & Aristotelici essentias separant à singularibus, & ens diminutum ab Ente simpliciter: Cur enim, in sententia Platonis non cohæreat eiusmodi vniuersale cum identificatione singularium, & in sententia Aristotelica cohæreat; cum eadem vtrobique sit ratio?

§. 41. Dices secundo: ex principijs Aristotelicis non sequitur, illas essentias esse formas per se existentes, quod Plato docuit; negantque Aristotelici, qui nullam illis tribuunt existentiam ab æterno, sed in tempore, eamque à singularibus, & in singularibus acceptam. Sed contra primo: Quia id gratis confingent Aristotelici: ex fine enim intento, & scopo Platonis infertur euidenter, quod ad constitutionem sui vniuersalis satis erat, superque, quòd illud esset ita incorruptibile, æternum, & positiuè actuale, sicut essentiæ, & possibilia Thomistica, & Scotica sunt actualia ab æterno, & incorruptibilia, actualitate quidem essentiali, non vero existentiali. Contra secundo: Quia Ideæ illæ, & vniuersalia, vt plurimum erant species, & quidditates essentiales, seu substantiales, & non accidentia: Ergo non erant entia in alio, sed entia per se, & cui competebat existere per se, adhuc possibiliter per existentiam per se, quæ tunc vt possibilis substantijs possibilibus congruebat. Fauet Flandrensis. *Videtur ergo* (inquit) *quod Plato non deficiebat in hoc, quod posuit Ideas per se existere: Quia omnis substantia est ens per se existens, vt patet in prædicamentis, sed Plato posuit Ideas esse substantias: ergo sunt per se existentes*. At verò quod illæ Ideæ, seu vniuersalia haberent existentiam actualem ab æterno, qualiter singularia in tempore existunt, nec Plato docuit, nec ex suis principijs colligitur.

Rem explico; Aristoteles omnia, quæ sunt in Mundo asserebat extitisse ab æterno, & quidem secundum eorum essentias, & species; etenim indiuidua, & singularia, ipse videbat in tempore nasci, atque produci; È contra verò Plato, omnia dicebat in tempore nata, & nihil eorum ab æterno præcessisse secundum existentiam, vt inter innumeros testatur Tullius Tusculanarum Quæst. 1. *Hæc igitur* (inquit) *& alia innumerabilia, cum cernimus, possumus ne dubitare, quin his præsit aliquis; vel effector; si hæc nata sunt, vt Platoni videtur, vel si semper fuerint, & Aristoteli placet moderator tanti operis? &c.* Tum sic; Qui negat posse dari existentiam vllam, aut durationem ab æterno, adeo vt in hoc potissimè contradicat Aristoteli, non potuit bona consequentia concedere existentias idæarum ab æterno; Sed Plato negat dari existentias Idæarum ab æterno, & Aristoteles affirmat: Ergo Plato nequit concedere existentias Idæarum ab æterno; immò si eorum vllus tale quid somniasse censendus est, is est Aristoteles, non Plato. Maior est nota ex terminis; non enim tàm celebre dissidium versatur inter Platonem, & Aristotelē, si vterque concessisset existentias rerum ab æterno. Minor fatetur ab ipso Aristotele 1. de Cælo. cap. 23. cum D. Thoma lect. 22. Vbi contra Platonem ipse tradit, tempus fuisse improductum, & Mundus extitisse ab æterno. Consequentia est bona. Male ergo infertur, Platonem, Idæas ab æterno adstruxisse existentes; cum potius ipse doceat, tempus fuisse verè productum, omnemque existentiam in tempore verè incepisse.

§. 42. Dices tertiò. D. Thom. passim docuisse, quod Plato ideis suis tribuerit existentiā separatā à singularibus. Sed contra primò; Nam S. Doctor eo sensu loquitur de sententia Platonica, quem explicuimus supra Theorem. 2. §. 12. Contra secundo; quia ipse nihil de hac re definiuit, sed omninò suum abstraxit iudicium; Audi Sanctissimū Aquinatem. lib. 1. de Cœlo. lect. 22. *Dicunt autem quidam* (ait) *quod isti Poetæ, & Philosophi, & præcipuè Plato, non sic intellexerunt secundum quod sonat, secundum superficiem verborum, sed suā sapientiā volebant quibusdam fabulis, & ænigmaticis locutionibus occultare, & quod Aristotelis consuetudo fuit impluribus non obijcere contra intellectum eorum, qui erat sanus; sed contra verba eorum, ne aliquis in tali modo loquendi in errorem incurreret, sicut dicit simplicius in commento. Alexander tamen voluit, quod Plato, & alij antiqui Philosophi hoc intellexerunt, quod verba eorum exterius sonant; & sic Aristoteles non solum contra verba; sed contra intellectum eorum conatus est argumentari. Quicquid autem horum sit, non est nobis multis curandum, quia studium Philosophiæ non est adhoc, quod sciatur, quid homines senserint; sed qualiter se habeat veritas rerum*. En vides D. Thomam non curasse, quidnam senserit Plato, licet interdum retulisset eius sententiam, vt vulgus ferebat: Ergo ipse non docuit constanter, Platonem tales existentias tradidisse. Ego autem à S. Doctore admonitus, nec disputo; Vtrum Plato tradiderit tale vniuersale separatū, nec ne? solum contendo, sententiam Peripateticam de essentijs, & possibilibus (quæ præcedenti theoremate expendimus) debere admittere vniuersale illud, quod Platonicum dicunt; siquidem easdem patitur difficultates, & ex ipsa non minus, quam contra Platonem separatio colligitur ab aduersarijs inter essentiam, & singulare, inter possibile, & existens; quare Authores ij, qui probabiliter defendunt eiusmodi essentias ab æterno actuales, dum propriā sententiam tuentur, etiam Platonicam efficiunt probabilem: vt benè aduertit Mag. Zumel prima parte q. 10. art. 3. conclus. 1. *Quia si rerum essentiæ* (inquit) *sunt æternæ secundum aliquod esse extra Deum, sequitur, quod est defendenda sententia Platonis de Idæis, &c.*

§. 43. Dices vltimo; Plato posuit Ideas quas docet esse species, & vt plurimum vniuersalia; at verò Thomistæ, & Scotici supra relati, possibilia ponunt non solum species, & vniuersalia, sed etiam indiuidua, & accidentia in particulari; Vndè satis apertè colligitur, Platonem non intellexisse pro Idęis essentias, & possibilia Peripateticorum.

§. 44. Sed contra; Quia tametsi Aristotelici omnia ponant possibilia ab æterno, tàm singularia

ria scilicet, quam accidentia; tamen ad obiecta scientiarum non designant nisi vniuersalia tantum cum Arist. 1. Poster. & D. Thom. ibidem lect. 13. Sed Plato instituebat sermonem de Idęis quatenus erant obiecta scientiarum aduersus Heraclitum, & Cratilum eas negantium: Ergo nonnisi vniuersales Idęas; immò solas specierum ponere debuit. Aduerte hic obiter. R. Lynceum, dum Platonis patrocinium suscipit, ab eiusdem mente longissime aberrare. Docet enim tract. 2. de vniuers. cap. 1. num. 6. & 17. Platonem non solum specierum, sed etiam generis, accidentium, & particularium Idęas posuisse, quod falsum est, & contra Aristotelem, & D. Thomam de Veritate q. 3. part. 7. vbi sic inquit: *Dicendum quod Plato, qui primus introduxit Idęas non posuit Idęas accidentium, sed solum substantiarum, & patet per Philosophum in primo Metaphysicæ, &c.* Nititur Lynceus quibusdam Platonis verbis in Parmenide; Deindè asserit, Sotum fuisse delussum amphibolia nominis; nam cum Idęæ imagines quædam sint intentionales, & repræsentatiuæ rerum, ideò eas Plato vocauit species, idest imagines; non quia solarum specierum senserit esse Idęas. Ast (pace eiusdem, dictum volo) Lynceus delusus est, non Sotus. Moueor, tùm quia data Idęa speciei, reductiuè, & consequenter idęata censebat Plato omnia, quæ necessario comitabantur talem speciem essentialiter, vel naturaliter. Et hoc modo intelligendus est textus Platonicus in Parmenide: *Videntur ne tibi, vt aiebas, species quædam existere, & ea, quæ illis participant, illarum cognomenta sortiri? veluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine, atque iustitia pulchra, & iusta vocari? & maximè quidem; inquit Socrates* (gerit Socrates personam Platonis) quæ omnia explicari possunt reducendo prædicta accidentia ad Idęam specierum. Vbi verò Plato Idęas vocat *bonum*, & *pulchrum* intellige pro bono actualitatem entis, pro pulchro, perfectionem essentialem, & vltimam constitutionem rei per differentias, eo enim ferè modo vsurpat *pulchritudinē*, sicut nos *speciem*, quæ non minus significat venustatem, quam pulchritudo. Tùm etiam quia similiter Theologi nostri negant Idæam materiæ primæ in Deo, tametsi ipsa sit ens reale, creatura, &c. ideò præcisè, quia Idæam totius compositi sufficere dicunt tàm materiæ, quàm formæ cum D. Thoma I. p. q. 15. art. 3. ad 3. Tùm denique quia idem S. Doctor mentem Platonis Lynceo oculatius, doctiusque enucleauit de Veritate q. 3. art. vltimo; Audi illum Angelicè totam rem discutientem, & quare solum speciei ponatur Idęa causas refferentem; *Vna* (inquit) *quia secundum ipsum Ideæ non erant factiuæ materiæ, sed formæ tantum in istis inferioribus; singularitatis autem principium est materia; secundum vero formam, vnum quodque singularium collocatur in specie, & ideo Idæa non respondet singulari in quantum singulare est, sed ratione speciei tantum. Alia eius ratio esse potuit, quia Idea non est nisi eorum, quæ per se sunt intenta. Intentio autem naturæ est principaliter ad speciem conseruandam: Vnde quamuis generatio terminetur ad hunc hominem, tamen intentio naturæ est quod generet hominem; & propter hoc etiam Philosophus dicit 18. de Animalibus, quod in accidentibus specierum sunt assignandæ causæ finales; non autem in accidentibus singularibus, sed efficientes, & materiales tantum: & ideo Idæa non respondet singulari, sed speciei. Et eadem ratione Plato non ponebat Idæas generum, quia intentio naturæ non terminatur ad formam generis, siue ad productionem formæ generis, sed solum formæ speciei*. Hæc ille; similiter philosophare de accidentibus, quæ etiam Aristot. exclusit ab obiecto scientiarum 1. Poster. & D. Thom. ibi lect. 14. cur ergo id Platoni licuerit?

§. 45. Igitur est Thomistarum illorum sententia considerantium vniuersalia secundum essentiam à singularibus abstracta, deindeque eiusmodi essentias ab æterno positiuè actuales, & incorruptibiles, distinctas realiter; immo, & separatas ab existentia docentium: optime potest Platonis Idæa defendi vniuersalis, respectu quidem ipsorum singularium, de quibus nunc de facto vniuersale Logicum verè prædicatur. Vnde iterum reijciendus Lynceus, qui eodem cap. 1. num 18. docuit, Platonem posse explicari ex sententia Thomistarum, iuxta quos eadem numero essentia potest respectu existentiarum constitui vniuersalis, quia illa in pluribus existentijs per identitatem realem absolutam reperibilis est, quod prorsus falsum est, & commentitium, cùm talis identitas, neque per somnum vlli Thomistarum venerit in mentem.

THEOREMA VI.

Argumenta Aristotelicorum contra Platonem ex eorumdem principijs facillimè soluuntur.

§. 46. AD primum negabunt Platonici minorem, & ad probationem, quæ ponitur secunda pars contradictionis, distinguent illam propositionem: Nihil est in rerum natura quod non sit determinatum, & singulare. Sumpto *ly esse in rerum natura* pro esse existentiali concedent; sumpto pro esse essentiali quidditatiuó, & idæali negabunt.

§. 47. Ad secundum: conceso antecedente negabitur consequentia, & quidem optimè; nam si incorruptibile differt genere ab incorruptibili, nequit que de illo prædicari: quomodo igitur essentia ab æterno possibilis, quæ etiam est incorruptibilis iuxta Thomistas, & ens diminutum similiter incorruptibile, & ingenerabile prædicantur de singularibus corruptibilibus? Valet enim dicere Petrus est animal rationale: Paulus est homo, &c. in quibus enuntiationibus essentia hominis, quæ ab æterno fuit actualis, & incorruptibilis, & iuxta Scotum ens omnino independens à causa generationis, & corruptionis, prædicantur essentialiter de Petro, & Paulo: eomet ergo modo prędicabuntur vniuersalia Platonica. Quod autem incorruptibile non possit prędicari de corruptibili certum est, si loquamur de incorruptibili Physico; corruptibile enim, & incorruptibile, sunt genera Physica inter se omnino diuersa, quorum alterum de altero prædicari nequit; vnde nec corpus cæleste prædicabitur de sublunari, neque Angelus de Lapide. Sumpto

vero

vero incorruptibili Metaphysicè, vt & apud Aristotelem sumitur, falsum est antecedens probationis.

§. 48. Tertium Argumentum fundatur ea veritate: Quidquid non est Deus, est verè productum à Deo. Ast fortè nesciunt Paripatetici his lapidibus potius peti caput sui Ducis Aristotelis, quam Platonis. Apud Aristotelem enim falsum est antecedens, cum ipse Mundum, tempus, materiam primam, &c. docuerit improducta, & ab æterno existentia: immo Platonem carpens, inquit: *Primus Plato tempus genuit*, idest (explicatore Aquinate) *Primus Plato docuit tempus fuisse factum simul cum Cœlo.* Physic. 8. lect. 12. qua in re Aristoteles errauit, Plato non errauit; immo Catholicam præsensit veritatem. Eant ergo Platonici, nec timeant ab Aristotele hoc argumento posse premi, non enim eo vtetur, nec vsus fuit, cum illud sibi potiore Iure timendum fuerit, vnde qui sic argumentantur, Aristotelem suum impugnant; non Platonem. Ad formam argumenti negabunt antecedens etiam, sicut ipsi peripateci negant, suas essentias ab æterno positiuas, & actuales productas fuisse: iuxta doctrinam vero Scoticam distinguent idem antecedens. Illud vniuersale esset quid productum à Deo, itanquam à causa creante effectiua, vel per Omnipotentiam operante, negabunt: tanquam à causa intentionali, intelligibiliterque producente esse obiectiuum, vel cognitum, vel diminutum, concedent. Deinde negabunt consequentiam.

§. 89. Ad quartum. Quod simile, vel idem est, distinguent, ex Thomistarum & Henrrici doctrina: Implicat, creaturam aliquam non esse à Deo. Vt à causa effectiua, vel exemplari, concedent; vt ab effectiua tantum, negabunt. Ex Scotica etiam distinguent: impossibile est creaturam non esse à Deo, saltem secundum esse intelligibile, & diminutum, concedent: semper secundum esse entitatiuum, & simpliciter negabunt: nam in statu possibilitatis non pendet creatura à Deo secundum esse simpliciter, quod tunc nullum est. Ad id, quod additur, scilicet, soli Deo competere esse æternum, immortalem, immutabilem, &c. facile respondebunt, id esse verum, de æternitate, immutabilate, &c. simpliciter talibus; non de æternitate secundum quid, participata, & diminuta, nec de immutabilitate negatiua, & imperfecta.

§. 50. Quintum argumentum in ipsos Aristotelicos rerorqueri potest: quæro enim ab illis. An illa essentia ab æterno actualis, seu illud ens diminutum distinguatur ab hoc singulari, & ente simpliciter, nec ne? Si non distinguitur, ergo, & hoc ens simpliciter, nempè singulare extitit ab æterno, quod est falsum, & necessario fatendum Scotistis, qui negant distinctionem realem essentiæ ab existentia. Si distinguitur realiter: ergo non poterit identificari cum illo, quando in tempore existat. Quicquid igitur Aristotelici responderint, hoc erit Platonicorum solutio. Dicent tamen absolutè, vniuersalia sua ab indiuiduis tantum modaliter, & quoad statum existendi distingui, cum qua distinctione bene cohæret, quod de illis essentialiter prædicentur.

§. 51. Sexti negant antecedens vtrumque. Quia indiuidua in illa natura Idæali non haberent vnitatem idemtitatis, seu singularitatis; sed vnitatem conuenientiæ, & vniuersalitatis, qualem nunc communiter ponimus per abstractionem intellectus.

§. 51. Septimum argumentum immediate pugnat contra prædictos peripateticos, idque soluunt pro solis possibilibus, & ente diminuto, supra Theorema 4. vide ibi quatuor solutiones à §. 31. Quibus, & similiter sese Platonici tuebuntur.

§. 53. Octaui negabunt antecedens: ad cuius probationem dicent, Idæam dupliciter considerari posse, in abstracto scilicet, & in concreto: in abstracto considerata est ipsemet actus Diuini intellectus exemplariter repræsentans essentias rerum, seu ipsum exemplar Diuinum, prout distinctum ab obiecto possibili, quod respicitur; ibi enim *non est creatura, sed creatrix essentia*. Vt loquitur D. Thomas. Aliter, nempe in concreto consideratur Idæa, & sic est ipsum obiectum possibile connotans actum Diuini intellectus, seu denominatum ab ipso in esse practicè cogniti, & exemplabilis ad extra: quo pacto Idæa hominis est homo possibilis cognitus à Deo, vt imitabili, seu repræsentatus in Diuino exemplari, & archetypo, Idæa Leonis Leo sic cognitus, & idæatus, & sic de cæteris. Hoc prælibato, distinguent assumptum antecedentis, Idæa non potest prædicari de Petro, quia non valet Petrus est Idea: Idæa abstractè concepta concedent; Idæa concretè concepta negabunt: Certum est enim essentias de suis indiuiduis prædicari, & tamen ista: *Petrus est essentia*, abstractè non valet.

§. 54. Nonum, quod nititur illi principio: *quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, est singulare*: facile ruet, si dicant, axioma esse verum in ente diuiso, vel indiuiso secundum esse existentiæ, vel subsistentiæ; non vero in ente indiuiso secundum esse quidditatiuum, & essentiale. Res est clara in homine vt sic, & vniuersali, qui est in se indiuisus (non enim est duplex essentia formaliter) & etiam est diuisus ab Equo, & à lapide, per suam differentiam, scilicet *rationale*; & tamen non est singularis homo, sicuti neque omnes species, & genera, quæ eo modo, scilicet essentialiter, & quidditatiuè sunt in se indiuisa, & diuisa ab alijs.

§. 55. Decimum Argumentum, atque omnibus robustius (vtpote decumanum) Aristotelis est 10. Metaph. text. 46. & Auicennæ 5. Metaph, à quibus accepit D. Thomas opusc. de ente, & essentia cap. 4. prætereo opusc. 55. quia non est S. Doctoris: & quidem efficax esset telum, nisi ipsamet Peripateticorum doctrina, illud non secus, ac reliqua confringeret: glossatur enim antecedens: quod est separatum ab aliquo non potest de ipso prædicari: quod est separatum secundum esse quidditatiuum, & essentiale, negant, quod est separatum secundum esse existentiale; concedunt. Pergit M. Flandrensis. *Quia licet eas, Idæas, Plato posuerit separatas per abstractionem ab hic, & nunc, & ab hoc, & ab illo; non tamen posuit eas separatas quantum ad esse ratum actualis existentiæ*

vt superius dictum est. Dicitur etiam ad consequentiam, quod peccat secundum fallaciam æquiuocationis ex multiplicitate huius termini separatum. Hæc Thomista nobilissimus. Quoad D. Thomam dicent, eum non premere, nisi eos, qui in existendo separauerint vniuersalia à singularibus: quod si etiã vrgeat separantes eas in essendo, Thomistas torquebit ab æterno astruentes essentias positiue actuales, quibus vel eiusmodi sententiam deponendum est (si argumentum valet) vel vniuersale Platonis admittendum, quod solum contendimus.

§. 56. Confirmationũ Comptoni ad primam: occurritur ex responsione sexti argumenti, ad secũdam ex responsione ad quintum; ad tertiam negatur, Idæas esse productrices singularium in genere causæ efficientis physice (dato antecedenti, quod scilicet inter producens, & productum realis versetur distinctio) Deinde negatur consequentia, nam Idæa eo modo dicitur producere, seu causare singularia, sicuti essentiæ sunt causæ passionum, quod quidem ex ipsa Aristotelis doctrina desumptum est, Poster. lib. 1. teste D. Thoma lect. 23. Vbi tradit Philosophus discrimen inter demonstrationem *Propter quid*, & *Quia* docetque, essentiam esse causam passionis: dumque risibile infertur ex rationali, effectum à causa deduci affirmat, & tamen risibile non distinguitur realiter à rationali, quia est causa, seu ratio formalis in essendo, & cognoscendo. Hinc patet, essentias reduci ad principia formalia, & finalia in ordine intelligibili, & metaphysico, non crasse in ordine phisico; proindeque causam, seu principium formale essendi non distingui realiter à suo effectu, eo modo, quo causa efficiens Physica à suo tam certum est, quam rationale non distingui à risibili, nec animal (vt exemplo Aristotelis vtar) à respiratiuo. Causat etiam Idæa Platonica (sumpta pro essentia abstracta, vt dicebamus) in genere causæ exemplaris. Deus enim respiciens suas Idæas non solum secundum quod dicunt in abstracto, sed etiam secundum concretum, idest ipsas essentias ab æterno actuales contemplando, producit singularia in tempore, eaque cum ipsis identificat, ea methodo, qua in archetypo tale opus moliebatur. Ideo enim Petrus in tempore producitur animal rationale, quia essentia hominis, vt sic prout Idæata habuit in mente Diuina eam prædicatorum connexionem. Hæc omnia fortasse perstrinxit Flandrensis, inquiens: *Plato autem non voluit, quod illæ Ideæ essent principia in quolibet genere causæ, sed solum quod essent principia formalia, & finalia*.

§. 57. Vndecimum Argumentum nullius roboris est; procedit enim de vnitate identitatis, & singularitatis, quam non ponunt Platonici in suis Idæis, nec vllum est inconueniens, quod eadem natura specifice sit in Christo, & in Iuda, damnetur, & beetur, &c. idipsum dic de conuersione panis, cuius substantia non esset eadem numero, sed specie, vel genere cum substantia Corporis Domini. Non enim ponunt Platonici in suo vniuersali, nisi vniuersalitatis vnitatem, quæ conuenientiam dicit in essentia, non identitatem in indiuiduo; nec tam stupidus erat Plato, vt hominibus quasi pecudibus vellet eiusmodi nugas persuadere.

§. 58. Duodecimum etiam in Peripateticos retorqueri potest, quæ enim vtilitas, aut indicium essentiæ actualis ab æterno, aut quæ necessitas entis diminuti? Horum igitur vtilitas, si vlla assignetur, etiam adiudicabitur vniuersali Platonis. Respondebunt tamen absolutè, neminem posse negare vtilitatem, aut indicium diuinarum Idæarum, per quas Deus creaturas producit ad extra, hæ autem requirunt obiectum, quod respiciant, & in quo ipse connexionem prædicatorum constituat ab æterno: requiruntur etiam vt sint principia cognoscendi, sicut sunt essendi, vt scientiæ tendant in obiectum æternum, & incorruptibile. Ecce vtilitas: & forte non maiorem assignabunt Aristotelici pro suo ente diminuto, & essentijs ab æterno positiuè actualibus.

§. 59. Tredecimum, si aliquid probat, etiam conuincit, genera, & species non esse prædicata essentialia, quia multis competunt, quod est ridiculum. Quis enim dicat, hominem non esse de essentia Petri, quia etiam est de essentia Pauli? Apage.

§. 60. Ad decimum quartum: quærent Platonici. Dum Deus ab æterno cognouit essentias illas actuales, & entia diminuta an ea separauerit intellectus aliquis agens à suis singularibus? Dicunt ergo eiusmodi vniuersale seipso esse separatum ab omni singularitate secundum suum esse essentiale, & quidditatiuum. Sed quia alioqui in existendo iungitur cum conditionibus indiuiduantibus, opus est intellectu agente, qui eas remoueat.

§. 61. Vltimi argumenti falsa est minor quoad secundam partem, & probationem negant, Idæas causare singularia in genere causæ efficientis physicè, vt ex ipso nomine Idæa coniectare debuerant Aristotelici, & non aduerterunt. Concedunt tamen, eas causare in genere causæ finalis, & formalis exemplaris in ordine Metaphysico: nec ad huiuscemodi causationem petitur quod causa subsistat; Domus etenim in mente Architecti nondum subsistit, & tamen producit parietes ad extra, sufficiet autem quod habeant esse quidditatiuum, & essentiale, vt ijsdem inspectis, sigularia idæari dicantur secundum suas species, vt supra docuit D. Thomas §. 44.

§. 62. Sed horum iam satis, nulla enim difficultas occurret, quæ simul prædictam Peripateticorum doctrinam non vrgeat, & eorundem solutionibus non diluatur; quod vero dicunt errori proximum esse admittere tale vniuersale à Deo in essendo non creatum, etiam à Neothericis obijcitur in Thomistas pro suis essentijs, & contra Scoticos pro suo ente diminuto, vt supra dixi. Immo Arriaga Metaph. disp. 2. sect. 1. num. 13. ait. Hæc tamen tota doctrina, & Fidei, & rationi naturali parùm consona videtur: Fidei quidem quia nihil prorsus à Deo distinctum erat verè, & realiter, antequam Deus illud crearet; si autem fuissent essentiæ, cum illæ sint quid reale, & præcipua creaturarum pars, fuissent certè ab æterno satis multa, & à Deo distincta. Deinde

inde

nde illæ essentiæ non possunt à Deo verti in nihilum, nec haberet supra illas dominium, essentque ens à se, &c. Hæc ille: quæ omnia iampridem alij vetustissimi obiecerunt, solueruntque antiquissimi Thomistę, & Scotici, supra quorum solutiones aliquid aliud nouum excogitandum erat Arriagæ, vt eiusmodi doctrina ab ipso impugnata videretur. Vide horum solutiones, non modo apud Zumelem, Albertinum, Nazarium, & alios minus antiquos; Verum apud Henrricum, Capreolum, Soncinatem, canitie, & vetustate (sicut, & argumenta Arriagæ) pene decrepitas.

PARERGON I.

Consultò autem dixi argumenta omnia aduersus Platonem pugnantia, posse solui, immo retorqueri in Arristotelicos; non in Aristotelem: quia forte Aristoteles hoc sæculo eiusmodi essentias ab æterno positiuè actuales, & ens diminutum impugnaret eisdem argumētis, ac Platonis Idæas. Non enim nostri instituti est, Aristotelis doctrinam carpere, aut deserere, nisi in ijs, quæ aduersus Fidem ipse errauit.

Vnde nec feres moleste (mi lector) nos pluscu lum in defensionem Platonis excurrisse, à quo nostri Theologi didicerunt Idęas ponere in Deo (teste D. Tho.) & qui creationem mundi in tempore, immortalitatem animę rationalis, multaque alia vera, & Catholica dogmata tenuit, vt de Paradysso terrestri quatuor fluminibus irriguo (vt apud Pierium lib. 21. cap. 12.) cuius pręconium S. Augustinus merito decantauit, aiens, contra Academ lib. 3. cap. 17. *Plato vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suorum, qui & ita loquutus est, vt quæcumque diceret, magna fierent, & ea loquutus est, vt quomodocumque diceret, parua non fuerint.* Apud cuius libros (quod mirabilius est) Augustinus idem testatur, se legisse totum primum fragmentum Euangelii S. Ioannis. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* Multum tamen dubito, an legerit etiam ea: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes?* sed non locus hic ista disserendi, vide D. Thomam à Villanoua serm. 1. de Trinitate. Ioannem Raulinum Cluniacensem serm. 4. de Trinitate lit. G. Vide etiam Augustinum de Ciuitate Dei lib. 8. à cap. 4. vsque ad 13.

PARERGON II.

§. 63. Biennio integro postquam hæc scripseram elapso, incidi in doctissimi D. Caramuelis Metalogicam, vbi peramenam illam legi disputationem septimam, in qua de vniuersali Reali, & Platonicó profusse differit, modosque ipsum defensandi varios producit. Et putabam; ex tàm referta, ac diuite pænu, me nonnullā frugem huic Dissertationi allaturum; Sed vacuus abiecessi: Nam longe diuersa incedit ille via. Obiectiones multas soluit, & quidem ex proprio potius cerebro, quam ex mente Platonis: multa, & fere omnia repagula ad Eucharistici Mysterij exemplum emollire contendit, eo fretus, quòd vnum Christi Corpus pluribus insit Hostijs, de illisque more vniuersali prædicetur. Pergit Articulo nono, & ostendere conatur, *Materiam primam in schola Thomistarum esse vniuersale Platonicum*, quandoquidem ab illis asseritur, supremum genus rerum corporearum, diciturque esse negatiuè vna in multis à parte rei. Tandem articulo decimo affert clarissimum virum D. Ioannem Marcum Marci, qui operatrices Idæas politissimè, & (vt ipse ait) supra vulgi calamum scripsit. Astruit Doctor hic, Formas esse Idæas Platonicas incorruptibiles, & operatrices, quarum effectus (sicut & omnia generabilia) sunt v.g. Ranæ, Mures, & alia, quæ nullo generante principio producuntur; Nec enim ea ex putrefactione procreat sol, vt vulgus obtinuit, cum etiam serpens dissectus, immò, & minutim contusus in plures deinde animetur serpentes, qui non nisi à sua Idæa, & operatrice forma idæati proficiscuntur, & ad certam speciem per quasdam signaturas determinantur. Hæc, & similia ille in summa. Cuius sententiæ probabilitatem perpendere, aut examinare nostri non est instituti. Sufficit notasse, vniuersalitatem Platonis in Materia prima à Caramuele, & in forma à Ioanne Marco facillimo negotio (vt loquitur ipse Caramuel) propugnari posse. Nos aliò tendimus: *Dialecticis* gradimur vestigijs, probabiliusque statuimus in Essentijs Platonicam hanc vniuersalitatem, maximè si secundum dogma Scoticum Essentiæ illæ ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus distinctę sunt à singularibus. Equidem mirabile est, quòd nullum pro se conflet argumentum Scotista, siue in astruenda vnitate positiua, vel negatiua naturæ, siue in probanda aptitudine remota, vel proxima eiusdem ad essendum in multis, quod validiùs vniuersale Platonicum non confirmet: vt vel male liqueat, Peripateticos volentes, nolentes Platonizasse; aut Platonem impugnantes suismet telis sese confodisse.

THEOREMA VII.

Communis doctrina dè vniuersali fundamentali, seu incluso in singularibus proponitur, & explicatur.

§. 64. Non dari in rebus naturas vniuersales, & communes realiter in existendo separatas à singularibus certo certius est, idque satis probant 15. argumenta, quę supra theorem. 3. examinauimus, æque tamen certum est, dari aliquod vniuersale, quod dicunt materiale, seu fundamentale inclusum, & identificatum cum indiuiduis, quod quidem tale dicitur, quia ex conuenientia, seu similitudine singularium inter se, fundamentum præbet intellectui, vt in se confingat vnitatem prædicati, quod quasi formaliter vnum de ipsis enuntiet. Conueniunt v. g. Sortes, & Plato in ratiocinando, equidem Plato ratiocinatur, similiter ratiocinatur Sortes: hinc autem intellectus arripit occasionem fingendi quemdam gradum, seu prædicatum vnum rationalis, siue Hominis, quod de Platone, &

Sorte enuntiet. Isque gradus, seu prædicatum dicit tam Vniuersale fundamentale, quam formale (ex vtroque enim concretum est vniuersale Logicum) fundamentale, ratione conuenientiæ principiorum ratiocinandi; formale, ratione vnitatis confictæ ab intellectu considerante quasi vnum rationale, quos duos esse homines realiter videmus ratiocinantes. Probatur doctrina hæc communis communiter ex Aristot. 1. poster. text. 3. 11. & 33. si non daretur aliquod vniuersale, tollerentur omnes scientiæ, non enim potest esse scientia de singularibus corruptibilibus, & fluxis, sed certum est, dari realiter scientias: igitur certum est dari in rebus aliquod vniuersale. Explico, & confirmo: Vniuersalia illa certum est, esse idemtificata cum singularibus, nec nisi in singularibus existere possunt. At vero scientiæ non attingunt ea sub ratione singularitatis, seu quatenus singularia sunt, vnde necesse est, vt attingant in illis essentias rerum cum illis idemtificatas; longe enim diuersus est in his modus existendi à modo cognoscendi: vt in pomo (exempli ergo) color à parte rei existit vnitus cum sapore, & odore, qui tamen percipitur à visu, sine odore, vel sapore, sic à scientia, & ab intellectu percipitur homo, non percepta Petreitate; tametsi homo a Petro separari nequeat.

§. 65. Hinc igitur arguo: Vniuersale fundamentale dicitur natura multiplicata, cum conuenientia tamen suorum singularium, quatenus hæc sunt similia in aliquo prædicato, seu perfectione essentiali, tametsi ratione singularitatis dissimilia sint: Sed à parte rei datur natura cum eiusmodi conuenientia, Sortes enim, & Plato in esse hominis conueniunt, seu sunt similes, tametsi secundum esse indiuiduale discriminentur: ergo à parte rei datur vniuersale fundamentale inclusum in ipsis singularibus, quod ex instituto possint scientiæ contemplari. Non est in re facili plus immorandum.

§. 66. Obijcies primo. Ex eo quod dentur scientiæ à parte rei male Aristoteles arguit, quòd detur vniuersale saltem fundamentale. Tum quia potest dari in hyeme scientia de Rosa, & tamen non existere Rosam, tum etiam quia Logica est scientia realis, & realiter existens, & tamen Ens rationis, quod est eius obiectum non est in rebus, sed quid fictum: igitur hæc est mala consequentia; Dantur à parte rei scientiæ ergo dantur à parte rei vniuersalia fundamentaliter talia, quæ sint earum obiecta.

§. 67. Respondeo, illationem hanc esse à posteriori; certam tamen, ac euidentem, vnde negato antecedente, ad primam probationem dico, Scientias speculari sua obiecta, vt vniuersalia sunt, ac proinde vt perpetua, & incorruptibilia, quod quidem præstatur abstrahendo essentias ab hic, & nunc existentiæ, eo quod existentia sit corruptibilis, hoc est variabilis. Hinc nego, Aristotelem sic inferre: Scientiæ sunt à parte rei, ergo vniuersalia sunt à parte rei: non enim colligit, ea dari secundum existentiam, sed tantum secundum essentiam, quare esse potest scientia de Rosa ente, tametsi in hyeme non existente. Similiter ad secundam probationem dico: non colligi realem existentiam Entis rationis ex eo præcise, quod Logica realiter existat, semper enim est mala hæc consequentia: Logica realiter existit, ergo Ens rationis realiter existit. Equidem Logica potius contemplatur connexionem essentialem, & necessariam prædicatorum sui obiecti; quam eius existentiam, vt latius explicui in dissertatione proemiali, agens de eius specificatione. Horum autem ratio à priori est: Quia scientia est habitus cognoscitiuus, seu intellectualis, cognitio autem intellectus potest se extendere ad ea quæ non sunt, seu non existunt: Vnde docuit Aristoteles, relationem inter scientiam, & obiectum esse transcendentalem, & ex relatiuis tertij generis, quibus non competit esse simul natura, vt proprietas quarto modo. Vide quæ Cap. de Relatione infra docemus. Bene igitur arguimus à posteriori: Dantur scientiæ, igitur datur vniuersale saltem fundamentale in singularibus: ex his enim intellectus abstrahet essentiam vniuersalis, quæ licet ita abstracta non existat, eam tamen poterunt scientiæ secundum eius esse quidditatiuum, & essentiale perpetuo contemplari.

§. 68. Obijcies secundo Ratio ob quam admittitur vniuersale in rebus saltem fundamentaliter est, quia scientiæ versari debent circa veritates necessarias, & incorruptibiles, singularia enim mutabilia sunt, & corruptibilia. Sed hæc ratio nullius est momenti, quia vniuersalia sunt realiter idemtificata cum singularibus, & ab illis indistincta: igitur illa etiam sunt corruptibilia.

§. 69. Confirmatur primo: De corruptibilibus datur scientia: ergo non est admittendum vniuersale, ideo præcisse quia de corruptibili scientia dari nequit. Antecedens patet in obiecto Philosophiæ, quod est ens mobile. Item dantur libri de generatione, & corruptione, quorum obiectum est totum compositum generabile, & corruptibile, vt ex se patet: obiectum etiam medicinæ, scilicet corpus sanabile quis dubitet speculari quatenus corruptibile est? Consequentia est optima.

§. 70. Confirmatur secundo non parua Theologiæ pars (vt tertia tota, & quartus sententiarum liber) agit de Christo Domino, de eiusdem Incarnatione, morte, & actis, & institutione Sacramentorum etiam. Sed Christus Dominus in quantum homo est singularis, & multo magis in quantum Deus: ergo de singularibus possunt dari scientiæ, immo scientiarum omnium Diua, nempe Theologia.

§. 71. Respondeo (cum communi Peripateticorum) vniuersalia esse quidem corruptibilia, eo modo ac singularia, quibuscum idemtificantur; per accidens tamen, idest, eo quod singularia corrumpantur; non tamen per se; quia essentiæ rerum ab existentia abstractæ non inuoluunt radicem corruptibilitatis, quæ est materia, hanc Incorruptibilitatem negatiuam explicui supra cum D. Thoma, ne repetam, vide Theorem. 4. §. 36.

§. 72. Ad 1. Confirmat. Respondeo, res ipsas corruptibiles concipi abstractas à conditioni-

bus

bus materialibus hic, & nunc, ac per modum essentiæ incorruptibilis considerari: vnde corruptibile vt sic in actu signato corrumpi nequit. v.g. corpus Physicum vt sic, tametsi corruptibile in actu exercito corrumpi possit, & de facto corrumpatur. Ad 2. dico, Christum Dominum, eiusque productionem, acta, & mortem contineri sub obiecto communi Theologiæ, quæ dicitur ratio *sub qua*, & formalis, quæ est veritas reuelata, seu ens diuinitus reuelabile, vt docet S.Thomas 1.p.q.1.art.3. quare Christus Dominus non nisi sub obiecto vniuersali consideratur à Theologia.

§.71. Obijcies tertio. Arist. qui passim ait vniuersalia nihil esse præter singularia. Sed de nihilo non agit scientia, ergo nec de vniuersali. Respondeo, Aristotelem agere contra Platonicos vniuersale separantes quoad existentiam à singularibus, quare dicit, illud non esse extra, seu præter singularia.

DISSERTATIO III.

Vtrum dentur præcisiones obiectiuæ?

§.1. HAc tempestate nulla est in scholis quæstio celebrior, aut pro vtraque tam negantium, quam asserentium parte disputatior, ita enim res discussa est, atque exagitata, vtrinque Auctoribus quasi in aceruum Mercurij certatim pro ingeniorum varietate argumenta, suosque cogitatus abundè cumulantibus, vt quidpiam tam plenis horreis addere, aut noui aliquid excogitare impossibile videatur. Nos tamen pro tyronum captu rem planè difficilem emollire tentabimus; ex nostris, alienisque Authoribus selectiora (Apum more) delibantes, ac Angelicæ scholæ, Thomisticæ videlicet (vt mos est) vestigijs insistentes, cuius doctrinæ claritas, & certitudo adeò in hac materia Nominalium confussas tenebras excelluit, vt quamuis Societas Iesu huiusce emortuæ pridem opinionis plures ediderit Æsculapios, tamen eiusdem familiæ scriptores ad suæ veritatis candorem nonnullos allexerit, suaque deserere castra coegerit: Horum (inter alios) Thomæ Comptoni lubeat verba ingenua, ac verissima auscultare. Præfat. ad lect. §.3. *Plerique enim* [inquit] *hodie Nominalium incedunt semitas totamque ferme Logicã actibus quibusdam obscuris, & confussis inuoluunt, ex quibus sua vniuersalia, cæteraque inde pendentia conficiunt. Cum ergo modus hac in parte philosophandi iuxta claram, ingeniosam, acutam, & numqnam satis laudatam Diui Thomæ doctrinam, semper mihi visus sit præstantior, & ad intricatissima quæque declaranda accomodatior, eam hic pro viribus defendere, & via quæ ad hoc mihi commoda videtur, illustrare conabor. Nihil in hac procedendi via confusi, nihil obscuri, clara omnia, & aperta, dum res per sua prædicata sigillatim euoluitur, & mentali quadam, vt ita dicam anatomia in partes quasi dissecatur, rursumque ex ijsdem compingitur* Hæc ille.

§.2. Status autem quæstionis hic est: Thomistæ, & Nominales non dissident in præcisionibus formalibus, vtrique enim admittunt in homine v.g. dum cognoscitur vt *animal*, esse alium conceptum ex parte intellectus, illum gradum animalis exprimentem, & alium qui ipsum repræsentet, vt *rationale*. Et sicut sunt duo nomina vocalia, nempe *animal*, & *rationale*, ita in mente duos etiam esse conceptus formales, seu nomina mentalia, hominis eas perfectiones, seu gradus significantia. At Thomistæ prætereà volunt, in eo obiecto specifico, nempe homine etiam ex parte sui respondere duas rationes formales conceptibus illis intellectus etiam diuisiue respondentes, itaut diuisio, seu distinctio rationis, quibus hæ partes metaphysicæ, genus videlicet, & differentia inter se discriminantur, non proueniat à conceptibus dumtaxat formalibus intellectus, sed etiam fundamentaliter ab ipso obiecto, quod realiter habet capacitatem, & aptitudinem, vt per intellectum in plures formalitates diuidatur, eo quod ratione plurium perfectionum in eo confluentium, licet vnum quidem sit realiter, æquiualet tamen pluribus entitatibus realiter distinctis: quapropter ex ijs gradibus potest vnus cognosci, quin alius cognoscatur, non secus, ac si à parte rei distinguerentur, eo fere modo, quo causa potens producere plures effectus dicitur virtualiter multiplex, quia ipsa sola potest efficere, quæ plures causæ efficerent. Dicunt igitur dari eiusmodi virtualem distinctionem, æquiualentem reali inter hos gradus in ordine ad cognitionem, adeò, vt cognito animali non cognoscatur rationale, vt dictum est, quia hi gradus intentionaliter, & in ordine intelligibili sunt duo, quorum vnum potest attingere intellectus; alterum non attingendo. Nominales id mordicus negant, dicuntque cognito animali, etiam necessario cognosci rationale, confusè tamen, *idest* per cognitionem non clarè exprimentem illam *rationalitatem*: vnde totam eorum graduum distinctionem refundunt in conceptus formales confussos, qui iuxta maiorem, vel minorem confusionem, vel claritatem cognitionis faciunt idem obiectum aliter, ac aliter apparere: putant enim esse impossibile animal cognosci; non vero rationale, cum rationale, & animal sint realiter vnica, & indiuisibilis res. Dicunt verò animal cognosci vt tale, quatenus rationale exprimit, & cõnotat sensationes, & rationale vt tale, quatenus animal exprimit, connotat vè intellectiones, adeò vt nullo modo cognoscatur immediatè, & formaliter animal; quin immediatè, & formaliter cognoscatur, & rationale, totaque eorum distinctio non proueniat nisi ex ordine ad connotata extrinseca, quorum ratio est: quia nostri conceptus sunt imperfecti, & dum non penetrant omnes effectus causæ, vel omnes causas effectus, non adæquantur obiecto; sed dicuntur, illud partiri, non quidem obiectiuè, sed tantum ex parte intellectus: vnde in obiecto non est aliud, & aliud, sed illud omnino, quod denominatur animal, denominatur *rationale, homo, & Petrus*, per diuersos actus in ordine ad diuersos effectus, sicut idem lac denominatur album ab albedine, & à dulcore dulce, Non enim est vna formalitas, quæ denominatur alba, & alia, quę dulcis. Hæc illi, & de his nunc certatur.

THEOREMA I.

Fundamenta præcisionis obiectiua perpenduntur.

§. 3. Thomistæ nostri, qui numquam sine luce, aut sine Duce procedunt, solida ratione, doctrinaque Aristotelis, & Angelici Magistri alta suæ præcisionis obiectiuę iecerunt fundamenta, ea (inquam[quæ supponunt in obiecto, & in potentia intellectiua, ad hoc vt obiectum possit virtualiter distingui, in duas, pluresvè formalitates, de his nunc sermo; nam argumenta, authoritatesque, quibus id probant, inferius expendam. Dicunt igitur 1. hanc distinctionem oriri ex eminentia, seu perfectione obiecti, & quidem in Diuinis id compertum est. Nam Deus vtpote essentia illimitata, infinita, & omnes creaturas in se ipso eminenter continens, adeo perfectus est, vt per suam simplicem, & indistinctam entitatem possit ea omnia præstare, quę nos præstamus per multas perfectiones realiter distinctas Secundo: accedit imperfectio nostri intellectus, qui in hac vita non potest vnico conceptu totam illam Dei perfectionem adæquate concipere: vnde ad eam concipiendam indiget multis conceptibus inadæquatis, quibus in obiecto respondent multæ etiam perfectiones, eo quod. *Hoc ipsum* (vt docet D. Thom: 1. p. q. 13. art. 4. ad 3.) *ad perfectam Dei vnitatem pertinet, quod ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in alijs, in ipso sunt simpliciter, & vnitè. Et ex hoc contingit, quod est vnus re; & plures secundum rationem, quia intellectus noster, ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant.* Hoc ipsum proportionaliter contingit in obiecto creato, in quo si concurrant plures perfectiones, quæ in rebus inferioribus alioqui inueniuntur disperse, non poterit intellectus illud vnico conceptu cōpræhendere, & intentionaliter penetrare, sed pluribus opus est, quibus id clarè, & particulatim consideret, tametsi omnes eæ perfectiones in ipso realiter idemtificentur. Nec ad hoc necessum est, vt illud obiectum sit infinitum, & illimitatum, sicut Deus, quod notandum vellem propter Arriagam, Ouiedum, cæterosque nominalium sequaces, qui virtualem distinctionem in diuinis inuiti concedunt ratione infinitatis obiecti, nosque taxant, eo quod in creatis eam admittamus, Diuina humanis confundentes, cum talis distinctio repugnet creaturis, propter suam imperfectionem, & limitationem. Nō (inquam) necessum est, quod obiectum sit infinitum, sed sufficit, quod multipliciter perfectum sit, Ratio est manifesta: Nam si obiectum eo quod infinitum infinitas habet perfectiones, proculdubio infinitis conceptibus creatis opus erit, vt adæquatè concipiatur, quod quidem impossibile est intellectui creato: at vero si obiectum creatum habeat (vtpote limitatum) duas, tres ve perfectiones, cur non poterit duobus, tribus vè etiam conceptibus id exprimi? Equidem non dicunt Thomistæ, eadem cognoscibilitate, seu latitudine intelligibilitatis pollere obiectum creatum, ac Diuinum in ordine ad præcisiones obiectiuas, sed proportionaliter, comparant præcisiones creaturarum cum præcisionibus Diuinarum formalitatum, & in prædicatis dumtaxat intentionalibus, in ordine ad nostras cognitiones, vt respectu horum, similiumque prædicatorum: *iustitia Diuina cognoscitur* hoc actu, & tamen cum eadem sit realiter, per eundem actum *Misericordia non cognoscitur; Essentia similiter cognoscitur, Relatio non cognoscitur*. At verò, in ordine Physico reali, seu existentiali minime comparant obiectum creatum, nec suam eminentiam, & latitudinem obiectiuam, cum ea infinita, & Physica eminentia obiecti increati, secundum quam de ipso possunt hæc prędicata sine contradictione verificari: *Essentia communicatur: Relatio non communicatur, Filiatio producitur, Essentia non producitur*, ad quæ quidem verificanda infinita perfectio requiritur in obiecto, non vero ad alia, vt infra probabitur.

§. 4. Hæc autem multiplicitas fundamentalis, quæ in obiecto præcedit actualem distinctionem intellectus diuidentis, non sumitur à connotatis, nec ab illis rebus distinctis, ad quarum similitudinem intellectus suos conceptus distinguit, sed ab eminentia ipsius obiecti cum summa vnitate præstantis propria vtriusque prædicati. ita Caietanus. 1. par. quæst. 39. art. 1. & communiter Thomistæ, teste M. Martinez de Prado Metaph. 1. par. controuers. 10. artic. 5. §. 3. & Ratio est. Quia adhuc talis connotatio plurium, seu habitudo ad diuersas operationes, non minus fundatur, seu radicatur in eminentia ipsius causæ deriuantis ex se illa, quæ connotantur, & diuersas operationes, quæ eliciuntur: Igitur hæc connotatio non est purè extrinseca, cum radicem habeat in ipsa eminentia intrinseca causæ. Ac proindè obiectum ex se est multiplex, & non à connotatis, nec ab operationibus elicitis. Id patet tum in Diuinis, vbi à tribeta nequeunt suam distinctionem à connotatis exigere. sic S. Thomas in 1. distinct. 2, quæst. 1. artic. 2. *Quidàm autem dicunt* (ait ille) *quod ista attributa non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse, tum quia causa non habet aliquid ab effectu; sed è conuerso, &c.* tum etiam quia aliquæ perfectiones Diuinæ nullos connotant effectus, aut operationes, & tamen fundamentum præstant distinctionis virtualis, vt æternitas, & infinitas, quæ virtualiter distinguntur. Vnum denique in creatis id exhibeo. Nam color, & viriditas quasnam operationes connotant? certè nullas; & tamen similiter distinguntur ratione ratiocinata.

§. 5. Non tamen negant, effectus, & operationes *à posteriori*, & quoad nos multum deseruire ad notitiam eiusmodi eminentiæ, & cognitionem principiorum: & hoc sensu interdum dicimus ex operationibus diuersis, v. g. sensatione, & intellectione intellectum sumere occasionem distinctionis in eodem principio, nempè homine. At verò hoc non est nisi sumere occasionem, & à posteriori rem coniectare. Nam secundum se, *& à priori* propria ratio principij cuiuslibet effectus, vel operationis antecedenter ad illam debet, vel distingui, vel esse idem cum alia, proindèque distinctio

non

non consequitur, sed præcedit ipsa connotata, & operationes, per quas ipsa innotescit.

§. 6. Aduertendum porrò, in obiecto increato illam multiplicitatem fundamentalem reperiri cum summa Dei perfectione; contra verò in obiecto creato cum imperfectione, nam sicut in Deo infinita simplicitas multis æquiualet; ita in creaturis compositio ex multis perfectionibus, hinc indè collectis, multa præsefert cum potentialitate ad diuisionem, & pluralitatem prædicatorum. Sanè species hominis, v. g. quo perfectior est suis generibus, eò est illis compositior (vt notat Caietanus de ente, & essentia quæst. 1. & communiter Thomistæ agentes de primo cognito intellectus) quod enim respectu rerum spiritualium est imperfectius ratione compositionis; respectu rerum materialium perfectius est. Ratio: quia in materialibus perfectio venit ex compositione, & quot sunt actus componentes, tot sunt perfectiones, vt in vno homine gradus substantiæ, corporis, viuentis, sensitiui, & intellectiui, qui illi proueniunt ex compositione corporis cum animo rationali, qui tot formis vnus æquiualet, vt docet D.Thom. 1.par. quæst.76. artic.6. ad 1. In rebus verò spiritualibus completis, quo res compositior est, eò recedit ab actu purissimo, & simplicissimo, nempè Deo, in ordine ad quem (recessu scilicet, vel accessu) substantiæ spirituales suam perfectionem nanciscuntur, vt accepimus à Dionysio, & D.Thoma. Vndè (Accipe vno verbo) in substantijs spiritualibus multiplicitas fundamentalis accipienda est ex mera eminentia, qua pluribus rebus materialibus æquiualet ratione suæ perfectionis: in materialibus verò (vt in specie infima hominis) ex eminentia perfectionis mixtæ cum imperfectione compositionis. Hæc de obiecto.

§. 7. Ad hoc fundamentum accedit aliud ex parte intellectus, nimirum subtilitas quædam, & sagacitas, qua rem quantumuis vnam realiter, diuidere potest intentionaliter, vt docuit Auerroës 12. Metaph. comment. 38. aiens: *Intellectus enim natus est diuidere adunata in esse*. Quæ verba in commune totius Philosophiæ proloquium transiere. Vndè D.Thomas 1.contra Gentes cap.54. *Intellectus* (inquit) *ea quæ sunt in esse coniuncta, interdum disiunctim accipere potest, quando vnum eorum in alterius rationem non cadit, & propter hoc in ternario considerare potest binarium tantum, & in animali rationali, id quod est sensibile tantum*. Hæc autem cognitionis nostræ perspicacia, & subtilitas, qua rem indiuisibilem realiter, in plures diuidit intentionaliter, vt eam particulatim contempletur tota vertitur à Comptono in imperfectionem humani intellectus: Mihi tamen id multum imperfectionis sapit. Ratio præsto est: Cognitio comprehensiua est omnium perfectissima, ideò quia vno intuitu totam obiecti intelligibilitatem exhaurit. Igitur quanto intellectus, per partes, & quasi gradatim ex defectu virium comprehensiuarum quiescendo procedit per plures abstractiones eo imperfectius intelligit, eoque minus subtilitatis habet, & perspicaciæ. Nisi dicatur eiusmodi cognitionem esse sagaciorem, subtiliorem que, respectu cognitionum inferiorum, sensitiuarum videlicet, quod quidem verum est. Hincque patet, quare hæc subtilitas Diuinæ visioni non conueniat, id enim malè inferebat Arriaga Logic. disput.5. sect.2. numer. 32. §. *Hoc argumento*. sicuti nec valet hæc illatio: perfectior hominis cognitio est discursus, sed Deus, & Angelus perfectius cognoscunt: ergo perfectius discurrunt. Non valet inquam, quia quod perfectio est rei, inferioris; in superiori, & eminenti esset potius imperfectio maxima: hinnibilitas enim, fortè potissima est perfectio Equi, nec ob id concedet vllus, Angelos hinnire.

§. 8. Porrò ex verbis proximè relatis è D. Thoma explicare oportet ea: *Quando vnum eorum in alterius rationem non cadit*. Quæ quidem ex Peripateticæ doctrinæ medulla deprompta sunt, vniuersæque antiquæ Philosophiæ authoritate firmata. Videlicet quædam esse eadem inter se realiter tantum, alia verò eadem re, & ratione. Nam inter ea quæ realiter idemtificantur, diuersimodè est vnum idem alteri, & è conuersò. Vndè qui crassa Mineruа non nisi inspecta reali idemtitate duorum, omnia vtrisque faciunt communia, omnia prædicant de vtrisque, omniaque confundunt, à vera Philosophia, immo à Dialecticę rudimentis longè absunt, sed de his in Metaphysica; pro nunc sufficiat notare, hominem esse realiter idemtificatum cum ente, & Petreitate, & tamen cum tam Petreitas, quam ens sint eadem cum homine: tamen intellectus videt, hominem vt sic considerari posse absque Petreitate, non verò absque ente: igitur inter ea quæ realiter idemtificantur, quædam sunt taliter idem, vt nec per intellectus considerationem, eiusmodi idemtitatem amittant, hæc dicuntur esse eadem re, & ratione, similiter animal rationale idemtificatur cum homine, ac de ipso prædicatur in primo modo dicendi per se: in alia verò idemtitate, nempè solum reali, nec fundatur prædicatio formalis, nec rectè ab ea concluditur, aliqua esse realiter idem inter se in sensu formali, sed in idemtico dumtaxat, quia variatur appellatio, committiturque fallacia accidentis, vt phrasi loquar Aristotelis: quæ si cui aspera videntur, sicut Nominalibus, eorumque propagini visa sunt, recognoscant quæso veterum Philosophandi normam, legantque Aristotelem 1.Elenchor. & 3.Physicor. text.11. D.Thomam de Potentia, quæst.8.artic.3. ad 6.& ad 10. item 1.par. quæst.28. artic.3. ad 1. Et si horum tædeat, Summulas adeant M.Soti. lib.2.cap.14. lect.1. ad 3. & lect.2. Notab.3. Item lib.5. cap.2. videant tandem ipsum in Logica, quæst.2. de Quantitate, artic. 1. in finem, & 2. toto, vbi rem plenè tractat, & vbi Ouiedus reperiet, qua certitudine obiecerit nobis Metaph. controuers.4. punct.4. §.3. Admittentes distinctionem virtualem confundere Diuina humanis, eosque seuerè quasi impietatis, reos esse reprehendendos, eo quod Mysterium Trinitatis in creaturis, vel quid simile statuant. Certè zelum hunc, & vi-

& video, & laudo; non equidem credam, Nominales ob negatam distinctionem virtualem religiosiores esse D. Thoma. Hoc tamen notum omnibus esto: Ochamum esse Patrem, Ducemque Nominalium, & cum docuisset Logicæ 1. par. cap. 44. substantiam non distingui realiter à quantitate: asseruit tamen, negandam esse illam propositionem: *substantia est quantitas*; certè!, & Ochamus agnouit, non sufficere semper realem idemtitatem duorum, ad hoc, vt quod prædicatur de vno, prædicetur de altero secundum rationem. Quod tamen negant sui Discipuli. quid ad hæc? *Nisi* (vt Magist. Sotus de illis ibidem ait) *quod Discipuli esse pergunt super Magistrum*. Nobis verò sufficiet cum suo Duce, eiusdem criminis reos esse.

§. 9. Dum igitur res ita est alteri idemtificata realiter, vt simul ipsi essentialiter, sine quidditatiuè conueniat, vt animal rationale homini, non poterit intellectus ea separare, aut abstrahere, quòd Philosophica phrasi significamus, cum dicimus, *Prædicatum esse de conceptu subiecti*. Eo quòd non distinctis conceptibus separabilia sint: & hæc notauit S. Thomas, dum docuit supra, intellectum ea pollere sagacitate, vt etiam si duo habeant realiter vnum esse, ea possit disiunctim accipere, *si vnum eorum in alterius rationem non cadit*. idest, si non sit de eius essentia, quòd est esse de eius ratione; ac proindè etiam secundum rationem esse eadem: quam doctrinam sæpè tradit locis, §. præcedenti allegatis.

§. 10. Ex his ergo capitibus, nempè eminentia obiecti, subtilitate, & imperfectione intellectus humani (adderam, & aliud, videlicet limitationem speciei impressæ, intellectum non plenè, & perfectè determinantis) prouenit, quòd illa potentialis multiplicitas, quæ fundamentaliter præcessit in obiecto, actualiter exerceatur in intellectu, facultatem habente, illud in duos, vel plures conceptus partiendi. Vndè concludunt Thomistæ, hominem, v.g. præstare duos conceptus obiectiuos, nempè animalis, & rationalis, quorum dum formaliter, & immediatè vnum attingitur, non attingitur alterum per eandem cognitionem præcisiuam, & imperfectam, de cuius munere est, simplici apprehensione vnum sine altero cognoscere; non verò vnum non esse alterum affirmare, vel illa esse eadem negare, iuxta Aristotelis proloquium: *Abstrahentium non est mendacium*, quorum præcisioni præbuit ansam, quòd animal non sit de essentia, aut quidditate rationalis, nec è contra rationale de conceptu animalis. his præmonitis.

THEOREMA II.

Dari præcisiones obiectiuas authoritate, & ratione probatur.

§. 11. Dicendum. Non solum dari formales præcisiones ex parte intellectus, Animal, v.g. & Rationale, duobus conceptibus exprimentis; Sed etiam obiectiuos conceptus ex parte rei cognitæ distinctos: quatenùs obiecto realiter indiuiso, in ordine intelligibili mutuò se excludunt, vnumque prædicatum obiectiuè repræsentat; alio per ipsum actum minimè repræsentato: ita scilicet, quòd Animal ex parte obiecti cognoscatur, non cognito Rationali, Rationale, sine risibili, Homo sine Petreitate, &c. Ita innumeri, grauissimique Authores: quadraginta duos citat Lynceus, quibus adde M. Sotum, M. Arauxo, M. Caberum, M. Martinez de Prado, PP. Complutenses, M. Ioan. à S. Thoma, M. Lerma, M. Parra. R. Echalam, & ex extraneis Alarconem, Lynceum ipsum lib. 8. Dialect. tract. 5. cap. 3. & alios. Thesim hanc docuit Aristoteles locis quamplurimis, vt 3. Metaph. textu 10, vbi negat Ens esse genus, quia prædicatur per se de differentia, estque de eius ratione, atque conceptu, cum genus sit extra conceptum differentiarum; nec differentiæ includant genus, nisi idemticè, & materialiter, quod repetit, lib. 11. cap. 1. & 4. Topicorum, cap. 2. clarissimè D. Thomas perpetuus harum præcisionum assertor (quicquid dicat Hurtadus) 4. contra Gentes cap. 5. *Intellectum* (inquit) *vt est in intelligente est intentio intellecta, & verbum, & ideò illa, quæ conueniunt tali intentioni, quæ est in intellectu, vt intentio est, possunt dici de re, cuius est intentio: ita, quòd si intellectus multos conceptus formet de vna re, talis dicitur esse plures, & distincta, & multiplex secundum rationem, hoc est secundum esse, quòd habet in intellectu: immò ipsum dici potest multæ rationes, sicut dicitur vita in Deo, vt intelligitur à Deo, &c.* Item 1. par. quæst. 40. artic. 3. vbi explicat modum, quo in obiecto ipso sit conceptuum diuisio, vt in nostra assertione proposuimus: *Respondeo dicendum, quòd duplex sit abstractio per intellectum, vna quidem secundum quòd vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id, in quo fit abstractio, remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo; sed solum animal.* Consultò omittimus alia, quibus huiusmodi præcisiones adstruit in Deo, Tum quia Theologica res indignè à Tyrone Logico tractatur, Tum etiam quia non pauci Nominales, quibuscum pugnamus, eas in Diuinis admittunt. Nullus equidem (si Hurtadum excipias) dubitauit vnquam, D. Thomam obiectiuas præcisiones admisisse, maximè si inter innumera loca, in quibus eas apertè docet, ea legerit, quæ in 1. scripsit, distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. de pluralitate Diuinorum nominum, & formalitatum, quas dicit, distingui in Deo: *Non solum ex parte intellectus nostri; sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat vnamquamque conceptionem nostri intellectus, & ideò pluralitati istarum rationum correspondet aliquid in re, non quidem pluralitas Dei, sed plena perfectio.* Sanè nil pro nostra conclusione clarius, lucidius vè dici potuit. Verum (vt iam dixi) à Theologicis abstineo. Sed agedum Authoritates in rationem digeramus, simul fundamenta aduersariorum euertentes.

§. 12. Quando aliqua prędicata realiter tantum idemtificantur in eadem entitate; eorum tamen

tamen vnum non est de conceptu, & essentia alterius, sed potiùs ratione distinguntur, possunt de eadem verificari prædicata contradictoria, secundum diuersas eiusdem entitatis rationes: sed animal, & rationale sunt prædicata idemtificata in homine realiter tantum, quorum animal non est de essentia, nec conceptu rationalis; & è conuersò. Igitur de eadem entitate, quæ fuerit animal realiter, & rationale, possunt verificari hæc contradictoria, *cognosci*, & *non cognosci*. Secundum quod animal non est de conceptu rationalis, sed ab ipso, ratione distinguitur, ita scilicet, quòd animal cognoscatur, & rationale non cognoscatur. Syllogismus optimus est. Maior est Aristotelis 3. Physicor docentis, ex mera idemtitate reali non sequi, quòd non verificentur hæc contradictoria, *Esse actum agentis, & non esse actum agentis*, de eodem motu, in quo actio, & passio idemtificantur, *Non enim* (inquit) *eadem his omnia competunt, quæ aliquo modo sunt eadem; sed hisce dumtaxat, quorum eadem est ratio*. Est etiam D. Thomæ in 1. distinct. 5. quæst. 1. artic. 1. ad 1. vbi ait: *Sufficit distinctio rationis ad affirmationem, & negationem*. Item quæst. 7. de Potentia artic. 1. ad 5. *De eo* (inquit) *quòd est idem re; & differt ratione, nihil probibet contradictoria prædicari, vt dicit Philosophus 3. Physicorum*, & 1. contra Gentes, vt retuli §. 7. passimque alibi. Minor etiam est Aristotelis, 3. Metaph. text. 10. & 11. cap. 1. quibus in locis docet genus esse extra conceptum differentiarum, quòd repetit 4. Topicorum, cap. 2. aiens: *Manifestum est igitur, quòd non participat genus differentia*. est etiam D. Thomæ de Ente, & essentia, cap 3. docentis: *Quod genus non est in differentia, sicut pars essentiæ eius; sed solum sicut ens extra quidditatem, siue essentiam, sicut etiam subiectum est de intellectu passionum, & ideò genus non prædicatur de differentia, per se loquendo, vt dicit Aristoteles in 3. de Anima, & 4. Topicorum, &c.* vtraque præmissa est doctrina Aristot. & D. Tho. cõsequentia est legitima, concludens in *Darij*.

§. 13. Probo secundo ratione desumpta ex verbis D. Thomæ §. 7. citatis, datur actus cognoscens animal, v. g. & non cognoscens quod non est de essentia, & quidditate animalis, sed rationale non est de conceptu, & essentia animalis, seu vt vtar verbis Angelicis *non cadit in rationem animalis*. Ergo datur actus obiectiue præcindens animal à rationali. Minor, & consequentia satis constant. Maiorem probo: non obstante idemtitate materiali duorum, potest in intellectu apparere species repræsentans vnum, & non repręsentans aliud, sed hoc nunquam continget potiori iure, quam cum vnum non dicit connexionem essentialem cum altero prædicato: igitur eo ipso quod vnum non sit de quidditate alterius dari potest actus repręsentans hoc discrimen cognoscendo vnum altero incognito. Maiorem item probo primò: Non minus idemtificatur animal cum rationali, quam natura specifica cum differentia indiuiduali, sed vt docet D. Thomas opusc. 55. *In intellectu est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorum*. Igitur non obstante materiali idemtitate duorum, quorum vnum est extra quidditatem alterius, potest in intellectu dari species ræpræsentans vnum; alio non repræsentato. Probo secundo ratione. Quia sicut non repugnat apud aduersarios, eandem simplicem entitatem significari per duo nomina, nempe *animal*, & *rationale*, ita non repugnat illam habere duas species intelligibiles, quarum vna repręsentet animal, & non repræsentet rationale: sicuti animal *expresè* significat gradum sensitiuum, & non significat *expresè* gradum intellectiuum. Igitur cum tota cognitio intellectus fiat iuxta determinationem specierum intelligibilium, possitque vna repræsentare vnum sine altero, poterit etiam vnum sine alio cognosci. Explico rem, & confirmo. Tota ratio aduersariorum ad negandum animal non posse cognosci non cognito rationali est idemtitas realis eorum: Ast ego eos vellem subtiliores quandoquidem subtilitatem ambiunt, ostentantque. Male enim inferunt ex idemtitate reali physica, idemtitatem intentionalem, & in ordine intelligibili. Non enim repugnat, nec contradictorium inuoluit. Rem esse indiuisam physice, & esse diuisam intentionaliter. Ratio à priori est ipsa, quam Doctor Angelicus innuit supra. Certum est enim, & apud aduersarios non negatum, aliqua esse de conceptu, & essentia rei secum idemtificatæ, aliqua veró minime, sed potius negare connexionem illam quidditatiuam rei secum idemtificatæ (vt fatetur Arriaga disp. 5. Logicæ sect. 4. subiect. 1. num. 55.) Sed hęc ipsa negatio idemptitatis formalis, seu connexionis essentialis debet repręsentari intellectui, alioqui illam non percipiet, ergo debet illi repræsentari, vel per distinctam speciem intelligibilem, vel per negationem ipsiusmet speciei, animal ita repræsentatis, vt non repręsentet quod non est de eius quidditate, nempe ratinnale: Igitur posita specie impressa repræsentante animal tantum, dabitur actus cognoscens *animal*, & non cognoscens *rationale*.

§. 14. Dices primo Animal præcindi formaliter à rationali, non quia animal cognoscatur, & rationale non cognoscatur, quod repugnat, vtrumque enim eodem actu attingitur, confusse tamen, nan ipsemet actus cognoscens animal confusè, cognoscit etiam rationale: idest cognoscit rationale, prout connotat sensationes, & non prout connotat discursus. Ita Hurtadus, & Ouiedus.

§. 15. Sed contra primo: Nam non minus contradictoria sunt, eamdem rem cognosci confusse, quam cognosci, & non cognosci absolutè: ergo si non repugnat idem rationale cognosci confusè, & non cognosci confusse; idem poterit cognosci absolute quatenus animal; & non cognosci quatenus rationale. Contra secundo. Quia Ouiedus iam deuorat connotationes, quas perpetuo expuit, impugnatque: explicantes enim relationes, & alia per ordinem ad connotata, ipse cum Arriaga irridet, & per Sarcasmum *Connotatores* appellat. Metaph. contr. 9. punct. 4. §. 2. à nu. 9. Ecce nunc ipsi ad gregem confugiunt Connotatorum, quos exsibilabant. Contra tertio: Nam multæ formalitates ratione ratiocinata di-

ta distinguntur, quæ nullos effectus, aut operationes connotant; ergo earum præcisio nequit sumi ab operationibus connotatis: nullas enim operationes connotant color, & viriditas, nec in Deo æternitas, & infinitas. Contra quarto: quia id expresse impugnauit Sanctus Doctor in attributis Diuinis, aiens (vt §.4. attulimus) *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differunt, nisi penes connotata, in creaturis; quod non potest esse; tum quia causa non habet aliquid ab effectu, sed è conuerso &c.* ergo multiplicitas illa virtualis, quæ præbet fundamentum intellectui, vt eandem entitatem in plures diuidat conceptus, non prouenit ex multiplicitate connotatorum; sed potius ista prouenit à multiplicitate fundamentali, vtpote effectus à causa: ac proinde intellectus concipit obiectum multiplex à priori, ratione suæ eminentiæ, & perfectionis, à qua deriuantur connotata; adeo vt latitudo intelligibilis illius non accipiatur à connotatis; sed potius connotata suam ab obiecto tanquam à causa mutuentur. Contra quinto: quia ordo ille, quo animal connotat sensationes est quid realiter idemtificatum cum animali, sicut ordo, quo rationale connotat discursus est etiam idemtificatus cum rationali. Sed per cognitionem confusam attingit intellectus animal per ordinem ad sensationes, & tamen non attingit ordinem ad discursus realiter cum primo ordine identificatum: ergo ipsa cognitio confussa est præcisiua obiectiuè; siquidem aliquid obiecti attingit, quin aliquid cum ipso identificatum attingat. Maior est certissima apud hos, quos impugnamus; idemtificant enim cum fundamento, non solum relationes transcendentales, sicut nos, sed etiam prædicamentales, quod plus est. Minor est eorum doctrina, consequentia satis patet. Optime enim infero, rationale omnino non cognosci, ex eo quod non cognoscatur aliquomodo ordo ad discursum, per quem intrinsecè constituitur principium discurrendi: Implicat enim, quod aliquomodo cognoscatur principium discurrēdi, quin aliquomodo non cognoscatur etiam connotatio, seu ordo ad discursum. Hinc bene intulit Spinula Aduersarios, vel inuitos præcisiones obiectiuas admisisse.

§. 16. Dices secundo cum Arriaga; actum præcindentem animal à rationali, nil esse nisi cognitionem confussam ipsius rationalis, cuius confussionem *ipse explicat vbi supra sect.3. sub sect.1.* num.41. aiens: cognosci aliquod obiectum esse animal, v.g. esse formalissime distinguere illud obiectum à non animalibus, & non cognoscere de illo esse rationale, idem esse ac non distinguere illud ab irrationali: Inde est quod quando è minus video animal, & ignoro, an sit equus, aut homo, faciliùs eum distinguo à non animalibus, quam (si homo sit) ab equo: quia facilius distinguimus inter dissimiliora, quam inter similiora. Vnde iuxta Arriagam, præcindere formaliter animal à rationali, est totum animal rationale congnosci confusse, idest non distingui ab irrationali, etiam si non distinguatur à non animalibus.

§. 17. Sed contra: Quia distinctio ab irrationali est quid intrinsecum ipsi homini, immo est eius vnitas, seu essentialis indiuisio: Sed secundum Arriagam intellectus attingit distinctionem à non animalibus, & non attingit distinctionem ab irrationalibus, igitur aliquid obiecti attingit, & aliquid non. Dices iterum ipsam distinctionem ab irrationali percipi, sed confusè, idest in ordine ad sensationes connotatas: sed hoc iam supra manet impugnatum, & manifestè petit principium, vt probat Spinula.

§. 18. Probo tertio. Tam contradictoria sunt eandem entitatem realem respectu eiusdem esse similem, & non esse similem, quam respectu eiusdem cognitionis, esse cognitam, & non esse cognitam: Sed apud Aduersarios eadem realis entitas respectu eiusdem, potest esse similis, & non esse similis: ergo, & respectu eiusdem cognitionis esse cognita, & non cognita. Hoc argumentum, quod ad hominem statuo, ego contendo, vel aduersarios non respondere Scoti stis probantibus suam distinctionem ex natura rei similibus contradictorijs; vel si respondeant, eos ad nostram doctrinam confugere, eamque probare. Vnde eorum responsio erit nobis, & argumentum contra ipsos, & suarum obiectionum solutio. Id ostendo. Probat Scotista, *animal* distingui, non solum ratione, sed realiter ex natura rei à *rationali* in Petro, v.g. hoc syllogismo: Esse similem realiter respectu eiusdem, & non esse similem realiter respectu eiusdem sunt contradictoria, quæ non possunt verificari de eadem realiter entitate ex natura rei, sed animal Petri est realiter simile Bucephalo, & rationale Petri realiter non est simile eidem Bucephalo: ergo animal, & rationale Petri non sunt vna, & eadem entitas ex natura rei, sed duæ distinctæ.

§. 19. Arriaga dicta disp.5. sect.1. subiect.4. num.20. (estque solutio communis Iesuitis) respondet, similitudinem non opponi omni dissimilitudini; sed totalem cum totali: v.gr. (inquit) obscuritas opponitur claritati, quia obscuritas dicit negationem lucis, claritas vero lucem; vnde respectu eiusdem lucis, seu in eodem gradu lucis nequeunt simul reperiri, idest lux, vt quatuor, & obscuritas maior, quam vt quatuor: cum hoc tamen stat, vt claritas, & obscuritas in gradibus remissis non opponantur; neque enim negatio lucis vt octo, opponitur cum luce, vt quatuor. Ita ergo similitudo ex se potest esse maior, & minor, neque enim consistit in indiuisibili; quale licet summa similitudo opponatur cum dissimilitudine, aliqua tamen similitudo non opponitur cū aliqua dissimilitudine. Quando ergo affirmatur Petrū esse similem equo, non affirmo omnimodam similitudinem, sed solum partialem: quando autem postea affirmo de eisdem dissimilitudinem, non nego primam similitudinem, quam affirmaueram, sed aliam specificam, & maiorem: Et vt vno verbo dicam, Idem est dicere. *Petrum, & equum esse similes, & dissimiles*, ac dicere: *eos esse similes; non tamen omnino*. Esse autem similes non opponitur cum hoc, quod est non esse omnino similes; ergo similitudo, & dissimilitudo non opponuntur inter se, si neutra sit totalis, etiam in eadem indiuisibili

for-

formalitate. Hactenus Arriaga, cuius verba ad longum retulimus, vt ex eisdem melius constet vis nostri argumenti. Tum sic ad hominem argumentor.

§. 20. Non obstante reali idemptitate inter animal, & rationale, animal est simile, & rationale non est simile Bucephalo; quia non omnis similitudo opponitur omni dissimilitudini, sed totalis cum totali. Sed etiam non omne esse cognitum opponitur cum non esse cognito, sed esse cognitum omnino, & totaliter, cum non esse cognito omnino, & totaliter, ergo non obstante reali idemtitate animalis cum rationali, animal potest partialiter esse cognitum, & partialiter non esse cognitum, seu esse cognitum quatenus simile, & non esse cognitum quatenus est simile. Cur enim similitudo non consistet in indiuisibili, & cognito consistet? Maior, & consequentia liquent. Minor constat ex doctrina Thomistica: fatemur enim animal cognosci adæquatè, & omnino opponi contradictoriè; nec de eadem entitate verificari posse: Ast præcisio obiectiua animalis est cognitio in gradu remisso non attingens totum animal, sed aliquid animalis. Ergo sicut secundum Arriagam, idem est dicere, *Petrum, & equum esse similes, & dissimiles,* ac dicere; *eos esse similes; non tamen omnino*: ita dicere, *animal,* & rationale esse cognita, & non *esse cognita*, idem est ac dicere, *ea esse cognita, non tamen omnino*. Quæ nam rogo potest esse horum disparitas? nulla certè: quandoquidem indiuisibilitas est eadem vtrobique, nempe realis idemtitas, & latitudo ad confingendos gradus remissos in similitudine ponitur in eadem formalissima ratione, qua nos ponimus latitudinem cognoscibilitatis, quæ similiter gradus dicit gradus remissos Virium cognoscitiuarum. Hinc vltimo infero: ergo sicut Scoticum argumentum non probat ex indiuisibilitate entitatiua animalis rationalis, id ijs verificari contradictoria, *simile, & non simile, respectu eiusdem*. Secundum idem: nec de ijs verificabuntur *cognosci, & non cognosci,* alioqui Scotistæ probant suam distinctionem; nec Arriaga eorum benè enodauit argumentum.

§. 21. Confirmo rem ex eiusdem Authoris doctrina; docet enim, adhuc de eadem formalitate secundum rationem posse dici esse similem, & non similem equo, vnde nullam ex natura rei distinctionem probari dicit Scoti argumento, aitque num. 13. rationalitatem etiam, vt distinctam ab animali esse similem, & dissimilem hinnibilitati: similis, quia etiam vt distincta existeret, & esset ens, & substantia, à qua potest distingui. Ergo in eodem gradu tenentur Scotistæ admittere similitudinem, & dissimilitudinem.

§. 22. Sed contra primo (ad nostrum institutum) quia ratio entis, & existentiæ, & ratio substantiæ, & ratio vltima rationalitatis, iam non sunt vna formalitas, nec vnus gradus apud Scotum, quo cum agitur: ergo rationalitas esset similis hinnibilitati in formalitate existendi, & dissimilis in hoc quod est esse principium discurrendi. Contra secundo, quia si de vna formalitate, vna quidem re, & ratione (quod gratis do Arriagæ) verificari potest, quod respectu eiusdem termini sit similis, & non sit similis: ergo multò melius data virtuali distinctione duorum, datoque fundamento multiplicitatis eminentialis, de ijs verificari poterit, quod cognoscatur eadem realis entitas, & non cognoscatur respectu diuersarum formalitarum.

THEOREMA III.

Achilles Nominalium, seu potissimum Iesuitarum argumentum proponitur, eiusque aliquot solutiones impugnatæ.

§. 23. VLterior præcisionis obiectiuæ probatio erit argumentorum solutio, quorum primum se ofert decumanum argumentum, & (vt Spinula ait) Achilles Aduersariorum, quod adeo illis arridet, vt Metaphysica demonstratio credatur, & quidem Occidum (vt ipse fatetur) ita conuicit, vt inuitum, ac reluctantem coegerit præcisiones obiectiuas negare. Proponam illud, vt apud Arriagam lego, qui formalius, concinniusque illud proponit. At vetustum est argumentum, quo antiqui Nominales communiter vsi fuerunt, negantes distinctionem Diuinorum attributorum, vt videre est apud Capreolum in primo dist. 8. quæst. 4. ad 6. obiecit illud ante Arriagam ex suis Doctor Ludouicus de Molina 1. p. q. 28. disp. 3. concl. 2. qui illud ibi reprobat, nec valere docet. Granadus tract. 2. disp. 5. sect. 5. num. 13. Hurtadus disp. 6. Metaph. sect. 4. subsect. 6. §. 121. sequitur Ouiedus cum alijs.

§. 24. Non minus contradictoriè opponuntur *cognosci, & non cognosci; respondere, & non respondere ex parte obiecti,* quam existere, & non existere: produci, & non produci: Sed repugnat animalitatem hominis existere, & non existere eius rationalitatem, item produci animalitatem, & non produci, quantumuis virtualiter distinguantur: ergo etiam implicabit, cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem; & respondere ex parte obiecti animalitatem, quin respondeat rationalitas. Maior facile probabitur regula Summulistica contradictoriarum. Minorem fatentur omnes: Consequentia est optima. Dices primo, cognitionem esse formam extrinsecam obiecto, & ideo eius negatio etiam potest ipsi conuenire, non vero forma intrinseca, eiusque negatio. Sed contra: quia nihil magis Petro extrinsecum, quam existentia Pauli, & tamen repugnat Paulum coexistere Petro, & non coexistere. Petrum esse priorem Paulo, & non esse priorem, ergo nec forma extrinseca, eiusque negatio eidem possunt conuenire. Dices secundo. Dum cognoscitur animal, etiam cognosci realiter rationale; non vero formaliter. Sed contra: quia tam contradictoria sunt: *cognosci formaliter, & non cognosci formaliter,* quam *cognosci & non cognosci absolute*. Negatio enim cadens supra modum, facit etiam contradictionem: ergo si eadem res secundum diuersas formalitates potest cognosci, idest, potest cognosci formaliter, & non cognosci formaliter, poterit etiam co-

gnosci realiter, & non cognosci realiter: existere realiter, & non existere realiter secundum diuersas formalitates. Dices tertio, *cognosci*, & *non cognosci* esse quidem contradictoria, si comparentur cum vnica formalitate v. g, cum rationalitate sola, non vero si comparentur cum duabus. Sed contra, ergo pari ratione, deberes dicere, produci animalitatem, non opponi contradictorie cum negatione productionis rationalitatis, quia non sunt respectu eiusdem formalitatis: Argumentum enim solum contendit te cogere, vt idem dicas de productione, & non productione, existentia, & non existentia, quod dicis de cognitione, & non cognitione, quod si hæc non repugnant propter diuersitatem formalitatum, etiam alia eodem modo opposita, non repugnabunt, ob eadem rationem. Si recurras ad exempla Trinitatis, in qua essentia communicatur, Relatio non communicatur, cum tamen sint eadem realiter entitas, diuisa tamen virtualiter.

Rem non expedis. sed exemplis difficilioribus innoluis, ibi enim propter Dei infinitam perfectionem ea prædicata sine oppositione verificantur, ac propter Mysterij difficultatem fortasse dixit Paulus, captiuandum intellectum in obsequium fidei. Nec ex hoc quod in Diuinis præcisio obiectiua admittatur, admittenda est in creatis, quibus eiusmodi deest infinita perfectio. Hæc Arriaga dicta disp, sub sect. 2.

§. 25. Ouiedus illud hac forma proponit: si cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale cum illo identificatum; animal cognosceretur, & non cognosceretur: hæc sunt aperta contradictoria: ergo implicat, animal cognosci, & non cognosci rationale per eandem cognitionem. Maior quo ad primam partem supponitur, quoad secundam probatur: Quia quicquid affirmatur, vel negatur de aliquo, eodem modo affirmatur, & negatur de omni illo quod est identificatum cum illo, sed animal est identificatum cum rationali (quod hac cognitione supponitur non cognosci) ergo cum supponatur, animal cognosci, sequeretur, quod cognosceretur, & non cognosceretur.

§. 26. Vel alia forma. Implicat animal terminare vnionem Physicam alicui extremo, vel actionem ab aliquo principio actiuo procedentem, quin eandem vnionem, vel actionem terminet rationale: quia sequeretur, terminare, & non terminare, quæ sunt contradictoria, & verificari nequeunt propter oppositionem, quam habent, & propter identitatem animalis, & rationalis in homine: ergo ob eandem identitatem, sequeretur, animal terminare cognitionem, vt supponitur, & non terminare, quia est identificatum cum rationali, quod non terminat. Probatur consequentia: illa quæ in creatis identificantur vni tertio, necessario inter se identificantur; sed id, quod terminat cognitionem præcindentem identificatur cum animali, & rationale identificatur cum eodem animali: ergo rationale identificatur cum illo, quod formaliter terminat cognitionem præcindentem animal à rationali. Vrget clarius, quod terminat hanc cognitionem est prædicatum animalis, rationale est idem prædicatum animalis: ergo rationale terminat hanc cognitionem: ergo rationale cognoscitur per illam cognitionem: insuper non cognoscitur, quia ex vi illius cognitionis tantum cognoscitur animal, rationali non cognito. Ergo ex vi illius cognitionis rationale cognoscitur, & non cognoscitur.

Hæc Ouiedus, prolixèque impugnat quatuor solutiones, quæ argumento adhiberi solent: sed (me Iudice) nihil difficultatis addidit, quod Arriaga breuius non tetigerit, vel antiquissimi Nominales non inculcarint, vt ex Capreolo, & Granado supra retulimus. Quinimmo rem ad formam syllogisticam, eò redègit eneruu, vt facilius, quam Arriagæ sua argumentatio diluatur.

THEOREMA IV.

Præcedentis argumenti variæ solutiones examinantur

§. 27. Prima solulio distinguit maiorem, in qua est tota difficultas: Repugnat, eamdem rem cognosci; & non cognosci, sicut eamdem existere, & non existere, eamdem rem, tam re, quam ratione, concedit, eamdem tantum realiter, & virtualiter multiplicem, negat. Ita veteres Thomistæ: subscribunt M. Martines M. Patra. Lynceus, & alij.

§. 28. Sed contra primo: ergo licet repugnet eamdem animalitatem, re & ratione produci, & non produci, tamen non repugnabit si producatur, & non producatur secundum diuersas formalitates rationis, vt bene supra Arriaga §. 4. impugnauit secundam, & tertiam solutionem. Contra secundo: Nam hæc est manifesta petitio principij: argumentum enim contendit, animal non posse cognosci, non cognito rationali, quia animal est idem realiter cum rationali. Respondes, posse, quia licet sit idem realiter, est tamen diuersum ratione: sed esse diuersum ratione à rationali nil est (vt ipse explicas) quam illud posse cognosci, non cognito rationali secum realiter identificato: ergo dicis, ideo posse animal cognosci, non cognito rationali, quia potest animal cognosci, non cognito rationali, quod est idipsum. Igitur reddis conclusionem pro solutione, patet hæc consequentia: quia distingui ratione animal à rationali nil est (vt dixi) nisi animal posse cognosci, non cognito rationali, de quo est tota controuersia.

§. 29. Secunda solutio: ferè similiter distinguit maiorem: Contradictoria sunt cognosci, & non cognosci: cognosci adæquatè, totaliter, quiditatiuè, seu comprehensiuè, concedit: inadæquatè, particulariter, secundum quid, & abstractiuè, negat (agregaui omnes terminos, quibus variè eamdem rem explicant Authores) vnde si animal cognosceretur comprehensiuè, hoc est totum, & totaliter, & alioqui per ipsum actum non cognosceretur, nec adæquate, nec inadæquate, esset manifesta contradictio. At vero cognoscere inadæquate aliquid animalis, & non cognoscere adæquate illud, non contradicunt: immo, vt ait Spinula cognosci inadequate, necces-

cessario conclamat non cognosci inadęquate. Sic M. Martines de Prado. M. Parra. M. Modeda. Comptonus, Lynceus, Stephanus Spinula.

§. 30. Sed contra Primo. Quia hæc solutio, vtpote præcedenti similis, similiter petit principium. Nam quid est cognosci inadæquate animal, nisi animal cognosci, non cognito rationali? Ast hoc impugnat argumentum ex eo quod illud inadæquatum animalis, nempe rationale est realiter idem cum animali, quod est alterum inadæquatum: igitur nequit cognosci inadæquatum animalis, seu animal inadæquate, quin aliud inadæquatum, nempe rationale cognoscatur; sed repugnat eandem rem cognosci, & non cognosci, ergo petis principium, dum respondes, non repugnare, si cognoscatur inadæquate, cum cognosci inadæquate rem, nempe animal, sit animal cognosci, & non cognosci: en circulum, & quidem manifestum: nam arguens intendit probare ex identitate, & indiuisibilitate rei, repugnare, in eodem animali rationali aliud, & aliud inadęquatum: tu negas, & probas, non repugnare, quia in eodem animali datur aliud & aliud inadæquatum, quod partialiter cognoscitur: Ergo adhibes conclusionem pro ratione conclusionis. Contra secundo: Quia animal cognosci inadæquate, & animal non cognosci inadæquate sunt tam contradictoria, quam cognosci, & non cognosci absolutè; sed rationale est idē realiter ac animal inadęquate cognitum: ergo implicat quod rationale eodem actu non cognoscatur realiter, etiam inadæquatè sicut animal: ergo non cognoscitur animal tantum inadæquate.

§. 31. Tertia solutio, data maiore, aut similiter glossata, negat consequentiam, redditquè disparitatem inter prædicata physica, & intentionalia. Nam plus requiritur, inquiunt, ad tendentiam physicam, quam ad intentionalem, hęc enim non dependet à loco, nec à tempore, nec aliqua sphæra actiuitatis limitatur, cum vim repræsentandi habeat illimitatam, ac proinde repræsentet omne ens, immo, & non ens; cognoscit enim possibilia, quæ non existunt, nec vnquam existent, ens rationis, Chymeram, &c. E contra tendentia physica per vnionem, & productionem petit plura; nihil enim potest agere indistans, nec producere, aut vnire quod non est, nec independenter à loco, tempore, dispositionibus, &c. ergo similiter plus requiritur ad præcisionem physicam, quam ad intentionalem, atq; adeo si ad phycam requiritur distinctio realis extremorum, quę pręcindit, minus requiritur ad præcisionem intentionalem, quæ sola cogitatione diuidit, sufficietque sola virtualis, seu minor distinctio inter extrema intentionaliter diuisa. Ratio à priori est, quia cum cognitio hęc ratione repræsentare possit obiectum, quod omnino non est, ita & inadęquate repræsentare quod est, seu repræsentare diuisum, quod realiter indiuisum est. Ita Neoterici quidam, Comptonus, Lynceus, & alij. Quæ solutio non est mala, si in sensum Thomisticum digeratur, de quo infra.

§. 32. Quarta solutio. Concedit maiorem, & negat minorem, scilicet quod repugnet, animalitatem existere, non existente rationalitate; illam produci, & hanc non produci, & quidem nonnullos recentiores anonymos citat Albertinus, negantes eiusmodi repugnantiam, asserentesque, non implicare, animal hominis realiter distingui ab eiusdem rationalitate: tomo 2. disp. 1. de esse essentiæ, quæst. 10. dubit. 2. Verum etiam de facto (ait Lynceus) dantur præcisiones Physicæ vnius formalitatis ab alia secum idemtificata. Siquidem actio Dei terminatur ad entitatem peccati, & non ad eius malitiam prout talem, atque illam, & non hanc physice producit. Similiter actio, & passio, seu quod perinde est, productio actiua, & passiua sunt idem realiter, & tamen passiua non vnitur immediaté causæ, à qua profluit vt talis est, tametsi vt actiua est illi vniatur. Rursus, quæuis res creata prout est creatura à Deo dependet; non vero próut ens: alioqui Deus cum rationem entis obtineat, à se ipso dependebit: Ita ille vbi supra. Cap. 8. num. 81. M. Parra fauet solutioni huic, repetitque productionem actus peccaminosi: deinde addit aliud exemplum ex aduersariorum doctrina, secundum quam, eadem entitas visionis beatæ potest produci ab intellectu creato viribus proprijs, vt vitalis est; non tamen vt supernaturalis est: quia sic lumen gloriæ est ratio agendi. Igitur falsa est minor illius syllogismi, quod repugnet, idemtificatorum vnum produci, alio non producto, & eo gratis dato, non deducitur (inquit Parra) legitimè consequens in sententia opposita, sic ille Disput. 3. de vniuers. num. 37.

§. 33. Fateor multum infringi vires huius argumenti solutione prædicta; ast quicquid sit de possibili, vel non repugnante distinctione reali, seu separatione animalis à rationali; nemo negabit nunc de facto, animal nec produci, nec vnqdam producendum realiter, non producto rationali: Sed hoc ideo est, quia animal idemtificatur realiter cum rationali: Igitur eadem ratione, non poterit vnum sine alio cognosci; si semel concesseris tam contradictoria esse cognosci, & non cognosci, quā produci, & non produci.

§. 34. Quinta solutio est Stephani Spinulæ docentis, primam solutionem absolute esse insufficientem, quapropter distinguit illam Ouiedi propositionem: *eadem entitas cognosceretur, & non cognosceretur*, eadem materialiter, concedit; eadem formaliter, negat: sed aut ego fallor, aut nihil ipse dicit, quod non recidat in primam, communemque solutionem §. 27. & pridem ab Arriaga impugnatam §. 24. Deinde docet nonnulla, quæ confirmat exemplo pictoris pingentis genas Helenæ, & quæ dicit, esse subtilitatis (& fortè sunt) ast Helenæ male fidens (Græcæ vtique fidei) dicit, se subtilitates omittere, respondetque tandem quod communiter omnes dicunt, aiens, ea esse contradictoria, si cognoscatur res adæquate, vt vult secunda solutio §. 29. Reddit tamen disparitatem, cur produci, & non produci nec inadæquate competant eidem entitati, nempe animali rationali, quia non potest (inquit) dari principium quod valeat attingere animalitatem non attacta rationalitate. Quia enim effectus continetur in sua causa, & qualis debet esse in se, debeat esse talis in virtute

cau-

causæ, ideo si duæ formalitates in se sint eadem entitas, debent etiam cognoscere in causa vnicam virtutem sui productiuam: Et sane si posset dari principium producens vnam formalitatem sine alia, posset etiam in re produci vna formalitas sine alia; omnis enim impossibilitas effectus refundenda est in virtutem causæ. Ideo autem potest dari cognitio attingens vnam formalitatem sine alia, quia potest dari principium, & causa illius productiua: species videlicet impressa, quæ virtualiter solum continet vnam formalitatem, & non aliam: eo quia oriatur à principio cum vna tantum formalitate connexo, & non cum aliâ. Sic res se habet in nostro casu. Animalitas enim non cognoscitur ab intellectu, habita specie ab ipsa substantia rei, sed ab accidentibus: & quia aliqua accidentia sunt tantum cum animalitate connexa: eo quia licet à tota entitate procedant; nihil tamen in illis est, quod rationalitatem præseferat, ideo species quæ ab illis oritur, habet tantum repræsentare animalitatem; Si ergo datur principium productiuum huius cognitionis præcisiuæ sine vlla implicantia, dabitur proculdubio effectus illius. Hactenus ille disp. 6. sect. 5. art. 3. num. 60. quæ disparitas veram continet doctrinam, maximè quoad diuersitatem principiorum cognitionis præcisiuę, nempe specierum à diuersis accidentibus acceptarum, quam nostra conclusione attingimus ex D. Thoma opusc. 55. §. 13.

§. 35. Sexta solutio est M. Ioannis Martines de Prado, quam adhibet prædicto argumento, vt ab Ouiedo proponitur, negando scilicet alteram partem contradictionis, quod animal v. g. non cognosceretur, quia hoc iam esset præcisio enuntiatiua; at verò in simplici præcisione non est affirmatio, nec negatio, iuxta proloquium Aristotelis; *Abstrahentium non est mendacium*, fit enim absque falsitate vt sit alius modus intellectus in intelligendo, ac rei in essendo, vt docet S. Thomas 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. sic ille Metaph. 1. p. controu. 10. art. 7. §. 5. n. 133.

§. 36. Sed contra primo. Esto: nihil affirmet, neque neget ille primus actus cognitionis præcisiuę; adeo vt modo simplici attingat, seu apprehendat animal, non attacto, nec apprehenso rationali; hoc tamen non tollit, quin ex parte obiecti animal attingatur, rationale non attingatur: Sed actus reflexus, qui considerat hanc præcisionem potest cum affirmatione, & negatione verè dicere; *Per hunc actum cognoscitur animal & per hunc actum non cognoscitur animal.* Ergo saltem hic actus reflexus realiter supponens actum præcisiuum, potest enuntiare ea contradictoria. Tum sic; ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: Sed actus reflexus iudicat, cognosci animal per præcisionem, & rationale non cognosci; Ergo in primo actu præcisiuo fundantur illa contradictoria, quæ actus reflexus postea enuntiat: ergo nihil refert vt primus actus, quo fit simplex præcisio, non enuntiet, affirmando, nec negando; si tamen secundus affirmat, & negat contradictoria simul vera, de quibus est tota difficultas. Patet hæc consequentia, quia possum sic formare contradictoria: *Animal sine affirmatione, nec negatione cognoscitur per actum A. Rationale sine affirmatione, nec negatione non cognoscitur per actum A.* Ergo per ipsum actum A. sine affirmatione, & negatione cognoscitur, & non cognoscitur realiter idem animal. En redit iterum argumentum. Contra secundo: Ideo iuxta hanc doctrinam cognitio præcisiua attingit animal, & non attingit rationale, quin ex hoc sequatur contradictio affirmationis, & negationis, quia talis cognitio ex sua natura non dicit affirmationem, nec negationem: Sed multo minus illa dicit productio, vel existentia: ergo poterit productio attingere animal, & non attingere rationale, quin ex hoc sequatur vlla contradictio.

§. 37. Septima solutio complectitur instantias quasdam, quibus retorquetur argumentum in suos instauratores: & ne diutius immoremur, Spinulæ sic habet redargutio: Non minus contradictoria sunt cognosci, & non cognosci, quam prædicari, & non prædicari, sed suppositis præcisionibus formalibus, sequitur eandem indiuisibilem entitatem prædicari; & non prædicari: ergo vel dicendum est, hæc non esse contradictoria, & sic argumentum nos non vrgebit; vel si contradictoria sunt, hoc argumentum est etiam soluendum ab aduersarijs. Probatur minor. Animalitas, & rationalitas sunt eadem entitas; sed prædicatur animalitas, & non prædicatur rationalitas: ergo eadem entitas prędicatur, & non prædicatur. Minor probatur: dum dico *Petrus est animal*, non dico *Petrus est rationalis*, hæc propositio enim nec est vera in sensu illatiuo, hoc est, non valet *Petrus est animal, ergo est rationalis*, ergo multo minus valebit in sensu formali; quæ enim non valent in sensu illatiuo, multo minus valere possunt in sensu formali, vt de se patet. Sed animalitas, & rationalitas sunt eadem entitas, & tamen animalitas prędicatur formaliter, non vero rationalitas: ergo eadem entitas prædicatur, & non prædicatur, igitur & quod cognoscatur, & non cognoscatur, similiter soluendum est ab aduersarijs. Hæc ille num 49. qui etiam nonnulla expendit, de duplici principio syllogistico, quod euertunt, negantes præcisiones obiectiuas, vt videat Ouiedus, vtri totam Phylosophicam vt ille ait & artem syllogisticam euertamus? Vide præcitati authoris num. 39 & sequent.

§. 38. Omitto quatuor alias solutiones, vt eadem de duplici existentia intentionali, quam impugnat Ouiedus loco citato num 24. tum de cognitione, *vt est in se*, & *vt non est in se*, quam etiam latè exagitat ipse num. 21. tum etiam eam, quæ innititur exemplo Trinitatis, quam desperatam vocat ipse num. 30. & tamen vltimam, & vndecimam de prædicatis existentialibus, & non existentialibus, quam reijcit Lynceus, citatus num. 76. Omitto in quam, ne paginas alienis doctrinis opplere videar; sed locis scribo librorum penuria laborantibus, vt iam monui, & forsan non omnibus hæc Authorum varietas, & scrutinium displicebit, cum non delicato, atque nauseabundo dumtaxat lectori scribamus: sed age. Achiles hic tandem Thomistico gladio iugulandus est.

THEO-

THEOREMA V.

Nostra, idest D. Thomæ solutio expenditur.

§. 39. SVpereſt nunc oſtendere, cur *cognoſci*, & *non cognoſci*, verificari poſſint de eadem reali entitate, ſecundum diuerſas eiuſdem formalitates ſine contradictione, & cur produci, & non produci nequeant de illa etiam reſpectu diuerſarum formalitatum verificari. Sed vtrumque præſtitit eleganter Doctor Angelicus in primo diſt. 5. qu. 1. art. 5. ad primum, his verbis: *Dicendum, quod de eodem ſecundum quod idem eſt impoſsibile eſt, aliquid, idem affirmare, & negare: ſed ſi in aliquo diſtinguantur, affirmationes, & negationes pertinentes ad illam diſtinctionem, de ipſo verificari poterunt: Quia omnis diſtinctio ſiue rei, ſiue rationis fundatur in affirmatione, & negatione: ſicut patet etiam in Synonimis: Tunica enim, & Veſtis eandem rem ſignificat, tamen nomina ſunt diuerſa, & ſimiliter indumentum; vnde affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad rem non poſſunt verificari, vt dicatur Tunica eſt alba; indumentum non eſt album: ſed affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad ipſa nomina poſſunt verificari, vt dicatur Indumentum eſt neutrius generis; Veſtis non eſt neutrius generis.* Ex his data maiore, conceſſaque minore, nego conſequentiam argumenti. Reddo autem diſparitatem. Nam cognoſci, & non cognoſci ſunt ipſa contradictoria pertinentia, ſiue conſtitutiua ipſius diſtinctionis rationis. Produci vero, & non produci nec pertinent, nec conſtituunt diſtinctionem rationis, nec illam per ſe conſequuntur. Rationem à priori tradit ſupra S. Thomas tripliciterque expendit Soncinas: primo, quia eo ipſo quod detur aliquorum diſtinctio, datur & eorum oppoſitio, ac proinde affirmatio, & negatio intellectus ſignificantis eam diſtinctionem; ergo ſi detur rationis oppoſitio, quæ ſcilicet in cognoſci, & non cognoſci conſiſtere debet. Secundo, quia tollere oppoſitionem rationis, eſt tollere diſtinctionem rationis, adeo vt ſi res nequeat cognoſci inadæquatè, & non cognoſci, non ſolum ſit eadem realiter, ſed etiam eadem per rationem; ergo eoipſo, quod alioqui admittatur diſtinctio, ſeu alietas rationis, admitti debet aliquid rei, vel rationis, conueniens vni, quod alteri non conueniat. Tertio, quia ſi talis oppoſitio affirmationis, & negationis reperitur in Synonimis Grammaticaliter tantum diſtinctis, multo melius in formalitatibus inuenietur, quæ diſtinctis definitionibus concipiuntur, in exemplo enim S. Thomæ, & tunica, & indumentum, eo præciſe, quia dicunt grammaticalem diſtinctionem, grammaticalia etiam admittunt contradictoria, ideſt pertinentia ad eorum diſtinctionem. Hæc communiter noſtri Thomiſtæ cum Soncinate 4. Metaph. q. 30.

§. 40. Quæ adeo vera ſunt, vt in aduerſariorum ſententia etiam demonſtrentur. Nam etiam ſi Nominales admittant diſtinctionem rationis inter animal, & rationale, per hoc ſolum quod eſt cognoſci animal clarè, & non cognoſci rationale clarè, niſi confuſſe per ipſammet cognitionem; impoſſibile eſt, vt eo modo, quo diſtinctionem admittunt, non admittant contradictoria, ideſt affirmationem, & negationem prædicatorum de eadem reali entitate. Nonne contradictoria ſunt: *animal cognoſci clarè, & animal non cognoſci clarè? rationale cognoſci confuſſe, & rationale non cognoſci confuſſe? animal clarè connotare ſenſationes, & non connotare clarè ſenſationes?* En ſimiliter in eos retorquetur argumentum: animal per vos tantum, & non rationale, clarè connotat ſenſationes, ſed rationale eſt animal: ergo rationale clarè connotat ſenſationes, & non connotat. Aſt benè vident Thomiſtæ ea non eſſe contradictoria reſpectu eiuſdem *ſecundum idem*, vt loquitur Ariſtoteles, quoties interuenit virtualis diſtinctio; quare ſicut eos non premimus eiuſmodi argumento, nec ipſi nos prement, vel ſi premant, vtrique laboramus, & vrgemur. Hinc patet manifeſtè quam falsò nobis imponant Aduerſarij, nos ſola diſtinctione virtuali, omnia, & quælibet contradictoria indiſcretè enuntiare de entitate realiter indiuiſibili. Cum ex doctrina Angelici Magiſtri conſtet, quænam admittamus, & quænam non, de quo iterum infrà. *Produci autem*, & *non produci*, *exiſtere*, & *non exiſtere* ſunt prædicata, *quæ pertinent ad rem*, vt ait D. Thomas, & nullo modo ad diſtinctionem rationis, quæ eſt alterius ordinis, nempe intentionalis, & obiectiui.

§. 41. Dices primo, hac reſponſione ſimiliter peti principium; nam dicere cognoſci, & non cognoſci pertinere ad diſtinctionem rationis. Produci vero, & non produci pertinere ad rem, nil eſt quam dicere cognoſci, & non cognoſci pertinere ad rem, quæ cognoſcitur, & non cognoſcitur, produci vero, & non produci petere diſtinctionem realem in termino, de quo eſt tota controuerſia: ergo vel vtraque, vel neutra contradictoria verificari debent. Nego antecedens, nam ſemel admiſſa diſtinctione rationis, neceſſario admittitur oppoſito rationis, vt ſupra probaui: igitur hæc oppoſitio primo fundari debet in cōtradictorijs in modo cognoſcendi fundatis; produci autem, & non produci, quis non videat, non pertinere ad ordinem, nec modum cognoſcendi? ſi quæras quare cognoſci, & non cognoſci potius pertineant ad eiuſmodi diſtinctionem. Reſpondeo, quia obiectum eſt virtualiter multiplex, licet realiter ſit vnum, & indiuiſibile: & ſicut ratione vniuerſalis, ſeu æquiualentis multiplicitatis capax eſt eliciendi operationes omnino diuerſas inter ſe, ac omnino independentes, nempe ſenſationes cum Brutis, & intellectiones cum Angelis, ita poteſt emittere ſpecies impreſſas re præſentatiuas ſui, omnino etiam diuerſas: Vnde ſpecies animalis determinatè repræſentat principium ſentiendi, & nullo modo diſcurrendi, & è contra rationale non niſi principium diſcurrendi repræſentat inadequatè, & hæc determinatio ad inadæquatam repræſentationem prouenit illis ex ſua intrinſeca natura, & virtualitate obiecti, quod quidem non habet potentiam emittendi ex quibuſlibet operationibus phantaſmata quælibet; ſed per ſenſationes, phantaſma ſenſitiui; & per diſcurſus, intellectui. Rurſus intellectus agens non habet virtutem

tutem producendi speciem rationalis ex phantasmate sensationum,quę omnino diuersæ sunt, & independentes à discursibus : equidem ex discursibus nō nisi discursiui speciem gignit. Hūc reuocandum est tritum illud exemplum, quod à Neotericis huc, atque illuc indignè versatur, quin eius vim, neque cohærentiam percipiant, de animali, v.g. eminus viso. Nam dum corpus eminus video, moueri, seu progredi, si vlla species producenda est, necessariò producet intellectus agens speciem viuentis:Quod si nullum aliud indicium vllo sensu percipiam rationalis, nec hinnibilis, &c. nec vllum erit phantasma : vnde ergo species rationalis producetur? Etenim ex solo motu, seu ex gressu tantum species produci non potest hominis, & equi, cum alioqui impossibile sit pro hoc statu,intellectum aliquid cognoscere, quod sensus prius non perceperit. Dicunt Nominales (& quidem parum physice) intellectum tunc confusse, & disiunctiuè coniectare,dicens: illud, quod moueri video vel est Petrus, vel Bucephalus. Vel &c. Sed esto, id intellectus coniectet,seu discurrat cognitione perfecta, & illatiua, quæ æquiualet huic : omne quod mouetur à se, est viuens indiuiduum, vt Plato, Bucephalus, Berta, hic Leo,&c. Sed illud corpus, quod video, mouetur à se : ergo vel est Plato, vel Bertas,vel Bucephalu, &c. *At vero* cognitio appręhensiua, & primo determinans intellectum, quæ imperfectior est, non potest esse, nisi simplex, & sine illationibus tendens primo in eam dumtaxat speciem, quam à re visa produxit intellectus agens,quæ cum nil nisi animalis visi operationes repræsentat, nil nisi animal objicit cognoscendum. Vt latius ostēdunt Thomistæ in Physicis, agentes de primo cognito, cum D. Thoma 1.p.q.85.art.3. Manifestum est autem eamdem entitatem pluribus speciebus repræsentari posse, nempe generum, specierum, differentiarum, &c. Præter speciem enim substantiæ, vt sic, omnia tam creata,quam increata confusse repræsentantem, requiruntur etiam aliæ species, quæ clarè singula exprimant,vt hominem, leonem, lapidem, &c. alioqui posset quis vna specie clarè omnia reprę̨sentare Deum & creaturas vno intuitu clarè percipere ; ne dicam comprę̨hendere. Hoc vero quod obiectum repræsentetur duabus, tribus, vel pluribus speciebus(pro sua virtuali perfectione, & eminentia) dicitur illud esse duo, vel multiplex intentionaliter, vnde cum cognosci animal sequatur speciem acceptam à sensationibus, & non cognosci rationale, sequatur speciem acceptam à discursibus, intellectus hoc ipsa affirmatione vnius, & negatione alterius, significat vnum ab alio non dependere in cognoscendo:quapropter cognosci, & non cognosci sunt prædicata non modo pertinentia ad distinctionem rationis, sed etiam ipsa constituentia ; non vero alia, vt produci, & non produci.

§.42. Hinc robur assumunt, si aliquod habent solutiones theoremate præcedenti examinatæ: prædicata enim physica, & intentionalia, si explicentur ad sensum D. Thomæ, qui germanus, & verè Peripateticus est, rem bene expediunt, & etiam ea, quæ ratione principiorum exhibet discrimen, quæ est quinta solutio Spinulæ, similiter, ea quæ prædicata distinguit existentialia à non existentialibus, quarum omniū neruus est, quod de ijs, quæ in modo cognoscendi opponuntur, idest distinguntur, enuntiari possunt prædicata contradictoria pertinentia ad modum cognoscendi, & distinguendi; non vero prædicata impertinentia, quæ alij vocant physica, vel existentialia.

§.43. Dices secundo. Multiplicitas illa eminentialis quantumuis pluribus æquiualeat, tamen est realiter indiuisibilis: ergo sicut implicat quod productio realiter illam attingat,quin totam attingat, etiam repugnabit, quod cognitio realiter illam attingat, quin totam attingat; pertineat, vel non pertineat ad distinctionem rationis. Idiuisibile enim, vel totum attingitur, vel nihil illius attingitur: Igitur res realiter indiuisibilis realiter attingitur tota per cognitionem, vel tota realiter non attingitur.

§.44. Hanc instantiam subtexuit Arriaga vbi supra num.31.§. *Secundo impugno.* Ast inconsequenter quidem. Primo, quia ipse admittit hæc prædicata : *esse similem respectu eiusdem, & non esse similem respectu eiusdem*. Verificari de eadem formalitate, nempe de animalitate Petri respectu Bucephali, cum animalitas Petri non solum sit realiter sibi eadem, sed etiam formaliter, & ratione, vt ipse admittit, vt euadat contradictoria Scotistarum,inde probantium distinctionem ex natura rei, & tamen similitudo non totam attingit animalitatem, quandoquidem aliquid animalitatis attingit etiam dissimilitudo: ergo sicut in eadem formalitate datur aliqua latitudo, & extensio virtualis, ratione cuius, ea non attingitur tota, ita & obiectum virtualiter multiplex eadem latitudine gaudebit : maximè cum esse cognitum non consistat in indiuisibili, sicut nec esse simile apud ipsum:vt ad hominem supra impugnabamus §.20.

§.45. Secundo, quia ipse Arriaga simili argumento pressus in Pphysicis Disp.9.sect.8.subsect.1. num.92. dum sibi objicit : Punctum est indiuisibile ; ergo si tangitur alio indiuisibili, totum tangitur,ac proinde ea penetrantur,& nō faciunt extensionem. Respondet inter alia:Punctum habere latera saltem extrinseca: Nam si in hoc cubiculo poneretur per impossibile, vel possibile punctum;deinde accederet quis ex oriente, & alter ex occidente, proculdubio ita possunt accedere, vt punctum relinqueretur mediū, quin se contingerent ; ergo etiam id præstabunt duo puncta,quorum quodlibet tanget punctum indiuisibile hinc, & inde; quin totum, et totaliter id tangat, nec cum ipso penetretur. Hæc Arriagæ doctrina, vel prorsus falsa est, vel nostram potius confirmat. Sic ad hominem argumentor. Indiuisibile quantitatum quantitatiuè tangitur altero indiuisibili,et tamen non totum per se: ergo male arguis, entitatem realiter indiuisibilem attingi debere totam, eo quod indiuisibile, vel non attingitur, vel totum attingitur. Tum etiam: quia subtilior, et immaterialior accessus est, quo intellectus obiectum secundum

vnam

vnam formalitatem tangit, quam, quo vnum punctum materiale aliud contingit: sed punctum materiale, & quantitatiuum, potest physicè, & materialiter contingere aliud indiuisibile, secundum Arriagam, in eo latere extrinseco, per quod non tangit alterum indiuisibile, & hoc ratione virtualis illius extensionis, quam ille explicat per respectum ad Orientem, & Occidentem: ergo multo subtilius, liberiusque poterit vna cognitio attingere obiectum realiter indiuisibile secundum vnam formalitatem, & alteram secundum alteram, non attingendo formaliter vna, quod attingit altera: nec enim punctum vnum attingit in eodem indiuisibili id ipsum, quod alterum attigerat, vt ex se patet, alioqui non facerent extensionem. Cur igitur (vt Arriagæ vtar Cosmographia) cognitio ex Oriente accedens non poterit attingere formalitatem obiecti indiuisibilis, quam non attingit cognitio veniens ex Occidente, cum id in rebus crassioribus contingat? Sanè si mendacem oportet memorem esse; nullo iure poterit Arriaga nos vrgere illo principio: *Indiuisibile totum attingitur*. Sed horum satis contra Arriagam.

§.46. Pergo ad formam Ouiedi. Animal cognosceretur, & non cognosceretur secundum idem, nego maiorem. Deinde ad probationem eiusdem maioris, distinguo maiorem: quicquid affirmatur, vel negatur de aliquo, eodem modo affirmatur, vel negatur de omni idemtificato cum illo: Semper formaliter, nego maiorem, formaliter, vel idemticè, transeat. Deinde nego consequentiam. Ad aliam argumentandi formam, concesso antecedente, nego consequentiam iterum, jam enim exhibuimus disparitatem terminandi, & non terminandi productionem, & terminandi, & non terminandi cognitionem, ex D. Thomæ doctrina. Vltimum syllogismum, quo rem clarius dicit, se vrgere. Respondeo, peccare fallacia *accidentis*: infert enim illatione in sensu formali, ex prædicatione idemtica minoris. Vnde concessis præmissis; nego cõsequentiam: debebat autem sic inferre: Quod terminat hanc cognitionem, est animal; sed rationale est animal: ergo rationale est aliquid, quod terminat hanc cognitionem: quod verum est in sensu idemtico, non vero in formali, vt valeat dicere: ergo rationale formaliter terminat hanc cognitionem, siquidem rationale non est formaliter animal, nec de ipso prædicatur primo modo dicendi per se, vt ex D. Thoma dicebamus supra §.8. & 9. Porrò ex consequentia in prædicto sensu concessa, nil contra nos euincitur: fatemur enim rationale esse quid idemtificatum cum animali terminante cognitionem præcisiuam; negamus tamen, rationale formaliter eam terminare, nam ipsam terminare vnius, & non terminare alterius, est oppositio, in qua primo fundatur distinctio rationis, quæ capax est capiendi prędicata contradictoria, ad se dumtaxat pertinentia, stante reali obiecto indiuisibilitate. Deinde instantia illa Ouiedi nullam habet difficultatem, vt infrà iterum ostendemus. Corruit ergo tota Nominalium machina, quæ huiusmodi contradictorijs innitebatur: nostram enim sententiam totius Philosophiæ, ac Theologię Principes, docent, nempe Angelicus, & subtilis Scotus, dissertis, ac clarissimis verbis explicarunt. Audi Thomam qu.1. de veritate, artic.1. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quod aliquid intelligi sine altero potest accipi dupliciter: vno modo ità, quod aliquid intelligatur altero non intellecto: & sic ea, quæ ratione differunt, ita se habent, quod vnum sine altero intelligi potest: Alio modo*, &c. Hæc ille. Audi nunc Scotum in primo, distinct.3.q.3. num.15. *Nulla talis differentia est vltima* (inquit, & loquitur de rationalitate) *quia in tali continentur plures realitates aliquomodò distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi in qu.1. de Trinitate 2.d. esse inter essentiam, & proprietatem personalem, vel maiore, sicuti aliàs explanabitur, & tunc talis natura potest concipi secundum aliquid, hoc est secundum aliquam realitatem, & perfectionem, & secundum aliquam ignorari, & ideò talis naturæ conceptus non est simpliciter simplex*. Hactenus ille. Eant nunc Aduersarij, & objiciant Aquinati, & Scoto, repugnare animalitatem cognosci, non cognita Rationalitate.

THEOREMA VI.

Cætera Nominalium, Iesuitarumque argumenta eneruantur.

§.47. HVrtadus præcisionum obiectiuarum insectator acerrimus multa congerit argumenta aduersus illas; adeo vero friuola, & falsis innixa fundamentis, vt vel ipsi Aduersarij agnoscant, illisque parum fidentes, vel soluant, vel contemnant ipsimet. Cur ergo ea nos etiam non contemnemus? Ast in gratiam Tyronum omnia lubet excutere. Principio mihi risum mouet, quod tam sereno fronte probare intendat, Sanctum Thomam negasse præcisiones obiectiuas, Nominaliumque sententiam astruxisse opusc.9. Ast ego nihil video in locis ab illo citatis, quod vel apparenter id insinuet. Nil enim ibi docet S. Doctor, nisi ex diuersitate attributorum, non sequi diuersitatem, vel pluralitatem Deitatis, quia attributorum pluralitas solum prouenit actu ab intellectus, habente tamen fundamentum in ipso Deo tanquam in obiecto: *Fundatur* (inquit quæst.3.) *in intellectu sicut in subiecto, in Deo sicut in obiecto, quod præstat causam, & fulcimentum suæ veritati: vt tamen intelligatur quod præstat fulcimentum veritati, in quantum repræsentantur per vnamquamque conceptionem intellectus nostri intelligentis huiusmodi attributa: non autem quantũ ad hoc, quod ipsa diuersitas attributorum repræsentet aliquam diuersitatem in Deo*. Ecce verba, quę pro se citat Hurtadus. Ast quo pacto ipsi faueant prorsus ignoro. Scio tamen hunc Authorem eo semper pede claudicare, vt Delphinum natare doceat, dum ostendere præsumit, Thomistas suum Aquinatem non benè intellexisse, seque illis melius ipsius Doctoris mentẽ assequutum fuisse: quod & cum Scotistis agit quoad Scoti (vt in dissertatione sequẽti) Verum enim vero hurtadus, sibique similes hæc accipiant ab extraneo Authore, à Ponciose ilicet Franciscano in proœmio suæ Theologiæ dicta: *Eam esse*

Diui Thomæ sententiam, quam Dominicani; eam vero Scoti, quam Franciscani communiter amplectuntur. quamuis enim Iesuitæ; & alij se etiam D. Thomæ sententiam sequi profiteantur; & etiam quod facile est, ipsum explicent, vt eum in suos sensus detorqueant: nemo tamen æquus rerum æstimator facile crediderit, eos ipsius veram mentem potius assequi, quam Dominicanos, qui pro suo in ipsum, & propriam Religionem affectu diligentius eius mentem explorare, & constantius tueri credendi sunt, &c. Quæ quia vera, & minimè suspecta, mea sunto: amens enim essem si in re adeò clara Hurtado potius crederem, quam toti Thomistarum choro. Cordatior eorum communi intelligentiæ fidem adhibuit Comptonus: *Accedit* (inquiens) *quod Thomistæ hoc modo Magistrum suum explicent, quod non leui mihi est argumento, hanc Sancti Doctoris veram esse sententiam.*

§. 48. Ast Hurtadus non legerat loca D. Thomæ, à nobis, nostrisque Authoribus citata, nec primæ partis, quæst. 14. art. 15. ad 3. Vbi satis indicat S. Doctor, se Nominalium sententiam nouisse, earumque confusas intellectus conceptiones, & connotationes respuisse; inquit enim: *Dicendum, quod antiqui Nominales dixerunt, idem esse enuntiabile Christum nasci, & esse nasciturum, & esse natum, quia eadem res significatur per hæc tria scilicet Natiuitas Christi, &c. sed hæc opinio est falsa, &c.* Quã sectã exitarunt recentes Nominales; sicuti enim antiqui dicebant, hoc prædicatum *Natiuitas Christi*, significare diuersis connotationibus temporum, Christum esse natum, nasci, & nasciturum; noui Nominales similibus etiam connotationibus docent, animalitate discurri, rationalitate sentiri, voluntate hominem intelligere, intellectu velle, sedentem esse sessione (vt vult Okamus, quem Iesuitæ sequuntur.) Quæ omnia exemplo Natiuitatis indicata Sanctus Doctor, vt omninò falsa reiecit, expressa Nominalium facta mentione: Quæ si omnia Hurtadus perspexisset, vidissetque (vt debuerat) clariora S. Doctoris testimonia à nostris Thomistis produci pro contraria sententia, fortassè non esset ausus hunc titulum suo scripto præfigere. *Subsectio tertia. Nominalium opinio est Sancti Thomæ.* Sed omnia inibi contenta quoad D. Thomæ auctoritatem futilia sunt. Venio iam ad rationes.

§. 49. Obijciunt secundo. Vbi non est distinctio rationis, non est pluralitas formalitatum; sed distinctio rationis est in intellectu, & non in obiecto, quia est actus distinguens: ergo pluralitas non est in obiecto sed in intellectu, nec in obiecto sunt plures formalitates. Consequentia patet, quia vbi non est ratio, per quam aliquid sit formaliter distinctum, non potest esse aliquid distinctum, sicut vbi non est albedo, non potest esse formaliter album: ergo similiter, vbi non est formaliter distinctio, non reperitur hic effectus formalis *ratione distinctum*. Tum sic: obiectum illud prout adæquatè distinguitur à cognitione, non habet plures formalitates: ergo cognitio vt adæquate distincta ab obiecto, non attingit plures formalitates; quia quæ non sunt in obiecto, implicat attingi per cognitionem. Dices ab ipso actu intellectus distinguente participare obiectum extrinsecè denominationem *distincti*. Vnde etiam, si *subiectiuè* sit distinctio in intellectu, tamen *terminatiuè* est in obiecto quod sufficit ad hoc, vt in obiecto sit pluralitas intentionalis. Sed contra. Cognitio distinguens non terminatur ad se ipsam, sed ad obiectum nudè sumptum, sed in obiecto sic nudo, idest vt adæquatè distincto ab ipsa cognitione, non est cognitio ponens eas formalitates, nec faciens pluralitatem: ergo cognitio non attingit plures formalitates, nec pluralitatem intentionalem. Cum enim cognitio nõ terminetur ad se ipsam, sed ad obiectum, rogo, per quam rationem constitutum fuit obiectum in ratione plurium formalitatum, quæ cognitione attingantur?

§. 50. Hoc argumentum nullius esse momenti vel ipsi aduersarij fatentur, vt Arriaga, & Ouiedus. Sciunt enim Thomistæ, actum intellectus esse obiecto extrinsecum, nec posse intrinsecè illud in duas realitates diuidere. Ast eam agnoscunt virtualitatem in obiecto, vt possit intellectus aliquid illius percipere nunc, specie accepta à sensationibus, v.g. & postea aliquid aliud per speciem acceptam à discursibus. Vnde admissa solutione supra data, ad instantiam concedo præmissas, & distinguo consequens: ergo cognitio nõ attingit in obiecto plures formalitates, in ipso obiecto realiter actualiter precedentes cognitionem, cõcedo consequentiam, per ipsammet cognitionem in ipso constitutas, nego consequentiam. Nullæ enim sunt in obiecto formalitates ante cognitionem, nisi fundamentaliter: Cognitio vero per ipsam tendentiam inadæquatam, qua percipit aliquid intrinsecum obiecti, quin totum percipiat, diuidit hoc quod percipit ab eo, quod non percipit, constituitque ipso facto duas formalitates in obiecto, quod est notandum valde. Non equidem considerandum est intellectum cernere in obiecto duas formalitates in actu signato (vt malè arbitratur Hurtadus.) Nam ipsa inadæquata, & exercita cognitio animalis, v.g. non attingens rationale, quod est quid intrinsecum illi, dicitur duas formalitates distinguere; non quidem quia actus distinguens positiuè constituat ipsas, sed quia relinquens alteram, & alteram percipiens, præcisiuè vnam ab alia discriminat. Dicitur etiam, hanc præcisionem non esse merè extrinsecam, quamuis in solo intellectu resideat, quia tollit à re cognita aliquid sibi intrinsecum, v.g. rationale ab animali per intentionalẽ remotionem, & separationem eorũ, quæ licet actu eadẽ sint realiter, at virtualiter multis æquiualent.

§. 51. Obijciunt tertio. Antequam cognoscatur animal, non habet ex parte sui aliquid per quod formaliter sit aliud à rationali: ergo cognitio de rationali non attingit illud quasi aliud ab animali, & consequenter non cognoscit animal sine rationali. Dices ante cognitionem, animal esse aliud fundamentaliter à rationali: formaliter tamen esse aliud per cognitionem ipsam. Contra primo. Quia esse fundamentaliter aliud nihil est, nisi esse fundamentum, vt cognitio attingat vnum sine alio: atqui repugnat tale fundamentum, ergo: Probatur minor. Vbi non est aliud, & aliud ex parte

obie-

obiecti, non potest fundari cognitio alius sine alio, sed in obiecto non est aliud, & aliud, ergo non præcedit tale fundamentum. Contra secundo. Quia etiam quando animal cognoscitur, non habet alietatem ex parte sui: ergo nec formaliter distinctio reperitur in obiectis. Probatur antecedens. Alietas formalis est eadem cognitio, qua est formaliter distinctio: Sed hanc non habet animal ex parte sui: ergo numquam habet alietatem formalem.

§. 52. Respondeo, aliud esse intellectum cognoscere animal sine rationali, & aliud cognoscere animal esse aliud à rationali: Præcisione obiectiua primum præstatur, non secundum, nec ad id petitur, quod alietas præcedat in obiecto, vt supra simili argumento respondimus. Vnde admissa solutione data ad primam instantiam nego minorem, & probationis maiorem. Ratio præsto est. Quia intellectus hominem adæquate multis prædicatis, & perfectionibus compositum, non valet totum attingere cognitione, quæ non est comprehensiua, ac proinde hoc ipsum, quod est attingere imperfecte aliquid illius, est reddere per rationem aliud id, quod attingitur ab eo quod restat attingendum. Hoc luce clarius mihi videtur; nec opus est alietatibus argumenti; cum ipsa inadæquata obiecti attingentia sit factiua alietatis obiectiuæ, vt supra diximus. Sed quid si Hurtado responderetur, in obiecto præcedere aliud, & aliud in repræsentando? Ante actualem cognitionem enim præcedere possunt species impressa accepta à Sensationibus tantũ, & species à discursibus accepta, quæ essent duæ repræsentationes realiter distinctæ, eiusdem obiecti realiter indistincti: Nec hoc esset in Scoticam opinionem incidere; nam hæc ponit distinctionem realem formalem, illa autem esset merè repræsentatiua, & intentionalis: igitur optimè diceretur in obiecto realiter posse præcedere aliud, & aliud, scilicet alia, & alia species, quarum quamlibet posset seorsim arripere intellectus, & in alietate specierum fundare alietatem formalem, qua animal sine rationali cognoscit, vt bene explicat D. Thomas 1. p. q. 85. art. 2. ad 2. Ad secundam instantiam ex dictis responsum manet.

§. 53. Obijciunt quarto. Cognitio de rationali per se, nec immediatè, nec formaliter terminatur ad animal; ergo distinguuntur à parte rei animal, & rationale. Probatur consequentia. Quia à parte rei conuenit vni aliquod prędicatum quod alteri non conuenit à parte rei, sed hoc in creatis est præcipuum signum realis distinctionis, ergo.

§. 54. Concesso antecedenti, nego consequentiam, cuius probationis distinguo maiorem: Prædicatum quod conuenit animali, non conuenit rationali, non conuenit negatiue, nego maiorem: non conuenit præcisiue, concedo maiorem. Nam ex hoc quod cognoscam animal, non cognito rationali, non sequitur, me cognoscere animal, & negationem rationalis: sed cognoscere animal non totum, ratione latitudinis intelligibilis, quæ tantum in gradu intenso petit totum cognosci, non vero in remisso, seu inadæquato. Falsum deinde est, quod distinctio prædicatorum semper arguat realem distinctionem in subiectis, cum non solum distincta, sed contradictoriè opposita de eadem reali entitate (fundamentaliter tamen diuersa) verificari possint, cum pertineant ad constituendum talem distinctionem in ipsa (sicut in præsentiarum contingit, vt ex D. Thoma supra probauimus à §. 39. Immo ipsi de eadem humanitate dicunt, affirmari posse: esse similem, & non esse similem respectu eiusdem Bucephali: ecce realiter competit) vnum prædicatum animali, nempe esse simile Bucephalo, quod non competit rationali, & tamen non conceditis animal realiter distingui à rationali.

§. 55. Obijciunt quinto: Admissis pręcisionibus obiectiuis, euertitur forma syllogistica: Nam in sequenti syllogismo, consequentia negatur à Thomistis, cum tamen legitime concludat: *Animal omne cognoscitur realiter immediatè per illum actum: Sed non cognoscitur realiter immediatè rationale: ergo rationale non est realiter animal.* Vbi in pręmissis constituitur idemtitas omnis animalis cum immediato cognito, & negatio rationalis cum immediato cognito: Vnde infertur negatio rationalis cum animali. Qui ex Aristotele modus est legitimè concludendi in negatiuis. Item in affirmatiuis constat. *Omne animal immediatè, & formaliter cognoscitur illo actu: Sed omne rationale est animal: ergo rationale cognoscitur illo actu.* En syllogismum in *Babara*, vtraque premissa vera; consequentia autem falsa. Nec alio modo concludit hic syllogismus: *Omnis homo currit: omne risibile est homo: ergo omne risibile currit.* Vbi non ponitur idemtitas rationis inter hominem, & risibile; sed sola identitas realis, ex qua concluditur in consequentia idemtitas realis inter currens, & risibile. Similiter ponitur idemtitas realis inter animal, & rationale: & inter animal, & immediatè formaliter cognitum, & tamen non infertur idemtitas realis inter rationale, & immediatè formaliter cognitum.

§. 56. Hoc argumentum, quod est Aureoli in 1. dist. 1. q. 3. art. 3. In primis retorqueo ad hominem in similitudine, & dissimilitudine, quas in eàdem humanitate admittunt Iesuitæ, respectu eiusdem Bucephali, vt effugiant contradictoria Scotistarum inde probantium distinctionem ex natura rei inter animal, & rationale, vt supra expendi à §. 18. En similis syllogismus: *Omne animal realiter, immediatè est simile Bucephalo, sed rationale non est simile realiter immediatè ipsi Bucephalo: ergo rationale non est realiter animal.* Si concludit legitime syllogismus hic, iam Iesuitæ Scotistis manus dabunt. Item in affirmatiuis idipsum exhibeo: *Omne animal immediatè, & formaliter est simile Bucephalo: sed omne rationale est animal, ergo omne rationale immediatè, & formaliter est simile Bucephalo.* En syllogismum in *Babara*, vtraque premissa vera; consequentia autem falsa. Quod igitur Nominales, & eorum discipuli Iesuitæ responderint ad hæc, respondebimus nos ad sua; quod si prædicatum *simile* non consistit in indiuisibili, sed latum est, habens gradus

remissos, ita vt quod est remissè simile, dicatur etiam aliquo modo dissimile (quod est horum solutio) idipsum dicimus nos etiam de *cognito* vt suprà.

Deinde respendeo, directè prædictos syllogismos peccare fallacia accidentis mutata suppositione, vt supra Ouiedo respondimus §. 46. in priori enim syllogismo mutatur suppositio à diuersit ate rationis, ad realem, & in secundo à reali idemtitate ad idemtitatem rationis. Quod si in hoc syllogismo: *Omnis homo currit, omne risibile est homo, ergo omne risibile currit,* concludatur legitimè ex sola idemtitate reali inter currens, & hominem, ideo est; quia *currere*, vel *non currere* non pertinet ad constituendam idemtitatem nec diuersitatem rationis; quapropter sufficit, vt homo realiter currat, ad hoc vt risibile realiter currat. At vero *cognosci, & non cognosci inadæquatè,* sunt prædicata per se pertinentia ad distinctionem, & idemtitatem rationis, ac proindè ex sola idemtitate reali rationalis cum animali, significata per prædicationem idemticam, *Rationale est animal,* non benè infertur idemtitas formalis inter rationale, & cognitum inadæquatè, significata per prædicationem formalem, qualis est: *Ergo rationale formaliter cognoscitur eo actu inadæquato.* Ast quia ex reali idemtitate extremorum cum medio sequitur necessariò idemtitas realis eorum inter se, & non alia, in prædicto syllogismo ex idemtica coniunctione rationalis cum animali, non infertur nisi mera idemtitas realis, quæ denotatur per illam prædicationem idemticam: *Ergo rationale est idem cum eo quod cognoscitur eo actu,* quod verum est. recognosce §18.

§. 57. Obijciunt sexto, Quia eàdem facilitate defenderetur (admissis præcisionibus formalibus) Mysterium Trinitatis, ac aliæ opiniones de rebus creatis, vt de vnione animæ rationalis ad corpus, secundum quod sensitiua est, & non secundum quod intellectiua, &c. posset enim fieri hic syllogismus. *Gradus sensitiuus est realiter immediatè vnitus carni: sed gradus rationalis est sensitiuus: ergo gradus rationalis est immediate vnitus corpori.* Et negaretur consequentia. Sanè ob solam Trinitatem compellimur ab ea forma fugere, verum iam omnia sunt Trinitas apud nonnullos. Sic Hurtadus sect. 2. subsect. 4. §. 28. Ouiedus Metaph. contr. 4. §. 3. num. 12. & seq.

§. 58. Respondeo, negando antecedens. Nam ex reali identitate extremorum cum tertio non colligitur nisi idemtitas etiam realis eorum inter se: stolidè igitur arguit, qui ex eiusmodi extremorum reali idemtitate, colligit idemtitatem rationis eorum inter se. Cum Sole clarius sit, idemtitatem extremorum talem sequi, qualis fuerit idemtitas eorum cum tertio. Mysterium autem ineffabile Trinitatis in eo consistit, quod stante reali idemtitate Patris, & Filij cum tertio, scilicet Deo, non sequatur eos esse realiter idem, id est eadem reali idemtitate, qua cum tertio idemtificabantur. Non enim valet Pater est realiter hic Deus; sed Filius etiam est realiter hic Deus: ergo Filius realiter est Pater. Secùs vero in præcisionibus obiectiuis, in quibus ex reali idemtitate extremorum cum tertio, semper valet inferre realem idemtitatem eorum inter se; quamuis non valeat inferre idemtitatem formalem rationis, v.g. in hoc syllogismo: *Animal est genus, sed homo est animal, ergo homo est genus.* Consequentia non valet, quia quamuis homo realiter sit animal, at vero animal esse genus pertinet ad distinctum modum cognoscendi eundem hominem, nempè inadæquatè, & in ordine ad sensationes communes cum brutis: ac proindè id, quod pertinet ad illum distinctum modum cognoscendi, non debet verificari de omni, quod realiter cum ipso idemtificatur, vt proximè suprà dicebamus. Hinc censeo, impossibile esse, gradum intellectiuum animæ rationalis vniri corpori, non vnito gradu sensitiuo, eo quod vniri, & non vniri non sint prædicata pertinentia ad distinctionem rationis, quæ inter illos gradus versatur, proindèque nullus negabit consequentiam prædicti arguentium syllogismi, qui doctrinam S. Doctoris supra §. 39. traditam, probè calluerit.

§. 59. Obijciunt septimo. Ex præcisionibus obiectiuis, seu graduum virtuali distinctione sequuntur innumera absurda, vt me existere Matriti, & non Romæ, quatenus animal, & existere Romæ, & non Matriti, quatenus rationale: posse hominem destrui secundum gradum rationalis, & non destrui secundum gradum animalis, rationale beatificari, non beatificato animali, & alia innumera figmenta, quæ quisque poterit vaga sibi mente confingere: quæ omnia sequi probatur: quia hæc omnia ideo tantum repugnant, ne contradictoria prædicentur de eodem: cum igitur virtualis distinctio prædicata aliàs contradicentia componat absque contradictione, posita hac distinctione virtuali in creatura, nulla contradictio reperiretur in prædictis figmentis.

§. 60. Hoc argumentum puerum esse figmentum, & nec vllam vel apparentem habere difficultatem censuit optimè M. Martinez de Prado. Maiorem enim distinctionem statuunt Scotistæ inter animal, & rationale, nempe realem ex natura rei, & tamen irriderent Ouiedum si illis obiecisset ex eorum distinctione sequi animal destrui, seu existere Matriti, & rationale non destrui, nec existere Matriti. Responderent enim, & benè Scotici, ea quamuis distincta realiter, adeò inter se esse connexa, vt separabilia non essent. Si ergo ex rebus distinctis realiter ex natura rei, & ex distinctis realiter modaliter, vt *sedens, & sessio,* implicat vnum destrui, & aliud non destrui, vnum produci, & aliud non produci, nescio qua consequentia voluerit Ouiedus nos cogere, vt fateamur, animal realiter idemtificatum cum rationali posse destrui, non destructo rationali, &c. ratione virtualis distinctionis, quæ minor est modali reali, & Scotica ex natura rei.

§. 61. Adde, Ouiedum suo se gladio iugulare, nam ipse cum Arriaga, & alijs Nominalium sequacibus admittit hanc distinctionem virtualem inter essentiam Diuinam, & relationes,

nes, sed ratione huius virtualis distinctionis essentia communicatur, Paternitas non communicatur: Filiatio producitur, Essentia non producitur, quæ prædicata contradictoria sunt: ergo similiter potest fingi Essentiam esse Deum, Paternitatem non esse Deum: Deitatem esse Matriti, Personas non esse Matriti: Essentiam esse infinitam, bonam, & existentem, relationem vero non esse infinitam, nec bonam, nec existentem, & alia huiusmodi, quæ tamen ipsi minimè fatebuntur, tametsi virtualem distinctionem, & obiectiuas præcisiones in Diuinis admittant. Cur ergo similia nos in creatis fateamur?

§. 62. Notum igitur omnibus esto, Thomistas numquam admisisse contradictoria quæcumque ratione virtualis distinctionis, nisi tantum ea præcisè, quæ ad eiusmodi distinctionem rationis pertinent: qualia sunt, animal esse fundamentum similitudinis Equinæ, non vero rationale, animal communicari, Petreitatem non communicari, hominem prædicari de multis, Petrum non prædicari, animal esse indifferens ad Equum, & Leonem, non vero hominem, &c. Quod si in diuinis essentia communicatur, non vero relatio: producitur Filius, & essentia non producitur, id oritur ex infinita Dei perfectione, quæ non solum prædicatis intentionalibus, sed etiam Physicis, & contradictoriè oppositis plenissime æquiualet. Demittant igitur inanem fastum Nominales huiusmodi nænijs, & fribolis argutatiunculis gloriabundi, audiantque prædictum M. Martinez de Prado, hæc scribentem: *Sola consideratione verborum S. Thomæ* (quæ scilicet nos supra citauimus §. 39.) *euanescit argumentum, quod sine causa, & fundamento magnificant recentiores: cum tamen mera innitatur æqui uocatione, & sinistra ipsorum intelligentia; quia arbitrantur, quod distinctione rationis, aut virtuali, omnia componi dicamus; quod nec somniamus.* Omitto alias rationes Iesuiticas, quæ prædictis futiliores sunt, possuntque ex superioribus nulla operâ proteri: authoritates autem SS. Basilii, & Anselmi, quas Hurtadus in medium profert, vt prorsus inefficaces prætereo.

DISSERTATIO IV.

An vniuersales naturæ distinguantur ex natura rei à singularibus?

§. 1. ALiud est inquirere absolutè an detur distinctio formalis ex natura rei? aliud an hæc distinctio admittenda sit inter animal, & rationale, & cæteros vniuersalium gradus? hoc secundum nunc disputo, non primum, quod est negotij omnino Methaphysici, immò etiam Theologici: sed quia non potest commodè expediri secundum sine aliquali notitia primi; non nulla dabo merè Logicalia, & quoad potero, argumentis pure Methaphysicis, & Theologicis abstinebo, odi quippe Logicos Diuina creatis, & sacra prophanis immatura disputatione confundentes.

§. 2. Distinctio est diuisio vnius ab alio; seu carentia identitatis, & vnitatis inter aliqua. Diuiditur in realem, & fictam: Realis est qua quodpiam ens realiter non est aliud. Ficta distinctio, seu rationis illa est, qua eadem realiter entitas in plures formalitates, seu conceptus operatione intellectus distribuitur. Realis distinctio diuiditur iterum in realem entitatiuam, & realem modalem, & negatiuam, (quæ etiam reducitur ad realem.) Realis entitatiua est qua duo entia realia, & positiua inter se discriminantur, vt lapis, & homo. Modalis qua res, & modus, vel modus à modo distinguitur, vt sedens à sessione, vel sessio ab alia sessione: sumitur autem hic *res* strictè contra modum, quia licet modus res quædam sit, vtpote ens; tamen diuersa acceptione dicitur *res* id, quod est ens absolutum: iuxta quam vnio non dicitur *res*, sed modus rei, ac proinde distinctio modalis, non est *realis* id est non est rerum, seu entitatum absolutarum. Negatiua distinctio est qua ens positiuum à priuatione destinguitur, vt visus à cæcitate, vel qua duæ carentiæ distinguntur, vt cæcitas, & surditas. Distinctio autem ficta seu rationis diuiditur in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis: prima est, qua eadem realis entitas à se ipsa distinguitur per intellectum considerantem diuersas eius operationes, seu perfectiones, quæ illi præstant fundamentum, vt eandem concipiat vno conceptu vt principium harum, & distincto conceptu vt principium aliarum, vt quando Solem, vt illuminatiuum distinguit à se ipso vt calefactiuo. Altera, nempe rationis ratiocinantis ea est, qua intellectus nullo dato fundamento diuersitatis, neque ex operationibus diuersis, neque ex multiplici perfectione eamdem entitatem instar duarum concipit, vt cum considerat Petrum ad se ipsum referri vt eumdem, seu sibimet idemtificatum. Hæc est communis omnium doctrina, at Scotistæ aliter distinctionem partiuntur.

§. 3. Primo diuidunt distinctionem vt sic in distinctionem ex natura rei, & distinctionem rationis: Distinctionem *ex natura rei* ita vocant, quia oriatur ex rerum ipsarum naturis, quam subdiuidunt in distinctionem strictè realem, & in formalem ex natura rei. Realis strictè illa est, quæ conuenit rebus non solum ante omnem intellectus operationem, sed ita vt saltem per potentiam Dei absolutam vna possit existere sine alia, vel saltem alia sine ipsa. Formalis, quæ etiam si rebus conueniat ante omnem operationem intellectus, versatur tamen solum inter formalitates, id est inter realitates quarum vna non est de conceptu formali, aut ratione quidditatiua alterius, eâ tamen connexione, vt neque per potentiam Dei absolutam seorsim existere, neque separari possint. Prima harum distinctione distinguitur Petrus à Paulo, secunda Animal à rationale, Anima à suo intellectu &c. In qua diuisione notandum est, Scotistas bifariam sumere ly *reale*. Primo appellando *Reale* omne id, quod ante operationem intellectus conuenit rebus, & in hoc sensu omnis distinctio conueniens rebus ex natura sua, & seclusa omni operatione intellectus dicitur distinctio rea-

realis etiam apud ipsos. Vnde sumpta re in hac latitudine fatentur, non esse nisi duo genera distinctionum, scilicet realem, & rationis: Quandoquidem distinctionē primo, & immediatè diuidunt in distinctionem ex natura rei (quę eadem est, ac realis; si sumatur in dicta latitudine, & in distinctionem rationis. Ast quia eorum, quæ ex natura rei, seu realiter (lato modo) distinguntur, quædam habent suum esse ita absolutum, & completum, vt alterum sine altero naturaliter, vel de absoluta Dei potentia separari possint, hæc dicunt, distinctione strictè reali distingui, vt Petrum à Paulo, subsistentiam à natura &c. Alia vero ita sunt in completa, vt licet habeant distinctas quidditates, deffinitiones, & conceptibilitates (vt ij loquuntur) tamen nec naturaliter nec diuinitus separari possunt, & hæc, distinctione formali discriminari affirmant. Vnde ly *ex natura rei* & *ante operationem intellectus* quasi ratio generica communis est distinctioni reali strictę, & distinctioni formali apud hos authores. Vt late explicant Sosa in 1. dist. 2. quæst. 7. art. 3. difficult. 54. num. 54. Merinerus Logicæ cap. 1. de vniu. disp. 1. quæst. 2. sect. 1. à num. 13. ad decimum septimum. Et alij Scotistæ.

Iam vero apparet, in quibus dissideant Thomistæ à Scotistis; Thomistæ enim omnem distinctionem, quæ ante operationem intellectus conuenit rebus, realem vocant. Et eam, quæ dicitur à Scotistis ex natura rei, id est ante omnem operationem intellectus formalis; dicunt esse distinctionem rationis, & virtualem, & operatione intellectus molitam. Ita vt in homine v. g. nihil ad distinctionem animalis, & rationalis præcedat ante operationem intellectus nisi fundamentum reale, quod est realis eminentia, seu virtus productiua diuersarum operationum, nempe sensitiuarum, & discursuum, quę potentia quædam est ad distinctionem formalem, reduciturque ad actus per ipsum intellectum actualiter animal à rationali distinctis conceptibus separantem. Vnde ante omnem operationem intellectus conceptibilitas animalis, & conceptibilitas rationalis non sunt duæ formalitates nisi in potentia, ac proinde earum distinctio non est nisi potentialis apud Thomistas. At Scotus eam esse actualem contendit actu reali, & dimisione præcedente omnem intellectus operationem.

THEOREMA I.

Quid de Scotica distinctione sentiendum?

Distinctionem formalem ex natura rei supra explicatam acriter defendunt Scotistæ omnes (demptis Rubione, & Herrera) nec desunt graues Thomistæ, quibus ea videtur placuisse, inter quos Ioannes Martinez de Prado qui eam, vt probabilem explicat, rationibus suadet, & ab Aduersariorum argumentis vindicat, Metaph. contr. 10. artic. 2. §. 1. citans pro eadem M. M. Sotum, Zumelem, Banezium, Nazarium, Ferrariensem, Marcum Serra: Arauxum Lermam, de quibus infra. Accedunt extranei, vt Fonseca 5. Metaph. cap. 6. qu. 6. sect. 2. Achillinus de Distinct. cap. 20. 23. & 26. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. qu. 4. Ægidius de Præsent. lib. 5. de Beat. qu. 5. art. 4. §. 2. num. 35. Cæteris verò ita displicuit, vt existiment, Scotum idipsum sensisse quod Thomistæ; Verbis tamen diuersis, ita, vt quod Thomistis est Distinctio virtualis, appelletur formalis ex natura rei à Scotistis, certentque potius de nomine, quàm de re. Ita M. Flandrensis Metaph. 5. qu. 9. artic. 8. M. Iauellus 12. Metaph. qu. 19. D. Suarez Metaph. Disput. 7. sect. 1. M. Ioan. à S. Thoma 1. p. Disp. 4. artic. 6. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. Salas 1. 2. qu. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 3. Hurtadus dispu. 6. Metaph. sect. 3. §. 27. Ouiedus Metaph. contr. 4. punct. 2. num. 8. Torrejon tract. 2. disput. 1. q. 3. Durellæus in sua Logicothea. Ex ipsis Scoti discipulis Herrera tom. 1. disp. 8. q. 13. & disput. 14. tom. 1. & ex antiquis aliquos refert, qui Scotum benignè explicarunt. Gregorius in 1. dist. 8. qu. 8. art. 2. Hurtadus autem asserit, Scotistas sui Ducis mentem non fuisse assequutos, atque ob prauam eorum intelligentiam tan subtile ingenium in communem inuidiam incidisse, quare ipse Scotum fusè explicat, pro suo in Scotum studio (vt ipse ait) ipsumque ex eiusdem verbis interpretatur pro distinctione rationis; sinistrè tamen, & inuita Minerua, vt assolet Diuū Thomam: quare Merinerus meritò eum sugillat aiens; *Alios quærat Hurtadus, qui sibi gratulentur eius (vt ipse commendat) in Scotum studio, cum loco citato totus sit non solùm in Scoti mentem sinistrè interpretando, sed etiam in proprium defectum fidelibus Scoti interpretibus imponenda.* Porrò compertum est Scotum eiusmodi distinctionem apertè tradidisse in primo dist. 2. qu. 7. §. *Sed hic restat*, quidquid dicant Conciliatores inepti.

§. 6. Dico tamen cum communi DD. sententia, talem distinctionem formalem ex natura rei nullam esse. Scotistas que in ea adstruenda se suo Scoto audaciores exhibere; mordicus asseuerantes, quod subtilis Doctor satis meticulosè pronuntiauit. Et vt ab hoc vltimo incipiam, id probo ex eodem Scoto, qui loco citato eam distinctionem proponens ait: *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris, quod ratio, &c.* At qui Scotistæ hanc distinctionem astruunt cum assertione, & præiudicio melioris sententiæ; Videlicet Thomisticæ, quam mordent, carpunt, & insufficientem ad vitandā sua contradictoria vocitant: ergo audaciores sunt suo Doctore, vel subtiliores, doctiores que: quippe qui buccis crepantibus, non solum cum assertione, sed & cum contentione ostentant, quod subtilissimum Scoti ingenium timidè mussitauit: liquet hæc consequentia: nam dicere cum assertione, & non dicere cum assertione contradictoriè opponuntur; sed Scotistæ id dicunt cum assertione, ergo contradictorio modo se gerunt ac Scotus, qui fatetur se id non dicere cum assertione. Debuerant igitur, vt audaciæ supra Magistrum notam effugerent, multum expendere, & notare ea verba. *Dico sine assertione*, sicut cætera eiusdem Doctoris verba expendunt, notant que.

§. 7. Quod autem Thomistica *Virtualem* distinctionem docens sit ea melior sententia cui subtilis Doctor noluerit præiudicium inferre, patet

patet ex eiusdem verbis: *Breuiter dicto omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sunt malè dicta; sed quia non oportet eis vti*. Hæc ille. longè aliter loquuntur Discipuli, & hoc forsan respexit Stephanus Spinula, dum ait, mirum esse, quanto ardore hæc distinctio deffendatur à Scotistis.

Probo insuper præcipuam conclusionis partem. Distinctio formalis solum tollit identitatem conceptus seu formalis rationis; sed ad hoc non requiritur distinctio actualis omnino præcedens operationem intellectus, sed sufficit virtualis cum reali fundamento: ergo nulla est distinctio formalis ex natura rei actu antecedens operationem intellectus diuidentis. Probo minorem: si ad negationem huiusmodi identitatis requireretur distinctio omnino præcedens operationem intellectus, maximè, quia distinctio, & identitas huiusmodi essent omnino independenter ab operatione intellectus; sed hoc est falsum: ergo ad tollendam eiusmodi identitatem sufficit distinctio prouenien s ab operatione intellectus, quæ virtualis sit. Minorem ostendo. Identitas formalis ex natura rei explicatur à Scoto per hoc, quod prædicatum de aliquo prędicetur in primo modo dicendi per se, id est per modum definitionis, vel vt genus, vel differentia, quæ sunt partes definitionis, & distinctio per hoc quod non prædicetur huius modi. Sed implicat quod prædicari per modum definitionis, & non prędicari non dependeant ab operatione intellectus diuidentis prædicatum à subiecto: ergo implicat etiam identitatem, & distinctionem ex natura rei non dependere ab operatione intellectus.

§. 8. Explico, & confirmo rationem ex doctrina ipsorum Scotistarum, qui vt capiant suā distinctionem formalem, assignant quinque capita, seu rationes formales, ex quibus illa innotescit, quæ sunt, *Exclusio, Definitio, Descriptio, Demonstratio, & Reduplicatio*. Quoties enim (dicunt illi) aliqua ita se habent, vt vnum excludat aliud à sua ratione formali, vel diuersa definitione essentiali, aut distinctione, quæ explicet proprietatem, definiatur, ac definitur aliud, aut de ipso demonstretur aliquid, quod non demonstretur de alio, vel denique de vno in quantum dicatur aliquid, quod non dicatur in quantum tale de aliquo; hæc formaliter distinguuntur ex natura rei. Tum sic. Impossibile est quod definitio, descriptio, reduplicatio, &c. non sint operationes intellectus; sed per vos distinctio ex natura rei formalis essentialiter dependet à Definitione, Reduplicatione, Demonstratione, &c. siue vt à ratione formali, seu tanquam à conditione, seu quouis alio modo, de quo nunc parum curo: ergo impossibile, quod distinctio ea formalis non dependeat ab operatione intellectus, ac proinde impossibile est, quod omnino antecedat omnem operationem intellectus.

§. 9. Probatur secundò Conclusio euertendo Scotistarum fundamentum, quod quia Theologicum est, inuitus propono. Tota ratio, quæ coëgit Scotum ad excogitandum hanc distinctionem Philosophis, atque Theologis inauditam, fuit, quòd in Diuinis, Essentia Diuina identificatur cum Filio v.g. & Paternitas non identificatur; communicatur, & non distinguitur Essentia; Paternitas non communicatur, & distinguitur, quæ sunt prædicata contradictoria, ac proindè non possunt de eadem reali entitate verificari: Vndè intulit, Essentiam, & Paternitatem distingui aliqua distinctione præcedente omne opus intellectus, vt capere possent eiusmodi contradictoria realiter inter se, & ante opus intellectus opposita. Sed hæc ratio nullius est momenti ad vitanda eiusmodi contradictoria: igitur talis distinctio commentitia est, & ad nihilum excogitata. Maior est doctrina Scoti loco allegato supra, consequentia bona. Minorem probo. Ideò per vos distinctio Thomistica virtualis inter essentiam Diuinam, & Paternitatem non est sufficiens ad vitanda eiusmodi contradictoria, quia prædicata ante omnem operationem intellectus opposita non possunt verificari de formalitatibus solum ratione distinctis, (eo quod oppositio sit distinctio); sed neque possunt verificari de formalitatibus solum ex natura rei distinctis: ergo contradictio prædicatorum non infert distinctionem ex natura rei in subiectis. Minorem ostendo. Distingui realiter, & non distingui realiter, produci realiter, & non produci realiter sunt prædicata contradictoria non solum ex natura rei distincta, sed realiter strictè, immò physicè (vt ita loquar) distincta; sed per vos prædicata realiter distincta non possunt verificari de subiectis, quæ similiter non sint distincta: ergo de formalitatibus solum ex natura rei distinctis v.g. de essentia Diuina, & Filio nequeunt verificari produci realiter, & non produci realiter, distingui realiter, & non distingui. patet hæc consequentia à paritate rationis; ideò enim expungitis distinctionem virtualem, quia non facit subiecta distingui eo modo, quo prædicata distinguntur, id est ante operationem intellectus. Minor facilè probatur: quia non minùs distinguntur aut opponuntur: realiter existere, & realiter non existere, quam realiter produci, & realiter non produci; sed prima illa prædicata opponuntur, & distinguntur realiter physicè, & plusquam ex natura rei; Ergo, & secunda realiter, & plusquam ex natura rei distinguntur: ergo nec verificari possunt de formalitatibus solum ex natura rei distinctis. Probo consequentiam. existere, & non existere, esse infinitum, & non esse infinitum non possunt verificari de essentia Diuina, & Filiatione, etiamsi essentia, & filiatio distinguantur ex natura rei, quia sunt prædicata contradictoria realiter, & physicè opposita, sed etiam produci, & non produci opponuntur non secus, ac existere, & non existere: ergo neque verificantur de Essentia, & Filiatione. Igitur verificatio contradictoriorum in hoc Mysterio non pendet ex distinctione Scotica, sed ex infinita æquiualentia perfectionis, quam optimè exprimit distinctio virtualis absque vlla distinctione præcedente operationem intellectus.

§. 10. Si dicas existere, & non existere, esse infini-

infinitum; & non esse infinitum esse quidem realiter contradictoria, at petere distinctionem realem strictè in subiectis; non verò produci, & non produci; petis principium: debet enim ostendere, cur distinctio ex natura rei, quæ valet verificare aliqua realiter strictè contradictoria, non possit verificare omnia similiter opposita: quod si recurras ad infinitatem, quæ omnia saluat, etiam nostra distinctio virtualis ad eandem recurret.

§. 11. Hinc retorqueo in Poncium, eius & Scotistarum instantias, ille disput. 61. num. 28. contra distinctionem virtualem, quam dicimus sufficere ad eiusmodi contradictoria insurgit aiens. Quia sic posset quis dicere, quod aliquid posset existere, & non existere simul, propter distinctionem virtualem, & quod eadem anima posset esse vnita, & non vnita corpori. Ita Poncius, & Scotistæ. Contra: Quia vobis eadem difficultas deuoranda est. Cur enim nos eo quod distinctione virtuali saluemus hæc contradictoria, *produci*, *& non produci*, tenebimur eadem distinctione saluare etiam *existere*, *& non existere*, *vniri*, *& non vniri*, vos verò non teneamini eadem saluare cum vestra distinctione ex natura rei; quando quidem hac distinctione, saluatis eadem contradictoria, quæ nos saluamus? Quinimmò vos potiori iure debetis verificare de eadem entitate reali, quod existat, & non existat ratione vestræ distinctionis ex natura rei, quę quidem antecedit omnem operationem intellectus, & multò aptior est ad verificanda contradictoria, quam nostra virtualis distinctio, vt vos dicitis.

§. 12. Pergit Poncius. Quia quando principium distinctiuum aliquorum est virtualiter tantum distinctum ab eo, in quo conueniunt, ipsamet tantum virtualiter distinguentur, & non distinguentur actu: ergo si Paternitas, & Filiatio sint tantum virtualiter distincta ab essentia Diuina, ipsæ Personæ Diuinæ non distinguentur actu, sed virtualiter tantum. Suo telo se confodit Poncius. Assumo idem argumentum contra. Quando principium aliquorum est tantum formaliter ex natura rei distinctum ab eo, in quo conueniunt, ipsamet tantum ex natura rei distinguntur, & non realiter strictè: Ergo si Paternitas, & Filiatio sint tantum formaliter ex natura rei distinctæ ab essentia Diuina, ipsæ Personæ Diuinæ non distinguentur realiter strictè, sed tantum formaliter ex natura rei: ecce tuum argumentum: ergo Pater, & Filius in Diuinis tantum distinguntur, & animal, & rationale Petri in creatis, vt Sapientia, & Iustitia in Diuinis, quod est hæreticum.

§. 13. Instat Poncius. Omnis inconuenientia, quæ sequitur ex distinctione actuali formali, quam ponunt Scotistæ, sequitur ex distinctione virtuali aduersariorum: ergo frustra subeunt ingentes difficultates has, ad fugiendam distinctionem actualem Scoticam. Hoc etiam telum in se ipsum contorquet Poncius. Contra: Ergo Poncius frustra subit ingentes difficultates ad fugiendam distinctionem virtualem. Probo consequentiam. Per te nulla est difficultas, aut inconuenientia sequta ex distinctione virtuali, quæ non sequantur etiam ex distinctione formali Scotica: ergo si easdem patitur difficultates, quas virtualis, frustra relinquitis virtualem, & deffenditis formalem: liquet hæc consequentia ex tuo argumento; immò plures sunt rationes, vt formalem deseratis potiùs, quam virtualem. Primò, quia distinctio formalis noua non est excogitanda, si nihil amplius præstet, quam vetus. Tum etiam secundò, quia distinctio formalis per vos est æquè inutilis, aut vtilis, ac virtualis, siquidem fatetur Poncius, eadem inconuenientia ex vtraque sequi. Tum tertiò, quia virtualem commendat antiquitas, Authoritas Sanctorum Patrum, ac vniuersæ Theologiæ, & Philosophiæ consensus. Tum denique quartò, quia formalis distinctio fuit proposita à Scoto timidè, & sine assertione, vt ipse fatetur: igitur hæc potiùs deserenda vobis erat, quàm nostra, esto vtraque sit æquè facilis, aut difficilis. Reliqua, quæ opponit Poncius omitto, tum quia merè Theologica, tum quia si aliquid probant non nisi distinctionem realem strictè conuincunt, nullaque à Scotistis proponitur difficultas, quæ in ipsos retorqueri non possit.

§. 14. Consultò omissi vulgare argumentum, quod obijci solet Scotistis, nempè: omne ens vel est reale, vel rationis, nec enim est vllum medium excogitabile: ergo omnis distinctio, vel est realis, vel rationis, ac proindè nulla est media *ex natura rei*, quod totum concedunt Scotistæ, accipiendo *ens reale* in tota sua latitudine, id est contra *ens rationis*, & hoc sensu: *Distinctio ex natura rei*, est realis, id est ante operationem intellectus, vt ex eorum doctrina explicui supra §. 3. Hinc tamen nihil contra Scotistas infertur: non enim negant, suam distinctionem esse realem, nisi sumendo distinctionem realem pro entitatiua, quâ duæ entitates realiter strictè distinguntur. Eo modo, quo Thomista negat, distinctionem modalem esse realem, non sumendo reale contra ens rationis, sed contra distinctionem rei, à re, seu entitatiuam. Sic & hi dicunt, distinctionem Meriduas formalitates non esse realem. Viderint nerum vbi supra.

THEOREMA II.

Natura vniuersalis solum ratione à singularibus distinguitur, præcipuum Scotistarum fundamentum diruitur.

§. 15. IAm verò inter naturas vniuersales, & particulares non nisi distinctionem rationis ratiocinatæ seu virtualis admittenda est, quæ realis sit, quoad fundamentum, virtutem, seu æquiualentiam; & formaliter ficta seu per operationem intellectus quoad actum diuisionis. Assertionem hanc latè probant argumenta omnia, quibus præcisiones obiectiuas defendi supra Dissertat. Tertia, ipsam recognosce. Equidem obiectum (nempè natura) ratione suę æquiualentis perfectionis, seu virtualis multipli-

plicitatis, quam ibi expendimus à §.3. verificare potest prædicata omnia, quæ verificat distinctio Scotica, ideò præcisè, quod fundamentaliter realis sit, id est rerum identificatarum realiter, quæ tamen, perfectione, seu virtute rebus æquiualeat realiter distinctis, qua commodissimè explicantur plurima, quæ contradictionem videntur inuoluere. Compertum autem habeo (& hoc vellem notari valdè) Distinctionem virtualem optimè saluare omnia contradictoria, quæ Scotus sua distinctione media saluat, ea verò; quæ distinctione virtuali nequeunt saluari, nec Scotica saluari posse, vt supra vidimus ex impugnationibus Poncij, constabitque ex argumentorum solutione, quæ horum altera, & efficax erit probatio.

§. 16. Obijciunt primò: (& est argumentum quo sibi videntur triumphare Scotistę) prędicata realiter contradictoria non possunt verificari de eàdem entitate ex natura rei vna, & indiuisa; sed de animalitate v. g. & rationalitate prædicantur contradictoria realiter opposita: ergo animalitas, & rationalitas non sunt vna entitas ex natura rei, sed duæ formalitates ante operationem intellectus distinctæ, & diuisæ, quando quidem admittunt prædicata ante operationem intellectus opposita. Minor, & consequentia liquent, nam oppositio est distinctio: quando quidem oppositio, & distinctio se habent sicut inferius, & superius: igitur eo ipso, quod duæ formalitates illæ identificentur cum contradictorijs ex natura rei oppositis, ipsæ erunt ex natura rei distinctæ. Sic Merinerus. Minor etiam patet: quia animalitas hominis habet conuenientiam aliquam cum animalitate bruti, & rationalitas non habet conuenientiam cum illa. Item animalitas est principium actuum potentiarum sensitiuarum, non verò rationalitas. Item animalitas potest esse in aliquo (scilicet in equo) in quo non potest esse rationalitas: tandem potest prædicari de multis specie differentibus; non verò rationalitas: ergo de eisdem prædicantur contradictoria. Ita Poncius.

§. 17. Hoc argumento ita gloriatur Merinerus, vt dicat, illo malè torqueri aduersarios, quare omittere se dicit Solutionem D. Thomę 1.par. quæst.39. artic.1. ad 2. docentis, sufficere distinctionem rationis inter essentiam Diuinam, & Relationes (idem dic de animali, & rationali) ad hoc, vt de illis verificentur contradictoria supradicta: *Nam hæc* (inquit ille) *ipsis Thomistis consentientibus non satisfacit*. Verum vt ab hoc incipiam, Merinerus apertè fallitur: nullus enim vnquam Thomista, fassus est, eam D. Thomæ solutionem insufficientem esse; nec Merinerus vnum assignabit. Fortasse Thomistas vocat Iesuitas aliquos, qui eiusmodi virtualem distinctionem expungere conati sunt, & in hoc etiam lapsus est, nam illi non Thomistæ sunt, sed purissimi Nominalistæ, & à Thomistica schola prorsus alieni.

§. 18. Respondeo igitur, hoc argumentum nihil probare nisi distinctionem realem strictè seu physicam; siquidem contradictoria illa, nempè *esse realiter simile; & non esse realiter simile* in creatis: & in Diuinis *realiter produci*; & *realiter non produci* non solum ex natura rei; sed realiter physicè opponuntur, vt supra expendi à §.9. & iam quidem antè me notauit optimè Capreolus in 1.distinct.8. quæst.4. ad 6. Deindè maior est falsa, quando quidem omnis distinctio eo modo, quo est distinctio, siuè rei, siuè rationis admittit contradictoria, pertinentia saltem ad ipsam distinctionem, vt ex Sonzinate probaui supra Dissertat. tertia. Theorem.5. §.39. Rursus gratis admissa maiore, minor est falsa, & ideò neganda: huius probationes omninò fribolæ sunt, vt iam ostendo: nam vt optimè notant Nominales: similitudo, & dissimilitudo (idem dic de conuenientia, & disconuenientia) non opponuntur contradictoriè; si neutra sit totalis: quare solum repugnat, quòd aliquid sit summè, & totaliter simile alteri; idemque summè, & totaliter dissimile ipsi. Ratio est quia (& priùs docuerat D. Thomas 1.par. quæst.42. artic.1.ad 2.) Similitudo admittit magis, & minùs, nec consistit in indiuisibili, vt æqualitas, quæ ex suo conceptu dicit conformitatem in quantitate, & negationem exessus. Similitudo verò eo ipso, quod non sit summa, totalis, & adæquata, secum habet admixtam aliquam dissimilitudinem in gradu remisso eo modo, quo calor remissus, vt duo, habet admixtum frigus, vt tria, vel quatuor, &c. Vndè non valet hæc argumentatio: calor & frigus opponuntur: ergo idem non potest esse calidum & frigidum simul. Non valet inquam quia id potest esse tepidum, ac proindè calidum simul, & frigidum in gradu remisso. Vt verò in summo gradu talia opposita erunt, repugnabit, calidum summè, esse aliqualiter frigidum. Sic & summa obscuritas opponitur contradictoriè cum aliqua claritate, non verò aliqualis obscuritas, cum aliquali claritate. Similiter ergo similitudo non opponitur contradictoriè omni dissimilitudini, sed tantum totali. Vndè quando affirmamus, Petrum esse similem Equo, non affirmamus omnimodam similitudinem, sed solum partialem, & genericam: quando autem postea affirmamus de eisdem dissimilitudinem, non negatur similitudo prius affirmata, sed alia, nempè specificica, & maior. Et vt vno verbo dicam (inquit benè Arriaga) idem est dicere *Petrum & Equum esse similes, & dissimiles, ac dicere eos esse similes, non tamen omninò*. Esse autem similes non opponitur cum hoc, quod est non esse similes omninò: ergo similitudo, & dissimilitudo non opponuntur inter se, si neutra sit totalis.

§. 19. Miror Poncium non impugnasse, nec vel memorasse hanc solutionem, cum tamen ipse num.62. dicat, se dum hanc quæstionem scriberet, in Arriagæ Cursum incidisse, apud quem vidisse (ait) solutiones conformes doctrinę Nominalium, illas tamen non satisfacere fundamentis Scoti, prout à se propositis. At (ni fallor) hæc Nominalium solutio Scoti argumentum adhuc, vt à Poncio propositum validè eneruat, prorsusque destruit, Vt considetranti

tanti patebit: nec enim Poncius aliquid communi Scotistarum modo arguendi addidit, aut ademit, solum mutauit nomen *Similitudinis* in *conuenientiam* inquiens. Animal dicit conuenientiam cum equo, & rationalitas non dicit conuenientiam. At Nominales etiam mutabunt vocabulum, dicentque, non omnem conuenientiam opponi disconuenientiæ, sed tantum ea, quæ summa, & totalis fuerit. Hanc Nominalium solutionem efficacem, duco, & approbo, quia non solum diluit contradictoria Scotistarum, probare conantium distinctionem ex natura rei, sed etiam quia simul destruit Nominalium contradictoria, quibus impugnant præcisiones obiectiuas: dicunt enim repugnare, idem animal esse cognitum, & non esse cognitum: quibus suamet doctrina ocurrebam dicens, non omne *cognitum* opponi *non cognito*, sed tantum quod totaliter, & summè, vel adæquatè cognitum est. Vt supra Dissertat. tertia, Theorema 2. ad 18. docui, quæ doctrina potius, quam Nominalium, est communis Thomistarum responsio pro sua distinctione virtuali, ideòque nunc iterum data, vtrosque Thomistarum hostes, nempè Scotistas, & Nominales ressellit.

§. 20. Venio ad reliqua contradictoria obiectionis. Et nego, Rationale ante operationem intellectus non esse principium actuum potentiarum sensitiuarum sicut ipsum animal: à parte rei enim nil nisi Petrus v. g. est principium videndi, odorandi, &c. siue rationale dicatur, siue animal, nam hæc prædicata ipsi opponuntur ex reduplicatione intellectus considerantis Petrum modò in ordine ad hos actus; modò ad illos, quin ante ipsius considerationem sit aliud Animal, & aliud Rationale. Similiter etiam nego, animal Petri posse esse in equo, hoc enim tam impossibile est, quam Petrum esse equum: animal autem quod est, vel potest esse in equo, est aliud realiter ab animali Petri distinctum, quod tamen, quia simile est in operationibus Petro, vtrique vnitatem fictam accommodat intellectus. Ast etiam si gratis demus, animal Petri posse realiter esse in equo, nihil probat adhuc Poncius pro sua distinctione formali ex natura rei. Nam si aliqua distinctio indè colligenda esset, maximè realis, & entitatiua, siquidem realis separatio arguit realem, & entitatiuam distinctionem: ergo si animal Petri posset esse in equo separatum à rationali; realiter distingueretur à rationali. Denique quod animal possit prædicari de pluribus speciebus, non verò rationale, contradictoria sunt rationis, & in diuerso modo cognoscendi fundata, quæ minimè arguunt distinctionem vllam ante operationem intellectus, quod ex se ita euidens, & facile est, vt nec responsione dignum sit, videat Merinerus, quam malè torqueat aduersarios Scotica ratio.

§. 21. Replicabis ex Poncio: ideò esse, & non esse, eidem indiuisibili entitati nequeunt conuenire, quia contradictoriè opponuntur: ergo si semel concedatur, contradictoria posse eidem conuenire, iam destruitur illud principium, scilicet, eandem rem non posse simul *esse*, & *non esse*: ergo ne destruatur, fatendum est, eandem rem non posse simul dicere conuenientiam, & disconuenientiam, esse similem, & non similem, &c.

§. 22. Respondeo, Scotistas frustrà niti contradictorijs, quæ nec ipsi saluare possunt sua distinctione formali: quæro enim ab ipsis, *an esse*, & *non esse* Verificari possint de formalitatibus etiam ex natura rei distinctis? Minimè quidem, nec animal potest esse, & rationale non esse, quamuis illis demus, animal distingui à rationali ex natura rei: Ergo sicut distinctio formalis ex natura rei nequit verificare ea contradictoria, nempè *esse*, & *non esse*, nec reliqua contradictoria poterit verificare: etsi potest, etiam destruet illud principium. Malè ergo nos impetebat Poncius cum eiusmodi principio, perindè, ac si ipse eandem difficultatem deuoraturus non esset. Dico autem directè ad argumentum, inter *esse simile*, & *non esse simile*, conuenire, & non conuenire, &c. & inter *esse*, & *non esse*, latum versari discrimen. Nam *esse* consistit in indiuisibili, quare non potest vllo modo componi cum *non esse*. Sicut æquale, quod cum inæquali componi non potest; eo quòd æqualitas (vt iam dixi) importat conformitatem indiuisibilem in quantitate duorum, quæ, quia æqualia, necessariò inuoluunt negationem excessus. Ita vt si vnum vel minimum exedat aliud, æquale non sit: at similitudo non dicit nisi conuenientiam duorum in aliquo, etiamsi mutuò se exedant. Quare autem hæc contradictoria *esse*, & *non esse*, componi non possint sola distinctione virtuali, & quænam contradictoria per illam componantur, latè explicui Dissertat. præcedente Theorema 5. per totum, & Theorem. 6. §. 59. quæ repetere non lubet, nec vacat.

THEOREMA III.

Cætera argumenta Scotistarum enodantur.

§. 23. Obijciunt secundò. Distinctio formalis est illa, quæ versatur inter formalites, quarum vna non includit aliam in sua ratione formali primo modo perseitatis, idest, in sua ratione quidditatiua: sed in eàdem re dantur sæpè sæpiùs plures formalitates, quarum vna à parte rei, (& seclusa intellectus operatione) actu non includitur in ratione quidditatiua alterius: ergo in eàdem dantur plures formalitates ex natura rei actualiter distinctæ. Maior est definitio distinctionis formalis, estque adeò manifesta, vt eam non possint respuere contrarij (inquit Merinerus). Minor probatur: tum exemplo Actionis, cuius formalitas, actù, & ex natura rei non est formalitas Passionis, cum tamen Actio, & Passio sint eadem res. Tum etiam formalitas Essentiæ Diuinæ, actu non est formalitas Relationis, quando quidem relatio non est de quidditate essentiæ: ergo.

§. 24. Respondeo: Maiorem esse falsam, vtpotè definitionem subiecti non supponentis

(v.g.)

(v.g.) vt si dicas. Hirco Ceruus est animal contractum per differentias Hirci simul, & Cerui; quæ definitio bona esset, si alioqui non repugnaret Hirco Ceruus. Verùm gratis maiore admissa, minorem nego, & probationis assumptum; equidem Actio à Passione distinguitur ratione solum ratiocinata, seu virtualiter, nec ad hoc, vt formalitas vnius, non sit formalitas alterius, petitur vlla distinctio præcedens operationem intellectus, vt ex Aristotele ostendam agens de prædicamento actionis. Idem dic de Relatione Diuina & essentia, quarum virtualis distinctio Theologicam discussionem exposcit, qua nunc supersedeo. Vide interim M. Godoyum.

§. 25. Obijciunt tertiò. Inter illa datur distinctio antè opus intellectus, inter quæ datur compositio; sed inter genus, & differentiam nempe animal, & rationale datur compositio, quæ dicitur Metaphysica: ergo datur distinctio ante opus intellectus. Respondeo à parte rei, & ante opus intellectus non dari vllam compositionem nisi ex materia, & forma, vndè compositio Metaphysica solum est per intellectum concipientem eandem entitatem diuerso modo supra millies explicato. Concessa ergo maiore; minorem nega.

§. 26. Obijcies quartò. Illa distinguuntur antè operationem intellectus, quæ diuersa definitione definiuntur; animal, & rationale diuersa definitione definiuntur: ergo distinguuntur. Maiorem distinguo. Illa distinguuntur ante operationem intellectus; quæ diuersa definitione definiuntur; diuersa definitione Physica; concedo maiorem: diuersa definitione Metaphysica; subdistinguo diuersa definitione Metaphysica sumpta à diuersa forma definitionis Physicæ concedo, ab eadem nego. Ratio distinctionis est. Quia definitio est oratio exprimens compositionem alicuius essentiæ, vel speciei; siue per genus, & differentiam, si definitio sit Metaphysica, siue per materiam, & formam si Physica sit. Hoc tamen discrimen est inter definitionem Physicam, & Metaphysicam, quod Physica cum exprimat realem compositionem, & vnitatem rei, quoties ipsa diuersa fuerit, diuersitatem realem significat rei definitæ, quod est euidens, eo ipso quòd in alia definitione exprimatur alia materia, vel forma realis. V. g. hæc: *Homo est substantia constans ex corpore, & anima rationali*, est diuersa ab hac *Leo est substantia constans ex corpore, & anima rugibili*. Quæ distinctio, & diuersitas definitionum exprimit realem distinctionem inter naturam humanam, & Leoninam. Metaphysica verò definitio, quæ per genus, & differentiam explicat vnitatem, & essentiam rei, non semper exprimit rem esse distinctam, eo præcisè quòd ipsa distincta sit, quia potest esse distincta, ex eo quòd sumat diuersas differentias ab actibus, seu operationibus diuersis eiusdem naturæ: vt ab eàdem *anima rationali* sumi possunt *viuens* à motu, *sensibile* à sensatione, *rationale* ab actu ratiocinandi, *risibile* à ridendo, &c. quos actus idem animal præstat. At verò si differentiam sumat ab alia forma, diuersaque ab ea, quæ in definitione Physica posita fuerit, certò certiùs est, alietatem definitionis Metaphysicæ arguere distinctionem rerum definitarum. *Animal* enim *rationale* distinctam realiter essentiam significat, ab ea, quam significat *animal rugibile*. Vndè etiamsi animal, viuens, sensibile, rationale, cæterique gradus diuersis descriptionibus explicentur, hæc diuersitas nullam arguit in eis distinctionem realem, quæ intellectum præcedat: quia intellectus eamdem rem diuersimodè considerauit, præbente occasionem diuersitate operationum, & effectuum ab eàdem entitate; & forma prouenientium. Vno verbo: non semper differentiæ definitionum Metaphysicarum sequuntur diuersitatem formæ: Quia plerumque sunt conceptus inadæquati exprimentes diuersos gradus perfectionis eiusdem, & indiuisibilis formæ, & essentiæ.

§. 27. Obijciunt quintò; & potest esse impugnatio præcedentis doctrinæ. Impossibile est, ea, quæ differunt essentialiter, non distingui realiter, sed quæ definitione differunt, essentialiter differunt: ergo & realiter. Maior est per se nota, minor probatur, quia quæ definitione differunt, habent vel distinctum genus, vel distinctam differentiam, vel vtrumque: nil enim est essentiale homini præter genus, & differentiam, ac proindè impossibile est, quòd habens genus, & differentiam essentialem ab alio distincta, non distinguatur essentialiter ab illo. Consequentia est legitima.

§. 28. Respondeo argumentum abuti voce illa *essentialiter*. Nam stante reali identitate duorum conceptuum, potest vnus esse extra alium per intellectum eo modo, quo de genere, & differentia explicui supra cum D. Tho. Dissertat. præcedente. Theorem. 1. §. 8. & hoc sensu concedi potest, genus esse essentialiter distinctum à differentia, id est extra essentiam illius in modo cognoscendi. At verò si sumatur ly *essentialiter* pro modo essendi, falsum est, quod omne, quod definitione, vel essentialiter ab alio differt, differat etiam realiter, nisi definitione differat Physica, vel Metaphysica sumpta à diuersa forma definitionis Physicæ, vt supra explicabam.

§. 29. Obijciunt sextò. Etiam à parte rei animal, vt animal non est rationale: ergo à parte rei animal distinguitur à rationali. Respondeo, falli qui putat, ante omnem operationem intellectus dari à parte rei *animal*, aut *rationale*, aut *hinnibile*, aut hominem, vel equum prout his nominibus importantur, hæc eorum, & alia nomina imponuntur ad exprimendas præcisiones intellectus, qui reduplicatione sua diuersos gradus in eadem entitate discernit. Nil quidem est in rebus nisi Petrus, Ioannes, Titus, Bucephalus, Cyllarus, &c.

DISSERTATIO V.

Quam vnitatem habeant naturæ vniuersales à parte rei? quam vè communitatem?

§. 1. CVm vniuersale sit *Natura vna in multis*, explicata distinctione, qua huiusmodi

natura à suis singularibus distinguitur, restat nunc speculari vnitatem, quam in ipsis habet, & communitatem, qua multis dispensatur à parte rei: etenim cum intellectus non attribuat vnitatem vniuersalitatis naturis realibus, nisi cum aliquo fundamento, certum est in natura reali præcedere aliquid vnitatis, & conuenientiæ saltem fundamentalis, qua inspecta intellectus molitur suas vniuersalitates generis, speciei, &c. hoc fundamentum vnitatis nunc exquirimus.

THEOREMA I.

Doctrina communis Thomistarum proponitur de vnitate, & diuisione, &c.

§. 2. VNum ex Aristotele 5. Metaphysicæ: est *ens indiuisū in se, & diuisum à quolibet alio.* hæc descriptio est vnius in concreto: quare vnitas in abstracto erit *indiuisio in se, & diuisio ab alio*, proindeque quot fuerint indiuisiones, tot erunt vnitates. Parum refert nunc examinare, an vnum addat rem positiuam supra ens, an solam negationem, & carentiam diuisionis? cuius plena excussio ad Metaphysicam spectat, sufficit enim pro nostro instituto de vno disputare pro vt innotescit, explicaturque per carentiam diuisionis, siue addat aliquid amplius, siue non. Diuisio autem secundum Caietanum (tract. de ente, & essentia cap. 4. quæst. 6. cuius doctrinam vt omninò certam, & subtilem tota hac dissertatione sectabimur) est duplex: alia materialis, formalis alia; Diuisio materialis est, quæ causatur per principia materialia, id est per differentias indiuiduales, & singularizantes, quæ materiales dicuntur, eo quod materiam consequuntur, vt radicem indiuiduationis. Et hac diuidi dicuntur Socrates, & Plato, qui licet ambo sint eiusdem naturæ humanæ, habent tamen duas humanitates indiuidualiter, seu materialiter diuisas. Formalis diuisio est ea, quæ fit per principia formalia, & essentialia, qua diuiduntur hic leo, & hic homo: Nam hi, præter quam quod habeant duas entitates diuisas vt Socrates, & Plato, etiam diuiduntur penès formas, naturas, & essentias; diuersa, enim natura est Leonina ab humana, quam diuisionem, seu diuersatem non videmus inter Socratem, & Platonem, qui cum sint homines, non sunt ita diuisi, vt leo, & homo. Hæc similiter dicenda sunt de vnitate, quæ etiam in formalem, & numericam bipartitur. Formalis vnitas erit carentia diuisionis formalis, seu indiuisio principiorum formalium, & essentialium: vnitas autem numerica, erit indiuisio principiorum materialium, seu carentia diuisionis materialis. Vnde nil aliud est dicere Socrates est vnus numero, nisi Socrates caret diuisione materiali, seu numerica: Homo est vnus formaliter, idest: Homo caret diuisione formali. Harum autem vnitatum materialis, seu numerica est maxima vnitas, quia nullam admittit diuisionem essentialem: eo modo, quo ille calor est maximus, qui nihil frigiditatis admittit; quo enim plus frigiditatis admisserit calor, eo minor erit. Ita vnitas formalis, quę causatur per principia formalia; si ita fuerint, magis, ac magis communia, vt admittant diuisionem per alias differentias essentiales, minor erit. Incipe à maxima vnitate scilicet numerica, qua Plato v. g. est maxime vnus, quia ita est indiuisus numericè, & indiuidualiter, vt non diuidatur in alia indiuidua. Deinde *Homo* erit vnus, quatenus non diuiditur in duas species, diuiditur tamen in Socratem, & Platonem. Deinde *Animal* est vnum formaliter, quatenus non diuiditur per sensibile, & insensibile, non tamen habet vnitatem simpliciter, & perfectam, quia admittit diuisionem per rationale, & irrationale: *Corpus* insuper erit minus vnum formaliter: vnum quidem, quia non diuiditur in extensum, & inextensum, at vero minori gaudebit vnitate; eo quod admittat maiorem diuisionem formalem, & per communiora principia, vt per animatum, & inanimatum, & sic de cæteris vsque ad ens, quod nullam vnitatem (nisi proportionalitatis) habet, deueniendum est. Ita etiam diuisio erit maior, quo fuerint magis communia ea principia formalia, per quæ causatur: inter Petrum enim, & albedinem erit maxima diuisio, quia fit per communissima principia formalia, nempe per substantiam, & accidens; minor profectò erit inter ipsum, & Angelum, minor si conferatur cum lapide, minor si cum planta, minor si cum Leone, & minima si cum Paulo, à quo iam non per principia formalia diuiditur, sed per materialia dumtaxat.

§. 3. Vnitatem hanc maximam, numericam scilicet, nemo negauit à parte rei esse, equidem sensu percipimus Petrum non esse Paulum: at de formali pauci subdubitarunt. Sed ne in facillimis hæreamus. Certum est, Petrum à parte rei non modò numericè, & indiuidualiter esse diuisum à Paulo, sed etiam essentialiter à Leone: igitur à parte rei non solum habet vnitatem numericam, qua non sit Paulus, sed etiam formalem, quà non sit Leo: quod adeò manifestum censuit Caietanus, vt dicat, nullum sanæ mentis id negare posse. Ratio præsto est. Vnitas formalis nil est aliud, quam carentia diuisionis per principia formalia; sed Petrus à parte rei habet carentiam diuisionis non solum per principia materialia, sed etiam per formalia; sicut enim repugnat Petrum diuidi in plura indiuidua, ita repugnat etiam, ipsum in plures naturas specificas diuidi: ergo Petrus non solum habet à parte rei vnitatem numeralem, & indiuidualem, sed etiam formalem.

§. 4. Insuper certum est, hanc vnitatem formalem physicè, & realiter esse identificatam cum vnitate numerica. Ratio: quia nihil est in rebus, quod singularizatum non existat. At vero quia eadem realiter vnitas duos præstat effectus formales, videlicet facere Petrum similem Paulo, & etiam facere ipsum dissimilem Bucephalo, intellectus distinguit in eadem reali vnitate duas formalitates, aut perfectiones ratione ratiocinata discretas, quibus dispares effectus attribuit: Vnde vnitas formalis, quæ gradum supe-

superiorem sequitur, non distinguitur à numerica, quę sequitur inferiorem distinctione illa Scotica *ex natura rei*, quam de huiusmodi gradibus explossimus Dissertatione præcedenti: equidem nulla est inter eiusmodi vnitates admittenda distinctio, nisi virtualis, quæ cum reali identitate cohæret optimè, adeò vt ratione huius realis identitatis quot fuerint vnitates numericæ, tot erunt, & formales; nam repugnat ex duobus realiter identificatis vnum multiplicari realiter, altero in multiplicato. Ac proinde cum Paulus, Antonius, Titus, &c. habeant distinctas, & plures vnitates numericas, & materiales, tot & formales habeant, necesse est. Hęc de vnitatibus.

§. 5. Communitas autem seù plurium vnitas secundum Caietanum (loco prædicto) duplex est: altera, qua natura dicitur, communis *positiuè*, & altera qua est communis *negatiuè*. Illa est natura communis positiuè, quæ indiuisa manens inuenitur in pluribus realiter, & suppositaliter distinctis: illa vero est communis negatiuè, quæ nulli supposito est propria. Rem satis indicat ipsum nominis ætymon, naturam enim positiuè esse multis vnam, seu communem dicitur à ponendo: eo quod manens indiuisa, posita sit actu in multis. E contrà verò solùm esse negatiuè communem, est eius modi naturam actu in illis non esse positam; immò illis esse negatam, adeò vt solùm dicatur, illam esse vnam ex mera negatione eorum, quæ ipsam multiplicabant. Quod enim negat pluritatem; vnitatem præsefert. Exemplum primæ vnitatis in rebus nullum est, nisi essentia Diuina, quæ vna manens, & indiuisa numero, in tribus existit personis realiter distinctis: at verò per intellectum omnia vniuersalia Logicalia, eiusmodi gaudent vnitate; natura enim specifica v. g. hominis vt sic, manens eadem, & formaliter indiuisa in intellectu consideratur ab ipso in multis, & cum multis indiuiduis identificata. Exemplum secundæ vnitatis habes in materia prima, quæ cum omnem sibi vnitatem, & pluralitatem habeat à forma; nihilominùs si ab ipsa omnes formas remoueas per considerationem, ipsa remanebit vna, non quidem positiua, & actuali vnitate; hanc enim habet à forma, quam supponimus tunc non habituram; Sed sola vnitate negatiua, id est ex mera absentia actus plurificantis. Per intellectum autem haud secus natura à suis singularibus abstracta hac vnitate negatiua gaudebit, de qua inferius.

§. 6. Tandem natura huiusmodi, quæ vniuersalis euadit, in triplici statu considerari debet: Primò secundum quod in rebus existit singularizata, & indiuidua, vt Petrus: quem dicimus statum contractionis, & existentiæ. Alter status est huic oppositus, scilicet status abstractionis, in quo eiusmodi natura consideratur vniuersalis, communis, & indifferens per intellectum. Tertius est medius, in quo scilicet natura attenditur secundum sua prædicata quidditatiua, & essentialia tantùm; vt cum hominis nihil concipitur nisi animal rationale: qui dicitur status *naturæ secundum se*. Et pro his tribus statibus disputant Doctores, an natura habeat aliquam vnitatem formalem, sit ne hæc positiuè communis, an negatiuè? Nam de numerica, & indiuiduali Fide Catholica sanctum est, non nisi in Diuino Triados Mysterio positiuè communem reperiri à parte rei. Hæc pro tyronibus.

THEOREMA II.

Habeat ne vlla natura vnitatem formalem multis positiuè communem à parte rei?

§. 7. Scotum affirmatiuam partem docuisse non pauci Authores (falso tamen) asseruerunt: in quos inuehitur conterraneus noster Hyeronimus Valera Scotista, ingenio, atque doctrina, nulli Europæorum secundus lib. 4. Logicæ dist. 2. de vniuersalibus art. 4. quæst. 6. vbi ostendit ex eiusdem Scoti verbis, & mente (clarè quidem meo iudicio) ipsum ab ea sententia longè abfuisse. Idem testantur ex eadem schola Ioannes Montorius, Franciscus de Marchia, apud eumdem valeram. Rada 1. parte controu. 3. Rodriguezius quæst. 1. vniuersalium art. 1. Poncius disp. 3. conclus. 3. Merinerus quæst. 4. disp. 3. sect. 2. vbi se satis dolere dicit, quod suo Scoto adscribatur sententia de vnitate realiter, & positiuè communi; cum potius eam ille ex professo refellat, & impugnet. Sequuntur moderni ferè omnes, qui suum Doctorem ab hac vindicant calumnia. Ast ego ferre non possum, vt horum non nulli Thomistas increpent, eos id suo Scoto imposuisse dicentes. Sanè id non Thomistæ, sed sui Scotistæ prius commenti sunt. Nam libidine contradicendi Thomistis, hanc sententiam negantibus, plerique Scotistæ eam libenter amplexi sunt, vt fatetur ipsemet Valera: Vnde impositura hæc Scotistarum est, qui ex mente sui Doctoris talem vnitatem deduci vendicabant; Thomistæ autem Discipulis, & testibus domesticis (vt par erat) fidem adhibuerunt: Quæ igitur Thomistarum culpa?

§. 8. Communis, & vera sententia negat Naturam à parte rei vllam habere vnitatem formalem multis positiuè communem. Ita D. Tho. cum tota schola. Adhærent etiam nominales, qui nullam vnitatem simpliciter talem agnoscunt adhuc per intellectum. Probatur. Nulla natura manens in se indiuisa, multiplicatur realiter in singularibus: ergo nulla natura à parte rei habet vnitatem positiuè formalem. Consequentia est bona. Probatur antecedens. Implicat contradictionem, identificari realiter duo, & eorum vnum multiplicari, alio (quod est ipsum) non diuiso, nec multiplicato; sed natura humana v. g. à parte rei identificatur cum suis singularibus: ergo impossibile est, quòd maneat vna, & indiuisa in illis, ac proindè tot erunt à parte rei vnitates formales, quot fuerint singularia, cum quibus identificatur: ita vt Petrus, & Paulus non solum habeant à parte rei duas singularitates, nempè Petreitatem, & Pauleitatem; sed etiam duas humanitates, duas animalitates, duas corporeitates, &c. multiplicatis videlicet vnitatibus, & gradibus formalibus,

libus, ad multiplicationem, & diuisionem vnitatum indiuidualium. Maior huius syllogismi constat ex eo quod multiplicari, & non multiplicari sunt prædicata realia, realiter contradictoria, quæ de eadem reali entitate verificari non possunt. Minor est per se nota, quia nihil existit in rebus nisi singularizatum, seu cum singularitate identificatum: consequentia est optima.

§. 9. Hoc est principale fundamentum huius sententiæ assertorum, cui non solum nituntur Thomistæ omnes, sed etiam Scotici vt Franciscus de Marchia Valera vbi supra, Merinerus capit. de vniuers. d. disp. 2. quæst. 1. num. 6. Poncius disp. 3. nu. 25. 26. Ex Iesuitis Doctor Suarez disp. 6. Metaph. sect. 2. num. 41. Hurtadus Metaph. disput. 5. sect. 2. §. 18. Arriaga disput. 4. Logicæ sect. 2. num. 8. Ouiedus controuers. 3. logicæ puncto 2. num. 11. Comptonus disp. 27. log. sect. 2. num. 7. & disp. 28. num. 4. & alij in numeri. Ast prædicta ratio, quæ tot viris grauibus, doctisque efficax, & neruosa visa est, ab aduersatijs facillimè eluditur, inter quos Zacharias Pasqualigus Metaph. tomo 2. disp. 45. sect. 2. nu. 6. ingeniosè satis diluit prædictum, aliaque argumenta, astruens vnitatem formalem realiter, & positiuè multis communem, & consequenter (quod plus est) vniuersale Physicum à parte rei existere docet, probatque (non quidem insipidè) disp. 18. sect. 2.

§. 10. Respondent igitur negando antecedens, & probationis data maiore: minorem distinguunt: Natura humana, v. g. identificatur cum singularitate Petri, seu Petreitate adæquatè, negant: inadæquatè, concedunt. Dicuntque, Naturam humanam adæquatè identificari cum omnibus indiuiduis existentibus, & possibilibus; at vero non nisi inadæquatè identificari cum Petreitate, vel Pauleitate, quæ sunt actus inadæquati, quippe qui non complent, nec exhauriunt totam potentiam Naturæ, quæ ex se est identificabilis cum omnibus suis indiuiduis. Ecce vnitas communis positiuè: vna videlicet essentia, quæ adæquatè identificatur cum omnibus indiuiduis, quamuis inadæquatè reperiatur in vnoquoque eorum, idest secundum actum partialem suæ identificabilitatis. Deinde consequentiam distinguunt: Ergo Natura multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum: *materialiter*, seu *indiuidualiter*, concedunt, *formaliter*, vel *essentialiter*, negant. Et si rursus inferas: ergo natura non remanet indiuisa formaliter, seu non remanet vnitas formalis, negant consequentiam: Quia multiplicatio, & diuisio materialis non destruit vnitatem formalem: nam vnitas formalis rectè cohæret cum diuisione materiali, & numerica, & non opponitur nisi diuisioni formali, sicut vnitas numerica, & materialis non opponitur nisi diuisioni materiali: sanè sola vnitas numerica, quæ omnium maxima est, omnem diuisionem excludit, nec cum vlla multiplicitate compatitur: ast vnitas formalis, quæ minor est, & laxa quædam vnitas totius essentiæ, bene compatitur cum diuisione materiali, & numerica suorum indiuiduorum. Et sicut visus tollitur per solam cæcitatem, non verò per surditatem, quia licet surditas sit priuatio, & carentia, non tamen est carentia visus, sed auditus: ita diuisio materialis non est carentia vnitatis formalis, sed vnitatis sui generis duntaxat, nempè materialis, ac proinde non tollit vnitatem alterius generis, nempe formalem, & essentialem, quæ non nisi per carentiam sui generis (quæ diuisio similiter formalis est, & essentialis) tolli potest. Ratio à priori est: Quia indiuiduatio, seu differentia materialis non est de essentia naturæ, immo est extra eius essentiam: ergo non potest ipsam essentialiter diuidere: Proindeque Petreitas, & Pauleitas diuidere poterunt duo indiuidua eiusdem essentiæ, & Petrum, & Paulum: at non poterunt facere, vt illi sint duæ diuersæ essentiæ, vt Bucephalus, & hic Leo, vt ex se patet. Hæc est tota Scotistarum nobis aduersantium doctrina, ex qua facile (vt dixi) contraria argumenta euertunt, seu eneruant.

§. 11. Occurres ex doctrina communi primo. Quia conuenientia formalis inter Petrum, & Paulum non est communitas positiua naturæ, sed mera conformitas, seu similitudo eorum in vnitatibus, & in diuisionibus formalibus eorum, eo quod sicut Petrus habet suam vnitatem formalem, ita & Paulus suam realiter distinctā; quod est, eos esse vnum pluribus indiuisionibus, & vnitatibus: at verò ad communitatem positiuam petitur quod tam natura humana, quam vnitas eius sit in multis omninò indiuisa, scilicet vnica in diuisione, & vnitate; Ergo Petrus, & Paulus nullam habent eiusmodi communitatem positiuè. Nil probatur hoc entymemate: Item enim sua distinctione concedunt naturas, essentias, quidditates (& si quæ alia sunt in Petro, & Paulo esse materialiter, & numericè distinctas, non verò formaliter, vt leo, & homo.

§. 12. Sed contra insurgit Valera, & est argumentum Francisci de Macchea, quod vocat efficax, & quo etiam vtitur Poncius cum modernis Scotistis. Nullum diuisum actu remanet vnum post factam diuisionem illa eadem *vnitate*, secundum quam diuisum est; omnis enim diuisio tollit vnitatem aliquam à diuisis: sed natura specifica hominis est diuisa in indiuiduis: ergo non remanet vna specificè, vel formaliter in illis. Inintelligibile est (addit Poncius) quod aliquid diuidatur, & multiplicetur per aduentū alterius, si maneat eodem modo vnum, quo ante aduentum eius erat vnum. Ast eodem glossemate diluunt huius syllogismi minorem, & negant consequentiam. Ad Poncium dicent, facillimū esse intellectu, quod natura vna formaliter secundum esse essentiale remaneat vna; tametsi diuidatur numericè: eo modo quo Petrus est vnus in ratione totius compositi, tametsi eius corpus, & anima realiter distinguantur in esse partium inter se: eo quod pluralitas partium non pugnat cum vnitate compositi; vnde natura ante singularitates, & post singularitates formaliter, & secundum esse essentiale remanet vna, quia singularitates non immutant principia formalia, nec prædicata essentialia eiusdem.

§. 13. Quarè alij vt M. Parra disp. 3. dub. 3. n. 20. & 21. & Merinerus disp. 1. de Vniuers. qu. 3. sect. 2. num. 39. & 40. alia via occurrunt, dicunt enim, ad vnitatem multis positiuè communem requiri amplius, quod natura humana, v. g. nec numericè, & materialiter sit diuisa in Petro, & Paulo, sed eadem numero in illis. Sed id vt planè falsum negabunt aduersarij, & probè quidem. Tum quia hi non asserunt, dari à parte rei Vnitatem numericam positiuè communem (præter Diuinam) Quęstio enim est de sola formali. Tum etiam, quia ex negatione diuisionis in aliquo genere, necessario sequitur vnitas in eodem genere, quin aliquid aliud petatur amplius: ergo ad constituendā vnitatem formalem, vt talē non petitur negatio diuisionis materialis: id enim gratis dicunt, nec vnquā probabunt prędicti Authores. Tum denique quia animal, v. g. dum est vniuersale per intellectum, abstrahit que à rationali, & irrationali, est vnum positiuè in illis, & tamen non est vnum animal numero. Quis enim credat, naturam vnam numero prædicari posse de rebus specie diuersis, vt de homine, & equo? Hallusinantur ergo Authores hi putantes, non dari aliquam indiuisionem, quæ non sit entitatiua, cum considerare debuissent, quod sicut datur gradus entis diuersus ab entitatiuo, & indiuiduali, admittenda sit indiuisio, & vnitas eiusdem gradus, quæ non sit etiam entitatiua. Sed error hic (inquit Pasqualigus) indè oritur, quia omnes vnitates concipimus per speciem vnitatis entitatiuæ, cum non habeamus proprias. Constat igitur quomodo in pluribus indiuiduis detur vna forma. Nequè enim vt sit vna secundum esse essentiale requiritur vnitas in entitate, vt sæpè repetendum est, valdeque notandum.

§. 14. Occurres secundó: quia ex hac communitate reali, & positiua naturæ sequitur, in Creaturis dari Mysterium simile Trinitati: igitur admittenda non est. Negant antecedens. Quia in Trinitate Diuina natura manens eadem numero, reperitur in tribus Personis absque diuisione numerica essentiæ. At naturam humanam v. g. dicunt solùm esse vnam formaliter; non verò numero in suis indiuiduis; immò eam fatentur realiter, materialiter in multas essentias, & naturas esse diuisam ad diuisionem, & multiplicitatem indiuiduorum.

§. 15. Occurres tertiò non est maior distinctio, quam separatio vnius ab alio, ita vt vnum corrumpatur, alio non corrupto, sed natura vnius indiuidui corrumpitur, alia non corrupta: ergo non est vna per identitatem cum illa. Data maiore distinguunt minorem: natura vnius indiuidui corrumpitur secundum esse indiuiduale concedunt, secundum esse formale, & essentiale, negant: essentias enim dicunt esse incorruptibiles, ac ingenerabiles per se, tametsi corrumpantur per accidens, seù secundum aliquam indæquatam actualitatem ex his, quas in suis indiuiduis habent, vel habere possunt.

§. 16. Occurres quarto si natura humana haberet hanc vnitatem realiter multis positiuè communem, etiam id quod cum illa realiter identificatur, illam haberet; sed Petrus v. g. non habet talem communitatem: igitur nec sua natura illam habet. Maior indè probatur, quod omne prædicatum conueniens rationi superiori, necessariò conuenit etiam inferiori. Minor est euidens, consequentia bona. Negant maiorem: & ad probationem dicunt, hanc communitatem, non conuenire naturæ secundum quod respicit actum indæquatum vnius indiuidui, sed quatenùs omnia respicit extensiuè: quare cum in vno indiuiduorum non habeat suum actum essendi adæquatum, non dicitur communis, sed dum adæquatè reperitur in omnibus: illud autem axioma verum est de prædicatis, quæ ad intensiuam essentiæ perfectionem pertinent, non verò de his, quæ ad extensiuam spectant.

§. 17. Occurres tandem. Hinc sequi, Deum non posse creare vllum indiuiduum: nam creatio est productio rei ex nulla præexistente natura; sed eo ipso, quod natura vnius indiuidui esset eadem formaliter cum alia alterius, iam præexisteret natura illius indiuidui creandi: ergo non extraheret illud ex puro nihilo, sed ex præexistente natura. Eàdem ratione conuincitur, Deum non posse vllum indiuiduum anihilare, quia eiusdem natura æquè maneret, post anihilationem, ac antè. Respondent, creationem per se tendere ad ponendum illud esse indæquatū, & indiuiduale naturę: & ad hoc vt hoc dicatur creari satis esse, nihil huius esse inadæquati præcessisse. Sic proportionaliter de anihilatione dicūt.

THEOREMA III.

Neotericorum, alia argumenta, quibus improbatur vnitas positiua Naturæ examinantur.

§. 18. Ildephonsus de Penafiel acriter in huiusmodi vnitatem inuehitur Disp. 2. Logicæ qu. 11. sect. 2. sed (me Iudice) nihil obijcit, quod ex doctrina Scotica præcedenti Theoremate inculcata, solutum non maneat. Contra hanc aliquot rationes, quas ille prolixè (vt assolet) latèque prosequitur. Principio obijcit: Quod si daretur talis vnitas communitas, vel identitas, v. g. in gradu substantiæ, vel intellectiui respectu Dei, Angeli, & hominis, sequeretur Angelum, & hominem esse filios naturales Dei propijssimè, & rigorosissimè, quod est erroneū. Probat sequelam; Quia productioni Angeli cōueniret definitio generationis naturalis magis perfectè, & propriè quam productioni vnius hominis ab alio in sententia communi: esset equidem. *Productio viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*. Eccè definitio, cuius prima pars productioni Angeli, & hominis verè competit, nullus enim dubitat Hominem, & Angelum viuentes esse, atque à Deo viuente produci. Tota difficultas est in illa particula *à principio coniuncto*. Sed facilè probatur, eam conuenire etiam productioni Humanæ, & Angelicæ. Nam Deus videt perfectiori modo suam substantiam, & gradum intellectiuum in Angelo, & homine, & perfectiori modo communicat talem gradum Angelo, & homini: ergo Deus est princi-

pium coniunctum perfectiori modo respectu Angeli, & hominis, quam vnus homo respectu alterius. Probatur antecedens: Pater in humanis secundum sententiam communem communicat filio aliquid distinctum à se ipso realiter, nempè materiam seminalem, & sanguinem; sed Deus communicat Angelo, & homini id quod est ita in Deo, vt sit realiter idem cum ipso sine distinctione reali ab ipsa substantia Dei: ergo videt aliquid sui Deus in homine, & Angelo perfectiori modo, quam vnus homo producens alterum videt aliquid sui in producto.

§. 19. Dices primò, Deum non esse principium coniunctum respectu Angeli, quia non communicat ipsi totum quod habet, sed tantum aliquid sui. Sed contra: Quia Pater æternus est principium coniunctum respectu Verbi Diuini, & tamen non communicat ipsi totum, quod habet, cum non communicet Paternitatem.

Dices secundo: non sufficere quamlibet similitudinem: sed esse necessariam similitudinem in eàdem specie, ita, vt Filius, & Pater sint eiusdem speciei. Sed contra euidenter, tum quia Mulus est verè filius Equæ in omnium sententia, & tamen est diuersæ speciei ab equa: ergo non exigitur filium esse eiusdem speciei cum parente. Tum etiam quia Christus Dominus in quantum homo est filius naturalis Dei, & tamen in quantum homo non est eiusdem speciei cum Deo. Tum deniquè, quia ex conceptu communi generationis vt sic, & in quantum abstrahit à creata, & increata non petitur similitudo specifica, sed solum similitudo ex vi processionis, & productionis, quod patet in generatione Verbi Diuini, quod cum sit proprijssimè filius non gaudet similitudine specifica cum Patre, sed identitate numerica naturæ: similitudo autem specifica requirit diuersitatem indiuiduorum participantium eandem naturam specificam cum pluralitate naturæ: ergo Pater, & Filius non gaudent similitudine specifica, ac proinde generatio Verbi non petit eiusmodi similitudinem, sed tantum similitudinem ex vi Processionis.

§. 20. Respondebunt Scotistæ, Peñafielem non benè callere doctrinam Scotisticam, ideoque ipsos longissimò impetere argumento. In primis enim hi intelligunt per verba descriptionis generationis id, quod sonant, nempè genitum debere esse simile in natura generantis, & non excludunt per hanc particulam Spiritum Sanctum, quem ex vi Processionis fatentur esse similem in natura Patri, & Filio non minùs, quam Filius est similis Patri: sed excludunt ipsũ per aliam subintellectam in descriptione, nempè per ly *naturalis*, quæ debet adiungi: nam sensus definitionis est, quod generatio sit productio naturalis, seu naturaliter, & non liberè facta; hoc autem non competit Spiritui Sancto secundum Scotistas, quem liberè productum libertate essentiali ipsimet mordicus deffendunt. Ita Poncius nobilis Scotista disput. 52. num. 34. Dicent igitur hominem, & Angelum liberè à Deo produci, ac proinde non generari ab ipso: Equidem omnis generatio vel est creata, vel Diuina? si creata sit, fieri debet per actum connaturalem, & debitum potentiæ generatiuæ creatæ, nimirum per communicationem materiæ seminalis, & sanguinis. Si Diuina per operationem intellectus connaturaliter producentis terminum ad intra. Neutram probat Peñafiel nec probabit contra Scotistas.

§. 21. Deinde instantiæ friuolæ sunt. Prima: Quia adhuc in sententia communi nullus admittet, ex vnitate gradus remotissimi, seu identitate in genere tam distanti, nempè in esse substantiæ, vel intellectiui communissimi, quod abstrahit à creato, & increato, sequi Deum, & hominem habere eam similitudinem, quæ ad generationis descriptionem exigitur: Nam si generatio Diuina sit: petit identitatem numericam termini cum principio. Si creata; exiget similitudinem in gradu specifico, vt in generatione hominis. Vel saltem in gradu immediatè proximo ad differentiam infimam, vt in generatione Muli. Respondebunt igitur non id, quod sibi respondendum existimat Peñafiel: videlicet, productionem Angeli non esse generationem, quia Deus non communicat ipsi totum, quod habet: non inquam id respondebunt, sed dicent, Angelum non esse filium Dei naturalem; quia Angelus non euadit similis Deo in gradu immediatissimo, vel immediato saltem ad differentiam numericam, quod quidem est verum, etiam gratis admisso, quod Scotistæ modo negarunt, nempè eam productionem fore naturalem. Secunda instantia ex dictis proxime euanescit. Namque Mulus est propriè filius Asini, quia ex vi, & intentione processionis euadit similis saltem in gradu generis immediatissimi, & proximi, quæ docet D. Thomas qu. 3. de veritate artic. 8. ad 4. Tertia instantia etiam languet. Quia tametsi Christus Dominus non sit filius Dei naturalis ex eo quod euadat similis Patri in natura humana tamen alioqui ratione suppositi Diuini procedit similis illi in identitate numerica naturæ; vnde illa reduplicatio *in quantum homo* non denotat humanitatem esse rationem generationis, nec similitudinis, sed quod suppositum Diuinum adhuc prout subsistit in altera natura gaudet filiatione æterna. Vltima instantia nullius est roboris. Nam gratis admisso, non requiri ad generationem similitudinem specificam, sed solum similitudinem *ex vi processionis*: à Peñafiele quomodo, aut quando probabitur Angelum produci à Deo similem ipsi ex *vi processionis*? Sanè in sua ipsius sententia Spiritus Sanctus procedit à Deo maiori, & connaturaliori similitudine, quam Angelus; & tamen non fatebitur, Spiritum Sanctum procedere similem suo principio ex vi processionis. Vbi nam igitur est ista similitudo Angeli ex *vi processionis*? supponit ergo id quod potissimè probandum erat ipsi. Adde quod hic homo oblitus est, se pugnare cum Scotistis, apud quos similitudo *ex vi processionis* non constituit generationem, etiamsi specifica sit, vel numerica, vt supra diximus.

§. 22. Secundò obijcit. Quod si natura humana v. g. esset vna, & simplex in multis indiuiduis,

duis, daretur in creatis Mysterium ineffabile Trinitatis, quod est maximum absurdum, &c. sed hoc argumentum satis, superque solutum fuit Theoremate superiori §.14. Nec instantia Peñafielis quicquam vrget: videlicet, quòd illa natura humana non multiplicatur in plures humanas naturas similes sibi, quia quando communicatur illa natura humana, non fiunt ex illa plures homines communes, sed tantum plura indiuidua eiusdem naturæ communis: ergo non multiplicatur in plures omninò similes. Item illa natura non est vna specie, quia species realiter diuiditur in indiuiduis; Sed hæc natura non diuiditur realiter in indiuiduis, tum quia per Petreitatem non fit singularis. Tum etiam quia ipsa à se habet repugnantiam, vt diuidatur, tum tandem quia Petreitas illam non multiplicat, sed illam afficit, & determinat, nec propterea illa humanitas recipit in se ipsa distinctionem, quamuis cum diuersis hæcceitatibus efficiat plura composita: ergo. Discursus hic ita Peñafielem conuincit, vt illam dicat, se arbitrari esse Demonstrationem contra hanc sententiam. Sed prudens, æquusque Lector ridebit (arbitror) tam pulchras demonstrationes. Sanè Auctor hic verba repetit Hurtadi Metaphys. disput.5. sect.1. §.20. à quo demonstrationem, eiusque Crisim transcripsit. Et ne rebus fribolis plus hæreamus: minor vltimi syllogismi demonstratiui falsa est, eiusque probatio, etiam falsa, & impossibilis. Non enim docent Scotistæ hi, illam naturam humanam non diuidi realiter in indiuiduis, nec dicunt, illam naturam non reddi singularem inadæquatè per Petreitatem, nec docent, à se ipsa habere repugnantiam, vt diuidatur in multas naturas, & humanitates numerò distinctas. Nec negant, ipsam accipere diuisionem numeralem, & entitatiuam per affectionem Petreitatis, & Pauleitatis, tametsi per illas non accipiat diuisionem formalem in multas essentias dissimiles, & specie diuersas, vt Leo, & homo. Ex hoc autem, quod non diuidatur in plures humanitates etiam similiter communes, minimè colligitur similitudo Trinitatis, cum alioqui in eàdem humanitate concedatur diuisio realis naturarum realiter numericè distinctarum, & sola huius distinctionis consideratione euanescit, tam illustris demonstratio.

§. 23. Tertiò obijcit. Impossibile est, quod eadem realis entitas sit à parte rei creata, & à parte rei increata, Deus, & creatura; sed si substantia, vt sic esset vna, & eadem communis à parte rei; vna & eadem entitas realis substantiæ esset creatura realiter, & increata, seu Deus: ergo substantia vt sic, non est vna communis realiter Deo, & creaturis. Confirmatur: illud, quod est Deus, nullam habet potentialitatem, vt non sit Deus; Deus enim necessario est Deus; sed si substantia esset indifferens ad essendum, & non essendum Deus, & creatura, Deus esset indifferens ad essendum, & non essendum Deus: Ergo. Minor probatur: quia substantia est Deus; sed substantia est indifferens ad hoc, vt sit per identitatem creatura, quæ non est Deus: ergo Deus esset indifferens ad non essendum Deus.

§. 24. Hoc argumentum in primis non premit omnes aduersarios, quorum multi negant, omnem conceptum vniuocum Deo, & creaturis, vt Zacharias Pasqualigus, qui sibi opponens illud disput.18. sect.4. num.7. docet, in sua sententia negante vniuocationem Deo, & creaturis nullam habere difficultatem, nam *solùm habet efficaciam* (inquit) *contra sententiam Scoti ad tollendam vniuocationem: verùm supposita vniuocatione non militat ampliùs contra vniuersale à parte rei*. Vndè qui non concedunt gradum vniuocum Deo, & creaturis, sed analogum tantum, non tenebuntur fateri, talem vnitatem Dei, & creaturæ, tametsi eam in omnibus vniuocis fateantur. Adde etiam, Scotistas adhuc distinguere quattuor gradus vniuocationis, vt videre est apud Merinerum Logicæ disput. 2. quæst. 5. quorum vltimum, & imperfectissimum concedunt substantiæ respectu Dei, & creaturæ, vndè non satis constat, quamnam vniuocationem illarum admissurus sit Scotista in gradu substantiæ, adhoc, vt admittat naturam, & positiuè, & realiter communem Deo, & creaturis. Deindè adhuc admissa tali vnitate, respondebunt nullam difficultatem denuò afferri in substantia respectu Dei, & creaturæ, quæ non militet etiam in cæteris entibus: æquè enim impossibile est, eamdem substantiam esse lapidem, & Angelum, idem animal esse hominem, & Elephantem, eumdem hominem esse Christum, & Iudam: ac proindè eàdem responsione, qua ista soluunt, dicentes, id solum repugnare attenta vnitate materiali, & numerica, non verò ratione vnitatis formalis, & communis: dicent etiam, solum repugnare, quod eadem substantia numerò sit Deus, & creatura; at verò eamdem genere communissimo esse Deum, & creaturam, tam certum esse, quam Deum, & creaturam esse substantias. Vndè meritò dixit Pasqualigus, supposita vniuocatione Dei, & Creaturæ in ratione substantiæ, talem vnitatem minimè vrgeri hoc argumento.

§. 25. Confirmatio autem non est ad rem. Non enim hic agitur de conceptu substantiæ præcisè per intellectum, quem dicunt Scotici esse indifferentem ad Deum, & Creaturas; ad quem impugnandum iam pridem, aptiusque eo argumento vsi fuere alij Authores, vt Hurtadus Metaphys. disput.5. §.15. à quo illud accepit Peñafiel, vt sæpè solet. Hæc verò sententia, licèt Mataphysicè concedat talem indifferentiam in ordine ad hos conceptus, & Physicè nullam substantiam, aut naturam admittit indifferentem, vt sit Deus, vel creatura. Docet enim substantiam determinatè esse Deum, & esse creaturam: sicut animal Physicè est homo, & Equus determinatè, & homo determinatè est Petrus, Paulus, &c. quorum ratio est, quod aptitudo naturæ physicè essendi in multis nunquam separatura suo exercitio, nec consistit in potentialitate, vel indifferentia essendi in hoc, vel in hoc, sed in quadam potentia semper, & neces-

necessariò determinata, & reducta ad suum actum. (Vt latè probat Pasqualigus disput.17. sect.2.) ita, vt ex ipsomet actu existendi in multis inferatur potentia essendi in illis. Valet enim hæc consequentia. Natura humana realiter est in multis indiuiduis: ergo Natura humana realiter potest esse in illis. Vndè ad formam syllogismi concessa maiore, negabunt suppositum minoris. Supponitur enim dari Physicè substantiam indifferentem ad essendum, & non essendum Deus. Quod quidem illi Authores non fatentur; immò dicunt, substantiam vt sic simul, & determinatè esse Deum, & esse creaturam formaliter, & in gradu vniuersalissimo essendi per se, Sicut homo determinatè est Petrus, & Paulus formaliter in gradu humanitatis.

§. 26. Quartò obijcit. Si daretur substantia communis Deo, & creaturis, Deus posset anihilari, quod est lumini naturali repugnans. Probatur sequela. Supponamus, Deum de facto anihilare omnes creaturas, vt potest. Substantia, quæ est in Deo, & est Deus, est in creatura, & est creatura; sed illa substantia anihilaretur in creaturis: ergo substantia, quæ est realiter Deus anihilaretur: ergo Deus anihilaretur.

§. 27. Dices, illam substantiam prout est in Deo esse Deum, non autem prout est in creaturis. Sed contra, quia quod semel est Deus, semper est Deus, vt Relatio Diuina Filij, quæ quia semel est Deus per identitatem cum Diuinitate, etiam dum reperitur in humanitate Christi est Deus, nec alibi potest non esse Deus. Alia omitto, vt omninò futilia.

§. 28. Dices secundò, eam substantiam tunc subituram diuersa, & contradictoria prædicata *corrupti*, scilicet, & *non corrupti*, eo quòd esset in diuersis subiectis, quod non repugnat, sicuti non repugnat, quòd corpori existenti in pluribus locis circumscriptiuè competant diuersa etiam prædicata, nam id poterit in vno loco sedere, & in alio non sedere, sed ambulare. Sed contra quia hæc solutio non est secundum mentem Scoti, & Scotistarum, nam isti adhuc de potentia absoluta Dei negant posse idem corpus existere circumscriptiuè in pluribus locis.

§. 29. Hoc argumentum eodem pede claudicat, ac præcedens: posset enim quis negare hanc vnitatem positiuè communem Deo, & creaturis: at illam concedere in cæteris vniuocis, vt in animali, in viuente, in homine, &c. Verùm adhuc admissa eiusmodi vnitate, nulla est specialis difficultas in hoc exemplo Dei, & creaturæ, quam iam non soluerint Scotistæ in Petro, & Paulo, dum illis obijciebatur, quod si vna esset humanitas in Petro, & Paulo, sequeretur, Petrum anihilari Paulo anihilato. Quarè prima solutio ab arguente adducta bona est, nec illam probè impugnat Peñafiel. Nullus enim concedet, substantiam, quæ est in creatura semel fuisse Deum; nam adhoc, vt aliquid semel sit Deus, non sufficit esse substantiam sicut Deus, sed etiam esse increatum, vt Deus, (qualis est Relatio Diuina) sicuti adhoc, vt aliquid sit Petrus semel, non sufficit quod sit homo sicut Paulus, sed quod habeat simul Petreitatem, quæ potissima ratio est constituendi Petrum. Igitur dicent, anihilata omni creatura, anihilari substantiam communem secundum aliquid inadæquatum sui, nec indè vllo modo sequi, Deum fore anihilandum, tametsi illa substantia simul respiciat Deum, & creaturas tanquam adæquatum actum suæ extensionis, capacitatis, & identificationis. Ad secundam instantiam dicent Scotistæ, se nihil tale somniasse de prædicatis contradictorijs. Dicent etiam, Peñafielem, vel Scotistas omninò ignorasse, vel insigniter memoria lapsum esse, dum dicit, Scotum negare, vnum corpus posse Diuinitus esse in pluribus locis circumscriptiuè. Nihil enim frequentius apud Scotistas, quam idem corpus posse pluribus in locis Diuinitùs circumscribi, quod pleno calamo defendit Scotus in 4.distinct.10. quæst.1. artic.2. quem tota Schola sequitur, nullo Scotista dempto.

§. 30. Quintò obijcit. Natura humana à parte rei non est vna: ergo non est communis. Antecedens probatur. Natura humana est plures, quia Petrus, & Paulus distinguuntur à parte rei, eo quòd separantur, & vnum producitur, & corrumpitur, alio non producto, nec corrupto: ergo non est vna, siquidem non excludit pluralitatem. Dices non produci, neque destrui naturam, sed differentiam indiuidualem Petri. Sed contra primo. Quia ipsa natura Pauli est communicata Paulo, & non communicata Petro, & natura Petri est communicata Petro, & non communicata Paulo: ergo ipsæmet naturæ humanæ eorum, & non solùm differentiæ indiuiduales distinguuntur ex natura rei, quando quidem de naturis verificantur ea contradictoria communicatur, & non communicatur. Contra secundò. Quia si sola differentia indiuidualis crearetur, non crearetur anima rationalis secundum suam totam essentiam, quod est erroneum: ergo. omitto alia, quia inepta.

§. 31. Respondebunt id, quod sæpè inculcatum est, nempè vnitatem formalem naturæ optimè cohærere cum pluralitate, & diuisione numerica ob dicta Theorem. præcedenti à §.10. Vndè non solum differentias indiuiduales, sed etiam ipsas naturas, essentias, & quidditates fatentur, esse diuisas, atque distinctas numerò, non verò formaliter; non equidem ita dicunt distingui duo homines, vt leo, & homo: adhoc autem quòd vnus homo producatur, vel corrumpatur, alio non producto, nec corrupto, non est necesse, vt ij distinguantur formaliter, vt equus, & Angelus; sufficiet enim distinctio eorum secundùm suas entitates numericas, ad eorum separationem, corruptionem, & productionem vnius sine alio, per quod patet ad primam instantiam. Secunda instantia est antiquissimum argumentum, quo vsus fuit Capreolus in tertio distinct. 5.quæst.3.& post illum Soncinas Met.7.quæst.40.Fonseca 5.Met.cap.28 quæst.4. sect.4. idque soluunt Scotistæ ex dictis suprà §.17.

Sextò

§.32. Sextò obijcit. Quia si daretur vna natura à parte rei communis formaliter, daretur vniuersale formaliter à parte rei, quod negant Scotici: ergo non datur huiusmodi vnitas. Antecedens probatur, tum ex Aristotele pro ipsis citato, qui potiùs vniuersalitatem docet, quàm communitatem. Tum etiam quia naturæ communi conuenit definitio vniuersalis. Esset enim illa natura *vna, & apta ad essendum in multis realiter*: ergo realiter esset vniuersalis, ad cuius rationem non exigitur vnitas numerica communis, sed tantùm formalis, specifica, vel generica.

§.33. Zacharias Pasqualigus concedit totum argumentum, docens, à parte rei dari vniuersale Physicum, quod latè probat locis iam supra citatis. Vndè quantum ad hunc Authorem, eiusque asseclas nihil actum est hoc argumento: Verùm quia fortè Peñafiel vult illo deducere vniuersale Logicum, quod omnes negant dari à parte rei: negabunt antecedens, & ad probationem eiusdem dicent, adhoc, vt aliqua natura proximè, & formaliter sit vniuersalis Logicè, requiri præter vnitatem, quod ea sit indifferens ad plura, ita, vt ratione illius indifferentiæ sit in potentia proxima adhoc, vt enuncietur de pluribus Prædicatione dicente *hoc est hoc*. Porrò nihil est in rerum natura, quod seclusa operatione intellectus sit vnum, & indifferens ad plura, ita, vt secundùm hanc vnitatem sit prædicabile de multis. Nam vnitas positiua Naturæ, ita determinatur in indiuiduis, quod nulla gaudeat indifferentia, sed ita identificatur cum Petro, & Paulo, vt ea quæ Petri est, nequeat de Paulo prædicari: quapropter, vt ipsa reddatur indifferens ad vtrumlibet, opus est, vt per intellectum ab vtroque abstrahatur. Vndè si definitio vniuersalis intelligenda sit iuxta hanc indifferentiam constitutiuam prædicabilitatis proximæ, nihil est in rebus vniuersale nempè Logicum: tametsi alioqui concedatur Physicum à multis, vt suprà monui.

§.34. Ricardus Lynceus lib. 6. Metaphys. tract. 2. cap. 7. num. 29. hæc obijcit. Primò. Quia hæc sententia vocibus ludit, & similitudinem meram vocat identitatem. Secundò, quia ex illa sequitur, has propositiones *lapis est idem cum Deo*: vel *Peccator est idem cum Deo*, vel *Iudas est idem cum Deo*, absolutè, sine addito, nec distinctione esse concedendas, vt veras, quod omninò pijs auribus absonum est. Antecedens probatur. Hæc propositio *lapis est Ens*. Sine vllo additamento, & absque vlla distinctione est vera, quia lapis re verâ est ens, tametsi infinities minùs sit ens, quam Deus: ergo, & hæc propositio *lapis est idem cum Deo*, absque vlla distinctione, aut adiectione tanquam vera concedi poterit hoc ipso, quòd vera inter vtramque identitas intercedat, quantumlibet ea sit valdè minor numerali. Hinc vlterius sequitur, hanc propositionem *Iudas est Deus*, esse veram in aliquo saltem proprio sensu, ad quod solùm requiritur, quòd subiectum verè identificetur cum prædicato, sed in hac sententia Iudas esset idem verè, & realiter cum Deo identitate, vtique formali, & generica: ergo, &c. Tertiò. Quia æqualitas consistit in indiuisibili; non enim possunt duo palmi v.g. esse totaliter æquales, & non esse summè æquales: ergo, & identitas stat in indiuisibili; Impossibile est enim, quòd inter duo verè, ac totaliter eadem non sit summa identitas: at in hac opinione identitas non esset in indiuisibili sita; duo enim totaliter, & penès omnes formalitates suas eadem, nimirùm homo, & equus, non sunt summè eadem, sed minùs eadem, quàm homo, & homo.

§.35. Prima obiectio, quatenùs attingit sententiam Thomisticam docentem, nihil esse illam vnitatem, nisi conformitatis, & similitudinis, aliqualem subolet difficultatem, qua infrà examinabo. Ad secundam negabunt antecedens, ad cuius probatum concesso antecedente, negabunt consequentiam, (meo quidem iudicio malam) redditur enim dispaistas earum propositionum. Hæc quidem *lapis est Ens*, ideò est vera sine addito, quia nihil est in lapide formale, nec numericum, quòd entitatiuè, & realiter non sit ens. At verò in hac *lapis est idem cum Deo*, si sensus est lapidem numericè esse Deum, falsa est; neque ex præmissis Scoticis probè colligitur. Sin verò sensus sit, illum conuenire cum Deo in gradu remotissimo entis, vel substantiæ tantùm; negando omnem vnitatem in vlterioribus gradibus, nempè creati, corporei, insensibilis, &c. Necessariò debet hoc ipsum exprimi per adiectionem, vel particulam restringentem; sicut enim dicitur *Æthiops est albus*, eo quòd is non sit totaliter, & adæquatè albus, subiungenda est restrictiua particula, *secundùm dentes*, alioqui absolutè prolata falsa erit. Ita igitur quoties enuntiatur, *lapidem esse idem cum Deo*, addendum est *analogicè*, vel *genericè*, vel aliquid aliud negans adæquatam identitatem eorumdem. Rursus pessimè colligit Lynceus, hanc propositionem veram fore in proprio sensu, *Iudas est Deus*. Quòd quidem inconueniens iam pridem pepulerunt Scotistæ, dum contra illos illata fuit hæc consequentia: ergo hæc propositio est vera, *Petrus est Paulus*; quando quidem identificantur in homine, id est in gradu proximiori, vniuoco, & specifico. Fortassè valuit Lynceus metu blasphemiæ incusso, Scoticos perterrere (mutato exemplo in Deum, & Iudam) vt ipsis impium videretur concedere in vllo sensu, Iudam improbum, & sacrilegum esse Deum. Sed larua hæc puerilis; nam tam falsum, & impium, erit absolutè concedere, Iudam esse Deum, quam Ioannem Baptistam esse Deum. Dicent ergo ad probationem illius sequelæ, quòd ad hoc, vt indiuiduum verè prædicetur de alio indiuiduo, non sufficit, vnum cum alio identificari in gradibus remotis, & genericis, vel specificis, sed necessariò exigi identitatem in natura indiuiduali, eo ipso, quod enuntiatio indiuidui de indiuiduo indiuidualem vnitatem primò, & per se significet, vt enuntiatio generis genericam, & speciei specificam. Quarè hæc propositio, *Iudas est Deus*, etiamsi Deus

non infinitè distaret à Iuda, etiamsi genere proximo, & specie infima cum ipso conueniret, semper, & absolutè esset falsa ratione idemtificationis inadæquatæ. Quod facilè suadet exemplum Trinitatis, in qua etiamsi Pater idemtificetur cum Filio in natura numerica (quod plùs, & summum est) eò præcisè, quod præter naturam indiuidualem, restat aliquid inadæquatum personale, non valet dicere Pater est Filius, quia est prædicatio personæ de persona, in qua, vt vera esset, debuit enuntiari idemtitas personalis. Igitur, in enuntiatione indiuidui de indiuiduo, vt vera sit absolutè, significanda est idemtitas indiuidualis eorumdem, quod est impossibile in hac, *Iudas est hic Deus*.

§. 36. Ad vltimam obiectionem respondebunt, negando, vllum esse inconueniens, quod vnitates accipiant magis, & minus, præter numericam, quæ omnium adæquata totalis, & summa idemtitas est. Deindè negabunt falsum testimonium, nusquàm enim hæc sententia negauit, duo totaliter idemtificata esse summè eadem; nec vllatenùs asseruit, hominem & equum esse duo totaliter, & secundùm omnes suas formalitates eadem.

THEOREMA IV.

Nouis argumentis vnitas Naturæ communis à rebus expungitur.

§. 37. SVppono, dari in rerum natura similitudinem, Conformitatem, & Proportionalitatem rerum, à reali, & vera idemtitate realiter, & verè distinctas, quod quidem luce meridiana clarius nemo est, qui ambigat. Censeo igitur, admissa hac vnitate positiuè, & realiter communi indiuiduorum in eàdem natura formali, è medio tolli posse omnem similitudinem, Conformitatem, & Proportionalitatem rerum, quod est absurdissimum, vel Aduersarios nihil probare; quia si per possibile, vel impossibile darentur in rebus duæ entitates sola conformitate pares, & nullam habentes identitatem realem inter se, adhùc militarent omnes rationes Scoticæ supra memoratæ; & tamen non essent, quid vnum realiter per formalem idemtitatem, vt suppono: ergo illæ non probant vnitatem realem idemtitatis, sed vt plurimum conformitatem, seu meram similitudinem. Consequentia est bona, probo antecedens. Admissis duabus entitatibus sola conformitate paribus (quas iubeo, vt exhibeant Aduersarij, vel earum repugnantiam probent) illæ adhùc dicerent negationem illius diuisionis, quam haberent, si non essent conformes; sed per se hæc mera negatio diuisionis dicitur vera, & formalis vnitas, & idemtitas; ergo illæ duæ entitates simul essent idem realiter per formalem idemtitatem, vt vult ratio Scotica, Et non essent, vt supponimus.

§. 38. Rem explico, & vrgeo in proportionalitate mera. Duæ indiuiduationes, vt Petreitas, & Pauleitas realiter conueniunt in eo, quòd vtraque est indiuiduatio (non loquor de conuenientia Logica indiuidui vt sic, nec de indiuiduo vago, quia eiusmodi communitas per intellectum non est nunc ad rem). Quia quamuis Petreitas, & Pauleitas sint vltimæ differentiæ, conceptus irresolubiles, & proprietates omninò dissimiles (vt omnes fatemur) nemo tamen non videt, quod Petreitas Petrum vltimò discriminat à Paulo, sicuti Pauleitas vltimò discriminat Paulum à Petro, & Petreitas indiuiduat, & constituit Petrum, sicuti Pauleitas Paulum indiuiduat, & constituit, quæ omnia ante opus intellectus contingere fatentur Scotistæ: Ergo Petreitas, & Pauleitas dicunt mutuò negationem diuisionis in constituendo, & discriminando indiuidualiter: ergo Petreitas, & Pauleitas sunt vnum per idemtitatem indiuidualem realiter inter se, quod est impossibile. Hæc secunda consequentia legitimè infertur ex prima, primam facilè probo: ideò Petrus v. g. & Paulus dicunt realiter negationem diuisionis in animali rationali, quia Petrus sentit sicut Paulus, discurrit sicut Paulus; sed Petreitas non minus constituit indiuidualiter sicut Pauleitas, discriminat indiuidualiter sicut Pauleitas realiter: ergo Petreitas, & Pauleitas dicunt negationem diuisionis in constituendo, & discriminando indiuidualiter: ergo sunt vnum indiuidualiter inter se, non minus, quàm Petrus, & Paulus sunt vnum specificè, seu formaliter inter se.

§. 39. Dices. Petreitatem, & Pauleitatem non constituere, & discriminare indiuidualiter à parte rei. Sed contra: quia id nos dicimus Thomistæ, non tu, quia ejusmodi vnitatem realem, & positiuam defendis, quando quidem, vt eam probes, doces, indiuiduationem realiter esse extrà essentiam humanitatis, indiuiduationem non facere diuisionem essentialem à parte rei, sed materialem: Ergo à parte rei indiuiduatio est, quid extrà essentiam humanitatis, & quid realiter indiuiduans, & discriminans extrà illam. Quæ omnia concedere teneris contra Thomistas, qui à parte rei dicunt, ipsas essentias, & quidditates formales non minus esse distinctas, & dissimiles, quàm ipsas indiuiduationes, ac proindè tam esse Petreitatem essentiam, vel de essentia Petri Physicè, & realiter, quàm humanitatem; vndè inferunt tot esse vnitates formales, quot indiuidua à parte rei: Ergo stando in tuis principijs, à parte rei datur humanitas de essentia, & Petreitas extrà essentiam; sed Pauleitas realiter (per te) est etiam extrà essentiam: ergo vel in hoc, quòd vtraque est extra essentiam humanitatis realiter conueniunt Petreitas, & Pauleitas inter se, & sic instaurabo iterum suprà factum argumentum. Hinc infero eas indiuiduationes fore vnum indiuidualiter si tua ratio conuincit, vel si non (quod certiùs est) dari posse realiter negationem diuisionis absque reali vnitate identitatis, siquidem in mera proportionalitate qualis est ea, quæ inter Petreitatem, & Pauleitatem versatur fingi potest eiusmodi negatio diuisionis absque vlla idemtitate, vt iam suprà exhibui.

Secun-

§. 40. Secundo: in ratione entis naturalis conueniunt materia prima, Forma, & Priuatio ex Arist. Primo Phisicorum: conueniunt inquam non minùs, quam homo, & Equus in ratione animalis, maximè si principium sit prædicatum vniuocum illis, vt fatentur Zacharias ipse Pasqualigus prædictę vnitatis acerrimus assertor. Meth. tom. 3. disp. 47. sect. 2. & ex Scotistis Fuentes 1. Physic. quæst. 3. art. 3. Mastrius disp. 1. quæst. 1. Sicut enim materia est principium compositi Physici, ita & priuatio est principium eiusdem; quòd autem materia sit pars intrinsecè componens, priuatio verò non sit intrinsecè componens, hoc prouenit à rationibus differendi, quæ sunt extra rationem Principij vt sic: eo modo quo esse hominem prouenit à rationali, & esse Equum ab irrationali, etiam si in ratione animalis omninò conueniant: Igitur sicut admittitur idemtitas realis in ratione animalis inter Equum, & hominem ob solam conuenientiam in animali; etiam si detur distinctio, & diuersitas in ratione differentiarum rationalis, & hinibilis: ità etiam materia prima, & priuatio habebunt realem idemtitatem in ea ratione principij, in qua conueniunt, tametsi discriminentur maximè ratione differentiarum, scilicet *intrinseci*, & *extrinseci*. Discursus bonus est. Tum sic ratio illa principij in qua idemtificantur materia prima, & priuatio, vel est ens reale contra nihilum; vel non? si est ens reale, ergo nequit idemtificari cum priuatione, quæ nihil est reale: si non est ens reale, ergo minus idemtificabitur cùm materia prima, quæ realis est. Si neutrum sit, sed quid abstrahens ab vtroque: ergo illa conuenientia non est realis vnitas, sed tantum per intellectum abstrahentem fabricata.

§. 41. Tertiò tandem quia in Diuinis præter essentiam absolutam Dei, dantur tres relationes personarum, quæ etiam conueniunt in ratione Relatiui, seu Relationis, non minus immo fortasse maiori conuenientia, quam Petrus, & Paulus in ratione hominis: sed conuenientia in genere Relationis non arguit idemtitatem realem physicam, neque formalem, neque numericam in esse relatiuo, cum potiùs in ea ratione sint realiter omnino diuisæ, & primo diuersæ: ergo conuenientia in aliqua ratione formali petita ex mera negatione diuisionis in illa, non arguit vnitatem identitatis nisi merè intellectu fictam. maior huius syllogismi est per se nota; valet enim dicere Paternitas Diuina est relatio, Filiatio Diuina est Relatio prædicatione formali in primo modo dicendi per se: Igitur Paternitas, & Filiatio Diuinæ conueniunt in ratione Relationis, seu (quod in idem recidit) dicunt negationem diuisionis formalis in esse Relatiuo. Minorem Fides astruit Catholica, quę nullam cognoscit idemtitatem realem, & physicam inter Diuinas personas nisi in ratione absoluta Deitatis. Consequentia est bona. Rem confirmo ipsismet terminis aduersariorum. Si negatio diuisionis formalis in aliquo genere esset vnitas realis in tali genere (vt phylosophatur Pasqualigus suprà citatus sect. 4.) negatio Diuisionis formalis, quam habent Personæ Diuinæ in esse Relationis argueret vnitatem realem earumdem in tali ratione: Ast Fide sanctum est, eius modi negationem non arguere vnitatem realem, neque idemtitatem eatum in ratione relationis, cum nulla sit earum realis, & physica idemtitas, nisi numerica in ratione absoluti, nempè Deitatis; ergo negatio diuisionis formalis in aliquo prædicato non est vnitas realis eiusdem, sed vt plurimum similitudo, conformitas, seu proportionalitas rerum. Quòd autem Diuinæ Relationes dicant negationem diuisionis formalis, est euidens, quia Paternitas diuina non ita differt à Filiatione, id est ab altera relatione sicut ab albedine, siue ab alia qualitate creata: igitur Paternitas Diuina respectu Filiationis caret eiusmodi formali diuisione: eo sanè modo, quo tu dicis, Petrum dicere negationem, & carentiam diuisionis formalis respectu Pauli, eo quod Petrus non ita differt à Paulo, vt à Leone.

§. 42. Hùc reuocanda est Doctrina Caietani ac Thomistarum, qui dicunt, latiùs patere negationem diuisionis formalis quam vnitatem idemtitatis. Tam enim ea, quæ sunt merè, conformia, quam ea, quæ sunt vna per idemtitatem, habent hoc commune, scilicet, quod non sint formaliter diuisa. Vnde Caietanus dum sibi obijcit. Petrus, & Paulus non diuiduntur formaliter vt homo, & Leo, ergo sunt vnum per idemtitatem formalem. Concesso antecedenti; negat consequentiam: Eo quòd in argumento ab esse vnum formaliter ad indiuisionem committitur fallacia consequentis: nempè à superiori ad inferius affirmatiuè. Sed contra obluctatur Pasqualigus. *Quis enim non videt* (inquit) *quod statim ac aliquid non habet diuisionem, est etiam vnum, & indiuisum? Ex quo fit quod quando arguimus ab vnitate ad indiuisionem, non committitur fallacia consequentis, procedendo affirmatiuè à superiori ad inferius: nam vnum, & indiuisum sunt idem, & solum terminis ipsis differunt.* Sed quam falso hæc asseruntur a Pasqualigo, satis aperuimus supra ostendentes, eiusmodi negationem formalis diuisionis statui posse in mera conformitate, seu proportionalitate paribus, quibus ipse nullam concedet realem, & physicam idemtitatem, vt re vera nulla est inter Diuinas relationes, inter priuationem, & formam, nec inter indiuiduationes rerum. Constat ergo, carentiam diuisionis formalis non statim esse vnitatem idemtitatis, vt ipse dicit: quandò quidem cum rebus comperat tam idemtificatis, quam non idemtificatis, nempè sola proportionalitate consimilibus, non est nisi prædicatum vtrisque latius patens, quam ob rem prædicti entymematis consequentiam Thomista negabat optimè. Et licet certum sit, (quod valdè notandum iubeo) indiuisum nil aliud esse quam vnum, & vnitatem nihil, nisi carentiam diuisionis; multum tamen est obseruandum, aduersarios pro carentia diuisionis conformitatis nobis obtrudere vnitatem idemtitatis, cùm non nisi vnitas esset colligenda conformitatis, eo quòd qualis indiuisio, talis vnitas sit, sed de his latius infrà: fateor tamen contrariam sententiam

tiam vt à Pasqualigo propugnatam aliqualem probabilitatis apparentiam præferre: Ast me hercle illa ex falsis est, quæ Aristoteles dixit, interdùm veris probabiliora existere. Hęc pro communi, & vera sententia adstruenda pro nunc menti occurrunt, quæ si etiam facilè eneruabunt Aduersarij, id erit nobis solaminis, quòd Doctiorum tot argumenta virorum facilius iugularunt, vt vides à §.9.

THEOREMA V.

Argumentum præcipuum pro vnitate formali positiuè communi expenditur, & enodatur.

§. 43. Obijciunt primo. Natura in statu absoluto, & secundum se considerata habet suam propriam vnitatem positiuam, & realem, quæ est vna positiuè: ergo quando ponitur in pluribus indiuiduis per multiplicationem indiuidualem remanet vna in omnibus, habent eandem vnitatem in ipsis omnibus, ita, vt eadem vnitas formalis sit in omnibus. Consequentia est bona, nititurque in illo principio: vnitas conueniens naturæ in statu absoluto, & secundùm se, debet ipsi in omni statu adhuc contractionis conuenire, quod fatetur S. Thomas, opusc. de Ente, de Essentia cap. 4. §. *Non tamen potest dici.* Fatetur Caietanus ibidem, & cæteri Thomistæ, vt M. Sotus, quæst. 2. de vniuers. §. *In superiori*: M. Arauxo. Methap. lib. 3. quæst. 3. art. 3. num. 24. M. Oña. quæst. 2. vniuers. art. 3. num. 5. Complutenses disp. 3. de vniuers. quæst. 3. num. 22. M. Zerna disp. 1. sect. 4. de vniuers. art. 2. §. *Secundò principaliter.* M. Parra disp. 3. dub. 3. num. 8. D. Suarez Metap. disp. 6. sect. 5. num. 3. & plures fatentur, & Scotistæ Poncius disp. 3. num. 21. Hyeronimus Valera distinct. 2. de vniuers. art. 1. §. *Sed modus hic explicandi*. Antecedens probatur: vnitas formalis, seu indiuisio essentialis in se, & diuisio à quolibet alio est passio necessariò consequens rationem entis; sed natura humana v.g. in statu absoluto, & secundùm se considerata, est aliquis gradus entis realis, & positiuus: ergo provt talis gaudet aliqua vnitate essentiali, qua talis gradus essentialiter sit indiuisus in se, & à quolibet alio diuisus. Ergo hæc vnitas formalis competit indiuisa ipsi naturæ adhuc provt in indiuiduis contracta est. Patet hæc vltima consequentia. Tum quia prædicatum essentiale competens naturæ secundũ se, eodem modo competit ipsi in quocunque statu ponatur, vt mordicus contendunt supracitati Doctores. Tum etiam quia vnitas essentialis, & ex intimis prædicatis essentiæ nata vt propria passio, nequit tolli per id, quod est extrà essentiam, & formam rei; Sed indiuiduationes sunt extra essentiam humanitatis vt sic: ergo in ipsa nequeunt diuisionem essentialem constituere, tollendo scilicet vnitatem eius essentialem.

§. 44. Dices primò: Naturam secundùm se non habere aliquam vnitatem realem, & positiuam; sed merè negatiuam, eo quòd omnis vnitas in ipsa resultat ex abstractione intellectus, eam separantis ab indiuiduationibus, quare talis vnitas illi non nisi per rationem conuenit. Sed contra *primò*, quia abstractio intellectus nihil essentiale ponere potest in natura, quam abstrahit, sed ipsi naturæ secundum quod est aliquis gradus entis, debet etiam pro illo statu conuenire aliquis gradus essentialis vnitatis: ergo ille nequit ab ipsa abstractione prouenire. Contra *secundò*: quia vnitas per rationem est vnitas ficta; sed entis realis Metaphysici nequit quid fictum esse propietas & passio essentialis: ergo talis vnitas naturæ non est vnitas rationis. Contra *tertiò*. Eo modo, quo quid piam est ens, eo modo est vnum; sed natura realis in statu absoluto considerata est ens reale, verum positiuum, & condistinctum ab omni negatiuo; ergo, & vnitas ipsius non debet esse negatiua, sed realis, & positiua.

§. 45. Dices secundò: naturam in statu absoluto, & secundùm sua prædicata essentialia consideratam neque esse vnam, neque esse plures, sed ab vnitate, & multiplicitate abstrahere, idque docuisse Diuum Thomam de Ente, & essentia cap. 4. vbi loquens de natura secundùm se ait: *Si quæratur, vtrum ista natura possit dici vna, vel plures? neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere*. Ita PP. Complutenses. Sed contra primò, quia Diuus Thomas loquitur de vnitate, & multiplicitate numerica, quæ sola omnino est extrà naturæ essentiam: & hæc est propria, & germana eiusdem verborum interpretatio non ab aduersarijs Autoribus fribolè commenta, vt perperam dixit M. Zerna; nec enim Caietanus est Author aduersarius, sed vnitatis positiuæ acerrimus impugnator, qui seriò, & ex professo (vt aiunt) illud Opusculum interpretatus ad eum locum hæc habet in commentario. *Quod autem in litera dicitur, quòd natura absolutè sumpta, nec est vna, nec est plures, intelligendum est de vnitate, & pluralitate numerali*. Quæ mihi adeò vera sunt, vt quamuis id non traderet fidissimus Interpres, ego ex ipso literæ contextu elicerem facillimè; satis quidem fusè explicat inferius Doctor Angelicus, ita subiungens: *Hæc autem natura, habet duplex esse, vnum in singularibus, aliud in anima*: Deindè. *Et tamen ipsi naturæ secundum propriam considerationem, scilicet absolutam nullum istorum esse habet. Falsum est enim dicere, quod natura hominis in quantùm huius modi habeat esse in hoc singulari. Si enim esse in hoc singulari conueniret homini in quantùm est homo non esset vnquàm extrà hoc singulare: Similiter si conueniret homini in quantùm est homo non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere, quòd homo in quantum homo non habet quo sit in hoc singulari, vel in illo. Patet ergo quod natura hominis absolutè considerata abstrahit à quolibet esse*; Quid clarius potuit exprimere, se loqui de vnitate singulari, dum docuit suprà, naturæ secundum se non competere vnitatem, neque pluralitatem?

§. 46. Contra *secundò*. Ratione eiusmodi solutionem impugno. Indiuisio humanitatis in se, & diuisio eiusdem à quolibet alio est prædicatum intrinsecum, & essentiale humanitatis

vt

vt sic, & absolutè consideratæ: ergo vnitas formalis est prædicatum essentiale Humanitatis vt sic conceptæ, ergo natura humana secundum se nequit abstrahere ab vnitate, & multiplicitate formali. Probo Antecedens. Id, quod præstat indiuiduatio, seu differentia numerica ad indiuisionem Petri in se, & diuisionem à quolibet alio, præstat differentia formalis ad indiuisionem naturæ in se, & diuisionem eiusdem à qualibet alia. Ita vt ipsa differentia rationalis constituat hominem vt sic diuidendo ipsum ab equo. Cum enim de conceptu differentiæ sit esse constitutiuam simul, & diuisiuam, nequit non exercere, vtrumque munus, constituendo scilicet humanitatem in se indiuisam, & diuidendo ipsam ab Equinitate, &c. Sed constitutio, & diuisio per differentiam rationalitatis est intrinseca, & essentialis humanitati, sicut ipsa rationalitas: ergo humanitatem esse vnam formaliter, idest indiuisam, & constitutam in se essentialiter, atque essentialiter diuisam à quolibet alio est prædicatum intrinsecum essentialiter conueniens naturæ secundùm se. Neque enim humanitatem esse vnam formaliter est aliquid aliud, quam eam esse distinctam ab alio, & indistinctam in se, id est constitutam in esse formali: ergo D. Thomas dum negat, vnitatem esse de conceptu humanitatis, non de essentiali, & formali vnitate intelligendus est, sed de materiali, & numerica, quæ nec essentiam constituit, nec constitutam distinguit.

§. 47. Contra tertio, & efficaciter impugno Zernam, & Complutenses eiusmodi authoritate sese tuentes. Sanctus Doctor ait, naturam secundum se non esse vnam, nec plures, quia vnitas, & pluralitas sunt extra eius essentiam, & vtraque potest ipsi accidere: Ergo loquitur de vnitate, & pluralitate, quæ sunt extra essentiam humanitatis, & quæ humanitati accidere possunt: ergo non loquitur de vnitate, nec de pluralitate formalibus: patet hæc consequentia: Quia pluralitas formalis nequit accidere humanitati; impossibile est enim humanitatem aliquando esse Equinitatem, & lapideitatem, nec eiusmodi pluralitas est extrà essentiam humanitatis, quinimmò repugnans essentiæ ipsius: ergo nec ipsa, nec eius opposita vnitas formalis accidere possunt naturæ; loquitur ergo de vnitate, & pluralitate numericis, quæ ita sunt extrà eius essentiam, vt ipsi interdùm accidere possint.

§. 48. Dices tertio: Vnitatem, quæ vt passio Entis consequitur quemlibet gradum naturæ abstractæ non esse aliam, nisi vnitatem numericam, non quidem determinatè talem, sed communem, & abstractam ab omnibus vnitatibus numericis eiusdem naturæ: Est que solutio Auersæ, Zernæ, & aliorum. Sed contra *primo*. Quia eodem iure poterat etiam dici, naturam abstractam non esse gradum Entis virtualiter distinctum à numerico, & indiuiduali, sed ipsam naturam indiuidualem non determinatè talem, sed vagè, & indeterminatè cognitam, quod est incidere infoueam nominalium: ergo eo modo, quo admitis gradum *entis* in humanitate, admittere debes gradum *vnitas* in eadem, proindèque si gradus ille non est humanitas numerica indeterminatè cognita, nec eius vnitas erit vnitas numerica indeterminatè cognita.

Contra secundò: quia vnitas numerica etiam prout abstracta ab vnitatibus numericis, est vnitas materialis, & ex principijs materiæ exorta, ac proindè omninò est extra essentiam formæ, seu naturæ formalis: ergo nequit formam essentialem formaliter constituere, aut distinguere. Consequentia est clara: Equidem in statu absoluto essentiæ, seu formæ vt sic consideratæ nihil quod non sit de eius essentia potest essentiam constituere, aut distinguere.

§. 49. Dices quartò: Vnitatem competentem naturæ secundùm se, & in statu absoluto consideratæ non descendere, nec conuenire indiuiduis, sed soli naturæ sic abstractæ: vndè non sequitur, illam in statu reali contractionis esse vnam in multis, equidem per contractionem amittit eiusmodi vnitatem, quæ ipsam dumtaxat comitabatur in statu absoluto: Ast iuxta hanc solutionem (quæ quorumdam, nec ignobilium Thomistarum est) omninò destruitur, negaturque illud principium, cui tota argumenti moles innititur: Quod conuenit naturæ secundùm se, & in statu essentiali, & absoluto, debet ipsi in omni statu conuenire, quod quidem suprà vt certissimum, & à D. Thoma, totque Doctoribus vtriusque Scholæ admissum ostendimus, §.43. Et quidem vnitatem quandam realem naturæ, vt sic competere, quæ indiuiduis non competat asseruit Capreolus in 3. distinct. 5. qu. 3. ad 5. contra 3. conclus. sub his verbis. *Dico secundò, quod natura, quæ est extra intellectum, habet dublicem vnitatem, quarum vna est realis, & alia rationis. Ipsa enim natura est vna inesse quidditatiuo, cum sit vna vnitate essentiæ, & hanc vnitatem non communicat indiuiduis, ita quod duo indiuidua sint vnum realiter in tali natura: nec ista vnitas est complete realis in actu, quia conuenit naturæ, vt præcedit indiuidua, in quibus incipit completa realitas actualis ipsius naturæ, &c.* Eamdem viam inijt. M. Soncinas Metaphys. lib. 7. qu. quadragesima. *Consideratur* (inquit) *natura secundum se: Et sic quælibet natura est vna; alioquin nomen ipsam significans non esset vniuocum, cùm de ratione termini vniuoci sit significare immediatè vnum. Hanc autem vnitatem non communicat Natura suis inferioribus, sed conuenit naturæ in illa prioritate naturæ, qua est prior suis inferioribus. Hæc autem vnitas nunquàm est actualis, sed terminus potentialis: quia sicut natura non habet actu esse ante sua indiuidua, ita non habet actu vnitatem, &c.* quæ ita arriserunt Fonsecę, vt ex prædictis suā mutuatus fuerit sententiam de vnitate præcisionis Metaph. 5. cap. 28. qu. 3. quam vulgò hac tempestate omnes impugnant: sed vix vnus benè; vt notauit Caramuel in Metalog lib. 4. disput. 8. art. 8. quid igitur dicent illi ad præfatum axioma? Respondent dupliciter sumi posse illud *secundùm se* seu *per se*. Primò modò pro essentiali connexione prædicatorum naturam constituentium, vel ex ipsa essentialiter profluentium: quo pacto sumpsit Aristoteles, cùm duos modos *per se* enumerauit primo Posteriorum capite quarto,

& hoc

& hoc modo illud axioma verum est, alio modo sumitur *per se* pro eo, quod est *absolutè*, seu solitariè, & hoc modo non omne quod conuenit naturæ per se, seu secundùm se, idest semotis differentijs, & solitariè sumptæ debet etiam conuenire indiuiduis, cum eiusmodi prædicata non conueniant illi intrinsecè, & ratione essentiæ, sed ratione status, videlicet abstractionis: Et hoc modo multa prædicata præsertim negatiua ipsi naturæ conueniunt, quæ indiuiduis conuenire non possunt, vt *non generari, non corrumpi, non existere, non esse albam, vel nigram* &c. Video etiam Scotistas defendentes, naturam secundùm se esse negatiuè communem, dum præmuntur hoc axiomate ei etiam rimas meditari, vt effugium adornent: dum enim obijcitur illis, etiam indiuiduum fore negatiuè commune, vel communicabile à parte rei; siquidem natura secundùm se communicabilis est negatiuè: quod enim naturæ secundum se competit, etiam indiuiduis competere oportet; Respondent: nonnulla esse prædicata, quæ conueniunt naturæ, vt naturæ, quæ non conueniunt indiuiduis, vt indiuiduis: quorum vnum est esse *communicabile*. Sic Valera, sic Merinerus, & alij: En vides axioma illud apud Scotistas etiam luxari; quos infrà inconstantiæ reos incusabo Dissertatione sequen. §. 26.

§. 50. Sed prædicta horum Authorum responsio difficultatem minimè soluit: vtrique enim concedère debent, prædicatum per se primo modo, & posterioristicè naturæ competens, ipsi in omni statu competere debere, sed vnitas illa formalis, qua homo, v. g. non est Equus, nec Leo, est quidditatiua, conuenitque illi primo modo per seitatis, vt fatetur Capreolus, manetque supra solidè probatum, §. 46: ergo ea ipsa natura, quæ essentialiter erat vna secundùm se (primo modo) Etiam dum in suis ponitur indiuiduis remanet vna formaliter, vt antea; quamuis materialiter diuidatur in illis. Neque enim hoc ratiocino intenditur, quodlibet indiuiduum fore commune positiuè multis à parte rei, eo quòd natura secundùm se ita communis fuerit; hoc est enim alterius propositi: & nunc potius supponitur, quod vnum indiuiduum est actus inadæquatus eius modi communitatis, quæ non nisi toti naturæ competere potest, nec nisi in omnibus indiuiduis tam existentibus, quam possibilibus eam ipsa natura exercere valet. Age ergo; soluamus argumentum quod (vt verum fatear) non parum difficultatis facesßit rem attentè inspicientibus.

§. 51. Respondeo; Naturam in primis in statu absoluto non esse ens reale positiuum, nec positiuis gaudere propietatibus: vt benè notauit M. Patra, nisi sumendo *Positiuum* in laxiore significatu contrà negationes, & priuationes, de qua non est sermo; quapropter & Scotus eius modi essentias inesse obiectiuo, constitutas entia vocauit *Diminuta*. Tum si iuxta argumentum vnitas formalis humanitatis, v. g. non sit nisi effectus formalis Rationalitatis, quæ vti differentia essentialis ipsam in esse hominis constituit; Et ab non homine discriminat: hic effectus non præstatur realiter naturæ per vnam rationalitatem, sed per multas: harum autem nulla est realis indiuisio formalis, siue vnitas, nisi conformitatis, & similitudinis, quæ quidem est vnitas fundamentalis, seu fundamentum reale, ad hoc, vt intellectus perpetret vnitatem actualem, reducendo scilicet potentialem illam vnitatem ad actum intentionalem, vt benè Capreolus in 3. distinct. 5. qu. 3. conclus. 2. eòdem autem modo discurrendum est in vnitate rationis, ac in distinctione rationis. Sicut enim intellectus essentias realiter identificatas propter fundamentum multiplicitatis virtualis distinguit, ac diuersis separat conceptibus, reducendo ad actum intentionalis diuisionis illam diuisibilitatem realem potentialem, seu fundamentalem, quam habebat entitas pluribus realiter æquiualens, seu virtualiter multiplex (vt explicui supra Dissertat. tertia Theorem. 1.) Haud secùs apud Thomistas res à parte rei distinctæ, nempè indiuidua, si conformitate gaudeant, habent potentialem, seu fundamentalem vnitatem, quæ nihil est nisi capacitas illa obiectiua ad hoc, vt intellectus illam reducat ad actum indiuisionis intentionalis, concipiendo illa eòdem conceptu formali. Nam sicut realiter datur virtualis diuersitas in identificatis, & non distinctis, ita datur virtualis vnitas in non identificatis, nec distinctis: & sicut illa est fundamentum distinctionis rationis, ita hæc est fundamentum vnitatis rationis, & vtrumque reale; sed quia conformitas compatibilis est cũ pluralitate indiuiduationum, has remouet intellectus per abstractionem, & meram relinquit conformitatem, dicitur que tunc natura esse negatiuè vna per intellectum; non quia intellectus tribuerit ipsi conformitatem, sed negationem, seu remotionẽ multiplicitatis numeralis: Equidem vnitas illa naturæ secundùm se quantùm ad talem conformitatem semper, & vbique naturam consequitur, estque natiua eiusdem essentialis que propietas: nec enim hominem esse realiter similem homini, ac disformem lapidi prouenire ipsi potest ab intellectu, sed ex ipsis naturis, quarum quasdam ita similes videmus in rebus, vt nisi aliqua accidentia suppeterent, non possemus ipsas distinguere, vt patet in difficultate discernendi ouum ab ouo, & radium solarem A. à radio B: igitur duæ naturæ similes, seu prædicta conformitate præditæ ex sua intrinseca ratione habent, quòd sint repræsentabiles per eundem cõceptum formalem, seu (quod iddem est) ab intrinseco habent, quod non dent occasionem intellectui, vt illas distinguat quando remouet accidentia, quę illas discriminabant: eo equidem met conceptu, eàdemque specie concipi possint duæ essentiæ, si omninò similes sunt: sicut eàdem Cæsaris imagine æquè re præsentaretur alius quispiam, qui Cæsari simillimus foret. In hoc ergo prædicato repræsentabilitatis per eundem conceptum formalem consistit vnitas realis formalis, seu conformitas illa celebris Thomistarum, quam naturæ in omni statu conuenire non diffitemur. Hinc ad formam argumenti: Natura secundùm se in statu absoluto habet vnitatem realem, & essentialem. Distinguo: habet secundùm se vnitatem essentialem

quan-

quantùm ad fundamentum reale illius cognitionis, idest repræsentabilitatem per eundem conceptum formalē, concedo antecedens: (nam hoc modo sumitur ly *secundū se* posterioristicè) habet vnitatem essentialem secundùm se, idest vnicam illā indiuisionem resultantem ex abstractione intellectus remouentis omnem multiplicitatem numeralem nego antecedens, quia hoc sensu ly *secundùm se* vsurpatur pro solitariè, & ratione status intentionalis. Deindè distinguo consequens eodem tenore. Ergo eadem vnitas remanet in omnibus indiuiduis, quoad repræsētabilitatem per eundem cōnceptum formalem concedo; quoad indiuisionem ab intellectu resultantem nego.

THEOREMA VI.

Cætera aduersariorum argumenta prò vnitate positiuè communi eneruantur.

§. 52. Objicies secundo: vnitas conformitatis potiùs est multiplicitas realis, quàm vnitas rigorosa, sed Petrus, & Paulus habent à parte rei rigorosam, & propriam vnitatem in natura humana: ergo non solum habent vnitatem conformitatis, sed positiuam, & rigorosam. Maiorem concedit Thomista: Minor probatur: Petrus, & Paulus habent in natura humana illam vnitatem formalem, quæ tollit, & destruit diuisionem essentialem, & formalem intèr prædicata essentialia, qualis est distinctio intèr hominem, & equum, sed hæc vnitas nequit esse impropria, & similitudinaria vnitas: ergo habent vnitatem formalem rigorosam, & propriam. Maior est nota, Petrus enim, & Paulus non habent intèr se illam distinctionem, quam homo, & equus, ac proindè gaudent vnitate excludente talem distinctionem. Minor probatur: Diuisio essentialis, formalis, & rigorosa inter essentias nequit tolli nisi per vnitatem essentialem, formalem, & rigorosam, sed Natura, quæ est in Petro, & Paulo tollit, & destruit diuisionem essentialem, formalem, & rigorosam: ergo eam tollit per essentialem formalem, & rigorosam vnitatem, non vero per impropriam, & similitudinariam. Maior de se patet, non enim opponitur Diuisio propria, & rigorosa vnitati impropriæ, & secundum quid, sed vnitati rigorosæ etiam, & propriæ: Minor est euidens, consequentia legitima: hæc obiectio potest esse replica præcedentis argumenti.

§. 53. Respondeo: Argumentum confundere dissimilitudinem cum distinctione, & conformitatem cum identitate, cum tamen tam ea, quæ similia sunt; quàm ea, quæ dissimilia supponant distinctionem inter se: etenim si præcindatur distinctio ab omni mixtione (vt sic loquar) similitudinis, vel dissimilitudinis: tam distinguitur Petrus, à Paulo realiter; quam à leone: quia Petrus tam non est Paulus à parte rei, quam non est leo, manet tamen similis Paulo; dissimilis que leoni: vndè ansam arripit intellectus, vt similes homines eodem conceptu formali concipiat, ac repræsentet; hominem vero, & leonem dissimiles diuersis conceptionibus disterminet: quapropter homo, & leo carere dicuntur illa repræsentabilitate per eundem conceptum formalem, quia ipsamet eorum disformitas, seu dissimilitudo est reale fundamentum eiusmodi carentię. Fatemur ergo Petrum, & leonem à parte rei habere hanc diuisionem formalem, fatemur Petrum, & Paulum eiusmodi diuisionis carentiam habere: Ast hanc ipsam esse realem identitatem negamus omninò; cum ad fundamentalem repræsentabilitatem tollendam sufficiat opposita repræsentabilitas, eo quòd alterutra inuoluat carentiam alterutrius. Hinc apparet, Diuisionem illam plenissimè tolli per conformitatem, nec ex carentia eiusmodi diuisionis protinùs inferendam esse identitatem, vt cum Caietano supra adnotabamus, §. 42. Ad formam argumenti data maiore, nego minorem, & ad eius probationem concessa etiam maiore; nego iterùm minorem, ad cuius probationem nego maiorem, vt manifestè falsam. Nàm etiam carentia cōformitatis vt talis, esset Diuisio rigorosa, & essentialis, & tamen tolleretur, per oppositam conformitatem. Ergo tota oppositio rigorosa inter iam explicatas repręsentabilitates versatur tanquam inter fundamenta realia diuisionis, vel indiuisionis formalis, quæ actuantur in intellectu.

§. 54. Objicies tertio: Negari non potest, à parte rei Petrū esse magis similem Paulo, quam Bucephalo: ergo hæc ipsa similitudo à Thomistis admissa conuincit, à parte rei Petrum esse magis vnum cum Paulo, quam cum Bucephalo. Probatur consequentia: quia cum similitudo fundetur in vnitate, vt docet Aristot. 5. Metaph. text. 20. quo res maiorem habuerint similitudinem, eo maiore gaudebunt vnitate. Sed hæc maior vnitas non est numeralis formalitèr sumpta, quia à parte rei Petrus, & Paulus non sunt similes in singularitate, sed potius dissimiles: ergo à parte rei habent vnitatem realem positiuam, & non modò similitudinem.

§. 55. Dices: Hinc non probari, vnam tertiam, & indiuisibilem vnitatem esse in extremis similibus, nec id voluisse Aristotelem: è cuius doctrina potiùs euincitur inter Petrum, & Paulum, (qui sunt extrema similia) dari duas vnitates formales, in quibus fundetur relatio identitatis, seu similitudinis: quando quidem eiusdem ad se ipsum impossibilis est relatio realis. Vnde cum illæ vnitates formales etiam sint realiter distinctæ in Petro, & Paulo, ex maiore illorum similitudine minimè colligitur, Petrum, & Paulum non esse tam distinctos à parte rei, quàm sunt distincti Petrus, & Bucephalus,

§. 56. Sed contra: Quia nisi Petrus, & Paulus haberent realem vnitatem specificam inter se, non plus conueniret Petrus cum Paulo, quàm cum stellis; si non habent illam: ergo in nullo cōueniunt: ergo differunt per illud omne, quod habent; sed stellæ, & Petrus in alio non differùnt nisi per illud, quod habent, seu quod est in ipsis: ergo eò planè modo differunt Petrus, & Paulus, quo Petrus, & stellæ. Hæc ratio (inquit Caramuel Metalog. lib. 4. art. 6. num. 390.) fortis est, &

Theologicè fortificari, & roborari potest: Nam si omnia singularia sunt æquè dissimilia; non est, cur Verbum nostram naturam assumpsisse dicatur; ergo antè mentis vllam operationem datur natura humana ab omnibus indiuiduis præcisa.

§. 57. Hoc argumentum ex verbis Aristotelis petito Vsus fuit Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 1. estque tertium inter cætera quibus probat, dari in rebus vnitatem minorem numerali, seu formalem; contra Okamum, aliosque Nominales, qui non nisi numericè à parte rei omnia distingui asserebant. Replica autem in sextum eiusdem recidit argumentum, quibus (vt dixi) vnitas formalis adstruitur à parte rei. At verò quo pacto probent hanc vnitatem fore communem multis positiuè, & realiter, prorsùs ignoro. Fortificatio autem Theologica Caramuelis nullius est roboris, & vltima consequentia præterquam quòd mala, exorbitans est, nimiùmque petens: nec enim Aduersarii, nec Scotistæ, nec vllus mortalium contendit eiusmodi ratiocinio, dari ante omnem mentis operationem naturam humanam ab omnibus indiuiduis præcisam, vt Caramuel infert Nam etiamsi gratis illi concederemus præmissas omnes, quas vellet de assumptione nostræ naturæ à Verbo; minimè adhuc ex illis colligenda esset tam deformis consequentia. Respondeo ergo: solutionem supra datam esse bonam.

§. 58. Ad instantiam nego antecedens: Deindè datis secunda, & tertia consequentia, concessoque sequentis Entymematis antecedente, distinguo consequens: Ergo eo planè modo differunt Petrus, & Paulus, quo Petrus, & stellæ. Quoad carentiam idemtitatis realis concedo. Quoad carentiam conformitatis nego. Caramuelis roboramentum facilè languebit negando nos vnquam dixisse omnia singularia esse æquè dissimilia. Cur autem Verbum dicatur potiùs nostram, quam stellæ naturam assumpsisse, cum à nostra etiam, vt à syderea eius humanitas distincta sit? res est pueris nota. Quia scilicèt naturam conformem, & in prædicatis essentialibus vltimò similem nostræ, id est alteram humanam, & ex eodem Adæ semine propagatam sibi copulauit.

§. 59. Objicies quartò. Esse naturæ essentiale, quod reperitur in vno indiuiduo, reperitur etiam in alio, & prædicata, quæ tribuuntur vni, tribuuntur non similia, sed eadem alteri, ita vt illud idem prædicatum, quod prædicatur de vno, prædicetur de altero: ergo non similis natura est in pluribus indiuiduis, sed eadem, & consequentèr eamdem habens vnitatem formalem communitatis. Consequentia est bona: Antecedens probatur. Nam si de Petro proferam: *Est animal rationale*, possum sumere hoc ipsum Animal rationale, quod de Petro dicitur, & enuntiare de singulis indiuiduis naturæ humanæ; sed prædicatio fundatur inesse rei: ergo idem esse reperitur in omnibus, quandò quidem idem esse de omnibus enunciatur.

§. 60. Dices. Prædicationem fieri per intellectum, cuius opere eadem natura enunciatur de pluribus eâ vnitate, quæ per abstractionem ab indiuiduis in illa, resultat. Sed contra primò. Quia quando natura prædicatur de indiuiduis, non prædicatur secundum aliquid, quod de nouo acquirat per abstractionem, sed secundùm id, quod realiter est in illis. Sed eadem humanitas sine aliqua distinctione, aut similitudine prædicatur, vt vna de indiuiduis: ergo non secundum vnitatem, quam de nouo acquirat per intellectum, sed secundum illam, quam realiter supponit in illis. Minor est certa, & toto conatu deffenditur à Thomistis, & omnibus, qui præcisiones tuentur objectiuas. Consequentia bona. Maior probatur: Tum quia id, quod prædicatur de indiuiduis est, ipsummet esse reale eorum, ac proindè non potest prædicari secundum vnitatem, quam non habet à parte rei; alioqui prædicatio esset falsa, affirmaret enim, poneretque in indiuiduis aliquid, quod in illis reuera non esset. Tum etiam quia vnitas accepta ab intellectu est vnitas rationis: ergo si prædicaretur de indiuiduis secundum illam vnitatem, prædicaretur secundum aliquod ens rationis de illis. Tum denique, quia intellectus nequit præstare vnitatem naturæ, cum illa sit entis passio, quæ necessariò reperitur, vbicumque natura ponatur, vel concipiatur. Contra secundò. Quia prædicatio superioris de inferiori fundatur in idemtitate cum suo inferiori. Nam in tantum prædicatur, in quantùm idemtificatur: ex hoc verò fit, quod cum illud esse, quod prædicatur de vno indiuiduo, prædicatur etiam de alio, debeat cum vtroque idemtificari, & consequenter, quod prædicatur de vno, debeat etiam esse in alio per idemtificationem: vndè natura à parte rei, erit vna in omnibus, ita vt cum omnibus idemtificetur secundum suum esse essentiale; non obstante plurificatione entitatiua, & indiuiduali. Hæc ferè Pasqualigus.

§. 61. Hoc argumentum tangit præcipuam difficultatem de vnitate objecti vniuersalis, qua Reales cum Nominalibus decertant. Sed eo non vrgentur Nominales, quippè qui non agnoscunt aliam vnitatem in Homine vniuersali v.g. nisi congeriem indiuiduorum, quæ vt similia, & confusè cognita de se ipsis, vt clarè cognitis acommodâ quadam distributione prædicantur; negant enim, idem ipsum prædicatum, quod enuntiatur de Petro prædicari posse de Paulo; cum de Petro non nisi Petus, nec de Paulo, non nisi Paulus, sub confuso tamen nomine Hominis enuntietur. Quare Nominales negabunt antecedens, & eius probationis Maiorem, &c. Reales autem, qui in vniuersali vnitatem constituunt simpliciter, seu idemtitatem genericam, vel specificam saltem operâ intellectus coalitam, explicare tenentur, quo pacto illa vnitas descendat, vel non descendat ad inferiora in actu prædicationis: de quibus nos infra; pro nunc. Respondeo: Vnam quidem naturam prædicari de multis, sed vnitas illa, quæ naturam abstractam, consequitur, est vnitas eiusmodi statum consequens dumtaxat; nec ad statum contractionis transire debet. Varia-

tur

tur ergo suppositio de statu in statum in hac illatione. Natura abstracta est vna, & communis multis prædicabiliter: ergo est vna, & communis à parte rei. Equidem in consequentiâ non supponit iam natura pro abstractâ. Quòd autem prædicatio vera fundetur in reali idemtitate prædicati cum subiecto, non conuincit, quod eadem, & vna natura, eodemque modo, quo præcisiuè est in intellectu idemtificetur cum indiuiduis à parte rei. Sed quòd natura *secundum se*, quæ tunc enuntiatur, verè reperiatur in quolibet indiuiduo, etiam vt multiplicata, cuius multiplicatio tunc non attenditur ratione abstractionis, quarè apparet, vt vna. Vndè illa propositio. Natura prædicatur de indiuiduis non secundum vnitatem, quam de nouo acquirit, sed secundum illam, quam realiter supponit in illis, omninò est falsa; quia illa cognitio abstrahit ab omni vnitate, vel multiplicitate, quam Natura habere poterat à parte rei: secundum nullam igitur vnitatem positiuam concedendum est, Naturam prædicari de indiuiduis; si sensus sit, vnitatem esse prædicandam de illis. Ratio est, quia nulla est excogitabilis vnitas pro tunc, nisi duplex; Rationis videlicet, ex abstractione resultans, & hæc nec prædicatur, nec prædicari potest ob rationem in argumento factam: altera Realis indiuiduorum à quâ potius abstrahit natura prædicabilis. Quòd si contendas, vnitatem essentialem, idest constitutionem differentialem speciei esse prædicandam de indiuiduis, ad hanc instantiam latè respondi supra §. 50. Ad formam ergo argumenti dico, suprà datam solutionem bonam esse, & ad primam instantiam data maiore; minorem distinguo. Eadem Humanitas sine aliqua distinctione, aut similitudine prædicatur, vt vna de indiuiduis, vnitate aliqua reali, seu in diuisione positiua, nego minorem, vnitate aliqua rationis consequente abstractionem, sub distinguo; habente se, vt prædicatum, quod in ea cognitione affirmetur, de subiecto, nego. habente se, vt conditionem necessario petitam ad communitatem eiusmodi prædicabilitatis, transeat; & nego consequentiam. Hinc ruunt cætera.

§. 62. Obijcies quintò. Si Natura Petri, v.g. vt distinguitur formaliter à Petreitate, non esset positiuè vna cum natura Pauli, vt formaliter distincta à Pauleitate, sequeretur, quòd quælibet earum ab altera distingueretur positiuè; sed hoc est falsum: ergo illæ naturæ prout sic distinctæ à singularitatibus sunt vna positiuè natura. Probatur minor. Quia eatenus illæ naturæ prout à singularitatibus distinctæ distinguerentur positiuè inter se, quatenus haberent aliquod principium formale distinctionis inter se; sed non sunt principia vlla formalia, per quæ distinguantur inter se: ergo non sunt positiuè distincta. Maior patet ex terminis. Minor etiam est euidens. Quia in illis naturis prout sic nulla essent principia formalia, nisi prædicata dumtaxat essentialia, aut proprietates consequentes ea prædicata; sed hæc potiùs sunt principia formalia conueniendi harum naturarum inter se: ergo non sunt principia differendi; immò contradictorium est, eamdem rem esse principium conuenientiæ, simulque differentiæ respectu eiusdem.

§. 63. Respondeo: argumentum si aliqualem præsefert difficultatem, non nisi in sententia Scotica illam facessere, in qua antè omnem intellectus operationem conceditur Natura, vt distincta à singularitate Petri, comparabilis realiter cum natura Pauli, prout distincta à Pauleitate. Ast inter Nostrates facilè negatur maior; nam cum non nisi per intellectum naturæ illæ, à suis singularitatibus distinguantur, nil refert, si inter illas resultet vnitas positiua, vel negatiua; dummodò ab intellectu proficiscatur.

§. 64. Obijcies sextò. S. Thomam libro primo Perihermenias Lectione decima (affertur que contra nos à Caramuele. Metalog. dicta disput.) *Quandoque* (inquit S. Doctor) *attribuitur vniuersali sic considerato, quod scilicet apprehenditur ab intellectu, vt vnum, tamen id, quod attribuitur ei non pertinet ad actum intellectus; sed ad esse, quod habet Natura apprehensa in rebus, quæ sunt extra animam.* Ecce Doctor Angelicus (inquit Caramuel) apertè docet, vnitatem vniuersalis non attribui naturæ ab intellectu; sed esse realem, quandoquidem pertinet ad esse, quod habet extra animam: ergo natura vniuersalis non per intellectum, sed realiter habet vnitatem positiuam in indiuiduis.

§. 65. Respondeo. D. Caramuelem ex aliqua indigesta Centonum farragine illa verba fortè transcripsisse: libentius enim credidero, virum doctissimum Diui Thomæ textum in eiusdem scripto non legisse, quam lectum crasso errore non intellexisse, quod absit, vt de tanto cogitem Authore. Accipe Aquinatem non mutilum, sed iugi tenore loquentem. *Vniuersale* (inquit) *potest considerari secundum sententiam Aristotelis secundum esse, quod habet in intellectu. Et sic potest ei aliquid attribui tripliciter. Quandoque enim attribuitur ei aliquid sic considerato, quod pertinet ad solam operationem intellectus, vt si dicatur, quod Homo est prædicabile de multis, siue vniuersale, siue species. Huiusmodi enim intentiones format intellectus, attribuens eas naturæ intellectæ secundum quod comparat ipsas ad res, quæ sunt extra animam. Quandoque verò attribuitur vniuersali sic considerato, quod scilicet apprehenditur ab intellectu, vt vnum; tamen id, quod attribuitur ei, non pertinet ad actum intellectus, sed ad esse, quod habet natura apprehensa in rebus, quæ sunt extra animam, puta si dicatur, quod Homo est dignissima Creaturarum: hoc enim conuenit naturæ humanæ etiam secundum quod est in singularibus. Nam quilibet homo singularis dignior est omnibus creaturis irrationabilibus; sed tamen omnes homines singulares non sunt vnus homo extra animam, sed solum in acceptione intellectus, & per hunc modum attribuitur ei prædicatum scilicet, vt vni rei, &c.* Hæc adeò clara sunt, vt Lectione; non explicatione indigeant. Loquitur S. Doctor de prædicatis, quæ attribuuntur vniuersali, vt vni, quorum quædam dicit, esse ab intellectu conficta, vt Hominem esse speciem, esse prædicabilem. Alia realia ex his, quidem, quæ in singularibus

extra animam comperiuntur, vt Hominem esse dignissimam creaturarum. Vndè *esse dignissimam creaturam*, non vnitas, est prædicatum, quod naturæ vniuersali attribuitur ex his, quæ naturæ humanæ conueniunt realiter in singularibus. Nèc venia dignus est Author ille, eo quòd oscitanter omiserit exemplum Diui Thomæ, atque ea verba continuò sequentia: *Sed tamen omnes homines singulares non sunt vnus homo extra animam, sed solum in acceptione intellectus*: attende Lector, *& per hunc modum attribuitur ei prædicatum scilicet, vt vni rei*. Certè nihil sibi repugnantius adducere potuit Caramuel, nihilque pro nostra sententia luculentius.

DISSERTATIO VI.

An Natura habeat vnitatem negatiuam multis communem à parte rei?

§. 1. Nil frequentius apud Neotericos, quàm Caietanum Opusc. de Ente, & essentia cap. 4. quæst. 6. docuisse, Naturam habere à parte rei vnitatem multis negatiuè communem: sed meram esse imposturam malè legentium, seu (vt sincerius loquar) non legentium, manifestè ostendam. Et quia sententia communis, & vera eiusmodi vnitatem negans à nobis tenenda est, eam non nisi rationibus ipsiusmet Caietani comprobare; argumentaque contraria responsionibus eiusdem Doctoris diluere decreui. Lubet enim vestigijs eius insistere, qui hanc rem adeò subtili fælicique calamo pertractauit, vt cæteros quosque Scriptores doctrina, atque ingenij acumine longè superarit. Testem appello Masium disput. de rebus Vniuers. sect. 2. quæst. 3. *Caietanus* (inquit) *acutissimus in cap. 4. de Ente, & Essentia quæst. 6. qui certè ita subtilissimè, & eruditissimè totam hanc tractationem de rebus vniuersis in hoc capite absoluit, vt nihil suprà queat desiderari*. Accedunt extranei, vt Thomas Antonius Martorrellius quæst. 4. *Hæc omnia desumpta sunt* (ait) *ex Philosopho, vt tamen abstrusa, & recondita horum omnium inuestigemus, subtilitates subtilis Caietani Cardinalis super cap. 4. de Ente, & Essentia scrutabimur*. Ioannes Merinerus, disput. 1. quæst. 3. sect. 1. num. 11. *Sufficiat* (inquit) *Caietanus Libro de Ente, & Essentia, cuius verba consultò retuli, quia in eis non solum carpit, vt decet aduersarios, sed etiam in eis continentur duæ rationes, quæ ad formam redactæ videntur demonstrationes*. Omitto alios, qui prædictum Doctorem de his eo libello disputantem legerunt, vt laudarent, laudarunt, quia intellexerunt; sed non omittam illos, qui Caietanum, nec lectum, nec visum citantes, sententiam falsam de vnitate negatiua reali ipsi imposuerunt, & quod intolerabilius est; argumentula quædam vana, futilia, & tanto viro indigna sparserunt in vulgus, quæ ipsi tanquam Caietanica refellunt gloriabundi, cum tamen Caietanus tale quid nunquam scripserit, nec vel cogitarit. Quapropter illum à tam celebri calumnia vindicans, Scholasticos ab Authoribus parum legentibus fuisse delusos fidelissimè monstrabo.

THEOREMA I.

Caietanus ab Arriaga, Ouiedi, aliorumque imposturis liberatur.

§. 2. Rodericus de Arriaga disput. 4. Logicæ sectione tertia hæc habet: [Caietanus cap. 4. de Ente, & Essentia quæst. 6. docuit, naturam humanam, Petri v.g. distingui ab humana natura Pauli: id verò non prouenire ex ipsis naturis, quæ secundum se sunt vnum quid negatiuum, quatenùs non dicunt ex se distinctionem, sed solum ratione indiuiduationum, cum quibus identificantur, quod conuenit naturis ipsis à parte rei independenter ab intellectu. Immò addit, naturæ Petri secundum se non repugnare à parte rei esse in Ioanne, & si non dicat aptitudinem positiuam ad illam. Hæc reffert Arriaga perindè, ac si illa apud Caietanum loco citato legisset, notasset, & vt impugnaret, transcripsisset. Sed (mirum dictu!) citat quæ nec vidit, nec legit vnquam, & quæ nec vnquam Caietano venit in mentem: eo enim loco non modò non scripsit talia Caietanus; sed potiùs contradictorium tradit, vnitatemque negatiuam Naturæ realem, seu ab intellectu independentem omninò negat, reijcit, impugnat. Oculis mi Lector crede. En conclusiones Caietanicæ.

§. 3. *Quoad tertium* (inquit ille) *propono tres propositiones. Prima est: Qualibet vnitas supradicta tam scilicet numeralis, quam formalis existit extra animam. Secunda est. Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Tertia est: Omnis vnitas formalis existens extra animam multiplicatur realiter ad multiplicationem ipsarum rerum*. Pergit, & mox modos communitatis explicans pro secunda conclusione, sic ait: *Ad intelligentiam verò secundæ est notandum, quod res potest intelligi communis extra animam dupliciter. Vno modo positiuè, alio modo negatiuè. Illa res est communis positiuè, quæ indiuisa manens in pluribus suppositaliter distinctis inuenitur. Illa verò est communis negatiuè, quæ nulli supposito est propria. Primò modo rem communem nullam recolo asserentem dari extra animam, nisi essentiam Diuinam secundum fidem Christianam. Secundò modo videtur à quibusdam poni res extra animam communis, de quibus sermo erit infrà: & quia hoc alienum à veritate mihi videtur: ideò de tali communitate intelligendo propositionem probo dupliciter*. Quam continuò probat eisdem argumentis, quibus nos infra probabimus nostram assertionem, videlicet Naturam non esse communem negatiuè à parte rei.

§. 4. Vide qua fronte Author hic veritate reclamante in Tyronum, ac simplicium Lectorum præiudicium falsa nobis obtrudat testimonia. Et nota valdè illud Arriagæ; *Immò addit* (nempè Caietanus) *Naturæ Petri secundum se non repugnare à parte rei esse in Ioanne, & si non dicat aptitudinem positiuam ad illam*. Sed vbi quæso, aut quando illa addit? quo folio? qua paragrapho? quibus verbis? nullus mortalium ostendet. Equidem in tota illa citata quæstione, & insequenti

quenti nèc vel vnum verbulum inuenies de aptitudine naturæ ad essendum in multis, nèc de illa agit. Dùm verò in quæst.7. illam examinat, potiùs docet contradictorium sub his verbis: *Quòd Humanitas in quantum humanitas abstrahit à repugnantia ad essendum in pluribus, & à non repugnantia ad essendum in pluribus, sicut abstrahit ab albo, & non albo. Si enim humanitas vendicaret sibi in quantum humanitas non repugnantiam ad essendum in pluribus, nullo pacto humanitati posset conuenire repugnantia ad essendum in pluribus; & sic nec per se, nec per accidens posset repugnare humanitati esse in pluribus, quod est manifestè falsum. Humanitati enim Sortis ratione adiunctæ hæcceitatis repugnat esse in pluribus: consequentia tenet, quia oppositum eius, quod conuenit alicui secundum quod ipsum, nullo modo potest inueniri in illo, vt habes ex primo posteriorum. Quamuis igitur Naturæ ratione sui non repugnet esse in pluribus: non tamen vendicat sibi ratione sui non repugnantiam ad essendum in pluribus, & cum eam non vendicet sibi secundum esse, quod habet in singularibus, relinquitur, quòd vendicabit eam sibi secundum esse, quod in Intellectu sortitur.* Hæc ille, doctissimè.

§. 5. Sed age, audi Arriagam. [Hæc sententia (inquit) displicet ob multa. Primò quia videtur distinguere à parte rei naturam à singularitate, &c. Secundò displicet, quia distinguit inter non repugnantiam, & inter aptitudinem positiuam ad essendum in alio, quæ duo idem sunt à parte rei; quia si alicui naturæ non repugnat esse in alio indiuiduo: ergo potest esse in alio indiuiduo; ergo habet aptitudinem, vt sit in illo: frustrà ergo inter non repugnantiam, & aptitudinem quæritur discrimen. Tertiò tandem, & vltimò displicet, quia eo ipso, quod Petrus, & Paulus in ratione hominis non dicant distinctionem, tenetur fateri, in ratione hominis non esse distinctos; quia idem est non dicere distinctionem, & non esse distinctos, &c.] His Arriaga à se positam impugnat sententiam, sed dicere non poterit cum Apostolo: *Non quasi aerem verberans*. Pugnat enim cum monstro, quod sibi finxerat imaginario. Videamus tamen rationes, ob quas eiusmodi sententia sibi displicère dicit. Quoad primum benè displicet, quia supponere distinctionem independentem ab intellectu inter Naturam, & singularitatem nobis etiam displicet, Thomistis omnibus, sicut, & ipsi Caietano displicet; quamobrem Scotista, non nisi interiecta sua distinctione formali ex natura rei eiusmodi doctrinam defendit. Quoad secundum malè sibi displicet: posset enim quis dicere, non repugnantiam non esse idem, ac aptitudinem positiuam ad essendum in multis. Vndè quamuis alicui naturæ contractæ non repugnaret esse in alio indiuiduo, (quod Caietanus non docuit) adhuc malè inferret, quod haberet aptitudinem positiuam ad essendum in illo. Quod quidem, & Caramueli videtur euidens. Nam cæcus v.g. habet non repugnantiam ad videndum, non enim lapis est; & tamen aptitudine caret ad videndum positiua, seu proxima. Verùm enim verò hinc manifestius apparet, Arriagam nunquàm legisse Caietanum. Nam hoc argumentum est ipsius Caietani, atque illo impugnabat ipse Scotum inferentem, Naturam esse aptam, esse in pluribus, ex eo, quod ipsi non repugnabat ex se esse in illis. Accipe, & audi: *Et aduertas* (inquit) *ad maiorem nostræ positionis euidentiam, quod hìc accidit similis defectus Scoto, illi, qui positus est supra. Cum enim aptitudo ad essendum in pluribus sit idem, quod non repugnantia ad essendum in pluribus, arguit sic. Naturæ puta humanitati in quantum humanitas non repugnat esse in pluribus: ergo humanitati in quantum humanitas conuenit aptitudo, seu non repugnantia ad essendum in pluribus, & consequenter humanitas est vniuersalis absque opere intellectus. Apparet autem manifestè peccatum in hoc processu, cum ex negatiua infertur affirmatiua de prædicato infinito reduplicatione addita. Hæc ille quæst.7. §. Et aduertas*. Quæ si legisset Arriaga, nunquam illa obiecisset Caietano. Tertia denique Arriagæ displicentia etiam est vana nullique non displicet, scilicet hoc deerat, quod Caietanus ignoraret rem quidem grandem, nempè esse idem Petrum, & Paulum non dicere distinctionem, ac Petrum, & Paulum non esse distinctos, Apage.

§. 6. Pergit Author hic. [Sed obijcit Caietanus (inquit) Petrus, & Paulus independenter ab intellectu habent negationem distinctionis formalis in ratione hominis, quia non distinguuntur in illa ratione: ergo sunt vnum negatiuè in illa. Falsum antecedens, & mala consequentia. Falsum antecedens, quia Petrus, & Paulus, etiamsi in ratione hominis non sint dissimiles; sunt tamen distincti; quæ duo valdè sunt diuersa, & quia à multis non considerata sunt, ideò in has confusiones, & identitates secundum se, negatiuè, &c. lapsi sunt. Addo iam consequentiam esse malam, quia si antecedens esset verum, non solum negatiuè, sed etiam positiuè Petrus, & Paulus essent idem, quia in rebus positiuis non distingui, & esse vnum positiuè idem, omninò est diuerso modo explicatum].

§. 7. Hoc argumentum, quod vt fundamentalis Ratio Caietani ad adstruendam vnitatem negatiuam naturæ à parte rei signatè affertur ab Arriaga dicente. *Sed obijcit Caietanus*. Merum est eiusdem figmentum. Estò falsum sit antecedens, & mala consequentia (de quibus non curo). Ast illud esse Caietani, prorsùs nego, negat codex, negant qui legunt omnes, & nunquam probabit Arriaga. Fortassè (quod ægrè credidero) apud citatam quæstionem impegit in illud argumentum præcedenti quidem simillimum: *Quæcumque suppositaliter distincta sunt vnum formaliter extra animam, habent aliquam vnitatem communem eis extra animam. Sortes, & Plato sunt vnum formaliter extra animam: ergo Sortes, & Plato habent aliquam vnitatem sibi communem extra animam. Maior ex eo videtur manifesta, quòd si aliqua suppositaliter distincta sunt vnum, in eo, in quo sunt vnum, non distinguuntur: & sic illud vnum est commune vnique extra animam, ex quo sic sunt vnum*, ecce argumentum, quod fateor, proponi à Caietano: sed non pro se, sed pro aduci-

aduersarijs, illudque sibi obijcit, vt soluat: præmiserat enim, se obiectiones quasdam exclusurum in quinta parte quæstionis: *Quintò* (inquit) *quædam obiectiones excludendæ sunt*, & hanc primo loco ibi diluit solutione illa apud Thomistas, & alios valdè celebri de fallacia consequentis, & inter alia subiungit hæc: *Non enim est imaginandum Sortem, & Platonem esse vnum formaliter, quia conueniunt in aliquo, in quo non distinguuntur extra animam; sed ideò, quia vterque negatione diuisionis formalis ab altero gaudet, &c.* Sed verò argumenta contraria, quæ in disputatione soluenda sunt, cum proprijs rationibus, fundamentisque disputantis confundere, nec pueris quidem liceret impunè.

§. 8. Peius adhuc superest argumentum, quod Caietanus velit, nolit adoptet in suum: [Obijcies secundo Homo ex se neque est Petrus, neque illi repugnat esse Petrus: ergo ex se non est idem cum illo positiuè: ergo est negatiuè distinctus ab illo. Respondeo negando antecedens, &c. sed licèt demus Caietano totum hoc, adhuc non posset probare, dari vniuersale à parte rei: quia si natura à parte rei, est vna in omnibus, iam non poterit esse multiplex, & consequenter nec vniuersalis. Argumentatur autem Caietanus ex æquiuocatione: accipit enim hominem in diuersa suppositione, iam pro hoc, iam pro illo.] Bone Deus! quorsum ista? quisnam vè est Caietanus iste Platonicus, qui vniuersale probare contendit à parte rei dari, idque tam fribolis argumentis, confusionibus, æquiuocationibus in consequentijs; quisnam inquam? Nam Dominicanus ille Thomas de Vio Cardinalis vir doctissimus simul, ac perspicacissimus nihil minùs vspiam somniauit. Video tamen aliena somnia ipsi imputari, & Orbi Literario tam pulchris typis, nempè Antuerpianis excussa publicari. Quid ergo de his dicendum? nisi, Arriagam citatum à se Opusculum, nunquam vidisse, aut legisse; sed illa argumenta, quæ in triuio esse Caietanica à circulatoribus audiuit, re non inspecta chartis illeuisse. Vitium hoc sibi frequens est. Infra enim disput. 7. sect. 3. sub sect. 2. num. 45. eundem Caietanum in consequentiæ arguens, eo quòd negata vniuersalitate naturæ Diuinæ, speciem Angelicam asseruerit vniuersalem, satis indicauit, se nec tunc euoluisse, aut legisse Caietanum, vt suo loco aduertam.

§. 9. Venio iam ad Ouiedum, qui Controuersia 3. Logicæ, puncto 3. hæc scribit: [Dixi puncto præcedenti, subtilem Doctorem, nihil contra Angelicum docuisse de existentia vniuersalitatis antè operationem intellectus, quam nulla enus admisit Scotus, &c. Iam verò in præsenti difficultate præcipuum Angelici Doctoris discipulum, Caietanum inquam, Scoti vestigia sequentem video. Asserit Caietanus cap 4. de Ente, & Essentia quæst. 6. cum Scoto, in 2. distinct. 3. quæst. 1. & Metaphys. quæst. 18. dari in natura vnitatem quamdam communem, non positiuam, in qua vniuersalitas consistit, sed tantùm negatiuam, quam sic explicatam inuenio apud Scotum, Scoti discipulos, & Caietanum. Duplex communis vnitas ab his authoribus distinguitur, &c. Eàdem ratione distinctionem hanc explicuit Caietanus loco citato, vbi asserit, naturam humanam Petri distingui à natura humana Pauli, non ratione naturarum, quæ secundum se sunt vnum quid negatiuum, quatenus ex se non dicunt distinctionem, sed ratione differentiarum indiuidualium, cum quibus identificantur. Addit, naturæ Petri ex se non repugnare esse in Ioanne; licèt non habeat positiuam aptitudinem, vt sit in illo].

§. 10. Hæc Ouiedus: qui vt vides in fide Arriagæ imposturam deglutiuit eamdem. Et quia nesciebat, vbi, vel quibus verbis ea doceret Caietanus, ipsa Arriagæ verba, transcripsit aiens. [*Addit, naturæ Petri, ex se non repugnare esse in Ioanne: licèt non habeat positiuam aptitudinem, vt sit in illo.*] Sanè Arriagam, quem legit, & vidit non citat; citat tamen Caietanum, & Scotum, quos non vidit, nec legit. Etenim si vtrumque legisset, lustrasset, & vicissim contulisset, nequaquam scripsisset, *se videre præcipuum Angelici Doctoris Discipulum Caietanum Scoti vestigia sequentem*. Cum ipsemet Caietanus loco citato §. *Vndè apparet*. Quasi calumniam præcauens, luce meridiana clarius ostendisset, suam sententiam ab Scotica de communitate negatiua prorsus discrepare sub his verbis: *Et si hoc intuitus fueris, videbis, in quo differt positio Scoti in secundo sentent. distinct. 3. quæst. 1. à positione nostra: Et vndè in talem opinionem incidit. Dicit enim ipse, naturam specificam, puta humanitatem ratione sui sequi hæc duo, scilicet vnitatem formalem, & communitatem negatiuam, seu indifferentiam ad plura numero.* (Paucisque interiectis.) *Nos autem in primo non dissentimus, sed in secundo. Dicimus enim, naturam ratione sui sequi vnitatem formalem, sed communitatem negatiuam fatemur non sequi eam ratione sui, sed ratione solitudinis suæ: sicut singularitatem sequi eam diximus ratione associationis eius ad existentiam. Et quia conditio solitudinis non conuenit naturæ ratione sui, nec ratione ipsius esse, quod habet extra animam, sed ratione intellectus, qui natus est adunata diuidere, ideò ante omnem actum intellectus, nulla communitas in natura inuenitur.* En tibi Caietanus tametsi vnitatem formalem Naturæ admittat cum communi sententia sicut, & Scotus; illam tamen esse communem negatiuè multis à parte rei (quæ præsens difficultas est) omninò negat contra Scotum. Et quidem cùm hæc propositio sit Scoti: *Ante omnem actum intellectus Natura habet communitatem negatiuam*. Hæc vero Caietani: *Ante omnem actum intellectus Natura nullam communitatem habet*. Eæque sint contradictoriæ, (vt patet) nescio quomodo Scoti vestigia præmere dicatur Caietanus, nisi fortè contradicere, & impugnare pro libito sequi appelletur.

§. 11. Arriagam, atque Ouiedum sequuti sunt Ildephonsus de Peñafiel, Ricardus Lynceus, Sebastianus Izquierdo, Stephanus Spinula, & plures alij Neoterici, qui eodem errore

seu

seu ignauia legendi Caietanum inuoluti sunt: Immò vix est Recentior extra scholam Diui Thomæ, & Scoti, qui agens de vnitate vniuersalium non incipiat suam disputationem, sectionem, vel capitulum cum prædicta Caietani falsa citatione, quippè iam transijt in commune illorum exordium: *Caietanus opusc. de Ente, & essentia, cap. 4. quæst. 6. docuit Naturam à parte rei esse negatiuè multis communem &c.* Sed vndè nata impostura hæc? Arriagam (arbitror) fefellit Rubius, qui inter primos tale commentum litteris promouit, minimè facturus, si Caietanum, & ipse legisset, verum & ante Rubium alij similiter hallucinati sunt: Nam M. Masius pridem perstrinxerat innominatos quosdam his verbis; *Hanc docet Caietanus cap. 4. de Ente, & essentia quæst. 6. conclus. 2. quidquid quidam dicant ex mente illius, naturam à parte rei esse vnam negatiuè, qui profectò vel ipsum non legerunt, vel illius mentem non fuerunt assequuti:* Assecutus quidem fuit eximius Doctor Suarez, vtpote qui diligenter legerat illum, vndè, & optimè intellexit Metaph. disput. 6. sect. 4. num. 14. legerat, atque secutus est D. Fonseca Metaph. lib. 5. cap. 28. quæst. 4. sect. 4. legerant Conimbricenses, ritèque citarunt vniuersal. quæst. 3. art. 3. ex quibus prædicti scriptores (si suos tantum Authores consulere amabant) veram Caietani sententiam haurire potuissent. Modestior sanè se gessit Caramuel, qui, timens ductore cæco in multorum foueam incidere Metalog. libro 4. de vniuersal. disput. 7. artic. 12. num. 442. excusatur his verbis: *Et nos quia maioribus sumus occupati, quid Caietanus senserit, vel non senserit non discutiemus, sed supponentes potiùs, illum vniuersale negatiuum docuisse (sic enim intelligunt viri Doctiores) inquiremus, An detur vniuersale negatiuum?* Sed dices; Te nullo iure teneri legendi Caietanum. Fateor nullo: Sed quo iure quæso tu tanto Doctori falsa imponis, nugacesque ratiunculas adscribis, non sine famæ iactura? sanè qui Philosophiam profitetur, scribitque, tenetur omninò Philosophiæ Proceres, atque primos Magistros recognoscere, inter quos Caietanum non infima tenere subsellia, nemo dubitauerit.

THEOREMA II.

Naturam à parte rei non habere vnitatem negatiuè communem, rationibus Caietani probatur.

§. 12. TAm Thomistæ, quàm Scotici docent, nullam naturam præter Diuinam esse singularem essentialiter, & ex se, quare consequenter affirmant, omnem naturam secundum se esse communem negatiuè contra nominales F. Adamum, Varronem, Okamum, & alios, qui res vniuersales negantes, naturas ex se singulares esse contendebant. At quamuis vtraque schola concordet affirmando, naturam secundum se esse negatiuè communem; latè tamen discrepant incapienda illa particula *secundum se, ex se* siue *de se*, ex cuius diuersa intelligentia tota hæc nascitur controuersia. Thomistæ sumunt ly *secundum se* vel *ex se* pro solitariè, seu statu solitudinis, quando scilicet natura sine consortio indiuiduationis, & existentiæ consideratur quoad prædicata essentialia tantum. Scotistæ verò vsurpant ly *ex se*, pro essentialiter, ab intrinseco, seu habitudine causæ: id quod significauit Caietanus [*Et æquiuocatio* (inquit) illius termini *ex se*, seu *de se*; potest enim vtrumque eorum accipi dupliciter: vno modo positiuè, & sic dicit habitudinem causæ: alio modo negatiuè, & sic dicit solitudinem id est non cum alio, & primo modo intellexit (Scotus) naturam esse communem ex se: ita quod ipsa est sibi sufficiens causa suæ communitatis, vt ex verbis eius ibi patet: cum tamen debuisset intelligere secundo modo: Natura enim ex se, id est non cum alio est indifferens, & communis: Sicut quando dicitur, natura ex se est sola, ly *ex se* non dicit aliquam causalitatem, sed tantùm negationem coniunctionis *cum alio*.] Hæc ille. Igitur cum nihil aliud sit, naturam esse negatiuè communem; quam illam non esse essentialiter singularem, hinc discurrit Scotista: Natura secundum se, & ex se est negatiuè communis; ergo etiam à parte rei est negatiuè communis, id est non adeò determinatur per vnam singularitatem, quæ sibi extrinseca est, vt repugnet illi esse sub altera; cum potiùs sibi ab intrinseco, & ex se conueniat non repugnantia essendi in multis. Thomista verò negat consequentiam, quia in antecedente æquiuoco non sumpsit ly *secundum se* pro essentialiter, sed pro solitariè. Addit insuper, non illicò debere inferri, naturam esse negatiuè communem essentialiter ex eo præcisè, quod ipsa non sit essentialiter singularis, quandoquidem datur medium, nempè ipsa natura absoluta, & secundum sua prædicata essentialia tantùm accepta, quæ prout sic non est singularis, necnon singularis, abstrahit que à communi, & non communi: Ecce tota difficultas, & vtriusque scholæ fundamenta.

Conclusio Thomistica.

§. 13. NVlla datur communitas naturæ à parte rei adhuc negatiuè. Probat Caietanus primo sic. Nulla res exigens quidditatem solitariè inueniri extra animam, existit in rerum natura; Sed vnitas communis extra animam negatiuè pluribus suppositaliter distinctis est res exigens, quidditatem solitariè inueniri extra animam: ergo nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Huius syllogismi consequentia est bona: Maiorem sic ostendit. Nullum exigens ad sui existere aliquod impossibile, inuenitur: Sed quidditatem extra animam solitariè inueniri est impossibile, oportet enim, ipsam esse in aliquo supposito: Ergo id quod exigit, ipsam solitariè inueniri, nunquam existit in rerum natura. Minorem sic probat: id quod exigit quidditatem non propriam alicui supposito extra animam, exigit ipsam solitariè existentem: Sed vnitas hominis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem non propriam alicui supposito: Ergo vnitas communis

nis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem solitariè inueniri in rerum natura, &c.

§. 14. Secunda ratio eiusdem sic habet. Omnis res existens in rerum natura est res particularis: Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est res particularis: Ergo nulla talis vnitas est in rerum natura. Maior est nota ex communi Peripateticorum sententia. Minor probatur sic. Omnis res particularis est alicui vni supposito propria, alitèr non esset particularis; Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis, est alicui vni supposito propria: Hoc patet ex terminis: ergo nulla talis vnitas est particularis.

§. 15. Hæc duo Caietani argumenta optimè probant, non dari à parte rei naturam entitatiuè, & Physicè (id enim fermè sonat à parte rei) communem multis negatiuè, vt rem consideranti liquebit, Nam quod entitatiuè est singulare non est negatiuè commune secundum entitatem, & realiter, cum eiusmodi communitas in negatione, seu exclusione singularitatis consistat; Sed natura à parte rei entitatiuè est singularis, quia cum singularitate realiter identificatur: Ergo illa non est entitatiuè, & à parte rei communis negatiuè. In hoc epicheremate (quod vnicè inculcant nominalistæ) sita est tota vis argumentorum Caietani: qua conuictus videtur Merinerus Scotista disput. 1. quæst. 3. sect. 2. num. 32. vbi fatetur, naturam tantum secundum se esse negatiuè communem; non vero vt contracta de facto est ad singularitatem: sed author hic, nec sibi, nec suis constans est; nam infrà num. 49. sibimet contrarius docet, Naturam esse coniunctam per accidens cum singularitate, non opponi cum communitate negatiuè. Ergo natura adhuc vt contracta debet concedi à Merinero negatiuè communis, id quod ipse anteà negauerat. Probo consequentiam: Natura secundum principia Scoti prout contracta est ad singularitatem non est essentialiter, & ex se contracta ad illam; ergo essentialiter, ex se excludit contractionem accidentalem; Sed communitas hæc negatiua consistit formaliter in eiusmodi exclusione per te: Ergo natura adhuc vt contracta per accidens, est communis negatiuè ex se, ac proinde homo Scoticus contrariam nunquam fateri debuerat, vel me iudice.

§. 16. At verò alij Scotistæ vt Rodriguezius quæst. 1. de vniuers. art. 1. Respondent ad secundam Caietani rationem: quòd omnis res existens in rerum natura est per accidens singularis, ex se autem communis à parte rei, & non per intellectum, eo quòd quamuis contracta sit; tamen ex suo conceptu essentiali excludit singularitatem. Hæc tamen responsio minimè eneruat argumentum prædicti Doctoris, quod insistit in impossibilitate entitatiua excludendi singularitatem à parte rei. Etenim tot modis dicitur exclusio quot modis admittitur distinctio: ergo dabitur exclusio entitatiua à parte rei, exclusio rationis per intellectum, & exclusio formalis ex natura rei: Tum sic; Natura eatenus est communis negatiuè, quatenus excludit oppositum communitatis, nempè contractionem, seu singularitatem, Sed natura non excludit entitatiuè contractionem, nec singularitatem cum qua realiter identificatur: ergo entitatiuè non est communis negatiuè. Vel alio modo idem argumentum conficio. Natura quatenus excludit singularitatem, tantum est per vos negatiuè communis; sed tantum formaliter, & ex natura rei excludit singularitatem, & non entitatiuè, & realiter: ergo tantum formaliter ex natura rei est communis negatiuè, quod omnes dicunt. Nec valet si dicas, sufficere, quod natura excludat formaliter ex natura rei singularitatem, vt dicatur à parte rei communis negatiuè: non valet, inquam: Tum quia id prolibito dixerit: Tum etiam quia ideò paries v. g. quando est sub albedine est subiectum commune negatiuè ad recipiendum realiter nigredinem, quia de se realiter excludit albedinem quoad identitatem: adeò, vt si paries realiter identificaretur cum albedine, realiter non esset subiectum negatiuè commune ad recipiendum nigredinem: quod patet ex hoc principio euidenti: Quod res eo modo habet formam, quomodo excludit oppositum formæ: Ergo ex eo quod realiter, & entitatiuè non posset excludere albedinem secum realiter identificatam non posset realiter, & entitatiuè recipere nigredinem. Ergo pari ratione tametsi Natura excluderet singularitatem formaliter, & ex natura rei; cum tamen non excludat realiter, & entitatiuè, non erit communis realiter, & entitatiuè.

§. 17. Quapropter pergit doctissimus Cardinalis, & prædictum modum dicendi Scotistarum duobus alijs argumentis confutat, & quidem directè (vt ipse ait) Quibus etiam argumentis vtuntur M. Sotus quæst. 2. vniuers. M. Arauxo Metaph. libro 3. quæst. 3. art. 2. num. 28. M. Oña quæst. 2. vniuersal. art. 3. num. 5. PP. Complutenses disput. 3. quæst. 3. num. 22. & 23. & alij Thomistæ contra Scotum: vt obiter notes mi lector, quam longè abfuerit Caietanus à docendo communitatem negatiuam naturæ à parte rei in opusculo ab impostoribus citato, vt ibi potius ad impugnandam illam, tam Nominalibus, quam Thomistis tela suppeditauerit.

THEOREMA III.

Tertia, & quarta ratio Caietani, quibus vnitatem negatiuè communem à rebus explodit.

§. 18. Tertia ratio Caietani: *Quia humanitati* in eo quod humanitas, non conuenit quod sit non appropriata alicui; abstrahit, enim ab vtroque, scilicet ab esse proprio, & abesse non proprio. Si enim humanitas in eo quod humanitas, esset non appropriata, nunquam humanitas esset appropriata alicui: quia vt dictum est ex primo posteriorum, quod conuenit alicui secundum quod ipsum præsupponit de omni necessarium, *& per se*. Hæc

ille,

ille, & formalius infra quæst. 7. [*Si humanitas vendicaret sibi in quantùm humanitas non repugnantiam ad essendum in pluribus, nullo pacto humanitati posset conuenire repugnantia ad essendum in pluribus: Et sic nèc per se, nèc per accidens posset repugnare humanitati esse in pluribus, quod est manifestè falsum: Humanitati enim sortis ratione adiunctæ hæcceitatis repugnat esse in pluribus. Consequentia tenet: quia oppositum eius quod conuenit alicui secundùm quod ipsum, nullo modo potest inueniri in illo, vt habes *ex primo posteriorum &c.*] Huc vsque ille.

§. 19. Multa respondent Scotistæ, ita tamen vt vel ex solutionum varietate earum inefficacitas appareat. Primo dicunt, axioma illud Aristotelis verum quidèm esse, nempè esse impossibile, quod rei conueniat per se, nec per accidens oppositum prædicati, quod per se, & ratione sui sibi conueniebat: At verò cùm communitas negatiua consistat in excludendo singularitatem à sua ratione essentiali, & intrinseca, (dicunt) non esse oppositum eius habere singularitatem per accidens sibi coniunctam: Sed illam includere in sua ratione essentiali, & intrinseca, quod nunquàm competit naturæ neque per se, neque per accidens, ita merinerus.

§. 20. Sed contra *primo*: Quia non minus opponuntur repugnantia ad essendum in multis, & non repugnantia ad essendum in multis, quàm opponuntur rationalitas, seù potentia ad ratiocinandum, & repugnántia ad ratiocinandum, seù irrationalitas, vèl hinnibilitas: Sed sufficit quod humanitati per se conueniat risibilitas, seù rationalitas opposita hinnibilitati, ad hoc vt non solum excludat à sua ratione essentiali hinnibilitatem, sed etiàm (quod plùs est) nèc realiter, & entitatiuè possit illam secum idemtificare: Ergo eo ipso quod humanitati conueniat ratione sui non repugnantia ad essendum in multis, non solùm debet à sua ratione essentiali excludere singularitatem, sed nec ipsam secum realiter idemtificare, quod aperte falsum est. Contra *secundo*. Quia si proteruus quispiam contenderet, hominem ratione sui, & secundum se esse hinnibilem, & per accidens esse rationalem, vel risibilem, constitueret quidem hominem hinnibilem idemtificatum per accidens cũ risibili, seu rationali, eo modo, quo Scotista componit naturam ratione sui non repugnantem ad essendum in multis; idemtificatam tamen cùm repugnantia, scilicet cum singularitate. Et nemo posset illum conuincere si semel admittatur responsio Scotica. Nam nullo argumento impugnari poterat aptius, quam ratione prædicti argumenti, & axiomate Aristotelico: Et tamen diceret ille, hominem esse ratione sui hinnibilem, quæ hinnibilitas consisteret in excludendo rationalitatem, seu risibilitatem à sua essentiali ratione; quamuis per accidens haberet sibi rationalitatem realiter idemtificatam: ac proindè homini secundũ se hinnibili etiam si conueniret rationalitas, non conueniret oppositum sui prædicati per se, quia non includebatur in ratione intrinseca, sed ipsi per accidens coniungeretur sicut singularitas nectitur humanitate. Ecce tuæ similis solutio. Vel posset fingere hominem ratione sui risibilem (vt de facto est) & per accidens hinnibilem vice versa; seu cum hinnibilitate idemtificatum; at qui solutione Scotica defenderetur tam insolens delirium non secùs, ac communitas negatiua: ergo in sufficiens est, nullaque.

§. 21. Dicunt secundo ex Scot. 7. Metaph. quæst. 18. Etiam repugnantiam, & non repugnantiam ad essendum in multis non esse opposita in indiuiduo: quia non dicuntur de illo secundum idem. Sic materia prima v. g. dicit indeterminationem, & forma dicit determinationem, & tamen reperiuntur in eodem composito. Sic valera. *Sed contra*: Quià si semel admitatur, oppositum prædicati per se posse entitatiuè, & realiter idemtificari cum re, quamuis de illa non dicatur secundum idem formaliter: ergo humanitatem idemtificari per accidens cum Bucephaleitate in aliquo indiuiduo non esset chymericum, & contradictorium. Probo consequentiam: Nòn dicerentur de illo secundum idem: Equidem humanitas diceretur de indiuiduo illo ratione naturæ, & Bucephaleitas ratione singularitatis, vel indiuiduationis: sed sufficit (per vos) vt prædicatum per se, & oppositum eius non dicantur de indiuiduo secundum idem ad tollendam oppositionem, tametsi inter se, & cum illo idemtificentur entitatiuè: Ergo etiam si Bucephaleitas, & opposita rationalitas idemtificarentur in aliquo indiuiduo, nihil contradictionis implicarent; Cum tamen non dicerentur de illo secundum idem. Quod autem communicabilitas naturæ, & incommunicabilitas opponantur sicut risibilitas, & hinnibilitas, res in dubia est: Etenim tam latum discrimen iacet inter repugnantiam, & non repugnantiam ad essendum in multis, ac inter repugnantiam, & non repugnantiam ad ridendum, siue hinniendum, vt iam dixi. Iam vero exemplum de materia, & forma non est ad rem: non enim idemtificantur realiter materia, & forma in composito, sicut singularitas, & natura in indiuiduo: Equidem actus, & potentia reales, realiter vniri possunt, idemtificari non possunt.

§. 22. Dicunt tertio, Axioma illud non esse de omni prædicato per se vniuersaliter admittendum. Quia Aqua est per se frigida, cum frigiditas per nos sit passio Aquæ, & tamen per accidens potest calefieri, item materia prima per se est indifferens, & per accidens determinata. Sic Valera, Rodriguezius, &c. Frigida sanè est ista solutio. Nam proprietates physicæ elementorum sunt accidentia realiter distincta à substantijs, ex quibus oriuntur. Nec enim Scotus, nec vllus Doctor loquitur in præsentiarum de huiusmodi passionibus physicis, sed de metaphysicis, & essentialibus in quo sensu, & ipse Scotus dixerat de vnitate hac communi; Quod licet nõ sit intra rationem naturæ, quia equinitas tantum est equinatas secundum Auicenam 5. Metaph. *tamen illa vnitas est passio propria naturæ secundum suam entitatem primam*, &c. Ergo communitas illa non solum cõuenit naturæ, vt frigiditas aquæ,

quæ per accidens calore pelli potest, sed vt *Discursiuum* Homini, & vt *Hinnibile* Equo, videlicet cum reali idemtitate passionis cum prima entitate: ergo nec per accidens poterit oppositam incommunicabilitatem secum realiter idemtificare. *Materiam autem primam* quamuis concedamus idemtificatam esse cum sua indifferentia; nunquam tamen illa nec per accidens idemtificatur cum sua determinatione, seu determinante forma, vt iam dixi.

§. 23. Tandem superioribus solutionibus parùm fidens Rodriguezius vltimam addit, vt meliorem, sic aiens: *Vel vt meliùs dicam*: communitas opponitur in communicabilitati, & hæc non potest ex principijs naturæ ipsi conuenire; benè tamen per aliquod extrinsecum, scilicet *per singularitatem*. Hiccine Colophon Rodriguezij.

§. 24. Contra: Quia Syllogismus Caietani nihil sui roboris hac responsione amitti: en validius instauratur: Per vos, & secundum Scotum quandocumque rei conuenit prædicatum per se in primo, vel secundo modo dicendi *per se*; oppositum illius neque per accidens potest ei conuenire vllo modo: Non repugnantia ad essendum in multis conuenit naturæ in secundo modo dicendi per se (vt conceditis, faterurque, & ipse Scotus) ergo opposita repugnantia ad essendum in multis, neque per accidens, neque vllo alio modo potest illi conuenire. Ergo nec cum illa realiter idemtificari, quod iam est aliquis modus inhærendi, seu essendi in illa saltem per accidens. Hæc secunda consequentia fortis est contra Scotistas: non enim negare possunt, realem idemtificationem, per quam repugnantia ad essendum in multis conuenit naturæ saltem per accidens, esse aliquem modum positiuum, verum, & rigorosum inhærendi, seu essendi in illa: Sed ex Scoto oppositum prædicati per se secundo modo sumpti nullo modo essendi, vel inhærendi saltem per accidens potest conuenire rei per se tali: ergo nec per modum realis idemtificationis, nec inhærentiæ, nec per accidens conueniet naturæ repugnantia ad essendum in multis. Audiendus Scotus, quæst. 4. Prologi nu. 39. Vbi hoc argumentum licet in alia materia discutit sic. *Contra hoc: Cui conuenit vnum oppositorum per se, ei aliud oppositum neque per se, neque per accidens conuenit: igitur noticia per se speculatiua, neque per se, neque per accidens est practica: Respondeo: licet antecedens posset exponi de per se primo modo, vel secundo modo; non autem tertio modo, prout dicit idem, quod solitariè: tamen concedo, quod nullo modo inhærendi inhæret oppositum prædicati huius, quod est per se esse speculatiuum, &c.* En vides Scotista primo, probari à tuo Doctore sententiam Tomisticam, quæ asserit, Naturam, quæ per se, seu secundum se est communis negatiue posse per accidens esse singularem, quia ly *per se* sumitur à nobis pro solitariè cum Aristotele 5. Metaph. qui tertius modus est perseitatis. Secundo vides, Scotum vniuersaliter negare omnem modum inhærendi, quo oppositum prædicati per se conueniat rei per se tali, vt v.g. speculatiuo per se; Atqui multo plus est realis idemtificatio, quam quilibet modus inhærendi: Ergo non saluas rem, aiens incommunicabilitatem non posse humanitati conuenire ex principijs naturæ; bene tamen per aliquod extrinsecum, scilicet per singularitatem. Non inquam satisfacis: quia totum hoc quomodolibet illud significes, nihil aliud est, quam oppositum conuenire per accidens; atqui Scotus negat omnino, oppositum prædicati *per se* rei conuenire posse per accidens vllo modo: Ergo.

§. 25. Quarta ratio Caietani sic habet. Omne quod sequitur aliquam naturam ratione sui, prædicatur simpliciter, idest sine aliqua additione de supposito illius naturæ: Sed communitas sequitur naturam humanam per te ratione sui: Ergo communitas prædicatur simpliciter, idest sine aliqua additione de supposito naturæ humanæ. Processus bonus, in tertio primæ: conclusio autem falsa: ergo altera præmissarum; non maior, vt declarabitur: ergo minor, quæ positio tua. Falsitas conclusionis patet: quia ista est simpliciter falsa, Sortes est communis pluribus: & si addatur ly *ex se*, adhuc est falsum dicere Sortes ex se est communis pluribus. Veritas maioris declaratur sic: Quod sequitur naturā ratione sui aut est passio, aut modus, aut prædicabile per se, aut per accidens, aut separabile, aut inseparabile: Modo omnia ista si comitantur naturam ratione sui, ita se habent, quod sicut natura prædicatur essentialiter de indiuiduo, puta homo de Sorte, ita ista prædicantur denominatiuè in suo ordine de ipsomet indiuiduo: vt patet discurrendo. Hæc ille, & est ratio D. Tho. dicto cap. 4 Opusc. de ente, & essentia. §. *Non tamen potest dici?*

§. 26. In omne latus sese versant Scotici, vt Caietano respondeant. Primò dicunt, esse aliqua prædicata essentialia naturæ, quæ solū ipsi conueniunt, non verò indiuiduis, immò repugnent istis, eo modo quo communicabilitas conuenit essentiæ diuinæ; non vero personalitati. Sic Valera de vniuers. distinct. 2. artic. 1. qu. 5. & alij: Sed contra *primo*. Quia hi sibi contradicunt, vel sui obliti tam breui interuallo doctrinam deuorant quam impugnabant. Fonsecam enim docentem, dari vnitatem præcisionis in natura, & realem aptitudinem, quæ non competeret indiuiduis, ipsimet vrgebant eodem argumento. Quod naturæ, per se, & de se conuenit, est inseparabile ab illa, & in quouis statu illud retinet: habet ergo natura illam realem aptitudinem adhuc in singularibus: vel dicendum est, nec in illo statu eam per se conuenire naturæ. Sic Valera, seu Poncius, & Scotistæ alij. Non moror Poncium, qui; veritate victus Thomistica Scotum suum pulchrè deseruit disput. 3. num. 39. Tum sic: Si hoc vestrum argumentum est efficax contra Fonsecam: ergo vestra eiusdem solutio nulla est: vel si bona est solutio, ergo etiam vobis bene responderat Fonseca: Ergo vel vos non bene impugnatis Fonsecam, vel male respondetis Caietano. Immò arbitror, Fonsecam rationabilius respondisse: Nam ille sumit ly *per se* pro tertio modo perseitatis, idest pro *solitarie*, ac proinde etiam si concedat eiusmodi vnitatem præcisionis, & aptitudinem conuenire naturæ per se,

ideſt non eſſentialiter, ſed ſolitariè, non inde cogetur concedere, illam in omni ſtatu ſibi competere debere: At vero Scotiſta, qui ly *per ſe* vſurpat pro intrinſece, & eſſentialiter ſecundo modo perſeitatis, fortius, quam Fonſeca ſuomet premitur argumento: Ergo vel hæc ſolutio commentitia eſt, vel doctrinam quam impugnabat volens, nolens tenetur deuorare. Contra *ſecundo*. Quia Scotiſtam dum impetitur eo Ariſtotelis per ſe noto principio: omne quod per ſe conuenit naturæ, per ſe conuenit indiuiduo naturæ, reſpondere, eſſe aliqua, quæ quamuis conueniant naturæ per ſe, tamen repugnant indiuiduo, vt aptitudo, communitas, &c. eſt me herele inſignis petitio principij. Contra *tertio*. Quia ſemel admiſſo hoc reſponſo, quilibet illudet, effugietque illud axioma Poſterioriſticum, ſi eo vrgeatur: eneruabiturque Ars ſyllogiſtica, quæ illo principio *dici de omni* præcipuè nititur: ergo tolerandum non eſt.

§. 27. Dicunt *ſecundo*; Maiorem illam ſyllo-ſyllogiſmi Caietani intelligendam eſſe de prædicatis prædicamentalibus, non de tranſcendentalibus. Nam humanitas, v.g. conſideratur, vel vt natura tranſcendens, ſicut & quælibet natura communis, & vt ſic communitas eſt prædicatum eius in ſecundo modo, quod non poteſt inferioribus conuenire: vel conſideratur, vt natura prædicamentalis: & ita quidquid prædicatur de illa, prædicatur de ſuis inferioribus, quod non contingit in præſenti. Ita Rodriguezius, qui ſanè difficultate argumenti coactus prolibito, ſeu (vt verius loquar) pro neceſſitate eius propoſitionis per ſe notæ fribola confingit gloſſemata. Equidem hæc omnia prædixerat Caietanus, ſic aiens: *Naturam humanam ſequuntur vnitas formalis, & communitas ſecundum ſe: Vnde neutrius eſt alia cauſa quærenda niſi natura ipſa: ergo ſicut vnitas formalis prædicatur ſimpliciter de Sorte, iſta enim ſimpliciter eſt vera. Sortes eſt vnus formaliter: ita communitas prædicabitur de Sorte ſimpliciter dicendo: Sortes eſt communis: Hoc eſt falſum, ergo, &c. Quænam eſt maior ratio de vnitate quam de communitate, &c. quare eorum, quæ ſequuntur naturam ratione ſui alia prædicentur de indiuiduis, alia non? Non enim erit facile fingere.* Ecce vbi cæſpitant, hæremque Scotiſtę hi; non enim aſſignant rationem vllam, quare vnitas prædicetur de indiuiduo, & communitas non prædicetur, cum tamen vtrumque ſequatur naturam per ſe ſecundo modo. Nam qua ratione, (rogo) vel authoritate probas, communitatem ſi ſit prædicatum naturæ tranſcendentis non poſſe prædicari de ſuis indiuiduis? quis hoc docuit? Ariſtoles ne, an Porphyrius, an denique Scotus? nullus horum equidem, ſed neceſſitas (vt dixi) id excogitauit. Contra primo. Nam conſiderare, vel non conſiderare humanitatem vt tranſcendentem, eſt actus intellectus: ergo nihil reffert eiuſmodi conſideratio, ad hoc, vt realis propietas humanitatis non conueniat realiter ſuis indiuiduis. Contra ſecundo. Quia Scotiſta nullam agnoſcit tranſcendentiam rigorosè ſic dictam adhuc in ratione entis: Ergo nihil eſt humanitatem conſiderari, vt tranſcendentem, niſi conſiderari, vt communem, vel indifferentem: Ergo dicere communitatem non prædicari de indiuiduis quando eſt prædicatum naturæ tranſcendentis, idem eſt ac dicere communitatem non prædicari de indiuiduo, quando eſt proprietas naturæ communis, quod eſt exhibere concluſionem pro ſolutione, eſtque tam elegans petitio principij, ſicut præcedens. Contra tertio: Quia vnitas formalis prout à numerica diſtinguitur formaliter ex natura rei, eſt prædicatum humanitatis vt tranſcendentis: & tamen prædicatur de indiuiduis humanitatis non ob aliam rationem niſi quia conuenit humanitati per ſe, ſicut & communitas: ergo falſo dicis, prædicata humanitatis vt tranſcendentis non prædicari de ſuis indiuiduis.

§. 28. Benè olfecit Rodriguezius, hanc ſolutionem ſuam futilem eſſe, & nullius momenti: *Non enim erit facilè fingere* (vt monuit Caietanus) quapropter ad aliam confugit, concedenſque maiorem, quam prima ſolutione pro tranſcendentalibus negauerat, fatetur iam, communitatem prædicari de indiuiduo naturæ: at ſpecificatiuè, non autem reduplicatiuè. Sed contra *primo*: Quia hoc eſt iam prædicari cum addito: & maior Caietani ſi ſemel concedatur, concedenda eſt, vt ab ipſo proponitur. *Omne, quod ſequitur naturam ratione ſui, prædicatur ſimpliciter, ideſt ſine additione de ſuppoſito illius naturæ.* Qua conceſſa, nequit admitti in concluſione illud additum *ſpecificatiuè*; & ſi negetur, inductione probabitur, quod, & ſignificauit Caietanus, inquiens, *vt patet diſcurrendo*. Nulla enim paſſio realis per ſe cõueniens naturæ dabitur, quæ ſimiliter non conueniat indiuiduo naturæ; excepta hac tua communitate de qua diſputamus, & cuius exceptionis nullam probabilem aſſignas rationem. Contra *ſecundo*: Quiam falſum eſt dicere: Petrus ſpecificatiuè eſt Paulus, ergo & falſum dicere Petrus ſpecificatiuè eſt communis, ſicut falſum eſt dicere: Homo ſpecificatiuè eſt communis, equo. Contra *tertio*: Hæc etiam eſt falſa: Pater æternus ſpecificatiuè non generat, & tamen Natura Diuina, quæ eſt in Patre non generat: ergo etiam ſi natura humana, quæ eſt in Petro ſit communis *ſecundum ſe* ſumpta; non ideo non erit falſa hæc: Petrus ſpecificatiuè eſt communis multis.

§, 29. Tandem Merinerus diuerſam, ſed non meliorem excogitauit ſolutionem. Ait enim, maiorem eſſe veram, quando ea, quæ prædicantur per ſe de ſuperiori ita illud afficiunt, vt faciant illud ſupponere ſuppoſitione perſonali; nõ verò quando ita illud afficiunt, vt faciant illud ſupponere ſuppoſitione ſimplici, qualiter facit ſupponere naturam, quæ eſt ynum formaliter vox *communis negatiuè*.

§. 30. Aſt ego dum video, ita laborari in aſſignando hoc deſcrimine, ſcilicet, quare prædicatorum per ſe, & eſſentialium quædam prædicantur de natura, & omni contento ſub illa; & quare alia non prædicantur, ſæpe ſæpius repeto illud Caietanicum: *Sed non erit facilè fingere*. Suppoſitio enim ſimplex in creatis non competit, niſi prædicatis ſecundę intentionis, vt eſſe genus, eſſe ſpeciem, &c. Vnde ex eo, quod Homo ſit ſpe-

species, non benè infertur, Petrum esse speciem: At vero fingere suppositionem simplicem in prædicatis essentialibus, & quæ per se, & ratione sui sequuntur naturam, nihil est, nisi effugium gratis meditatum ad saluandam communitatem realem, & essentialem, quæ non prædicetur de indiuiduis, quod & benè vidit Merinerus ipse: Addit enim: [Et si obiicias: id quod prædicatur per se de alio, semper facit, vt illud, quod prædicatur, supponat personaliter: Respondetur: hoc esse verum, quoties id, quod prædicatur per se prædicatur absolutè; secus vero quando solum prædicatur de alio cum addito *quantum est ex se*, sicut prædicatur in præsenti *communitas negatiua*] Hæc ille.

§. 31. Contra primo: Merinerus sciebat, omne prædicatum per se perseitate primi, & secundi modi supponere personaliter, & non simplici suppositione, sciebatque, nos id sibi esse obiecturos: ergo sciens volens adhibuit phantasticam, & inanem solutionē de suppositione simplici, quam omittere satius fuisset. Contra secundo: Quia etiam hæc vltima responsio, præterquam quod doctrinam continet falsam, gratisque confictam; non est ad rem. Probo: Per te illa maior est vera quoties prædicatum per se prædicatur absolutè; sed communitas prædicatur absolutè de humanitate vt sic, & in statu abstractionis considerata: ergo communitas supponit personaliter, seu (quod idem est) prædicatur etiam de indiuiduis humanitatis. Solum de natura contracta verificatur illud additum *Quantum est ex se* per modum restrictionis, dicitis enim humanitatem à parte rei etiam in Petro contractam, *quantum est ex se* esse communem negatiuè; Atqui in maiore quam assumit Caietanus, non est sermo de natura contracta (alioqui Syllogismus non esset in *Darij*, seu, vt ipse loquitur *in tertio Primæ*) sed de Natura vniuersaliter, & in statu abstractionis accepta: ergo de illa absolutè prædicatur communitas: ergo ad destinguendam illam maiorem de natura absolutè sumpta prorsus inepta est eiusmodi solutio. Contra *tertio*: Quia illud additum *Quantum est ex se* in illa maiore non est signum restrictionis, nec diminutionis, sed signum exprimens perseitatem prædicati; æquiualet enim huic particulæ *per se vel secundum se, vel ratione sui*, vt si dicas: omne prædicatum, quod consequitur Humanitatem *quantum est ex se* debet simpliciter prædicari de supposito Humanitatis, seu (quod in idem recidit) debet supponere personaliter: Vbi ly *Quantum est ex se* sonat *per se*, vel *ratione sui*; sed perseitas illa prædicati potius est præcipua ratio ob quam illud prædicatur de omni contenso sub Humanitate: ergo falsò dicit Merinerus, illud additum obstare, vt illud prædicatum per se conueniat indiuiduis naturę: Ergo ad vitandam vim illius maioris non tuto confugerat ad additum *Quantum est ex se*.

THEOREMA IV.

Fundamenta Scoti pro communitate negatiua naturæ à parte rei examinantur, obiectiones que Scoticæ retunduntur.

§. 32. PRimam causam, seu fundamentum, quo ductus Scotus in hanc iuerit sententiam, & posuimus cum Caietano supra Theorem. 2. §. 12. Secunda causa (inquit Caietanus) est distantia inter propositionem negatiuam, & affirmatiuam de prædicato infinito reduplicatione addita. Licet enim ex affirmatiua de prædicato infinito sequatur negatiua, & è conuerso (vt dicitur in secundo Perihermenias) quando non sunt reduplicatiuæ: cum reduplicatione tamen, licet ex affirmatiua de predicato infinito sequatur negatiua de prædicato finito; non tamen è contra. Hanc enim *Homo in eo quod homo non est albus*. Non sequitur ista: *Homo in eo quod homo est non albus*. Si enim homo in eo quod homo esset non albus, nunquam homini coniungi posset albedo, quia quod conuenit alicui secundum quod ipsum, conuenit ei semper, necessario, & per se. Apparet autem in hoc defecisse manifestè processum Scoticum. Cum enim commune negatiue idem sonet, quod non propium, argumentatus est sic: Natura, puta humanitas in quantum talis non est propria alicui: ergo humanitas in quantum humanitas est non propria, vbi expresè patet defectus prædictus Et quod sic processerit patet ex suo processu. Conclusio enim sua est affirmatiua de prædicato infinito, cum concludat: ergo *natura ex se est communis* idest *non propria*. Antecedens vero est negatiuum, scilicet. Natura non est de se hæc, idest propria alicui. Similiter patet ex alio processu, quem ibi inducit, scilicet: *Humanitati Sortis ratio ne sui non repugnat esse in alio, ergo Humanitas Sortis ex se est communis*: Vbi aperte patet prædictus defectus: Reduplicationem enim in primo processu sonat ly *ex se*, seu *de se*, in secundo ly *ratione sui*, &c. Attentum ergo oportet esse, quod hæc propositio. *Natura ex se est communis*. Si debet esse vera, oportet quod tam ly *ex se*, quàm ly *communis* teneatur negatiuè secundum viam nostram, & veritatem, & tunc idem est ac si dicatur: *Natura non cum alia sumpta, est non propria alicui*, quod patet esse verum. Secundum vero Scotum ly *ex se* tenetur positiuè, & malè: & sensus est: Natura ratione sui, siuè in quantum talis, est non propria alicui: quod est manifestè falsum. Hucusque ille doctissimè, simul, & substantialissimè.

§. 33. Doctrina hæc ex Aristotelica medulla est, qua Caietanus ità validè fundamenta deruit Scotica, vt cum ipso subtili Doctore quasi de subtilitate decertans, nemini palmam cessisse videatur. Acceperunt à Caietano eam Thomistæ vniuersi, atque etiam Andreas, teste Episcopo P. de Oña qu. 2. art. 3. num. 8. acceperunt Suarezius Metaph. disput. 6. sect. 5. num. 4. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 4. sect. 5. §. *Quod si quis*. Conimbricenses in Præfat. Porphyr. qu. 4. artic. 3. sect. 3. §. *Hæc tamen solutio*: Caberus vniuers. disput. 3.

dub. 3.

dub.3. num.13. Et alij plures, qui omnes Scoti argumentum, hac Caietani obseruatione enodarunt, ac rectè sufficienterque enodatum censuere.

§. 33. At insurgit Rodriguezius. (*Nec fundamentum*, Caietani (inquit) soluunt argumenta Doctoris, vt optimè probat Pater Fabrus Theoremat. 93. quia Doctor sumit naturam secundum se, licet sit in indiuiduis contracta, non tamen sumit, eam vt contractam: nec Doctor in hoc argumento. Natura à parte rei de se non est singularis: ergo est communis: arguit à propositione negatiua ad propositionem affirmatiuam de prædicato infinito; sed à negatione vnius contrarij ad aliud, quæ consequentia est validissima ex Aristotele cap. de oppositis, quando contraria non habent medium. Vt si arguatur: Natura de se non est hæc: ergo est communis, quia inter commune, & singulare non est medium. Et in hac forma procedunt nonnulla argumenta Doctoris: in quorum intelligentia, vt solet potius deceptus est *Caietanus*.) Hæc ille.

§. 35. Multa dicit Scotista hic. *Primo*. Caietanum non soluere argumenta Scoti. *Secundo*. Scotum non sumere naturam vt contractam. *Tertio*: Scotum non arguere à propositinne negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito. *Quarto*: Scotum arguere à negatione vnius contrarij ad affirmationem alterius. *Quinto*: Hunc modum arguendi validissimum esse, quando non est medium inter contraria teste Arist. de oppositis. *Sexto*: Non dari medium inter commune, & singulare: Vnde valet: Natura de se non est hæc: ergo est communis: *Septimo*: Caietanum in intelligentia huius argumēti, vt sæpe alias deceptum fuisse. Sed hæc tamen aduerte, Rodriguezium nec verbum facere de reduplicatione, in qua tota difficultas est. Age dum ad singula breuissimè respondeo.

§. 36. *Primum* dicitur, sed non probatur. *Secundum* non est ad rem. *Tertium* non probatur: ast contrarium manifestè demonstratur à Caietano, vt legenti patebit. *Quartum* nihil fauet Scoto: Nam esto, arguerit à negatione vnius contrarij ad affirmationem alterius; arguit tamen facta reduplicatione, proindeque nihil cōcludit. *Quintum* eodem claudicat pede: Mitto, quod testem adduxerit Aristotelem dicentem, consequentiam à negatione vnius contrarij ad aliud esse validissimum, quod tamen non docuit cap. de Oppositis. Concedo autem à negatione vnius contrariorum non habentium medium valere consequentiam ad affirmationem alterius. Exempla item Aristotelis eiusmodi contrariorum sunt, ægrum, & sanum respectu animalis, par, & impar respectu numeri. At vero quamuis gratis demus Rodriguezio, communitatem, & singularitatem esse contraria, sicut ægrum, & sanum, idest non habentia medium: non tamen inde bene colliget communitatem à negatione singularitatis, si fiat reduplicatio supra naturam secundum se, vel ratione sui. Sicut nec à negatione ægri infertur affirmatio sani, si fiat reduplicatio in animali: non enim valet: Animal ratione sui, seu in quantum animal non est ægrum: Ergo Animal ratione sui, seu in quantum animal est sanum. Non valet inquam, quia animal in quantum animal, seu ratione sui non est ægrum, nec sanum, sed viuens sensibile. Regula igitur eiusmodi contrariorum non tenet in reduplicatiuis. *Sextum* falsò asseritur. Thomistæ vtique medium assignant, & quidem amplissimum; nempe prædicata omnia essentialia, passionesque naturæ secundum se, quæ prout sic abstrahit à communi, & non communi, sicut animal, ab ægro, & non ægro. *Septimum* perperàm blateratur. Namquid mysterij rogo, habet argumentatio hæc Scoti, vt à Caietano non intelligatur? seu quid plus numinis habet Rodriguezius, vt ipse intelligat, quod Caietanus non capit?

§. 37. Sed vt liquidus, appareat, quam temere Scotista hic Fabro fiderit, & quam inuidiosè vterque dixerit, Caietanum non soluisse argumenta Scoti, nota Lector, Scotum olim iam dedisse hanc solutionem Caietani, cum respondere simili argumento. Nam in secundo, distinct. 3. quæst. 6. impugnat Goffredum, & Ægidium docentes, naturam de se esse hanc, seu indiuisibilem; at verò fieri diuisam, seu multiplicatam in indiuiduis per quantitatem. Quorum fundamentum, vt ibi significat Scotus, hoc erat: Substantia seu natura non est de se habens tales partes eiusdem rationis, ergo est de se non habens partes eiusdem rationis, ac proinde per solam quantitatem extrinsecè aduenientem accipiet diuisionem in tales partes. Insurgit contra Scotus eodem argumento, quo vsus est Caietanus. Si substantia de se esset indiuisibilis, nec per quantitatem, nec per aliquid aliud totale adueniens posset diuidi in partes: Quia cui de se conuenit indiuisibilitas, per nihil aliud potest fieri diuisibise. Vnde ad argumentum Goffredi dicit, committi in illo fallaciam consequentis, quia non valet: Substantia de se non est habens partes: ergo de se est non habens partes. Videlicet à negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito.

§. 38. En vides amice Lector Scotum (materia dumtaxat non multum variata) eodem fundamento vsum fuisse, quo Caietanus, eademque solutione satisfecisse Goffredo. Hinc igitur infero has hypotheticas contra Fabrum, & Rodriguezium: si Caietanus non soluit argumentum Scoti, nec Scotus soluerat argumentum Goffredi, & Ægidij; At si Scotus benè soluerat argumentum Goffredi, & Ægidij, etiam Caietanus Scoticum benè enodauit. Vt rem tibi demostrem, audi Scotum. *Et hoc patet in exemplo posito in illa positione: quia licet substantia materialis non sit ex se diuisa in partes eiusdem rationis; tamen ipsa non est de se indiuisibilis in partes tales; Quia si esset de se indiuisibilis, hoc est repugnaret ei diuisio, non posset recipere quantitatem, qua formaliter diuiditur in tales partes: quod patet, nam anima, quæ de se est indiuisibilis hoc modo, non potest recipere quantitatem, sicut nec partes. Videtur ergo deceptio in consequentia hac: Non est de se tale: ergo est de se non tale fallacia consequentis. Verè enim substantia secundum aliquam positionem non est habens de se partes eiusdem rationis; & tamen non*

est de

est de se non habens tales partes eiusdem rationis, ita quod repugnat sibi habere partes: quia tunc non posset recipere formaliter, per aliquod sibi adueniens tales partes, &c.

§. 39. Ex his compingitur Syllogismus Scoti: cui conuenit indiuisibilitas de se, nec per quantitatem, nec per aliquid aliud adueniens potest fieri diuisibile; Sed substantiæ secundum Goffredum conuenit de se indiuidibilitas: ergo nec per quantitatem, nec per aliquid aliud adueniens potest fieri diuisibile. Sic discurrit Scotus. Caietanus autem sic: cui conuenit communicabilitas de se, nec per singularitatem, nec per aliquid aliud adueniens potest fieri incommunicabile; sed naturæ secundum Scotum conuenit de se communicabilitas: ergo nec per singularitatem, nec per aliquid aliud adueniens fieri potest incommunicabilis. Eadem vis eademque forma est in vtroque ratiocinio. Notanda etiam valdè illa Scoti verba: *Quia si de se esset indiuisibilis, hoc est repugnaret ei diuisio, &c.* Supponit enim, esse idem, rem esse de se indiuisibilem, ac esse rem, cui repugnet diuisio. Cur ergo apud Caietanum non erunt etiam æquipollentes, rem esse de se communicabilem, & rem esse, cui repugnet in communicatio, seu determinatio singularitatis, quæ reddat impossibilem communicationem? Pergo ad solurutionem Scoti: Est deceptio inquit in consequentia Goffredi: Quia *ex hoc* antecedente vero: substantia de se non est habens partes, non bene sequitùr: ergo de se est nō habens partes. Committitur enim fallacia consequentis. Ast Caietanus id ipsum reperit negans consequentiam Scoti. Aitque, ex hoc antecedente vero: Natura de se non est singularis, non benè inferri: Ergo est non sigularis, quia committitur fallacia consequentis: Ecce vterque eodem nititur principio, vterque eodem tenore, ac doctrina respondet, ergo vterque benè respondet, vel vterque malè.

§. 40. Cæterum omnes solutiones, quas Scotistæ adhibent argumento Caietani (omnes inquam, dempta nulla) eneruant prædictam Scoti sui doctrinam. Nam si semel, vt probabiles admittantur; corruit item solutio, qua illius argumentum enodabat. Diceret enim Goffredus, illam maiorē Scoti nempe: *Cui de se conuenit indiuisibilitas, per nihil aliud fieri potest diuisibile*, esse falsam, si intelligatur de diuisibilitate per accidens. Quia oppositum indiuisibilitatis per se est diuisibilitas etiam per se, quæ quidem non conueniret substantiæ indiuisibili per se: fieret enim diuisibilis per accidens, videlicet per quantitatem, eomet modo, quo natura communicabilis de se fieri potest incommunicabilis per accidens, nempè per singularitatem. Et hoc ideò, quia indiuisibilitas per se solum consistit in excluendo diuisibilitatem à suo conceptu formali, & essentiali, quod benè cohæret cum diuisibilitate, seu diuisione coniuncta per accidens: quæ solutio Merineri est, atque Scotistarum, quin videant, se eiusmodi doctrinâ dum Caietanum ferire pergunt, non minus Scotum suum percellere.

§. 41. Præterea: Multo magis repugnat, rem de se communicabilem idemtificari realiter cū in communicabili, quam rem de se indiuisibilem recipere formam diuisibilem salua earum distinctione: Sed per vos natura communicabilis de se idemtificari realiter potest cum singularitate incommunicabili: ergo & substantia de se, indiuisibilem recipere potest quantitatem, qua fiat per accidens diuisibilis vel diuisa. Denique solutio Fabri, & Rodriguezij si aliquid valet, egregiè iuuat Goffredum, & Ægidium, quippe ex eorum doctrina dicerent, se non decipi, sed Scotum, quia ipsi non arguunt de propositione negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito; non enim ratiocinantur sic: Substantia de se non est habens partes, ergo de se est non habens partes, vt vult Scotus; sed sic: Substantia materialis de se non est diuisa, ergo est de se indiuisa, quæ argumentatio est validissima ex Aristot. quia concludit à negatione vnius coutrarij ad affirmationem alterius. Diuisum enim, & indiuisum sunt contraria non habentia medium, sicut par, & impar, & sicut apud vos communicabile, & incommunicabile, singulare, & commune. Vel exhibete discrimen: ergo easdem patitur angustias Scotus respondens Goffredo, si Caietanus non benè respondet Scoto. Ergo Rodriguezius carpens Caietanū responsiunculâ à Fabro emendicata, non affabro suum tuatur Doctorem.

§. 42. Obijcies primo argumentum, quod primo loco sibi opponit Caietanus, nosque super proposuimus Theor. 1. §. 7. sed illi abunde quidem satisfecimus Dissertatione præcedenti Theorem. 4. §. 42. & Theorem. §. 50. & sequen.

§. 43. Obijcies secundo: Humanitas, quæ est in Sorte quantum est ex se non est determinata ad Sortem, vel Platonem: ergo vnitas formalis huumanitatis, quæ est in Sorte quantum est ex se, est communis negatiuè Sorti, & Platoni: consequentia est nota. Quia etiam vnitas formalis non est determinata quantum est de se ad Sortem, & Platonem. Antecedens autem de se est manifestum: datur ergo extra animam aliqua vnitas communis negatiuè pluribus suppositaliter distinctis.

§. 44. Respondet Caietanus: *Quod aliud est dicere*. Natura humana existens extra animam secundum se est communis pluribus negatiuè, seu indifferens negatiuè, Et aliud est dicere: Natura humana existens extra animam est communis pluribus, seu indifferens negatiuè. Prima enim est vera: Secuuda vero est falsa, Et veritas primæ patet ex supra dictis, vbi diximus, quod natura, quæ est extra animam, puta natura sortis secundum se, idest solitariè sumpta non est determinata, neque appropriata alicui, & consequenter est indifferens, seu communis negatiuè. Falsitas autem secundæ patet ex eo, quod omnis propositio est simpliciter falsa, in qua prædicatum repugnat subiecto ratione conditionis explicitè importatæ in illo: sicut ista est simpliciter falsa: Ignis non approximatus combustibili comburit. Quia comburere repugnat igni non approximato passo. Sed illa propositio secunda, scilicet natura existens extra animam est communis negatiuè est huiusmodi: ergo ista est falsa.

§. 45. Ad

§. 45. Ad euidentiam minoris scito, quod cum dico natura *secundum se*, seu natura absolute, dico duo, scilicet naturam, & solitudinem, vt eius conditionem. Similiter cum dico natura existens *extra animam*, dico duo, scilicet naturam, & particularem existentiam ibi coniunctam, vt eius conditionem. Vnde aliquid conuenit, siue repugnat naturæ absolutè ratione naturæ, & aliquid ratione solitudinis. Similiter aliquid conuenit, siue repugnat naturæ existenti extra ratione naturæ, & aliquid ratione associationis eius ad particulare. Cum igitur communitas negatiuè, quæ est prædicatum in propositione nostra, non conueniat naturæ absolute ratione sui, scilicet naturæ, quia non est eius prædicatum quidditatiuum, sed conueniat ei ratione explicitæ conditionis per ly *secundum se*, seu ly *absolutè*, quæ est solitudo (ex hoc enim natura est communis negatiue, quia solitarie accipitur absque determinatione ad hoc, vel illud) oportet quod repugnet naturæ sub opposita conditione, sumpta ratione illius oppositæ conditionis. Explicat autem conditionem oppositam solitudini, natura existens extra: eo quod explicat coniunctionem eius ad particularem existentiam, quæ solitudinem illius tollit. Et ideo communitas negatiue repugnat naturæ existenti extra: non ratione naturæ; sed ratione conditionis explicitæ per ly existenti *extra animam*, & consequenter propositio illa, in qua subiectum erat natura existens extra, & prædicatum erat communitas negatiuè, est simpliciter falsa: Statim enim vt natura perdit solitudinem, communitatem quoque perdere cogitur: amittit autem solitudinem *quamprimum in alio est*] Hactenus ille.

§. 46. Hæc ita longiusculè ex Caietano protuli, tum quia in prædictis tota eiusdem mens aperitur, ne deinceps neoterici de ipsius dubitent sententia. Tum etiam Vt aduerterem. PP. Complutenses mentem Caietani non fuisse assecuros dum disput. 3. quæst. 3. num. 25. inquiunt. *Immò Caietanus ibidem citatus videtur sibi esse contrarius. Cum enim in conclusione secunda dixisset, naturam à parte rei esse communem negatiuè, postea in solutione ad secundum expresse affirmat, naturam secundum se esse communem negatiuè.* Nam isti Authores secundam conclusionem forsitan non legerunt, quæ sic habet: *Secunda est. Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura*, falsò igitur contradictorium conclusionis eius imponunt ipsi, cùm satis clarè se seipse explicuerit, aiens, aliud esse dicere *Natura existens extra animam secundum se est communis pluribus negatiuè*. Et aliud dicere: *Natura existens extra animam est communis pluribus negatiuè:* (detracta scilicet particula *secundum se*) quarum primam dicit, esse veram, secundam autem falsam, ob rationes supra memoratas.

§. 47. Obijcies tertio: quia negata hac vnitate Scotica, inciditur in sententiam nominalium, quam Thomistæ alioqui aspernantur. Sic Rodriguezius. [*Nescio* (inquit) *quomodo* eam negare possunt, quin in opinionem nominalium incidant: & si in eam incidere recusant, saltem incidunt in contradictionem: Nam contra nominales fatentur, dari naturas communes reales in ipsis rebus: Ita Suarez sect. 2. & Caietanus de ente, & essentia cap. 4. quæst. 7. & Pater Gallego in sua Logica controuer. 9. in principio, & postea hoc negant, dum asserunt, hanc communitatem esse per intellectum, vt fatetur Caietanus; Sed esse commune à parte rei secluso intellectu; & non esse commune nisi per intellectum, videtur contradictio: igitur Thomistæ non stant *in testamento suo*.] Hæc ille.

§. 48. Audaculus est Rodriguezius iste, sed hoc argumentum iam pridem sibi met obiecerat Suarez disput. 6. à quo Rodriguezius accepit, quamuis dissimulet, cum tamen citauerit eum in hac ipsa sectione secunda. Respondet Suarez nominales non multum à nobis discrepare, licet in modo loquendi aberrarint. Sed quid? nonne & nobilis Scotista pacem iniri posse cum nominalibus sublata æquiuocatione dumtaxat affirmauit? Certè Poncius iuratis Scoti hostibus dextram dare non multùm tergiuersatus est disput. 3. num. 45. Respondeo igitur, circa quæstionem *An sint naturæ vniuersales*? Platonem, & Hæraclytum contraria extrema tenuisse. Scotistæ autem proximè accedunt Platonicis, qui vniuersalia distingunt à singularibus ante omne opus intellectus: Nominales vero multum adhærent Heraclyto, & Epicureis, omnia esse in mundo singularia; nihilque vniuersale arbitrantibus; media via incedimus Thomistæ. Vniuersalia damus, at imbibita, contracta que singularibus; non tamen ita contracta, vt ab ipsis ea præcindere non possimus, & quidem obiectiuè, quod omninò negant Nominales: Cæterum quia naturas singularizatas negamus, à parte rei esse communes negatiuè contra Scotum, Nominalibus fauere videmur. Dum verò ipsas à singularibus virtuali distinctione separamus, longius ab illis, quam à Scotistis distamus: Quod idcirco euenit, quoniam omne medium comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum, vt benè notat S. Th. prima parte quæst. 50. art. 1. ad 1. Sanè apud nos datur communitas ante intellectum, nempè fundamentalis, & potentialis; Datur item communitas non nisi per intellectum, videlicet actualis, & formalis (eo proportionali modo, quo vnitatem explicuimus Dissertat. præcedenti Theorem. 5. §. 50. & sequen.) nulla ergo contradictio Thomistarum, qui semper steterunt in testamento suo, stabuntque.

DISSERTATIO VII.

An obiectum cognitionis vniuersalis sit natura obiectiuè vna, an vero multa singularia confusè cognita?

§. 1. EGimus hucusque de vnitate fundamentali vniuersalium, seu de fundamento reali, quod à parte rei inuenit intellectus, vt naturam efferat actu, & formaliter vnam, aptam ad essendum in multis. Nunc de ipsa actua-

actuali vnitate illius instituitur disputatio. Bellatur cum Nominalibus, qui docent, non dari, (nec intentionaliter) naturam vnam, quæ sit obiectum cognitionis vniuersalis, sed ipsa singularia confundi in cognitione quatenus similia, seu per modum vnius. Vnde tota vniuersalium vnitas apud istos prouenit ab actu confuso intellectus. Reales vero è contra. Naturam dicunt fieri vnam abstractione, seu remotione multiplicitatis: quare hunc terminum vniuersalem *Homo* asserunt significare immediatè Naturam humanam à singularitatibus obiectiuè præcisam; mediatè vero Socratem, & Platonem, quod mordicus Nominales negant, censentes, per Hominem vniuersalem nihil significari immediatè, nisi Platonem, & Socratem vt similes, eosque non natura vlla, sed sola cognitione ipsos copulante esse vnum, ita vt vniuersale nil sit, nisi indiuidua ipsa in actu confuso sine discrimine cognita. Sic huius sectæ instaurator Okamus, Gabriel, & neoterici Nominalistæ, quorum præcipui Hurtadus, Arriaga, & Ouiedus.

§. 2. Nec referre, nec soluere lubet antiqua Nominalium argumenta, quæ vt debilia etiam contempsit, omissique Suarezius, Metaph disput. 6. sect. 2. Vide si vacat Petrum Nigrum quæst. 20. Clypei, M. Sotum quæst. 1. de vniuers. Fonsecam 5. metaph. cap. 28. quæst. 2. Agam enim nunc cum recentioribus dumtaxat, breuiterque nonnulla argumenta, quæ minus vulgo discussa videbuntur, proponam, quando quidem alij copiosè iam, & pingui calamo eos impugnarunt, vt Stephanus Spinula disput. 5. Logicæ sect. 4. Tho. Comptonus disput. 50. per septem sectiones.

Hoc tamen vnum tibi monendum non prætermittam, nempe hanc nominalium vniuersalitatem omnino esse contra Aristotelem, & vniuersam peripateticorum scholam, id, quod & M. Sotus adnotauit aiens: *Reuera nemo, qui fuerit in Aristotele versatus negare potest vniuersalia in rebus. Vnde Burlæus, qui in Summulis fuit Nominalis, & Paulus Venetus egregius, Gregorij Ariminensis discipulus postquam Aristotelem legerunt, non potuerunt non asserere vniuersalia admodum Realium. Et Paulus contrariam opinionem non vocat Nominalium, sed Okamistarum, quam dicitur esse Heraclyti, & Epicuri.* Mitto aliorum censuras, qualis illa est Chrysostomi Iauelli, qui Asinis stupidiores iudicat non cognoscentes vniuersalia in re, teste M. Oña Logicæ quæst. 2. articulo 2. num. 8. sed fallitur Oña Iauellum pro Galeno citans.

THEOREMA I.

Vnitas Vniuersalis Nominalistici authoritate, & ratione confutatur.

§. 3. Conclusio prima. Si vniuersale constituitur per cognitionem attingentem plura confusè absque alia vnitate ab ipsa cognita, & ex parte obiecti se habente, tollitur de medio vniuersale in essendo Peripateticorum & vt plurimùm statuitur vniuersale in repræsentando. Hæc conclusio indubitatè supponitur à Toleto, M. Masio, M. Sernà, & alijs, faceturque ab Aduersarijs apud Toletum: At tergiuersari videtur Arriaga disput. 6. Log. sect. 6. sub sect. 1. & 2. qui verbo tenus suum appellat vniuersale in repræsentando, seu in essendo: perinde ac si essent synonima. Probo. Qualis est ratio communis, in quo plura conueniunt, vel sunt vnum, tale est vniuersale ad illa: Multa indiuidua per vos tantum sunt vnum in cognitione repræsentante confusè, & nullo modo in natura repræsentata, ergo tantum cognitio confusè repræsentans est illis communis, seu vniuersalis in repræsentando. Dices: eam vnitatem confusionis sufficere ad hoc, vt etiam ponatur vniuersale in essendo, siquidem prædicatur essentialiter de indiuiduis. Sed contra: Quia per vos nulla natura communis obiectiuè prædicatur, nisi quodlibet indiuiduum confusè repræsentatum de seipso clarè cognito: Sed hoc modo quodlibet repræsentatum in speculo, vel in statua potest de seipso prædicari. Vt si ostendendo imaginem in speculo, vel marmore, quis dicat *Tu es ille homo, Plato est illud animal.* Ergo prædicatio eiusdem de eodem ex mera identitate repræsentationis non constituit vniuersale in essendo. Vide infra. Dissert. 8. Theor. 4.

§. 4. Secunda Conclusio. Neoterici Nominalistæ, qui doctrinam veterum Nominalium illustrasse, seu reformasse dicuntur in tradendo huiusmodi vniuersali, nihil nouum afferunt, quod illorum doctrinam efficiat probabiliorem, aut communem illam extergat inuidiam, quà in Orbe litterario dicebantur vniuersalia contra Peripateticos in solis vocibus, nominibus ve constituisse. Probo. Secundum veteres Nominales nihil est vniuersale ad Socratem, & Platonem, nisi hoc nomen *Homo* quod communiter vtrumque, & alios significat: sed Neoterici hoc ipsum, nec aliquid aliud docent: ergo. Probo minorem. Nomen apud omnes diuiditur in mentale, vocale, & scriptum: nec aliud est nomen vocale, quam ipsum nomen mentale labijs expressum; Sed Neoterici docent, Platonem, & Socratem in nulla natura vna conuenire; sed solum confusè repræsentari per nomen mentale, quod exprimitur per vocem *Homo*: ergo id ipsum sentiunt, quoad nomina cum Nominalibus vetustis. Maior est nota, traditurque à D. Tho. 4. contra gentes cap. 11. Vbi de hoc nomine mentali ait: *Quod est quædam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant, vnde, & ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum.* Iam verò apud priscos Nominales hoc nomen *Homo* confusè significabat Socratem, & Platonem immediatè, prædicabaturque de Socrate essentialiter: at dum dicebatur *Socrates est homo* nihil naturæ communis enuntiari dicebant de Socrate, sed ipsum Socratem sub confuso nomine hominis significatum prædicari de se ipso clarè significato per nomen *Socrates*, quod est tota modernorum doctrina de cognitione confusa.

§. 5. Vnde non bene illos impugnarunt PP. Complutenses, nec alij, qui sic obijciunt: Hæc pro-

propositio *Petrus est homo* est vera; Sed si de Petro prædicaretur hæc vox *Homo*, propositio esset falsa, affirmaret enim, Petrum esse vocem: ergo de Petro non enuntiatur mera vox, sed natura vniuersalis. Non inquam hæc ratio vel leuiter pungit Nominales, quippe qui non docent, vocem *Homo* ibi pro se materialiter supponere, sed pro cunctis indiuiduis naturæ rationalis; sicut nec conceptus supponit pro se, sed pro obiecto repræsentato: tam falsum enim esset hoc modo Socratem esse vocem, quam Socratem esse cognitionem. Negabunt ergo, & meritò minorem prædicti argumenti. Quia ex hoc, quod in ea propositione *Petrus est homo* non prædicetur natura humana communis de Petro, non sequitur continuò, vocem prædicari de ipso; est enim medium, nempe collectio hominum singularium confuse per eam vocem significatorum: Quare in illa enuntiatione vocali dicent, nihil aliud prædicari de Petro sic clate cognito, nisi ipsam eiusdem Petri indiuiduam substantiam sub confuso, & communi nomine hominis significatam: Ergo eadem probabilitas, vel improbabilitas vniuersalis Nominalistici, quam veteres in vocabuli confusione circumferebant, nunc etiam in confuso mentis nomine perseuerat. Nec nominales mentales nobiliores Vocalibus censendi sunt, non enim Vocales excludebant conceptus mentis, sed exprimebant: Quando quidem & antiqui Nominales vniuersale diuidebant in mentale, vocale, & scriptum, testibus Tartareto lib. 1. Prædicabilium §. *Dubitatur secundò*, M. Veracruzio lib. Prædicab. quæst. 1.

§. 6. Cæterum cum versemur in Dialectica, scientia quidem vocali, disputando scilicet, & vocibus disserendo, negare non possunt Nominalistæ suum frequentius, & communius vniuersale vocibus consistere: siquidem in eorum sententia voces non significant per se conceptus mentis, sed immediatè ipsas res, nempe indiuidua ipsa, quibus cùm nihil commune respondeat obiectiuè, in disputatione vocali, audiens vocem *Homo* percipere debebit multa indiuidua, quibus nihil sit commune præter vocem, quam audit: Ergo vniuersalia Logicæ vocalis tantùm erunt voces apud illos. Dices, audientem vocem *Homo* non solum debere percipere vocem, & indiuidua, sed etiam eorum similitudinem. Sed quid inde? nonnè & hoc ipsum docebant vetusti Nominales? ita planè: vt testatur ex Buridano Cardinalis Toletus de vniuers. quæst. 2. Et tamen fuerunt toties ab scholis relegati. Ergo cruda illa, acerbaque antiquorum nominalitas nihilo magis recocta nobis propinatur hoc sæculo.

§. 7. Tertia Conclusio consectanea: nuperi Nominalistæ vniuersale constituentes per vnitatem extrinsecam actus confusi cum pluralitate intrinseca, & obiectiua indiuiduorum, grauissima taxantur D. Anselmi censura non minus, quam antiqui: Probo, & profero non benè vulgò expensam Anselmi sententiam. Libro de Incarnat. Verbi cap. 2. *Cum omnes* (inquit) *& cautissimè ad sacræ paginæ quæstiones accedant, sunt commonendi, illi vtique nostri temporis Dialectici, immò Dialecticæ hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias*. Ergo secundum Anselmum ipsæ naturæ debent admitti obiectiuè vniuersales, & qui secùs faciunt, vt errores Dialecticæ proscribendi sunt.

§. 8. Respondet Hurtadus; Anselmum agere contra constituentes vniuersalia in solis vocibus, item, & non agnoscentes vnitatem obiectorum per similitudinem. Metaph. disput. 5. sect. 10. §. 184. Sed contra: Quia constituere vniuersale in solis vocibus non maius absurdum est, quam illiud constituere in solis conceptibus, cum voces nil sint nisi ipsi conceptus vocaliter expræssi: Contra secundo. Quia falsò dicit, illos non agnouisse vnitatem obiectorum per similitudinem. Quia ideo ab illis Authoribus non constituebatur vniuersalis hæc vox homo ad Bucephalum, & Petrum, quia Petrus, & Bucephalus non habebant illam similitudinis vnitatem, qua gaudent Petrus, & Paulus: ergo illa non constituebatur vniuersalis respectu Petri, & Pauli, nisi ratione eiusmodi vnitatis: patet hæc consequentia vel ex ipsa Buridani, & cæterorum nominalium vocalium confessione apud Tartaretum, Toletum, & Veracruzium citatos. Immo fatetur ipse Gabriel quem vide Dissert. 8. Theor. 4.

§. 9. Contra tertio: quia etiam falsò, gratisque dicitur, Anselmum eos carpere, qui vniuersalia in solis vocibus constituebant, hi enim nulli sunt, nec fuere vnquam: nam antiqui Nominales, quos Diuus perstringit ipsammet tradebant Hurtadi doctrinam de indiuiduis confusè cognitis, &c. testem adduco M. Sanchezium, & quidem idoneum, quippe, qui annis viginti quatuor ante Hurtadum scripsit, nesciens omnino, nec diuinans, eiusmodi sententiam nostro sæculo ab Hurtado fore suscitandam [*Etsi quæras ab illis* (inquit) si non dantur res vniuersales, quid est, quod immediatè hęc vox *homo* significat, vt ratione illius dicatur vniuersale? respondent, significare omnia singularia sub copulatione, scilicet Petrum, & Ioannem indistinctè, & indeterminatè, nec *homo*, & *quidam homo* secundum ipsos æquiualent in significando: nam *homo* significat omnes essentias hominum confusè; *quidam homo* essentiam, & accidentia clarè. Et hæc sententia inter antiqua deliramenta referri solet: Nam dicitur fuisse Heracliti, & Cratilli, & eadem tribuitur Epicuro. Et Niphus 1. Metaph. dicit, fuisse antiquorum Phylosophorum, quam Canierus hic tribuit Platoni, qui Socratis authoritate mutauit sententiam, & in superius numeratam incidit, quod videtur asserere *Aristot. 1. Metaph. textu. 15. &c.*] Hæc ille. Assignet ergo nunc Hurtadus, quinam fuerint, qui vniuersalia in solis vocibus constituerint, quos cum reuerà non habeat, se, suosque Magistros Anselmi virgula fuisse correptos deprehendet.

§. 10. Respondet Arriaga: negando consequentiam, quia inter flatum vocis, & naturas ipsas dantur actus intellectus, qui constituant vniuersale. Anselmus autem eos solum repræhen-

hendit (inquit) qui constituunt vniuersale in solis vocibus externis, nec à se negari, naturas ipsas esse vniuersales, sed doceri, formam quâ constituuntur in ratione talium esse actus intellectus, quod longe aliud est, nec ab Anselmo negatur Logic. disput. 6. sect. 5. num. 21.

Sed contra primo. Quia vt modo dixi tam male agitur cum vniuersali, si dicatur, illud consistere in flatu vocis, quam in solo cogitatu mentis. Tum etiam quia cum voces externæ æque significent ea ipsa, quæ conceptus mentis repræsentant, impossibile est, quod seruata nominum vocalium significatione constitueretur vniuersale ab illis Authoribus in solis vocibus externis, quin simul admitterent conceptus mentis illis vocibus respondentes.

§. 11. Contra secundo: quia totus Anselmi scopus est damnare omnes eos, qui nequeunt, vel nolunt capere vnitatem plurium indiuiduorum in vna natura, proindeque seuere carpit ponentes in sola voce eam vnitatem, quæ in essentia ponenda erat. Vnde non agnoscentes hanc naturæ vnitatem æque iuxta mentem Anselmi errant, seipsam ponant in flatu vocis, vel in cogitatu mentis. Patet hoc eo contextu ipsius Anselmi aientis: *Qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in secretissima, & altissima natura comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint vnus Deus?* En satis clarè docet Sanctus Præsul, identitatem numericam personarum realiter distinctarum in vna natura Diuina, quæ vnitatum maxima est, ægrè capi posse ab eis, qui intelligere non possunt identitatem specificam plurium hominum in vna natura specifica, quę minor vnitas est: quare attendes monet hosce Dialecticæ hæreticos, qui hanc vnitatem naturæ humanę percipere non valent. Ergo Anselmus non reprehendit Nominales ob externas voces per se; sed quia non agnoscunt identitatem plurium indiuiduorum in eadem natura specifica, putantes, vniuersale specificum non esse nisi collectionem eorum cum sola vnitate repræsentationis, siue hæc sit per flatum vocis, siue per aliquid aliud, de quo non curat ille. At qui Nominalistæ nostri non agnoscunt eiusmodi vnitatem naturæ, sed eam constituunt in mero nomine mentali: ergo perinde est, ac si ponerent in flatu vocis: Ergo non minus subijciuntur acri censuræ Anselmi, quam eorum obsoleti parentes.

§. 12. Quarta Conclusio: obiectum cognitionis vniuersalis non est collectio singularium confusè cognitorum. Probatur primò: Quia ideo per aduersarios cognosceretur collectio, & non Natura vna à singularibus præcisa, quia repugnarent præcisiones obiectiuæ; Sed ostendimus, eas esse possibiles, nec contradictionem inuoluere Dissertatione tertia, vbi & nominalistarum Achillem iugulauimus: Ergo.

§. 13. Probatur secundò ratione, quæ communiter Peripateticis omnibus vltro sese ofert. Quia vniuersale est vnum in multis, & prædicabile de multis; At si de Socrate v. g. prædicaretur homo, in quo non nisi omnia humana singularia confusè importantur, de Socrate prædicarentur omnia, ita vt sensus esset, Socratem esse omnes homines: ergo homo ille vniuersalis non est obiectiuè omnia singularia, sed natura communis. Huic Rationi varia discorditerque respondent Aduersarij. Hurtadus, vt vim effugiat, asseruit, vniuersale fieri per actum confusum disiunctiuum, idest terminatum ad omnia indiuidua, sub disiunctione ad hoc, vel illud, vt idem sit dicere: *Petrus est homo*, ac dicere: *Petrus est, vel Petrus, vel Ioannes, vel Antonius*, quæ propositio vera est, licèt Petrus non sit omnes homines; quia ad veritatem disiunctiuæ propositionis sufficit, vt vnum ex prædicatis conueniat subiecto, cum autem vna ex illis naturis verè conueniat Petro, etsi non omnes, vera erit propositio, in qua omnes de Petro disiunctiuè prædicantur.

§. 14. Sed hoc responsum, vel ipsis aduersarijs displicet, & meritò: quare illud Arriaga, Oniedusque impugnarunt. Et quidem hinc fieret, omnem propositionem esse disiunctiuam, nullamque copulatiuam, quod Dialecticum non est. Tum etiam, quia prædicatum est terminus incomplexus simpliciter significans omnia indiuidua per modum vnius: ergo in illa simplici apprehensione nulla est disiunctio, neque diuisio prædicatorum. Tum deniquè, quia Cognitio confundens per vos, est actus vniens, & copulans ipsa, quæ confundit: ergo non disiungit. Consequentia est liquida. Quia disiunctio nequit fieri sine distinctione disiunctorum: Ergo actus ille disiunctiuus non conflat vniuersale, quippè non facit vnum, sed potiùs attingit plura, vt plura non solùm ex parte obiecti, sed etiam ex parte actus, quarè.

§. 15. Arriaga, & Oniedus respondent, vniuersale quidem extra prædicationem fieri per actum copulatiuum confusum; at verò in ipsa prædicatione non enuntiari illud nisi per actum disiunctiuum, ita vt collectio illa plurium naturarum sit prædicabilis inadæquatè de multis; de vno scilicet secundum naturam, quæ ab ipso abstracta in illo conceptu importatur, & de alio secundum aliam ipsius, quæ similiter in eadem erat collectione, & sic de cæteris accommoda quadam distributione.

§. 16. Sed contra primò. Quia prædicabilitas inadæquata non est proprietas vniuersalis; hoc enim modo etiam compositum Physicum esset vniuersale respectu suarum partium. Valet enim in sensu inadæquato dicere. Hæc anima rationalis est homo, hæc materia prima est leo, maximè cum partes physicæ etiam significentur confusè in composito. Homo enim confusè est anima rationalis, & corpus. Contra secundò. Quia per vos ante actualem prædicationem hoc prædicatum Homo est apprehensio copulatiua significans, seu repræsentans omnia indiuidua: ergo in actuali prædicatione etiam enuntiat ea ipse copulatiuè de Petro, & non disiunctiuè. Probo consequentiam ex D. Thoma Opusc. 56. docente, *quod homo non prædicatur de Sorte, secundum quod est particularis. Cuius ratio est, quia terminus idem prædicat, quod si-*

gni-

gnificat: *ergo qualiter significat, taliter prædicat. Modò iste terminus Homo significat naturam humanam absque omni participatione, & particulari ratione: ergo sic prædicabit eam.* Tum sic. Per vos prædicare vnum de alio nihil est aliud, quam vnire per copulam prædicatum cum subiecto: Ergo si ex parte prædicati concipiuntur omnes naturæ, omnes illæ prædicantur de subiecto. Probo consequentiam. Quia copula eodem modo, & indiuisibiliter respicit totum prædicatum, illud vniendo cum subiecto. Neque enim ille actus iudicij attingit diuerso modo vnam naturam, ac aliam, cum inter illas non distinguat: ergo eodem modo vnit vnam, quo aliam.

§. 17. Arriaga, qui prædicto discursu alios ferire pergebat, se ipsum cæcidit volens, nolens, & est Ratio Diui Thomæ, quæ suprà data breuius sic compingitur. Prædicatum idem significat, quod prædicat; at omnia indiuidua significat: ergo omnia prædicat. Item ex prima illa consequentia Sancti Doctoris: *Ergo qualiter significat, taliter prædicat.* Hunc efformo syllogismum. Prædicatum taliter prædicat, qualiter significat; Atqui omnia indiuidua prædicat disiunctiuè: ergo omnia indiuidua significat disiunctiuè: Ergo malè componitis rem dicentes, prædicatum Vniuersale significare omnia indiuidua copulatiuè ante prædicationem, & disiunctiuè in actuali prædicatione.

§. 18. Contra tertiò. Quia hæc prædicatio, *Homo est rationalis*, per vos est factiua Vniuersalis, & tamen non est disiunctiua: Ergo prædicatio Vniuersalis non est ex natura rei disiunctiua; fingitis igitur disiunctionem in sola prædicatione Vniuersalis de subiecto particulari, vt euadatis difficultatem sequelæ, nempè omnia indiuidua humana prædicatum iri de Socrate.

§. 19. Contra quartò. Quia prædicatio inadæquata collectionis quantumuis affectes confusionem; reuera est prædicatio vnius particularis de particulari obiectiuè: Ergo illud prædicatum particulare quantumuis confusè cognitum sit, vt plurimùm erit indiuiduum vagum, minimè vero Vniuersale, de cuius essentia non est esse vnum in vna, sed vnum in multis. Consequentia mihi videtur manifesta maximè contra Arriagam, qui fatetur, hanc propositionem *Petrus est aliquis homo*, esse in re Vniuersalem, etiamsi (inquit ille) quia afficitur signo particulari non dicatur Vniuersalis, ita disput. 6. num. 35. At vero infra ad finem disput. 7. negat, indiuiduum vagum esse Vniuersale, nescio qua consequentia. Hurtadus vero consequentius ad sua principia è contra affirmauit, indiuiduum vagum vniuersale esse. Ex quibus non pauca infero absurda. Infero primo omnem prædicationem Vniuersalem apud hos in re esse qualis illa est: *Petrus est aliquis homo.* idest vnius de vno, quid enim refert, quod vulgò dicatur, vel non dicatur, si re ipsa Vniuersalis est? Infero secundò, omnem scientiam versari circa particularia obiectiuè. Infero tertiò in nulla scientia posse fieri demonstrationem de rerum essentijs, & prædicatis quidditatiuis; sed omnes agere de similitudine, vel dissimilitudine, quam in operationibus, vel connotatis habent hæc, & illa indiuidua, quod ridiculum est; quando quidem Demonstratio procedit ex vniuersalissimis, atque necessarijs, vt Peripatetici clamant. Infero tandem, Genus v.g. non esse prædicabile de multis differentibus specie; etenim per vos de Petro solum prædicatur animal, quod ex se est homo; item de Bucephalo impossibile est, quod prædicetur nisi animal, quod ex se est Equus: ergo neutrum animal erit genus, cum neutrum prædicari possit de multis speciebus, quæ omnia de primo ad vltimum sunt contra Aristotelem, ac Vniuersalem Peripateticorum scholam.

§. 20. Prædicta argumenta inferunt absurda, quæ sequuntur in prædicationibus, si Vniuersale Aduersariorum ponatur ex parte prædicati. Mitto autem ea, quæ resultarent, si poneretur ex parte subiecti; quorum nonnulla indicat M. Ioan. à S. Thoma. Logicæ quæst. 3. artic. 2. aiens. Quod si ponamus ex parte subiecti terminum communem sine distributione, *vt homo currit*, esset sensus, quod omnes homines currerent, seu omne, quod est homo currit; & sic omnes propositiones indefinitæ essent falsæ, & hæc propositio: *Essentia Diuina non generat*, quæ est Catholica, redderetur falsa, quia esset sensus: omne, quod est essentia Diuina non generat, quod manifestè est falsum. Nam Pater est res, quæ est essentia Diuina, & generat; Ab his inquam, quia Theologica sunt, de more abstineo. Vide si vis alia absurda contra principia, ac regulas Dialecticæ, quæ Nominales infringunt apud Parram disput. 3. num. 14. M. Ioan. Martinez de Prado Metaphys. 1. parte. controuers. 10. num. 128.

§. 21. Quinta conclusio. Natura *secundùm se considerata* redditur vna per præcisionem obiectiuam remouentem omnes indiuiduationes. Vndè Humanitas v.g. est obiectiuè vna in intellectu, quin confusè, nec clarè cognoscatur vlla diuisio in ea, vel pluralitas indiuiduorum, vel naturarum, sed remanet essentia quædam absoluta abstrahens ab eo, quod est esse naturam Socratis, & Platonis, & à non esse naturam Socratis, & Platonis eà quidem indifferentia, seu indeterminatione, vt intellectus illam attribuere possit cuilibet supposito eiusmodi naturam habenti à parte rei. Et hoc est obiectum immediatum cognitionis Vniuersalis, seu quod significatur per nomen Vniuersale, siue illud mentale sit, siue Vocale. Thesis hæc communis est, & verè Aristotelica, proindèque à cunctis verè Philosophis constanter defenditur, vel indubitatè supponitur. Age ergo, & argumenta aduersariorum proferamus in medium, quorum solutione conclusionis veritas ampliùs declarabitur.

THEOREMA II.

Argumenta Aduersariorum diluuntur.

§. 22. OBijcies primò. Actus vniuersalis est vnitas, vel saltèm est ratio formalis, per

per quam homo constituitur in se indiuisus per intellectum, seu vniuersaliter repræsentatus; Sed actus, quo homo sic constituitur attingit immediatè Petrum, & Paulum, &c. Ergo. Probatur minor. Per actum illum redditur indiuisus homo, qui à parte rei erat diuisus; Sed homo à parte rei diuisus nullus est, nisi Petrus, & Paulus: Ergo. Maior suadetur tum primo, quia ille homo attingitur, qui diuisus in se realiter, diuerso modo est in intellectu; At non nisi Petrus, & Paulus, sunt diuerso modo in intellectu. Tum secundò. Quia ille homo attingitur immediatè, & formaliter, qui præcedit à parte rei, vt fundamentum proximum Vniuersalitatis formalis; fundamentum autem illud proximum sunt Petrus, & Paulus, vt similes. Tertiò tandem; quia diuisio, & indiuisio versantur circa idem: vndè cum diuisio attingat immediatè Petrum, & Paulum, eosdemmet attinget indiuisio facta per intellectum. Patet hoc in toto Physico; vnio enim, & indiuisio immediatè attingit partes distinctas, vt tales; ergo indiuisio facta per intellectum immediatè attinget Petrum, & Paulum, qui sunt partes totius Vniuersalis.

§. 23. Respondeo. Nego minorem; & probationis maiorem distinguo. Per illum actum redditur indiuisus homo ille, qui à parte rei erat diuisus. Redditur indiuisus præscindendo ab omni multiplicitate concedo; confundendo multiplicitatem, nego. Nec enim intellectus tribuit alio modo vnitatem, nisi non cognoscendo pluralitatem, quia cum abstractio sit cognitio vnius sine alio, ostensumque sit, prædicata essentialia hominis cognosci posse sinè indiuiduationibus, nunquam remanebunt Petrus, & Paulus in intellectu, qui Petreitatem, & Pauleitatem separauit, seu non cognouit. Hinc euanescunt tres illæ instantiæ. Prima, quia diuersus modus essendi in intellectu consistit in eo quod in intellectu non attingatur Petreitas, nec Pauleitas, quæ à parte rei afficiebant humanitatem. Secundò, quia fundamentum proximum Vniuersalitatis, nempè indiuidua similia non attingitur adæquatè, sed inadæquatè, videlicet secundum prædicata dumtaxat, in qua à parte rei erant similia. Tertia denique euanescit. Quia ipsa Natura *secundum se*, est subiectum, cui accidit diuisio, vel indiuisio sub diuerso statu: Diuisio quidem à parte rei per singularitates, & indiuisio in intellectu illas præscindente. Petrus autem, & Paulus resultant ex diuisione naturæ; nego ergo, diuisionem, & indiuisionem terminari ad Petrum, & Paulum, tanquam ad subiectum commune. Petrus enim, & Paulus sunt ipsæ res formaliter diuisæ; At res, quæ materialiter, & tanquam subiectum diuiditur in recto est natura, vt modò dixi. Exemplum autem de vnione nihil reffert: Nam vnio formaliter terminatur ad res distinctas, vt tollat earum separationem tantum; illamque tollit de facto, non verò distinctionem. At identitas negatiua, quæ fit per remotionem omnimodæ distinctionis, nihil distinctum relinquit.

§. 24. Obiicies secundò argumentum, quo Hurtadus suam conclusionem satis probatam existimauit, etiam ex nonnullorum censura; quare illud optat, vt memoria, menteque retineatur. Homo v.g. immediatè, & verè prædicatur de Petro, & Paulo: ergo homo est immediatè ex parte obiecti Petrus, & Paulus. Consequentiam probat. Quia omne immediatè, & verè prædicabile de Petro, & Paulo est necessariò Petrus, & Paulus, cum quibus nihil est idem præter ipsos. Tum sic. Immediatum obiectum terminans realiter cognitionem de homine sunt Petrus, & Paulus: ergo non ratio abstracta ab vtroque. Probatur antecedens, immediatum obiectum cognitum realiter est, quod immediatè dicitur verè de Petro, & Paulo; sed de illis nihil realiter. Verè, & immediatè dicitur præter ipsos: ergo.

§. 25. Respondeo: hoc argumento nullam consequentiam inferri legitimè ex reali idemtitate hominis cum Petro, & Paulo (quam nemo negat) nisi hanc: *Ergo Petrus, & Paulus sunt realiter illud, quod est obiectum cognitionis Vniuersalis, seu sunt idem realiter cum eo, quod terminat eiusmodi cognitionem*, quæ vera est in sensu idemtico, & entitatiuo, seu materiali. Ast verò hæc: *Ergo Petrus, & Paulus terminant cognitionem Vniuersalis.* Omninò est falsa, nec bonâ Dialecticâ infertur ob ea, quæ latè docui Dissert. 3. Theorem. 1. §. 8. & Theorem 6. §. 50. & sequen. Ad formam dato antecedente, nego consequentiam in sensu formali, cuius probationis, iterum nego antecedens in eodem sensu. Deindè nego etiam alterum antecedens sub explicato sensu, & ad probationem concessa maiore, minorem distinguo. De Petro, & Paulo nihil prædicatur verè præter ipsos formaliter nego, nihil præter ipsos realiter, transeat.

§. 26. Obiicies tertiò. Hurtadi argumentum, sed ad summam redactum, nam ille ita prolixum, battologicum, atque importunum proponit, vt tot explicatibus, & confirmationibus molestiam solum augeat, non efficaciam, vt benè notauit M. Zerna de primo, disput. 6. sect. 4. artic. 6. In ratione obiecti prout distincti à cognitione non debet includi ipsa cognitio; Sed vnitas se habet ex parte cognitionis; equidem obiectum fit vnum prout cognitum est: ergo ex parte obiecti non sunt, nisi plura similia. Consequentia liquet. Nam illa vnitas rationis non terminatur ad vnum præcisum à singularibus; quia cum eiusmodi præcisio sit ipsa cognitio, iam confundis cognitionem cum obiecto; ponis enim ex parte obiecti denominationes à cognitione petitas: Ergo si semel ex vna parte ponatur sola cognitio, & ex alia solum obiectum, quin confundamus cognitionem cum ipso, non erunt in obiecto, nisi multa indiuidua, ad quæ eiusmodi cognitio terminetur. Dices: obiectum illud esse materialiter multa; at vt obiectum neque esse vnum, neque plura. Contra; Illa cognitio terminatur ad obiectum materialiter, quod sunt multa; non verò ad obiectum formaliter, & reduplicatiuè sub ratione obiecti, quia hæc reduplicatio re-

dupli-

duplicat cognitionem, quod si reduplicat cognitionem, iterum redibit argumentum, petamque, vt remoueas cognitionem; nihilque relinquetur in obiecto, nisi multitudo indiuiduorum.

§. 27. Respondeo. Arguentem falli, si existimet, nos dicere, vnitatem esse actum intellectus, seu vnitatem aliquam positiuè produci ab intellectu, quæ appingatur obiecto, seu vnitatem terminari ad obiectum. Vnitas enim huiusmodi non terminatur ad obiectum, sed apparet in obiecto, eo præcisè, quod intellectus non attingat differentias distinctiuas. Ponatur ergo ex vna parte cognitio præcisiua tantum, & ex alia ponantur indiuidua similia, si semel cognitio abstrahat naturam, idest non cognoscat singularitates, (quod necessariò euenit ex determinatione ad speciem, quam singularitatibus nudam sibi produxit intellectus agens) necessariò etiam remanebit natura vna in intellectu. Ad formam argumenti data maiore, nego minorem, si sensus sit, quod vnitas sit actus intellectus copulans indiuidua similia, nam vt modò dixi, eiusmodi vnitas, nec est quid positiuè productum ab intellectu, nec ipsa cognitio per modum causę formalis constituens vnum, sed mera carentia pluralitatis, cum qua tunc natura repræsentatur per speciem productam ab agente intellectu, singularitatesque separante.

§. 28. Obijcies quartò. Natura obiectiuè præcisa non potest prædicari intrinsecè de quolibet indiuiduo: ergo non est Vniuersalis. Probatur antecedens, Natura illa est natura realis omnium hominum; Sed natura omnium hominum non potest intrinsecè tota de Petro prędicari: ergo nec de quolibet indiuiduo. Dices. illam naturam sic præcisam non esse naturam omnium hominum; immò potiùs ab omnibus abstractam. Sed contra: Quia illa natura etiam præcisa potest intrinsecè de Petro, & Paulo, Ioanne, &c. prædicari; sed de Paulo nihil potest prædicari, nisi eius natura: ergo quod correspondebat in illa natura, erat natura Pauli; sed etiam potest similiter prædicari de reliquis: ergo ibi etiam correspondebat realiter natura reliquorum. Vndè iterum præmit argumentum. Natura reliquorum non potest verè, & realiter prædicari de Paulo: ergo quod ibi correspondebat, non potest prædicari de quolibet: ergo neque erat Vniuersale.

§. 29. Vel aliter intorqueo telum, (ait Arriaga). Quod ibi correspondebat non erat natura Pauli, sed quid abstractum: ergo illud non potest verè prædicari de Paulo. Probo euidenter, (inquit ille) de Paulo solum prædicatur verè eius natura; neque à parte rei cum ipso identificatur aliquid ab ipsius natura abstractum. Confirmatur, quia si idem omninò prædicatur realiter de Petro, & Paulo: ergo sunt realiter idem inter se.

§. 30. Respondeo, hoc argumentum, & similia procedere ex praua intelligentia doctrinæ Peripateticæ; non enim benè capiunt Nominalistæ, quid sit esse vnum negatiuè; totalitas enim eorum, quæ sic sunt vnum, non est extensiua, sed intensiua. Et quidem tota natura humana, id est omnia prædicata essentialia, passiones, ac proprietates eiusdem, quæ in cunctis indiuiduis humanis reperiuntur, reperiuntur in solo Paulo, ac proindè in ipso est tota Natura tam existens, quam possibilis secundum totalitatem quantitatis perfectionis, & virtutis; non veró secundum totalitatem extensiuam quantitatis materialis, & multitudinis, quia cum abstrahat à quantitate, & materia, abstrahit etiam ab omni multitudine, & pluralitate prouueniente ab illa. Rursus esse vnum negatiuè nihil est, nisi naturam remanere indifferentem, & indeterminatam ad omnia indiuidua, ob absentiam differentiarum determinantium: id, quod & notauit Commentator primo Metaphysicæ dicens, vnitatem materiæ primæ prouenire ex priuatione formarum, vnitatem vero Generis ex indifferentia formarum, quod etiam repetit S. Thomas Opusculo 55. ab aduersariis admisso, ac pro se citato: *Non oportet* (inquit) *quod diuersarum specierum, quarum est idem genus, sit vna essentia* (sub intellige numero) *quia vnitas Generis ex ipsa indeterminatione procedit, vel indifferentia ...... Vndè dicit Commentator super 1. Metaphys. quod materia prima dicitur vna per priuationem omnium formarum: sed Genus dicitur vnum per communitatem formarum significatarum: Vndè per adiectionem differentiæ remota illa in determinatione, quæ erat causa vnitatis generis, remaneant species per essentiam diuersæ*. Hæc ille. Haud secùs in specie; hominem esse vnum negatiuè multis, est illum considerari tantum esse animal rationale, quod vt sic ita indifferens est ad quodlibet subiectum, vt per intellectum applicabile sit Petro, vel Paulo, quin è sua penu afferat, nec Petreitatem, nec Pauleitatem; hæ enim differentiæ sibi accidunt ex coniunctione ad subiectum. Ad formam argumenti, nego antecedens; ad probationem distinguo maiorem: Natura illa est natura realis omnium hominum negatiuè, concedo maiorem; omnium hominum positiuè, nego maiorem. Sed natura omnium hominum non potest tota de Petro prædicari; sub explicato sensu, nego minorem; quia totalitas communitatis negatiuè non est extensiua, seu vniuersæ collectionis, sed intensiua, idest totius perfectionis essentialis.

§. 31. Nec impugnatio solutionis ab arguente proposita rem conuincit; nulla enim est repugnantia in eo, quòd natura Pauli non sit positiuè natura reliquorum; & tamen negatiuè tam Paulo, quàm reliquis sit eadem natura indifferens per intellectum; eo quòd nulla appareat ratio, ob quam illa sit potiùs Pauli, quàm Socratis. Quod autem instas, de Paulo non prædicari nisi suam naturam; si intelligas, ex parte prædicati in actu primo venire *suitatem* (vt sic dicam) seu proprietatem, falsum dicis. Nam pro illo priori natura prædicabilis de Paulo, tam potest esse Pauli, quàm reliquorum negatiuè. Ast in actuali prædicatione ipsa coniunctio ad differentiam, seu determinatio subiecti facit *suam* naturam, quæ positiuè *sua* non erat, & in

hoc

hoc sensu tantum est verum dicere, quod de Paulo solum prædicatur sua natura.

§. 32. Alter autem modus hoc telum intorquendi imbellis prorsus est. Dato enim antecedente; nego consequentiam, ad cuius probationem, quam euidentem vocat Arriaga, dico, nec vel pueros dubitare, rem posse realiter identificari cum alia; etiamsi ab ipsa sit præcisa per rationem. Eccè sua liquidissima euidentia. Confirmationem concedo totam; ex hoc enim, quod idem specificè prædicetur de Petro,& Paulo (nil aliud concedunt Thomistæ)optimè colligit ille, Petrum, & Paulum esse idem inter se, idest specificè, nec vllus mortalium probabit aliam idemtitatem.

§. 33. Obijcies quintò principaliter. Implicat inter duas partes diuidentes aliquod totum, quamlibet earum esse idem adæquatè cum toto, (in toto enim erat ipsa pars, & alia distincta compars:) Ergo implicat, aliquid vnum diuidi in plura, quarum quodlibet sit idem adæquatè cum toto. Ergo repugnat, eam naturam totam de Petro prædicari, & eamdem etiam totam de Paulo, si Petrus, & Paulus inter se adæquatè distinguuntur.

§. 34. Respondeo, Antecedens esse verum de partibus *actualibus*, quæ realiter, vel formaliter componant aliquod totum, non de subiectiuis, & potentialibus Logicè. Quia natura non nisi per indifferentiam ad plura dicitur, in illa plura diuidi, nec tamen illa plura naturam actu componunt, nec hæc diuisio æstimanda est, quasi compositi in membra, seu in partes verè constitutiuas, sed quasi subiecti in accidentia rationis, Animali enim (idem dic de homine respectu Petreitatis, & Pauleitatis) nunc accidit determinari per rationale, nunc per hinnibile, sicut parieti accidit modò esse album, modò cæruleum. Nego igitur, in hoc toto esse vnam partem, & alteram compartem distinctam, quia essentia simplex, indiuisibilisque extensiuè, nempè Animal rationale, vt sic, eatenus est totum potestatiuum, quatenùs ratione suæ indifferentiæ applicabilis remanet per intellectum Petro, non minùs, quam Paulo,eo præcisè, quod non inuoluat vllam differentiam, ratione cuius repugnet, vt applicetur huic, vel illi; quarè omnibus indifferenter applicari potest, & quidem tota, totalitate superiùs explicata.

THEOREMA III.

Cætera Nominalistarum argumenta dissoluuntur.

§. 35. OBijcies sextò. Nihil est in Petro, quod realiter sit in Paulo: ergo implicat conceptus obiectiuus, qui secundùm totum id, quod importat, possit prædicari de Petro,& possit prædicari de Paulo. Probatur consequentia. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo, debet esse in Petro, & Paulo; sed nullus conceptus, qui est in Petro, est in Paulo: ergo nullus conceptus, qui prædicatur de Petro, & est in Petro, est in Paulo, nec prædicatur de Paulo. Dices, abstractione resultare rationem omninò eamdem, & communem Petro, & Paulo. Contra primò. Quia hæc idemtitas tantùm est intentionalis, & non realis, quia abstractio non immutat obiectum, sed inuariatum relinquit: ergo illa non sufficit ad hoc, vt de aliquo subiecto prædicetur, quod antè abstractionem non idemtificabatur cum illo, patet hæc consequentia, quia verificatio prædicati sumitur ex idemtitate reali, quæ est inter subiectum, & prædicatum, & non ex idemtitate, quam ego fingo. Contra secundò. Illa ratio hominis vna per rationem, & multiplex realiter secundum totum id, quod dicit, non idemtificatur cum Petro, & Paulo, quia includit rationem hominis realiter idemtificatam cum Petro, quæ non idemtificatur cum Paulo, & rationem hominis idemtificatam cum Paulo, quæ non idemtificatur cum Petro. Et illud obiectum vnum idemtificatur cum Petro tantùm secundùm rationem hominis à Petro abstractam, & cum Paulo tantùm secundùm rationem hominis à Paulo abstractam, quæ realiter distinguuntur: ergo nihil est in illo obiecto vno, quod indiuisibiliter possit prædicari de Petro, & Paulo.

§. 36. Respondeo. Concesso antecedente, nego consequentiam; & probationis, distinguo maiorem. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo debet esse in Petro, & Paulo, realiter nego maiorem; formaliter per intellectum concedo maiorem. Deindè similiter distinguo minorem. Sed nullus conceptus, qui est in Petro, est in Paulo, realiter transeat; formaliter per intellectum, nego minorem. Vbi aduerte, arguentem mutare suppositionem hic, sicut in plerisque Aduersariorum argumentis, in Maiore enim conceptus obiectiuus supponit pro natura in statu obiectiuo,& abstractionis; at in Minore pro natura in statu reali. Verùm vt benè notarunt Spinula, & Comptonus passim hoc vitium committunt Nominalistæ in hac disputatione, quarè monendi sunt, [*nè mutando suppositionem* (inquit Carleton) incidant in fallacias, & pro demonstrationibus apparentibus vera conficiant sophismata.] Non ergo confundendum est, *esse* cum *prædicari*, nec saltandum ab statu obiectiuo naturæ abstractæ ad statum realem naturæ existentis: hallucinatur quippè, qui existimat, naturam prædicari prout est à parte rei. Nam cùm prædicatio sit actus intellectus applicantis, seu contrahentis naturam abstractam, & prout à se conceptam, non debet considerari in prædicando sub eo statu, quem realiter habet, sed sub diuerso,nempè intentionali,in quo nihil differentiarum relucet, vt sæpè dixi.

§. 37. Deindè ad primam impugnationem (quæ quidem est vetustum Okami, & Nominalium argumentum: *Propter considerationem intellectus res non mutatur: ergo quidquid realiter est singulare per nullam considerationem intellectus esse potest vniuersale*. Gabriel in primo,distinct. 2. quæst. 7.) Fateor, vnitatem illam solum esse intentionalem, nec obiectum realiter immutare; sufficit illa

illa tamen ad hoc, vt natura humana reddatur idemtificabilis per intellectum cum omni illo, quod realiter fuerit homo; idemtificabilis (inquam) per intellectum, quia per hoc, quod ego illam prædicem de Petro, non facio, vt illa realiter insit Petro, redditur autem idemtificabilis per intellectum statim, cùm concipitur non repugnans idemtificari, idest sine differentijs. Verificatio item prædicati specifici sumitur ex fundamento reali, videlicet ex conformitate subiecti cum naturis omnium indiuiduorum similium; non ex eo, quòd natura vniuersaliter prædicanda debeat esse in actu primo ipsamet numero signatè, quæ ab illo abstracta fuit; non enim est prædicatio indiuidui de se ipso, sed speciei de suo indiuiduo, quam verè prædicat intellectus eo ipso, quod subiectum verè habeat à parte rei naturam humanam: quòd autem hæc sit in subiecto distincta, vel non distincta, vna, vel plures, nihil curat intellectus, cùm ab ijs præscindat, nec per eiusmodi præcisionem aliquid falsi enuntiat, quia *abstrahentium non est mendacium*, vt aiunt.

§.38. Secunda instantia falsum assumit, nempè, naturam humanam prædicabilem de Petro, & Paulo includere rationem hominis idemtificatam cum Petro, quæ non idemtificetur cum Paulo, & rationem hominis idemtificatam cum Paulo, quæ non idemtificetur cum Petro. Nam cum abstrahat à Petreitate, & Pauleitate, nihil in eo conceptu importatur, quod non sit æquè idemtificabile cum vtroque. Similiter nego, illud obiectum idemtificari (loquendo de idemtificatione per rationem) cum Petro tantùm secundùm rationem abstractam à Petro. Dices: Ergo idemtificabitur cum Petro etiam secundum rationem hominis abstractam à Paulo. nego itidem istam consequentiam, & suppositum simul, quod scilicet ibi sint rationes hominis distinctæ, vna Petri, & altera Pauli.

§. 39. Objicies septimò, Nihil est in Petro, aut Paulo, quando datur ratio abstracta ab illis, quod non sit quando deficit abstractio; sed quando defuit abstractio, nihil est in Petro, quod sit commune Paulo, aut realiter idemtificatum cum Paulo: ergo neque quando abstractio adest; ergo adhuc posita abstractione nihil datur, quod secundùm eamdem indiuisibilem rationem possit de indiuiduis distinctis prædicari.

§. 40. Respondeo. Concedo totum Syllogismum, & distinguo vltimum consequens: ergo adhuc posita abstractione, nihil datur, quod possit de indiuiduis distinctis prædicari, nihil reale, idest realiter commune Petro, & Paulo transeat, nihil obiectiuum in intellectu, nego; argumentum nihil probat, nisi quod à parte rei nihil sit commune, quod prædicetur, quod nunquam negauimus. Confundit etiam idemtificationem realem cum intentionali, quæ fit per prædicationem: Etenim quamuis nihil sit, quod realiter idemtificetur cum Petro simul, & Paulo, ipsa tamen eorum realis similitudo in causa est, ad hoc, vt posita abstractione, Similitudo transeat in vnitatem intentionalem; seclusa... moto enim omni principio distinctionis, natura non remanet multiplex, sed fit vna negatiuè, indifferenterque omnibus indiuiduis per intellectum applicabilis, seu idemtificabilis.

§. 41. Objicies octauò. Si vna ratio indiuisibilis abstracta esset communis omnibus, ratio omnium hominum prædicaretur de Petro, & Paulo, & in Petro esset ratio aliqua, quæ eadem indiuisibilis esset in reliquis indiuiduis, & quodlibet indiuiduum in quocumque alio suam naturam agnosceret, quam ab ipso posset repetere, & aliud reddere non deberet, quia eòdem iure illi competebat, potiùs posset respondere: *Quod petis intùs habes*. Confirmatur, quia eadem natura esset propria Petri, quatenùs proprium opponitur alieno, & non esset propria quatenus proprium opponitur communi, quia ea natura omnibus esset communis. Sic tandem Ouiedus.

§. 42. Respondeo, nonnulla in argumento commisceri falsa, alia æquiuoca, alia inepta; Singula excutiam. *Prima* propositio. Si vna ratio indiuisibilis abstracta esset communis omnibus, ratio omnium hominum prædicaretur de Petro, & Paulo. Est falsa, si ly vna indiuisibilis sumatur pro indiuisibilitate numerica; nos enim specificam tantum damus, nec ylla est naturæ sic abstractæ indiuisio numeralis, sed potiùs carentia, seu remotio intentionalis omnium differentiarum indiuidualium. Deindè ly ratio omnium hominum prædicaretur, æquiuocum est, & nisi sumatur *omnium* negatiuè, falsum quoque, iuxta ea, quæ suprà dedimus, §. 30. *Secunda* propositio Est: in Petro esset ratio aliqua, quæ eadem indiuisibilis esset in reliquis indiuiduis. Est falsa, facitque transitum de statu abstractionis ad statum realem, de prædicari ad esse: in prima enim propositione dicebatur, quod Natura abstracta prædicaretur de Petro, & Paulo; nunc subditur, quod in Petro esset ratio, quæ indiuisibilis esset etiam in omnibus indiuiduis; mutatur ergo suppositio naturæ, cùm sumatur nunc pro abstracta, nunc pro existente. *Tertia* propositio, Et quodlibet indiuiduum in alio suam naturam agnosceret. Est inepta; Nam si natura est communis specificè, distincta tamen numero realiter in vno quoque, quid absurditatis est, quod indiuiduum cognitiuum, qualis est homo, cognoscat alium hominem habere suam naturam in specie, idest realiter suæ similem, & conformem? Dices; esse agniturum eamdem numerò suam. Sed ego à te petam, vndè tam pulchram consequentiam colligas? Certè, naturam eamdem numerò esse in multis, vel prædicari de multis hucusque non probasti; nec probabis vnquam arbitror. *Quarta* propositio. Vnum indiuiduum repeteret ab alio suam naturam, aliudque responderet, *quod petis intùs habes*. Hæc similiter inepta est, & ridicula. Confirmatio eòdem pede claudicat; nemo enim dubitat, naturam humanam posse esse propriam, & non propriam, diuersimodè tamen; nam indiuidualiter sumpta, & realiter, est propria, specificè autem sumpta propria non est, sed communis

munis per rationem, vel fundamentaliter à parte rei.

§. 43. Obijcies nonò, omnis vera Prædicatio supponit identificationem realem subiecti cum prædicato; sed de Petro, & Paulo dùm dico Petrus, & Paulus sunt homo, prædicaretur aliquod ens reale, & non fictum, nec chymæricum: ergo aliquod ens reale, & non fictum esset realiter identificatum, & commune Petro, & Paulo, quod apertè falsum est. Ergo si aliquod ens reale importatur in eo prædicato non est nisi duplex entitas Petri, & Pauli confusè cognita, quarum quæ fuerit Petri prædicabitur de Petro, & quæ Pauli de Paulo.

§. 44. Respondeo. Ens reale dupliciter sumi ex Caietano de Ente, & Essentia cap. 4. quæst. 6. Vno modo, vt distinguitur contra ens ab intellectu fabricatum; alio modo, vt distinguitur contra non existens actu. Primò modo omnis res prædicamentalis est ens reale, siue existat, siue non. Secundò modo id tantum, quod realiter existit extra suas causas est ens reale, &c. Hinc ergo licet Natura humana supponatur identificata cum omnibus indiuiduis suis per multiplicem eorum vnitatem; quia tamen considerata solitariè, & secundum se, præscindit ab omni multiplicitate, solum est ens reale in prima acceptione, non in secunda, vt argumentum intendit. Ad cuius formam concessis præmissis sub proximè explicato sensu, nego consequentiam, quia in ea per ly realiter commune mutatur suppositio de primo modo realitatis ad secundum.

PARERGON.

§. 45. Ex dictis liquebit, Neotericos nouitatem affectantes non nisi rancidulas Nominalium vetustates in scholas aduexisse, tametsi ipsi quasi recentis, ac politissimi dogmatis authores glorientur. Sed verò obsoletas decrepiti sæculi sententias post multos alios è sepulchro obliuionis eruere, nouitas non est, teste ipsomet Hurtado in Physica disput. 15. §. 50. vbi de alia huius farinæ sententia sic ait: *Hanc opinionem iacentem iam, ab inferis exitarunt duo, aut tres è recentioribus Philosophis, vtinam tam studiosi veritatis, quam nouitatis: est nempè quoddam nouitatis genus annosas opiniones, ac sepultas puluere in lucem reuocare, & à recta Theologorum, ac Philosophorum pedibus trita via deflectere*. Hactenus ille. *Cui doctissimo viro talia proferenti* (inquit Ortizius) *respondit quidam. Bene dicis, sed incipe à te*. Physicor. tract. 9. confer. 3. §. 1.

§. 46. Sanè si vniuersalis Nominalistici ætatem inspiciamus. Primò viguit Platonis sæculo teste Cantero, sed Socratis authoritate eiusmodi sententiam abiurauit Plato ipse, & in Ideas separatas abiuit, ratus, meliorem sibi mentem venisse, vt supra exibui §. 9. & hic fuit primus huius opinionis interitus. Secundò extincta est sæculo Anselmi, qui rediuiuos Nominales sui temporis, *Dialecticæ Hæreticos* appellauit. Circa enim idem ferè tempus tota Parisiorum Academia Nominales expugnabat, vt ex Auentino suprà dedi. Tertiò ab Okamo suscitata, etiam ab Scoticis, Thomisisque tertiò sepulta est, vt scribit Masius: *Non est cur in hac re nimiùm insudemus* (inquit ille de Nominalium dogmate Dialect. sect. 2. de rebus Vniuers. qu. 1.) *præsertim hoc nostro tempore, in quo horum Philosophorum opinio est à scholis communibus omnium suffragijs penitùs reiecta*. Quartò deniquè nostro sæculo reuixit, Hurtado vitam ingeniosè afflante cum Socijs. Et licèt illa opinio viuidius nostra ætate surrexisse videatur, ob tot Societatis Scriptores, qui illam hactenùs animarunt; ast, vt audio, iam deserere ipsam incipiunt, multique contra ipsam doctè, luculenterque scribunt, quorum aliquos vidi, vt Comptonum, Lynceum, Izquierdum. Vndè eò venturam illam breui expectamus, vt ad toties salutatos Manes vltimò vadat, æternumque dispareat. Quarè vates nonnullos vniuersalis Nominalistici fata præuidens sepulchrali saxo hoc epitaphium excudere mandauit.

Epitaphium vniuersalis Nominalistici.

PROSOPOPÆIA.

Me Ochami Sectam Hurtadus reuocarat ab Orco
Ter functam: at quarto nunc sequor Euridicen,
En iaceo; ingenijs non tanta potentia in vmbras
Vox, & Conceptus absque Re larua sumus.

DISSERTATIO VIII.

Deturne vniuersale in actu, seu aptitudo essendi in multis à parte rei?

§. 1. SVppono Peripateticorum sententiam, videlicet, vniuersalia non subsistere extra singularia: & pro tituli intelligentia omninò audiendum propono Caietanum Opusculo de Ente, & Essentia cap. 4. quæst. 7. [Nomine vniuersalis (inquit ille) intelligimus Primò vniuersalitatem, quæ est relatio rationis. Secundò rem, quæ denominatur vniuersalis ab illa vniuersalitate. Tertiò aptitudinem ad essendum in multis, quæ est quid medium inter illa duo, & est fundamentum proximum, quarè res suscipiat illam relatiuam denominationem; ideò nempè rei intellectus attribuit relationem vniuersalitatis, quia res illa apta, nata est esse in pluribus. Non vertitur in dubium, an illa relatio, quæ vocatur vniuersale formaliter sit extra animam? eam enim omnes ab intellectu fieri dicunt. Nec quæritur an illa res, quæ denominatur vniuersalis, quæ vocatur vniuersale obiectiuè in potentia sit extra animam? communis enim sententia est, quod quandoque res illa est extra animam, quandoque non. Si enim res illa est res realis, puta Homo, Bos, & huiusmodi ponitur extra animam. Si autem res illa sit ens rationis non ponitur extra, vt subiectum, prædicatum, propositio, syllogismus, & similia. Sed dubitatio est, an Aptitudo ad essendum in multis sit extra animam? ita quod absque omni opere intellectus inueniatur

niatur res apta nata esse in multis, quæ vocatur vniuersale in actu obiectiuè, an solum extra animam sit res. Aptitudo autem ad essendum in multis inest rei per opus intellectus. Et quia aptitudo illa complet rationem vniuersalis in actu, (obiectiuè sumendo vniuersale, licet non formaliter) ideò quærere, an extra animam inueniatur totum hoc, scilicet res apta nata esse in pluribus, est quærere an sit extra animam vniuersale in actu obiectiuè? .... Vniuersale obiectiuè in potentia est res ipsa vna formaliter, non adiungendo sibi aptitudinem ad essendum in pluribus. Ex his patet, in quo stat difficultas. Intendimus enim non de vniuersali formaliter, nec de vniuersali obiectiuè in potentia, quia in his conuenimus, sed de vniuersali obiectiuè in actu. Propterea cùm loquimur de vniuersali in actu absque additione, obiectiuè intelligi volumus, ne æquiuoco laboremus.] Hucusque nobis face præluxit doctissimus Cardinalis.

§. 2. Aduerto, Scotistas non paucos contrà suum Doctorem asseruisse dari actu, & formaliter vniuersale à parte rei, idque quasi iuratâ quadam peruicacia contradicendi Thomistis, vt fatetur ingenuè doctissimus Valera Scotista Peruanus, quorum præcipui Antonius Andreas, Paulus Venetus, Rodolphus, Ioannes Monlorius, Burlæus, quibus adhærent Vallesius, Iulius Scaliger, & alij. Sed verò Scotus quamuis à parte rei concedat naturam vnam, aptamque ad essendum in multis; negat tamen, illam esse prædicabilem de illis, quia ad huiusmodi prædicabilitatem (in qua ipse constituit vniuersalitatem formaliter completam) existimat, requiri indifferentiam, qua illa possit dici de quolibet indiuiduo prædicatione dicente hoc est hoc, quæ nisi ab intellectu præstari non potest. Sic ille locis pluribus à Valera indicatis, quem sequuntur Merinerus, & alij, qui suum Magistrum ab hâc calumnia se egregiè vindicasse arbitrantur; Verùm illa non à nostris, sed ab eorumdem schola traxit originem, vt suprà notauimus. Cæterùm quia ridiculum esset disputare, vtrum ante intellectum detur Natura prędicabilis eà indifferentia, vt de quolibet dicatur hoc est hoc, cum hoc ipsum sit actio intellectus; oportet nunc non nisi in sensu explicato à Caietano rem discutere.

THEOREMA I.

Thomistica sententia probatur, Scoti fundamentum diruitur.

§. 3. Prima Assertio. Eorum quæ vniuersale constituunt, sola natura substrata vniuersalitati, seu secundæ intentioni potest esse à parte rei; at verò tam vniuersalitas formalis, quam aptitudo essendi in multis non nisi mentis molimine consurgunt. Hæc pars vltima assertionis, in qua est præcipua difficultas probatur à Caietano eisdemmet rationibus, quas contra vnitatem negatiuè communem à parte rei expendimus supra dissertat. 6. Quidquid sequitur naturam ratione sui, simpliciter prædicatur de indiuiduo talis naturæ; sed aptitudo ad essendum pluribus per te sequitur naturam, puta humanitatem ratione sui: ergo aptitudo ad essendum in multis prędicatur simpliciter de indiuiduo illius; nempè, quod Sortes sit aptus natus ad essendum in multis. Hoc argumentum latè excussi supra Theoremate 3. à §. 25. vide ibi.

§. 4. Secundò probatur euertendo Scoti fundamentum. Quia in eo committitur defectus fallaciæ consequentis. Cum enim aptitudo ad essendum in multis sit idem, quod non repugnantia ad essendum in pluribus, arguit sic. Naturæ, puta humanitati, in quantum humanitas non repugnat esse in pluribus: Ergo humanitati in quantum humanitas conuenit aptitudo, siue non repugnantia ad essendum in multis, & consequenter humanitas est vniuersalis absque opere intellectus. Peccat ratiocinium, quia ex negatiua infert affirmatiuam de prædicato infinito reduplicatione addita. Verum antecedens; at consequentia impossibilis. Humanitas enim in quantum humanitas, seu ratione sui abstrahit à repugnantia, & à non repugnantia essendi in multis. Adi citatæ Dissertationis Theorem. 4. à §. 32. vsque ad 41. vbi examinauimus hanc argumentationem, simulque Fabri, & aliorum defensiones accuratè reffellimus.

§. 5. Tertiò. Si Humanitas vendicaret sibi in quantum humanitas non repugnantiam ad essendum in multis, nullo pacto humanitati posset conuenire repugnantia ad essendum in multis, & sic nec per se, nec per accidens posset repugnare humanitati esse in pluribus, quod est manifestè falsum. Humanitati enim Sortis ratione adiunctæ hæcceitatis repugnat esse in pluribus. Consequentia est bona. Quia oppositum eius, quod conuenit alicui secundum quod ipsum, nullo modo potest inueniri in illo, ex primo Posteriorum. Recognosce etiam dictæ Dissertat. Theorem. 3. à §. 18. vsque ad 24. vbi hoc Caietani argumentum latè promouimus, atque omnes Scotistarum solutiones ex eiusdem Scoti doctrina retudimus; quæ omnia quasi huic loco genuina recolenda sunt, mutata solum voce communitatis negatiuæ in Aptitudinem ad essendum in multis], nè acta repetamus.

THEOREMA II.

Calumnia Merineri abstergitur, validiora Scoti argumenta proferuntur in locum, ac iam pridèm à nostris eneruata ostenduntur.

§. 6. Primò. Merinerus Disput. 2. de Vniuers. quæst. 1. criminatur Rubium, PP. Complutenses, cæterosque Thomistas, quòd communiter affirment, Scotum in secundo sententiarum, & septimò Metaphysic. docuisse, dari à parte rei in naturis, quæ denominantur vniuersales, vniuersalitatem, seu formam illam, à qua vniuersales actu, & formaliter denomi-

nominantur. [Sed hi noui Scoti interpretes (subdit ille pro Thomistis) aut ipsum non legerunt in præcitatis locis; aut si legerunt (quod minimè assueuère) voluntaria lippitudine laborabant. Nil enim clarius apud Scotum in locis ab ipsis allegatis, quam vniuersalitatem, seu formam à qua naturæ denominantur vniuersales, non esse ipsis à parte rei, sed per operationem intellectus]. Hactenus Merinerus. Sed verò author hic re non benè expensa pronuntians, peccat absurdissimè. Primò, quia Thomistas insimulat, quin ipse Thomistarum sensum attigerit, non enim legerat apud Caietanum, in quo sensu versetur Quæstio hæc inter nos, & Scotistas, cum tota sit de aptitudine ad essendum in multis, quam Caietanus vocat vniuersale in actu obiectiuè, quem videas omninò hac nostra dissertatione §. 1. Vocatur etenim hac eadem notione vniuersale pro formali, seu abstractè vniuersalitas eiusmodi aptitudo essendi in multis, quam Complutenses, sicut & cęteri Thomistę ab intellectu fabricari docent contra Scotum.

§. 7. Peccat secundò falsa Thomistis imponens: neque enim illi, quos ipse citat, nec vllus Thomistarum somniauit vnquam, Scotum admisisse à parte rei vniuersalitatem, seu formam, à qua naturæ actu, & formaliter denominantur vniuersales, vt Merinerus scribit, quæ si non credat, lege quæso, vel Rubium, & Complutenses, quos ille testes adducit. Immò verò tam Scotus, quàm Thomista conueniunt in eo, quod eiusmodi vniuersalitas ex solo intellectus opificio resultet, quod & agnoscunt, fatenturque Thomistæ, notauitque Caietanus aiens: *Non vertitur in dubium, an illa relatio, quæ vocatur vniuersale formaliter sit extra animam: eam enim omnes ab intellectu fieri dicunt*. Et paulò inferiùs; *Intendimus enim non de vniuersali formaliter, nec de vniuersali obiectiuè in potentia; quia in his conuenimus, sed de vniuersali obiectiuè in actu, propterea cum loquimur de vniuersali in actu absque additione; obiectiuè intelligi volumus, ne in æquiuoco laboremus*. Ecce Thomistæ fatentur, Scotum, & ipsos Thomistas conuenire in asserendo vniuersalitatem aliquam (nempè formalem) fieri solo intellectu.

§. 8. Peccat tertiò, quòd Thomistas ait, non legisse Scotum, vel lippitudine laborasse, cum apud illum nil sit clariùs, quàm quòd illa vniuersalitas, seu forma, per quàm naturæ denominantur vniuersales, sit per operationem intellectus; peccat, inquam, quia id sanè viderat Caietanus, vt modo exhibuit, notantque Thomistæ omnes, quoties res postulat: Ergo vel Scotum legerant, vel ab oculatissimis Scoti discipulis acceperant rem, vt erat; ostendat igitur Merinerus lippos illos, aut cæcutientes Thomistas, quos vt *nouos Scoti interpretes* cauillatur seuerè, certè dabit nullos. Sed quid si ostendero, Merinerum ipsum sui Scoti loca citata non legisse? faxo equidem ni fallor; at infra oportunius. Nunc autem operæ pretium duxi Argumenta ipsa Scoti in medium proferre, primò, vt ea moderni Scotistæ recognoscant, promoueantque, nec non etiam vt videant, quid sibi velint, & an probent, dari vniuersale à parte rei, nec ne? Secundò, vt ostendam, iampridèm à Thomistis antiquis ita validè fuisse soluta, eneruataque, vt nèc iuniores Scotistæ eiusmodi argumenta sui Doctoris vltrà roborare, aut nouis saltem Thomisticarum solutionum impugnationibus promouere voluerint, sed potiùs ipsa deseruerint omninò, dubitas nè? Ecce argumenta.

ARGVMENTA SCOTI.

§. 9. PRimum argumentum. Vniuersale est, quod est aptum natum dici de pluribus; sed res de se est apta dici de pluribus, quia si non: ergo aptitudo sibi repugnaret, nec sibi conferri posset saltem ab intellectu; quia tunc pari ratione posset intellectus dare Sorti talem aptitudinem, sic Scotus 7. Metaph. qu. 18. num. 4.

§. 10. Caietanus negat minorem, & probationis consequentiam. Quia Natura ex se inquit, abstrahit ab aptitudine ad essendum in pluribus, & à repugnantia ad essendum in pluribus. Vndè non valet consequentia, non habet aptitudinem: ergo habet repugnantiam. Item *Capreolus* negauit optimè vltimam sequelam. Quia intellectus conferens rei vniuersalitatem, dat ei, quod est ei attribuibile in esse intelligibili, & quod ei repugnat in esse reali. Non igitur posset hoc dare Socrati, quia nullum indiuiduum habet aptitudinem ad vniuersalitatem in esse intelligibili, sicut habet natura, quia Natura potest abstrahi à principijs indiuiduantibus; non autem indiuiduum.

§. 11. Secundum argumentum. Obiectum naturaliter præcedit actum: ergo vniuersale naturaliter præcedit intellectionem, quando vniuersale intelligitur, Scotus, 7. Metaphys. qu. 18, num. 5. Respondet Thomista; negando antecedens, si sermo fiat de actu potentiæ actiuæ; quia potentia actiua non præsupponit suum obiectum, sed illud facit. Quare cùm intellectus agens sit potentia actiua, non supponit vniuersalę, sed producit. Si autem sit sermo de intellectu possibili, adhuc data consequentia, non sequitur, quod vniuersale actu sit à parte rei, seu extra intellectum, quia fiet per intellectum agentem; tametsi possibilem præcedat. *Capreolus, Caietanus, &c.*

§. 12. Sed contra. Quia si vniuersale actu præcedit intellectum possibilem, etiam præcedet agentem, quia hic non distinguitur ab illo; alioquin quilibet hominum haberet duos intellectus, quod absurdum est.

§. 13. Hanc instantiam ego paruipendo. Quia ab Authoribus perperam tribuitur Scoto in locis Metaphys. ab eisdem citatis. Cum potiùs Scotus apertè fateatur, intellectum agentem realiter à possibili distingui. Vt in primo Metaphys. quæst. 4. num. 20. quod & ex ipsius familia notauit Scholiastes Cauellus ibi, scholio 5. fatetur etiam 7. Metaphys. quæst. 18. num. 8. & sequen. & apertissimè De Vniuersalibus qu. 2.

ad

ad secundum, vbi ferè nostram repetit solutionem. *Ad secundum dicitur* (inquit ille) *quod intellectus possibilis est virtus passiua, & illa præsupponit suum obiectum; sed intellectus agens non præsupponit; quia non est virtus passiua, vniuersale autem non est obiectum eius; sed quòd quid est in phantasmatibus; & vniuersale est finis eius*. Quomodo autem cohærent hæc cum iis, quæ sibi contrarius docuit ipse in 2. distinct. 16. Viderint sequaces.

§. 14. Tertium argumentum. Obiectum, seu subiectum Scientiæ in quantum obiectum præcedit intellectionem; Sed vt sic est vniuersale: ergo vniuersale præcedit omnem intellectionem, Scotus 7. Metaph. q. 18. num. 5.

§. 15. Dices, vniuersale in actu importare duo, scilicet rem, & aptitudinem rei. Res ipsa est obiectum; aptitudo autem est modus obiecti, seu conditio, sine qua res non est obiecta, sufficereque, quòd res ipsa, quæ est obiectum præcedat scientiam, & intellectionem, & non modus obiecti; maximè cùm modus non sit, qui cognoscitur, sed sub quo res cognoscitur simul tempore. Sic Capreolus, Caietanus, &c.

§. 16. Sed contra primo instat Scotus: quia nullo considerante intellectu, nō erit vniuersale in actu, & ità scientia habitualis non esset obiecti vniuersalis in actu. Contra secundo. Obiectum in quantum est prius actu, non intelligitur sub hoc modo: ergo vel sub nullo, vel sub opposito modo, quia vt est obiectum, aliquem modum sibi determinat.

§. 17. Benè soluto argumento, respondet Thomista ad instantias dumtaxat: Ad primam concedit totum: nec inde vllum infertur absurdum, Quia qualis fuerit scientia, tale est obiectum: Scientia in actu erit obiecti vniuersalis in actu, scientia in potentia vniuersalis in potentia, & scientia in habitu, vniuersalis in habitu, quod tunc accidit, quando cùm volumus ipsam facimus. Ad secundam: concesso antecedente, negat consequentiam, eiusque probationis assumptum, Quia essentia obiectorum, vt talis abstrahit ab omni modò. Sic citati Doctores.

§. 18. Quartum argumentum. Relatio mensuræ est realis; sed illa fundatur in aliquo vniuersali. Probatur: quia oportet, aliquod vnum esse in omni genere mensuram, & metrum omnium, quæ sunt illius generis; sed non vnum numero secundum Aristot: ergo vniuersale. Sic arguit Scotus 7. Metaph. qu. 13. num. 10. repetit qu. 18. num. 2. repetit in secundo dist. 3. quæst. 1. n. 3.

§. 19. Respondet Caietanus, mensuram non fundari in aliquo vniuersali, neque singulari vt sit, sed in natura vna formaliter, quæ in singulari reperitur: quare non est vnum numero vt sit mensura aliorum sed vnum formaliter: quo pacto autem res est vna formaliter in rebus explicuimus supra Dissert. 5. Hoc argumentum proposuit I. de Rada nobilis Scotista par. 2. controuers. 3. artic. 1. Sed responsionem Thomisticam non modò non impugnauit, sed nec meminit.

§. 20. Quintum argumentum: Contrarietas est oppositio realis, & eius extrema sunt vniuersalia non singularia; quia alioqui præcisè hoc album esset primum contrarium huic nigro, vel aliud album, quod est inconueniens: quia tunc essent tot contrarietates primæ, quot indiuidua contraria, ergo. Sic Scotus d. Metaph. qu. 18. nu. 2. Repetit in 2. distinct. 3. qu. 1. num. 8.

§. 21. Respondet Caietanus, extrema contrarietatis esse res ipsas, non res particulares vt sic, neque vniuersales, alioqui res non vniuersales scilicet hæc albedo, & hæc nigredo non essent contrariæ. Sed nec hanc solutionem impugnat, aut memorat citatus Scotista Rada.

§. 22. Sextum argumentum. Nullo considerante intellectu homo generat hominem, & ignis ignem: ergo est aliqua vnitas realis, & non singularis, per quam generatio fit vniuoca, nec enim intellectus considerans facit generationem esse vniuocam; sed cognoscit esse vniuocam. Scotus d. Metaph. qu. 13. num. 12. repetit quæst. 18. n. 1. repetit in 2. dist. 3. qu. 1. nu. 6: Dices eam non esse vnitatem, sed similitudinem. Contra: quia proximum fundamentum similitudinis est vnum ex Aristot. 5. Metaph. Sed non vnum numero: ergo. Scotus 7. Metaph. qu. 13. num. 10. id repetit qu. 18. num. 1. repetit tertio in 2. distinct. 3. qu. 1. num 6.

§. 23. Caietanus iam pridem eneruauit argumentum, & instantiam, aiens, similitudinem, quæ sola facit generationem esse vniuocam fundari supra duas res habentes mutuam negationem distinctionis formalis, puta duas humanitates. Addit etiam, quod dato, quod vnitas esset fundamentum similitudinis inter generans, & genitum, inde non inferretur, ea habere aliquid vnum commune vtrique, quia committitur fallacia consequentis dum sic arguitur: non sunt diuisa formaliter, ergo sunt vnum formaliter. Vide ipsum, & nos Dissert. 5. Theorem. 4. §. 42.

§. 24. Hic aduertas, Merinerum inter obiectiones aduersariorum hoc sibimet argumentum obijcere, videlicet: *obiectum præcedit potentiam; vniuersale est obiectum intellectus: ergo vniuersale præcedit intellectũ*. Respondet ipse, ac diluit illud eademmet solutione, qua vtuntur Thomistæ; quin videat, illud argumentum esse sui Scoti loco citato Metaph. qu. 18, num. 5. Ast fundamentum Doctoris non erat ità à Discipulo inter vulgares obiectiones reffellendum; sed modestè amplectendum, aut interpretandum. Adde, quod illam maiorem syllogismi quam pro euidente supponit Scotus, & cui omninò sua doctrina nititur in 2. dist. 3. quæst. 1. num. 2. relinquit Merinerus, vt inurtam, dubiamque, aiens: *Quidquid sit de maiori, (solum enim est vera in his, quæ per se, & per proprias species attinguntur à potentijs) Distinguo minorem* &c. Quæ omnia satis vehementer indicant, Merinerum non perspicacissimè, nec multum attentè recognouisse citata Metaphisicæ Scoticæ. Ergo non soli Thomistæ voluntaria laborant lippitudine legendi Scotum, vt ipse iactabat.

THEOREMA III.

Alia Scotistarum argumenta pro aptitudine ad essendum in multis reali, & positiua exponuntur, & explodunter.

§. 25. SCotistæ autem supposita distinctione formali ex natura rei inter naturam, & indiuiduationem, facilè eiusmodi aptitudinem comminiscuntur exemplo materiæ primæ, & formæ. Sicut in toto physico (inquiunt illi) materia prima quando actu habet formam ligni, est impedita, & ideò in potentia remota ad formam ignis: quando verò exuitur tali forma, est in potentia proxima ad formam ignis. Ità in composito metaphysico Natura, v.g. Humana, quæ existit in Socrate quando est determinata per singularitatem illius, habet quidem ex se aptitudinem ad alias singularitates indiuiduorum, sed remotam, & impeditam per singularitatem Socratis; proximam verò quando per intellectum tali singularitate spoliatur. Vnde sic argumentantur: Per vnum actum non tollitur aptitudo ad alium actum repugnantem priori; sed tantum impeditur per illum, ne natura simul determinetur per posteriorem: sicut per formam ligni solùm impeditur materia prima, nè simul determinetur per formam ignis, & sicut per actum sedendi Socratis non tollitur aptitudo ad standum, sed impeditur Socrates, nè simul stet: Sed natura humana est apta ex se, vt sit in multis, vt de facto est: ergo dum determinatur per singularitatem Socratis non tollitur illi aptitudo ad singularitatem Platonis, sed impeditur dumtaxat, ne simul per vtramque determinetur.

§. 26. Hæc argumentatio assumit pro medio id ipsum quod probandum erat. Nam ly *Natura de se est apta vt sit in multis*, vel supponit pro natura contracta ad singularitatem Platonis, vel pro abstracta ab omni singularitate? Si primum dicas: Supponis id ipsum, quod in controuersia est, nempè naturam Socratis esse aptam, vt sit in Platone, quod tibi negamus. Si secundum non est ad rem: Quia naturam abstractam ex se posse esse in multis, id fiet beneficio intellectus, eo quod ly *ex se* non exprimit perseitatem posterioristicam; sed tantum statum solitudinis, vt ex Aristot. & ex ipsomet Scoto ostendimus Dissertat. 6. §. 12 & §. 24. Exempla autem materiæ primæ, &c. futilia quidem sunt, quia hoc quod actus prior non tollat potentiam ad posteriorem repugnantem; sed tantum impediat, non est verum, nisi in potentia saltem successiuè reducibili ad vtrumque. At natura humana per singularitatem Socratis ita redditur inepta, vt sit in alio simul, vel successiuè, vt & potentiæ Dei absolutæ id sit impossibile; ergo eiusmodi singularitas non solùm præstabat impedimentum, sed repugnantiam, & ineptitudinem.

§. 27. Dices: eam impossibilitatem esse extrinsecam, & ratione singularitatis inductam, vnde si per possibile, vel impossibile remoueri posset singularitas; natura etiam posset aliam singularitatem induere. Sed contra: Quia ex propositione impossibili absolutè, & conditionatè possibili nō licet inferre consequens absolutum, sed vt plurimum conditionatum: Ergo ex hac responsione vt plurimum colligitur, quod Natura Socratis posset esse alterius, si à Socrate remoueri posset, quod verum est, inde tamen non benè infers: ergo nunc potest.

§. 28. Iam vero alii vlterius hinc philosophantur. Et hanc aptitudinem, seu in differentiam in positiuam, & negatiuam diuidunt. Positiuam aptitudinem dicunt esse, quæ ita conuenit naturæ, vt eam faciat inclinare ad aliud, vt potentia materiæ primæ ad formam physicam. Negatiua vero aptitudo apud istos est, quæ nunquam tribuit naturæ, in qua est, inclinationem vllam ad formam, sed in mera non repugnantia ad illam consistit: qualis ea est, qua corpus est aptum, & indifferens ad albedinem, vel nigredinem, idest non repugnans. Quibus statutis, asserunt, Naturam Socratis non modo esse aptam, & indifferentem negatiuè, seu per non repugnantiam ad singularitatem Platonis; sed etiam positiuè: probantque hoc ratiocinio.

§. 29. Natura Socratis supposita distinctione ex natura rei à differentia indiuiduali contrahente, est ens incompletum in ordine Metaphisico, & complebile per differentiam tanquam per actum Metaphysicum, ad quem comparatur natura vt potentia per se; Sed omne ens incompletum positiue inclinatur in proprium complementum, & ex se petit vnionem actus, à quo potest compleri: ergo natura ex se petit, & inclinatur positiuè ad differentiam complentem potentialitatem ipsius. Tum sic: Sed non inclinatur tantùm ad hanc singularitatem Socratis, quia ex se esset singularis, vt natura Diuina, quæ ex se est singularis, eo quod petit hanc huius Dei singularitatem: ergo natura Socratis positiuè inclinatur, & habet aptitudinem ad omnes alias indiuiduationes Platonis, Calliæ, &c.

§. 30. Toto hoc discursu nihil probatur, nisi quod hæc natura Socratis, vt distincta ex natura rei à singularitate (quod pro nunc tibi gratis donamus) petit, & inclinatur ad suam compartem, nempè hanc singularitatem Socratis. At vero id quod subsumitur, nempè eiusmodi naturam ita similiter expetere reliquas singularitates, malè nititur fundamento debili, & sæpe sæpius euerso, nempe *Natura ex se non petit hanc singularitatem*. Quia si physicè loquatur de hac natura existente, falsum est. Si de natura abstracta, & ly *ex se* sumatur posterioristicè, & pro quidditatiuè, etiam est falsum: quia vt sic natura nec repetit hanc singularitatem, nec non petit, sed tantum est animal rationale abstrahens ab vtroque. Si tandem ly *ex se* sumatur pro tertio modo dicendi per se, vel *solitariè*: verum est, sed non ad rem, recole quæ docuimus dicta Dessert. sexta.

§. 31. Contra huiusmodi Scotizantes argumentor sic: Natura Petri per vos habet inclinationem positiuam vt sit in Paulo: ergo non solum distinguitur formaliter ex natura rei à Petreitate, sed realiter. Probo consequentiam: distinctio ex natura rei tantum consistit per vos in eo quod natura excludat à suo conceptu es-

sen-

sentiali Petreitatem, & distinctio realis in eo quod natura sit separabilis ab ipsa: Sed admissa hac inclinatione reali positiua, qua natura Petri petit Pauleitatem, admittitur etiam natura separabilis à Petreitate: ergo admittitur realiter distincta. Minorem probo. Impossibile est, concipi naturam petere Pauleitatem, nisi per idemtificationem realem cum Pauleitate; sed idemtificatio realis cum Pauleitate ex suo conceptu supponit realem separationem à Petreitate: ergo aptitudo, vel potentia, vel inclinatio positiua ad idemtificationem realem cum Pauleitate est etiam realis, & positiua aptitudo, & inclinatio ad separationem à Petreitate, vel illam supponit. Minor est euidens: Consequentia bona: Quia eo modo, seu ea aptitudine, qua natura est idemtificabilis cum Pauleitate, est seperabilis à Petreitate; sed realiter positiuè est idemtificabilis cum Pauleitate: ergo realiter positiuè separabilis à Petreitate: Ergo realiter distincta.

§. 32. Dices, illam aptitudinem esse remotam, impeditam, &c. contra; Ergo separabilitas à Petreitate realis etiam erit impedita. Sed hoc sufficit ad distinctionem realem eiusdem à natura. Ergo. Probo antecedens. Deus nec de potentia absoluta potest separare (per vos) omnia puncta continui à partibus eius; Sed quamuis impossibile sit eiusmodi realis separatio, sufficit quod omnia puncta remotè, & impeditè sint separabilia à partibus continui, ad hoc, vt realiter distinguantur ab ipsis. Ergo remota, & impedita separabilitas Petreitatis à natura sufficit ad realem earum distinctionem. Consequentia liquet à paritate rationis. Nam omnia vt omnia, sunt inseparabilia à partibus continui non minùs quam humanitas à Petreitate; (Immo puncta sunt de essentia quantitatis continuæ, & Petreitas non est de essentia naturæ) Et tamen eorum distinctio realis in sola separabilitate impedita consistit: Ergo licet natura sit inseparabilis proximè, & expeditè adhuc de potentia Dei absoluta; cum tamen remotè, & impeditè sit separabilis à Petreitate, (id est cum Pauleitate idemtificabilis) distinguetur realiter à Petreitate. Quæ argumentatio vigere debet apud Scotistas, quippè, qui passim vtuntur exemplo materiæ primæ Cœlestis: dicentes, formam cœlestem, licet inseparabiliter informet materiam; non ideò ipsi aptitudinem tollere, vt forma sublunari actuetur: quia eiusmodi inseparabilitas prouenit ab extrinseco: atque ita similiter Petreitatem inseparabiliter determinantem naturam, illi non adimere aptitudinem vt subsit Pauleitati. Hinc igitur infero: Ergo nec aptitudinem, vt separetur à Petreitate.

§. 33. Item. Hi Authores hoc ipsum docent de naturis genericis respectu differentiarum: Ergo omne genus realiter contractum ad vnam speciem potest realiter idemtificari cum opposita differentia. Concedunt. Ergo ratio substantiæ, quæ genus vniuocum est per vos ad Deum, & creaturam quamuis nunc realiter idemtificata sit cum Deitate, non modo potest realiter idemtificari cum differentia creata; immò nunc realiter dicit positiuam inclinationem ad differentiam creatam, quod est contra rationem entis Diuini, & necessarij: hinc enim sequitur, non omne, quod est in Deo, esse Deum ex se, sed posse non esse Deum; immò de facto inclinari positiuè ad non essendum Deum. Quę omnia hæretica sunt, & hæc quidem Hurtadi argumentatio sicubi vllam difficultatem facessit, præsertim hic contra hanc positiuam inclinationem naturæ contractæ vim habet.

§. 34. Obijcies tertio. Natura humana non est adęquatè contrahibilis per vnam solam indiuiduationem; immo hoc illij repugnat; Sed hæc repugnantia, quam habet talis natura, vt in vno solo indiuiduo contrahi possit, fundatur in aliqua aptitudine, quam habet, vt in multis esse possit: ergo hęc aptitudo conuenit illi realiter, & secundum se. Dices: non dari in rebus vllam naturam contrahibilem per indiuidualem differentiam; sed omnia esse Indiuidua realiter distincta: item nec esse realiter vllam potentialitatem, vt res vna diuidatur in multa secum identificabilia: Quod enim multa sint indiuidua actu existentia, ex eo prouenit, quòd multa fuerint etiam possibilia: possibilitas autem cuiusque solum est potentia ad suam huius indiuidui existentiam, & non ad aliam.

§. 35. Sed contra: Qua licet natura humana realiter nihil sit, nisi multa indidua, attamen realiter repugnat illi, quod non sit multa indiuidua: Ergo hæc repugnantia oritur necessariò ex aliqua aptitudine essentiali, quæ sit vel in ipsa natura, vel in ipsis indiuiduis; sed non est in ipsis indiuiduis, quia hæc omnia sunt realiter incommunicabilia: ergo est in natura: Ergo illa est realiter ex se cemtrahibilis per multas differentias.

§. 36. Respondeo, ad argumentum probè responsum esse. Ad instantiam dato antecedente; nego consequentiam, si velit multiplicabilitatem humanitatis oriri ex aliqua indifferentia, quæ naturæ vt sic sit essentialis: quod enim realiter homines sint multi, non prouenit nisi ex hoc, quod quisque illorum habeat materiam; naturæ autem materiali non repugnat, vt agens extrinsecum illam in multa diuidat, vt palmum in semipalmos. Instabis; Natura materialis per vos, realiter, & essentialiter est multiplicabilis; Sed natura Petri est essentialiter materialis, quia materia est de eius essentia: Ergo est essentialiter multiplicabilis. Respondeo: Distinguo maiorem: Natura materialis est multiplicabilis essentialiter, Metaphysicè, id est in multa, quibuscum idemtificetur, nego maiorem: natura materialis essentialiter est multiplicabilis, physicè, id est naturæ materiali non repugnat quod habeat sibi similem, seu quod ex eius substantia decidantur alia composita materialia per generationem, vel per aliam actionem, transeat maior. Hoc enim modo, & ratione huius materialitatis natura Adami v. g. per decisionem seminalis substantiæ in posteros multiplicata est, & linea bipalmaris per diuisionem in lineas palmares, &c. Angelus vero minimè est propagabilis; quia immaterialis.

§. 37. Obijcies quarto. Quia ex actu ad poten-

tentiam valet optimè consequentia; Sed natura humana v.g. actu est in multis indiuiduis: ergo habet aptitudinem, vt sit in illis. Confirmatur primo: quia actus, & exercitium essendi in multis verè est positiuus, & realis: sed cuique actui debet correspondere potentia proportionata: ergo debet supponi in natura potentia realis, & positiua, qua possit esse in multis. Confirmatur secundo. Quia natura, quæ est in vno indiuiduo, habet aptitudinem, vt sit in illo, & sic facta inductione de quolibet indiuiduo verum est dicere, quòd natura, quæ est in illo habeat aptitudinem, vt sit in pluribus, quia natura adæquatè sumpta realiter, & positiuè habet aptitudinem vt sit in pluribus, quia natura adæquatè sumpta dicit naturam prout est in omnibus indiuiduis.

§. 38. Respondeo: *Natura humana actu est in multis indiuiduis* Distinguo. Natura humana id est prædicata essentialia hominis, quæ per modum vnius intellectu concipiuntur, verè sunt immersa, & identificata multipliciter cum hominibus singularibus, Petro videlicet, atque Paulo, concedo antecedens: Natura humana id est aliqua humanitas est communis, & vna in multis, nego antecedens. Deinde nego consequentiam. Nam adhuc gratis admisso, quod natura secundum se sit actu in multis, mala est illa consequentia: *Ergo habet aptitudinem vt sit in illis* si sensus sit *Ergo habet in quolibet eorum aptitudinem, vt sit in eis omnibus*: Quæ illatio erat nunc ad rem. Si verò sensus sit: *Ergo in quolibet eorum habet aptitudinem vt sit in ipso* vera, & bona est illatio; sed minimè ad rem.

§. 39. Hinc ad primam confirmationem dico, multas naturas humanas posse esse, & actu esse in multis indiuiduis, quare actui positiuo essendi in hoc indiuiduo, respondet vtiq; positiua potentia huius naturæ possibilis, vt in illo existat, nec enim (vt diximus) vlla est potentia naturæ, vt sit in hoc indiuiduo realiter, nisi possibilitas ipsius indiuidui, seu naturæ indiuiduatæ, vt realiter existat, quod sufficit, vt actus ij multi essendi in pluribus dicantur verè supponere potentias multas, seu possibilitates sibi respondentes. Ad secundam confirmat. Concesso antecedente, illud consequens: Ergo *natura adæquatè sumpta* habet aptitudinem, vt sit in pluribus, distinguo: Natura adæquatè sumpta, id est omnes naturæ humanæ tam possibiles, quam existentes (id enim sonat *Natura humana adæquatè sumpta* realiter loquendo) habet aptitudinem, vt earum vnaquæque existat in suo indiuiduo, concedo. Natura humana adæquatè sumpta, id est secundum aliquam vnitatem positiuam, vel negatiuam habet aptitudinem in vnoquoque indiuiduo, vt sit in multis: nego. Si enim mentis considerationem amoueas, nil est natura humana adæquatè sumpta, nisi hominum omnium existentium, & possibilium integra congeries.

THEOREMA IV.

Quid sentiant Nominalistæ de existentia vniuersalis? ostenditur, dari à parte rei apud ipsos.

§. 40. Scotum totis viribus impugnarunt Nominales, & nihil dari in rebus vniuersale nisi in repræsentando non ineptè probare conati sunt. Sequuntur Hurtadus, Arriaga, & Ouiedus, Nominalistarum præcipui: qui quidem cum eiusmodi vniuersale adstruant, quod à parte rei concedant omnes; tamen deterriti authoritate Philosophorum, & omnium Peripateticæ Scholæ Doctorum contra vniuersalis existentiam reclamantium, expressè affirmant non dari in rebus vniuersale: Alioqui verò cum probant, vniuersale nihil esse, nisi indiuidua omnia realiter existentia, vel possibilia confusè cognita ab intellectu, probant itidem, suum vniuersale in rebus dari actualiter. Datur enim materia realis, nempè indiuidua, datur & ipsa realis cognitio confusa, quam dicunt esse formam vniuersalitatis: Vnde illud quale est vniuersale ex ijs conflatum realiter existere, tam certum esse, quam duo, & tria esse quinque, nemo est qui dubitet. Nec enim vllus negauit, vniuersale in repræsentando dari à parte rei: At qui vniuersale nominalium est vniuersale totum in repræsentando: ergo vniuersale nominalium datur à parte rei, etiamsi Platonicum, & Scoticum non detur. Minorem huius discursus præterquamquod probaui Dissertat. 7. ingenuè fatentur ipsimet Nominales OKamus, Gabriel, &c. quibus de sua sententia fides omnino adhibenda est. Accipe Gabrielem in primo distinct. 2. quæst. 8. ad finem: Quod *Vniuersale* (inquit) *est conceptus mentis, id est actus cognoscendi, qui est vera qualitas in anima, & res singularis significans vniuocè plura singularia æquè primò, negatiuè, naturaliter, propriè, quorum singularium est naturalis similitudo non in existendo, sed in repræsentando: propter quod dici potest fictum, similitudo, imago, vel pictura rei, etiam obiectum cognitum; sed non seipso, sed alio conceptu reflexo.* (Ecce prima, & potior vniuersalis OKamici notio) *Est etiam vniuersale vox, vel scriptum, aut quodcumque aliud signum ex institutione, vel voluntario vsu significans plura singularia vniuocè, quod tamen signum est res aliqua singularis: & sicut conceptus, ita & ipsum solum repræsentatiuè est vniuersale: ita quod* (Attende lector) *esse Vniuersale nihil aliud est, quam repræsentare, vel significare plures res singulares vniuocè. Et secundum hunc modum omnia faciliter possunt solui, & intelligi. Quam opinionem in sequentibus prosequi propono, sicut & Doctor* (videlicet OKamus) *Quodlibeto 3. q. 2. acceptat. dicens, &c.*

§. 41. Verùm Hurtadus Metaph. disput. 5. sect. 7. §. 68. [*Absolutè* (inquit) negari oportet vniuersale à parte rei, sic enim intelliguntur Philosophi contra Scotum, & Platonem *disputantes*] Item Arriaga disput. 4. logicæ sect. 4. hæc habet [*velim hic* in primis, aduertas, multos grauissimè indignari, quando aliquis docet, dari à parte rei vniuersale ante operationem intellectus, & de hac quæstione acerrimè disputare; Ego tamen puto, eam nullomodo, aut vix posse esse de re, sed de *solo nomine*] Sed fallitur Author hic, nullus enim indignatur, nec indignari potest, si quis asserat, dari à parte rei vniuersale, quale ipse Arriaga, & sui Magistri Nominales constituerunt, quando quidem ex eorumdem sententia constat, id non esse nisi vniuersale in repræsentando.

§. 42.

§.42. Pergit Rodericus, & probat, nec dari posse, hoc syllogismo. Implicat naturam aliquam à parte rei esse vnam in se vnitate rigorosà, & eamdem esse multiplicem, & diuisam in eàdem ratione; Sed hoc requiritur ad vniuersale: ergo illud implicat à parte rei. Concessa maiore, vellem meherclè, probaret minorem Arriaga; ipse enim totus erat in refellenda vnitate rigorosà naturæ vniuersalis, quàm nunc iam dicit requiri ad vniuersale. Item minor est contra se ipsum: Nàm si certa est, erit ineuitabilis hæc consequentia; Ergo etsi à parte rei repugnat vniuersale, Tu, qui illud saltem in intellectu admittis, debes admittere cum vnitate rigorosà, & non sola vnitate confusionis, & extrinsecà.

§.43. Tandem Ouiedus controu. logicæ 3. puncto 4. num. 19. Dum obijcitur, dandum sibi esse vniuersale à parte rei contra omnes Doctores, quia datur eiusdem materia nempè indiuidua, & forma, quæ est cognitio realis: Consequentiùs ait [*Respondeo Doctores* negare, dari, vnam naturam physicè multis communem independentèr ab intellectu, & independentèr ab isto dari vniuersali: non tamen negant, dari à parte rei vniuersale constitutum per intellectus operationem à parte rei existentem, quòd probat obiectio, & absque vlla *repugnantia concedo*] Vides ergo, Ouiedum concedere, dari à parte rei suum vniuersale, idque dicit minimè negari à Doctoribus, quod verùm est. Sed quià dicit vniuersale dependère ab intellectu, aduerte dependentiam ab intellectu bifariam sumi, obiectiuè scilicet, & subiectiuè: dependère obiectiuè est habere totum suum esse in solo cognosci, quod est entium rationis: dependère autem subiectiuè est esse in intellectu tanquã in subiecto necessario inhæsionis, vel conseruationis: & hæc dependentia non tollit realitatem entis; sic enim Habitus, species impressæ, scientiæ, & ipsemet operationes intellectus dependent ab illo, & tamen sunt entia realia: Quarè non ideò quià vniuersale nominalisticum (idest indiuidua confusè cognita) dependeat ab intellectu in eo quod insit illi subiectiuè, tanquam ens reale cognitum, debet inferre quispiam non dari à parte rei, committeret quippè crassum in Dialecticà errorem.

§.44. Ast non video, hos Authores claritatem affectantes clarè loqui: nàm tergiuersatione quàdam nominalistæ videri nolunt; cùm tamen nominalismata profiteantur apertè: Nusquam enim fatentur, suum vniuersale solum esse id, quod omnes Doctores vocant *In repræsentando*, de cujus reali existentia hactenùs dubitauit nullus.

§.45. Ex quibus infero primò; Nominales non respondère ad propositum, mentemuè Porphyrij, qui hìc præsentem exitauit quæstionem: ait enim *An vniuersalia subsistant, siuè in solis nudis intellectibus posita sint, siuè subsistentia corporalia sint, an incorporalia, & vtrùm separata à sensibilibus, an in sensibilibus posita? & circa hæc consistentia dicere recusabo, altissimum enim negotium est huiusmodi, & maioris egens inquisitionis*. Hæc ille. Ast Arriaga quæstionem de nomine vocat, quàm Porphyrius altissimam, & maiore dignam inquisitione existimauit. Sed cuinam eorum potiùs credam, satis ipse scio.

§.46. Infero secundò; vniuersale Peripateticum idest Thomisticum, & Scoticum esse id, de quo quærit Porphyrius, & cuius indagationem affirmat, altissimam esse, minimèque in illius mentem venisse vniuersale nominalisticū, cuius existentiam nemo negabat, vt & ipse fatetur Ouiedus.

§.47. Infero tandem, nominalistas si clarè loqui velint, in hanc formam, suam debere explicare sententiam. Vniuersale Aristotelicum, nempè realium, quod vnum dumtaxat est vniuersale in essendo, non datur à parte rei. At verò de vniuersali nominalium, quod tantum est vniuersale in repræsentando, licèt nos voce tenùs nominemus in essendo, nec Porphyrius, nec mortalium vllus reuocauit in dubium, an existeret realiter, necne?

§.48. Hinc penetrabis clarè Hurtadum, qui citato loco sibi contrarius videtur; aiens enim, oportere, negari absolute vniuersale à parte rei propter Philosophos, qui ità censuere; verso stylo per totam illam sectionem nil probat, nisi vniuersale constitui per formam realem, idest cognitionem, quibus satis monstrat, se non loqui de vniuersali illo, de quo illis Philosophis erat sermo; sed de alio extra propositum, mentemque eorum. Arriaga item nè ab Aristotele, cunctisque Philosophis videretur discrepare, si concederet, dari vniuersale à parte rei, coactus fuit asserere, vniuersale petere vnitatem rigorosam in multis contra suam sententiam, vt illud rationabiliter negaret. Verùm tamen cum ipse docuisset laxum quoddam vniuersale, & minimè vnum vnitate illa rigorosa, sed tantùm extrinseca, & secundùm quid, non debuit bona consequentia negare vniuersale à parte rei. Nec obstabat quòd aliquo modo dependèret ab intellectu; nàm dependentia subiectiua, vt nupèr dixi, non explodit realem existentiam, nec Magistri Nominales vnquam ad eiusmodi dependentiam confugère.

§.49. Constet igitur, vniuersale, prout ab istis scriptoribus fabricatur, & realiter existere, & toto cœlo distare ab illo, de quo Porphirius præsentem exitauit quæstionem, quod & antè me iam pridem scitè adnotarat Magister Sotus, inquiens; [*Nominales nihil* ad mentem Porphyrij respondent in hac quæstione: non enim Porphyrius reuocauit in dubium, An vniuersalia in significando essent in intellectu subiectiuè (quod nemo negare potuit) sed àn vniuersalia in prædicando essent obiectiuè solùm in intellectu, àn verò aliquo modo haberent esse in rebus, & ideò subiunxit, àn subsistant, essentque corporea, *an incorporea*?] Sic ille. De vniuers. qu. 1.

DISSERTATIO IX.

Nùm vniuersale fiat per abstractionem, vel per comparationem intellectus?

§. 1. IN hac disputatione, nec Scotum, nec Nominales habemus aduersarios, quapropter

pter minus prolixè absoluenda est. Scotus namque nobiscum sentit: Nominalistæ verò nihil nisi suas confusiones amplexantur, vt enim suprà ostendimus, eá dicunt actione vniuersalitatem conflari, quá indiuidua confunduntur: totique sunt in altercando, an ille actus sit disiunctiuus, vel non disiunctiuus &c. quæ nunc non curamus. Adde quòd in hac disputatione tot sunt sententiæ, vt Ortizius (cum sua) non modò memorauerit octo, sed & alias plures omittere se dicat ob varietatem placitorum, qui vix percipi possunt, qua propter eas valere iubeo, nec nisi præcipuas attingam, & Angelici Doctores communem probem opinionem.

THEOREMA I.

Nonnulla prænotantur, Thesesque Thomisticæ proponuntur.

§. 2. SVppono ex Aristot. 3. de Anima Text. Com. 17. Duplicem esse intellectum, Agentem scilicet, & passiuum, seu passibilem, quem possibilem vulgus appellat. Agens producit species, seu imagines rerum, quin cognoscat eas, passiuus eas recipit, & res per eas cognoscit. Insuper intellectus vterque dicitur abstrahere naturas vniuersales ab indiuiduationibus. Agens enim eo ipso, quod producat speciem impressam, quæ naturam tantum repræsentat, dicitur illam abstrahere à phantasmatibus, quæ simulacra quædam materialia sunt indiuiduorum, vt talium in phantasia apparentum, scilicet hæc statura, hæc caro, ossa hæc, color, &c. Intellectus verò passibilis abstrahere dicitur, dùm naturam dumtaxat percipit, non cognitis singularibus, quæ est cognitio absoluta.

§. 3. Rursùs cognitione respectiuá potest intellectus naturam percipere, vt in suis inferioribus, & quidem dupliciter: primo per simplicem apprehensionem percipiendo naturam inexistentem singularibus, non tamen iudicando, eam esse in illis. Sicuti dum simpliciter apprehendimus Patrem, vt habentem filium, quin affirmemus Patrem habere Filium. Secundò; per actuale Iudicium, affirmando, naturam esse in singularibus. Vtraque est respectiua, vt dixi, seu comparatiua, quia per vtramque natura confertur, seu comparatur cum singularibus; at prima dicitur comparatio simplex, quia fit absque iudicio, altera autem composita, quia per vnionem, seu copulam affirmationis componitur subiectum cum prædicato.

§. 4. Iam verò vniuersale in essendo (vt vniuersale in repræsentando excludam) duplex est, Metaphysicum, & Logicum. Metaphysicum est ipsa natura secundùm se, & à singularitatibus abstracta, quæ ita nominatur, eo quod Metaphysicus huiusmodi essentias materialitatis expertes, nudasque contemplatur. Logicum est, quod constat ipsá naturá sic abstractá, tanquam ex subiecto, nec non & forma relatiua rationis tanquam ex forma, quæ illud constituit superius cum respectu ad inferiora. Quarè vniuersale Metaphysicum est *vnum, aptumque ad essendum in multis negatiuè dumtaxat*, idest non repugnat naturæ sic abstractæ, quod refferatur per intellectum ad singularia. At verò Logicum vniuersale *positiuè est aptum ad essendum in multis*, quia ipsa relatione, seu ordine superioritatis ad inferiora, quo pollet, respicit singularia, quibus insit.

§. 5. Cæterùm cum omnes Authores doceant, vniuersale Metaphysicum fieri per abstractionem: solum potest dubitari, cuiusnam intellectus illa sit? Agentis nè, àn possibilis? Et vt rem percalleas, nota, vniuersale Metaphysicum bifariam habere suum esse obiectiuè in intellectu. Habitualiter nempè, & Actualiter; habitualiter per speciem impressam, quæ illud repræsentat, vt quid actu intelligibile, & hoc fit per abstractionem intellectus agentis. Actualiter autem per speciem expressam, quando scilicet intellectus passibilis recipiendo illam similitudinem ab agente productam, actu cognoscit naturam sinè singularitatibus. Et hoc est discrimen inter vtramque abstractionem, quòd per primam natura, quæ solum erat in potentia vniuersalis, transit ad esse vniuersale actuale in sua imagine, seu specie, quæ vniuersalis est in repræsentando. Per secundam autem cognoscatur, vt vniuersalis in essendo actuali notitia. Accipe vno verbo. Per primam abstractionem vniuersale fit intelligibile actu; per secundam verò intellectum in actu, per primam repræsentatur habitualiter vniuersale; per secundam id quod repræsentabatur vniuersale, cognoscitur actualiter, vt tale. Qua doctrina facilè reuocabis in concordiam Doctores contrariæ opinionis. Nam qui dicunt, vniuersale Metaphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis, intelligendi sunt pro illius esse habituali, & repræsentatiuo. Qui verò contendunt, fieri per abstractionem intellectus possibilis, capiendi sunt pro esse actuali, seu actualiter cognito, quibus positis.

§. 6. Dico primò. Licèt vniuersale Metaphysicum actu fiat abstractione intellectus possibilis cognoscentis naturam absque singularitatibus; etiam est verum, quòd in intellectu reddatur natura vna, & apta ad essendum in multis per abstractionem intellectus agentis. Probatur facilè ex nupèr dictis, quia negari non potest, speciem impressam esse vniuersalem in repræsentando, eo quòd repræsentet naturam, non repræsentatis conditionibus indiuiduantibus: Ergo ipsa natura repræsentata, seu obiectum speciei impressæ est natura sine conditionibus indiuiduantibus: ergo est in intellectu vniuersalis Metaphysicè saltèm in esse cognoscibili, licèt non in esse cognito. Patet consequentia; quia communitas, & vniuersalitas speciei impressæ sumitur ex communitate, seu vniuersalitate obiecti: ergo datá specie impressá vniuersali per abstractionem intellectus agentis, dandum est obiectum eiusmodi speciei, quod similiter sit vniuersale. Omitto hìc autoritates D. Thomæ hoc ipsum docentis, quia inferiùs eius mentem pleniùs explanabo.

§. 7.

§. 7. Dico secundò. Vniuersale Logicum non fit abstractione intellectus agentis. Assertio hæc facilis est, certaque. Probatur communiter. Agens intellectus solum species producit, non cognoscit; At vniuersalitas Logica (sicut & cætera entia rationis) consistit in cognosci: ergo non fit per eiusmodi productionem intellectus agentis.

§. 8. Dico tertiò. Vniuersale Logicum non fit per abstractionem intellectus possibilis. Probatur. Cognitio abstractiua naturæ humanæ, vel attingit illam, vt ordinatam ad singularia; vel cognoscit, vt non ordinatam. Si primum: ergo non est cognitio abstractiua, de cuius essentia est naturam cognoscere, nullo modo cognitis indiuiduis. Si secundum? ergo non cognoscit vniuersale Logicum, nec facit. Quia de essentia vniuersalis Logici est ordo ille, seu respectus superioritatis ad multa, de quibus prædicetur. Hic nonnulli comminiscuntur abstractionem negatiuam, & positiuam; sed perperam quidem, vt infra monstrabo ad responsionem tertij argumenti.

§. 9. Dico quartò. Vniuersale Logicum non fit per actum comparationis compositæ, est facilis etiam, & clara. Probo. Actus secundus essentialiter supponit primum, & ante actualem prædicationem natura supponebatur prædicabilis, ideò enim actu prædicatur, quia proximè prædicabilis erat: ergo in eo actu quo fuit prædicabilis proximè, etiam fuit constituta vniuersalis. Nec audiendus Caberus, qui opinatur, per vtramque comparationam posse fieri vniuersale. Cum enim composita comparatio perpetuo supponat simplicem, etiam supponit factum vniuersale, non ergo facit.

§. 10. Dico quintò. Vniuersale Logicum fit per comparationem simplicem intellectus possibilis. Probatur ratione communi, quæ PP. Complutensibus placuit, nec mihi displicet, & suppono has propositiones ab omnibus admitti. *Prima*. Vniuersalitas Logica est relatio rationis, quæ est superioritas rationis ad inferiora. *Secunda*. Relatiuum, seu Relatio ex Aristotele est cuius totum suum esse est ad aliud se habere. *Tertia*. Relatio non ponitur, nisi positis fundamento, & termino. *Quarta* denique. Secunda intentio, sicut & quodlibet ens rationis eatenus est, quatenus actu cognoscitur. Ex quibus in hunc modum argumentor. Actus intellectus faciens Vniuersale Logicum est cognitio practica alicuius obiecti relatiui, vt talis: Ergo est actus, quo posito fundamento, & termino constituat illud in essentiali conceptu relatiui, nempè apprehendens totum suum esse ad aliud; sed hoc ipsum est comparare naturam ad singularia: Ergo sola comparatio ponit extrema, & apprehendit respectum relatiuum superioris ad inferiora, qui vniuersalitas est.

§. 11. Nec contemnenda est M. Arauxi argumentatio. Actus distinguens vniuersale, est actus constituens illud, & è contra. Vndè qui non distinguit, nec constituit; Sed per nullum actum, nisi per comparationem simplicem potest intellectus distinguere vniuersale in actu primo: Ergo per solam comparationem constituit. Minor ostenditur: Rationem *Albi* v.g. seu *Albedinis* quantumuis abstracta sit, non capiet, neque distinguet intellectus, quodnam vniuersale sit? quousque ad inferiora comparet. Nam respectu alterius albi, seu albedinis potest esse *species*, respectu autem Cygni erit *Proprium*: respectu vero hominis erit *Accidens*: Ergo quousque intellectus comparet, seu apprehendat determinatè hos respectus, nullum ex illis conficiet vniuersale. Cætera solutione argumentorum declarabimtur.

THEOREMA II.

Mens Angelici Doctoris aperitur.

§. 12. HActenus authoritatem Sancti Doctoris attulimus nullam, eo quod prima fronte varius appareat, quare & iuxta diuersitatem sententiarum quisque illum conatur compellare. At vero si doctrina in nostris conclusionibus tradita perpendatur benè, omnia D. Thomæ testimonia pulchrè pro nobis cohærere liquebit.

§. 13. Inprimis ab adstruentibus, vniuersale fieri per abstractionem intellectus agentis, producitur ille 1. par. quæst. 85. artic. 1. vbi sic inquit: *Ea, quæ pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis possunt considerari sine principijs indiuidualibus, quia non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere vniuersale à particulari, siue speciem intelligibilem à phantasmatibus*. Quibus docet, abstrahere vniuersale à particulari idem esse, ac abstrahere *speciem intelligibilem à phantasmatibus*, sed abstrahere speciem intelligibilem à phantasmatibus est munus agentis intellectus: ergo ipsius est vniuersalia conficere.

§. 14. Sed verò S. Doctor nostram tradit sententiam, vt in prima conclusione præfiximus; enumerat enim duos modos, quibus natura nuda singularitatibus, est obiectiuè in intellectu, quam dicimus vniuersale Metaphysicum, quorum alter est actualis, per cognitionem scilicet naturæ sine singularitatibus, quæ actus est intellectus cognoscitiui, id est passibilis, quod indicat, aiens: *Quod est abstrahere vniuersale à particulari*. Alter modus essendi est habitualis, nempè quando natura per suam speciem impressam repræsentatur in esse intelligibili spoliata indiuiduationibus, quod notatur per illa verba: *siue speciem intelligibilem à phantasmatibus*, iuxta ea, quæ notauimus §. 5. Non equidem PP. Complutensibus acquiesco, qui vtramque clausulam confundunt pro productione speciei impressæ, seu vniuersalis in repræsentando, quæ fit ab intellectu agente. Hic enim facultas quædam est cognitionis impos, & cæca, quæ nec considerat, nec agnoscit. At Sanctus Doctor apertè docet, eiusmodi abstractionem esse considerationem intellectus. Expende illa verba: *Possunt considerari sine principijs indiuiduantibus, & hoc est abstrahere vniuersale à particulari*: Ergo prima clausula de abstractione præcisiua intelle-

ctus passibilis capienda est; & secunda de productione speciei ex phantasmatibus, qui sunt duo prædicti modi essendi vniuersalis Metaphysici, actualis nempè, & habitualis in intellectu. Verùm de vniuersali Logico (vt vides) nec verbum meminit Sanctus Doctor.

§. 15. Auctoritates autem ex Opusculis petitæ, quæ vt adulterina non admitto, in medium proferre nolo, nec pro me, nec contra me; odi quippè Authores quosdam, qui eiusmodi Opusculis sese tuentur contra alios, at dum eisdem ab alijs præmuntur, nec suppetit solutio, statim clamitant, hoc, vel illud Opusculum non esse Diui Thomæ. Nos verò æquitati consulentes Opuscula, omnia quæ Thomistæ omnes supposititia esse tradunt, inter quę sunt 55. & 56. prorsus reijcimus. Sed de his alibi sermo plenior.

§. 16. Secundò. Qui docent, vniuersale fieri abstractione intellectus passibilis citatam etiam adducunt quæstionem primæ partis artic. 2. vbi Sanctus Doctor hæc habet; *Sed quod humanitas apprehendatur sine indiuidualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio vniuersalis accidit humanitati secundum quòd percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei: & non indiuidualium principiorum.* Quod & alibi sæpè docere videtur. Sed his etiam nil, nisi vniuersalis Metaphysici memoratur abstractio, quod autem addit: *ad quod sequitur intentio vniuersalis*; indicat, naturam sic abstractam esse fundamentum, ad quod sequatur vniuersalitas Logica, sicut producto vno albo, quod fundamentum sit similitudinis, verè dicitur similitudinem sequi; nec tamen posito vno albo statim ponitur similitudo, sed sequitur altero etiam albo producto. Ita vniuersalitas Logica sequitur naturam abstractam; sed ad sua inferiora ordinatam, quod sola comparatione præstatur.

§. 17. Sed occurrit Ortizius, & prædictam explicationem dicit, non habere fundamentum in contextu litteræ, quia in illa non meminit D. Thomas comparationis vllius. At verò Sanctus Doctor aliò pergens, non instituebat sermonem de constructione vniuersalis, nec ad suum institutum spectabat memorare comparationem, nec cæteras Dialecticorum minutias. Scopus D. Thomæ ibi est ostendere, multa obiectis contingere non secundùm illud esse, quod in se habent, sed secundùm quòd habent in potentijs, per quas apprehenduntur. Sicut in visu color pomi est sine odore; quia visus non percipit similitudinem odoris, quamuis in se pomum verè odorem habeat; ita dicit, humanitatem in intellectu non habere indiuiduationes, quamuis realiter illas habeat in se. Vndè remotio indiuiduationum, abstractio naturæ, sequela vniuersalitatis, & si quæ alia sunt huiusmodi, accidunt (inquit) Naturæ prout repræsentatæ in intellectu. Ecce clarissima D. Thomę sententia; ad quid ergo memoranda erat sibi comparatio?

§. 18. Iam verò pro comparatione simplici ita perspicua, apertaque promuntur testimonia, vt S. Tho. nihil vnquam videatur manifestius docuisse, Primo. quæst. 7. de potentia, artic. 11. *Huiusmodi* (inquit) *sunt relationes rationis, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectæ, sicut relatio generis, & speciei. Has enim relationes rationis ratio adinuenit considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quæ sunt extra.* Tum etiam primo Perihermenias lect. 10. inquit: *Quòd intellectus attribuit has relationes naturæ intellectæ secundùm quòd comparat eam ad res extra animam.* Item prima parte, quæst. 13. artic. 1. *Aliquando verò* (ait) *respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid est tantùm in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri; & tunc est relatio rationis tantum. Sicut cum comparat Ratio hominem animali, vt speciem ad genus.* Tandem in primo distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. ita habet: *Ex hoc, quòd intellectus intelligit animal, vt in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis. Et huiusmodi intentionis licèt proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu; tamen remotum fundamentum est res ipsa.* Doctrinam autem Opusculi quadragesimi octaui licet pro me clara sit, non admitto, ob ea, quæ diximus supra §. 15.

§. 19. Constet ergo D. Thomam huius sententiæ perpetuo fuisse assertorem, qui quoties absolutè docet, vniuersale fieri per abstractionem, de vniuersali Metaphysico intelligendum est. Etenim quoties de structura vniuersalis Logici, generis, vel alterius prædicati aliqua Logicali notione modificati mentionem facit, quasi data opera ipse statim comparationem intellectus, qua fit, satis inculcat.

THEOREMA III.

Argumenta aduersariorum enodantur.

§. 20. Obijcies primò, pro abstractione intellectus agentis. Natura per intellectum agentem abstracta à conditionibus indiuiduantibus habet quicquid ad vniuersale exigitur; ergo vniuersalis est. Antecedens probatur primò. Quia est vna, & apta ad essendum in multis, siquidem manet à contractione libera. Secundò, quia habet in intellectu omnes eas conditiones, quas Platonicum vniuersale esset habiturum realiter, si esset possibile. Tertiò, quia vniuersale est obiectum intellectus consistens in esse intelligibili; At natura non nisi abstractione intellectus agentis fit actu intelligibilis: Ergo.

§. 21. Respondeo, argumento solum probari primam nostram conclusionem, videlicet, abstractione intellectus agentis naturam reddi vniuersalem metaphysicè secundum primum modum essendi obiectiuè habitualiter in intellectu, in quo repræsentatur Vniuersale intelligibile in actu; non tamen Vniuersale intellectum in actu, vt & benè notauit Caietanus de Ente, & Essentia cap. 4. quæstione, seu dubio post quæst. 6. §. *Ex his patet*, nosquę explicuimus §. 5. hæc autem aptitudo essendi in multis remota quidem est; immò remotissima, vt alij docuere, qui aptitudinem diuidunt in remotissimam,

remo-

remotam, & proximam. Remotissima, ex abstractione intellectus agentis consurgit, Remota ex abstractione passibilis, qui cognoscit naturam singularitatibus nudam. Proxima verò ex comparatione intellectus actu, & positiuè, tamen simplici modo apprehendentis illam, vt abstractam, & indifferentem simul cum indiuiduis, tanquam cum terminis eius indifferentiæ, seu superioritatis. De Vniuersali Platonico plenissimè disputaui Dissertat. 2. illam adi, nec pigebit.

§. 22. Obijcies secundò, cum Ortizio asserente, per abstractionem intellectus passibilis, qua cognoscitur natura sine conditionibus indiuiantibus fieri relationem rationis, qua vniuersale formaliter constituitur. Nam vt resultet Ens rationis, sufficit actus directus, & absolutus intellectus attingens obiectum; posito enim fundamento, & termino in relationibus realibus, statim consurgit relatio realis: ergo vt resultet relatio rationis præter positionem fundamenti proximi, & termini, sufficiet cognitio abstractiua, quæ directè tendat ad obiectum reale, & indirectè ad ens rationis. Consequentia est bona; nec enim exigitur ad hoc, vt relatio rationis habeat totum suum esse incognosci, quòd ipsa directè cognoscatur actu comparatiuo, sed sufficit, quod actus tendens in naturam, tendat indirectè per quamdam resultantiam ad relationem.

§. 23. Benè responderat M. Ioannes à S. Tho. Relationes rationis non consurgere per resultantiam, sed per cognitionem, vt cætera entia rationis, quam solutionem non expugnat Ortizius. Ast ego gratis permisso, quòd per resultantiam consurgat; faciliùs nego, poni fundamentum, & terminum per præcisionem abstractiuam. Nam hæc potiùs est remotio, seu separatio termini, nempè inferiorum: quare cum sola comparatio tam fundamentum, quàm terminum apprehendat, sola efficiet relationem; resultet, vel non resultet, quod parum curo. Ad formam argumenti: dato antecedenti, nego suppositum consequentis, scilicet, quod cum cognitione abstractiua cohæreat positio fundamenti, & termini.

§. 24. Obijcies tertiò. Per abstractionem intellectus passibilis natura est communis, & respicit inferiora; Sed communitas cum respectu ad inferiora est positiua, & Logica vniuersalitas: ergo per abstractionem fit Logica vniuersalitas. Maior probatur quoad respectum, in quo est difficultas. Natura cognoscitur abstractione positiua, vt abstracta ab inferioribus: ergo cognoscitur cum ordine ad illa, à quibus abstrahitur.

§. 25. Dices: nulla abstractione attingi inferiora, vt talia. Negatiua namque est cognitio naturæ non cognitis indiuiduis; Positiua verò licèt attingat naturam, vt abstractam ab inferioribus, ita, vt inferiora cognoscat, vt terminum *à quo* facta est abstractio; tamen illud est respicere inferiora, in quibus non est; at verò ad vniuersalitatem petitur, quòd ea respiciat, vt terminum, ad quem, id est, vt inferiora, in quibus sit.

§. 26. Sed contra. Quia eo ipso, quod abstractione positiuà attingantur inferiora, cognoscitur ipsa natura, vt inclusa in illis, & inferiora attinguntur, vt includentia naturam: Ergo solutio inanis est, nullaque. Probatur antecedens. Natura formaliter non abstrahitur ab inferioribus, sed à differentijs inferiorum, impossibile est enim concipi inferiora, quæ naturam non includant; At qui sufficit, quòd natura concipiatur, vt inclusa in inferioribus tanquam in distinctis à se ipsa per rationem (nihil enim includitur in se ipso, sed in alio) ad hoc, vt per ipsam abstractionem simul, & semel remaneat separata à differentijs inferiorum, & relata ad inferiora in quibus includitur: Ergo per abstractionem constituitur Logicè vniuersalis.

§. 27. Respondeo. Conceptum essentialem abstractionis vt sic, consistere in eo, quòd intellectus agnoscat naturam non cognitis omninò indiuiduis: quare mea quidem sententia, nulla est positiua abstractio. Porrò ea, quæ talis ab aliquibus nuncupatur, non est cognitio absoluta, & directa, sed actus quidam reflexus, & comparatiuus. Equidem si naturam concipit non vt naturam, sed vt abstractam, necessum est, quod & abstractionem cognoscat, quod est supra cognitionem reflectere. Nego igitur, intellectum attingere vnquam inferiora eo actu præcisionis, neque vt includentia, neque vt excludentia naturam. Adde, quod semotis differentijs multiplicantibus inferiora, non capio, quænam sint, vel dari possint inferiora, quæ naturam includant in ipsa abstractione. Sed verò, considerare inferiora includentia naturam ipso actu abstractionis Nominalismum olet.

§. 28. Obijcies quarto. Actus, quo natura comparatur cum inferioribus non facit illam magis communem, quam fecerat intellectus abstrahens, sed solum eam refert ad inferiora; Sed illa non posset referri, nisi prius supponeretur vna, aptaque esse in illis; hæc enim causalis est vera: Ideo natura hæc refertur ad hæc singularia, quia est vna, & apta esse in illis: Ergo comparatio non facit vnam, & aptam naturam, sed abstractio. Consequentia videtur manifesta, quia Relatio nunquam constituit subiectum vnum, sed iam vnum refert.

§. 29. Respondeo. Concedo minorem, quia comparatio non facit magis communem naturam, id est non amplificat partes subiectiuas; tamen ipso actu referendi producit relationem, qua fit communis formaliter, & positiuè. Minorem distinguo: Non posset referri, nisi prius supponeretur vna, & apta ad essendum in multis, apta negatiuè, seu fundamentaliter concedo; apta formaliter, vel positiuè nego. Natura enim abstracta, quæ vniuersalis est Metaphysicè, solum negatiuè est apta; id est non sibi repugnat, quod ponatur in multis per intellectum: estque sufficiens fundamentum, nempè remotum, ad hoc, vt intellectus ipsam naturam comparans cum multis, seu apprehendens (modo simplici) esse in multis, producat respectum illum logicum, quo natura redditur proximè, & actu su-

perior illis, seu prædicabilis de ipsis, qui quidem respectus nullo modo supponebatur factus per abstractionem, vt patet.

§. 30. Obijcies quinto. Actus ille comparatiuus vel intelligit naturam in multis, attribuendo illam ipsis: vel solum intelligit, esse aptam ad essendum in illis? Si primum: Ergo est prædicatio, seu comparatio composita: Si secundum: Ergo non est necessaria vlterior comparatio. Probatur consequentia: Aptitudo ad multa est relatio rationis; Sed abstractio sufficit ad ponendam aptitudinem ad multa: Ergo & sufficit ad ponendam relationem rationis ad multa.

§. 30. Dices, non referri positiuè, quia non apprehenduntur ambo extrema relationis, nempè Natura, & singularia. Contra. Relatio illa est transcendentalis: Tum quia est de genere Aptitudinis: omnis autem aptitudo, & potentia solum ordinatur ad aliud transcendentaliter, vt patet in habitibus, potentijs, &c. ac proinde non requirit actualem positionem termini: Sic enim scientia v. g. dicit relationem ad scibile, etiam si illud non existat: ergo etiam si non apprehendantur singularia, vt actuale extremum relationis, sufficiet, naturam referri transcendentaliter ad illa per abstractionem, quæ potuit constituere aptitudinem ad illa. Tum etiam quia ad apprehendendam relationem naturæ ad multa, non requiruntur singularia actualia, vt patet in natura Solis, & Phœnicis, & quod plus est in natura Angelica Michaelis, quæ secundum plures Thomistas vniuersalis est, cùm tamen plura indiuidua sibi repugnent: Ergo sine comparatione ad eiusmodi inferiora consurget vniuersalitas in hisce naturis.

§. 32. Respondeo, benè responsum fuisse ad argumentum: ad primam autem instantiam nego antecedens, & ad eius probationem dico, non aliud probari, nisi aptitudinem naturæ ad indiuidua, non esse realem, nec prædicamentalem relationem, quod nemo inficiatur. Et licet certum sit, relationes aptitudinis, & etiam habituum, potentiarum, &c. realiter esse respectus transcendentales; attamen aptitudines intentionales, seu potentię apprehensæ superioritatis, seu subijcibilitatis sunt relationes secundum esse, vt aiunt, seu prædicamentales; licet enim earum extrema non existant vt talia in rebus, tamen existunt in intellectu, vt apprehensa. Ad alteram nego etiam antecedens, si intelligatur de singularibus apprehensis: quod autem subditur de vniuersalitate speciei Angelicæ falsum est, vt infra ostendam cap. de specie Dissertat. 20.

§. 33. Obijcies sexto, cum Spinula: Vniuersalem naturam cognosci cognitione comparatiua, est cognosci cum ordine, & aptitudine ad prædicari de multis; Sed impossibile est, quod natura taliter concepta, & positiuè ordinata possit prædicari de multis: ergo impossibile est, quòd fiat vniuersalis per cognitionem comparatiuam. Probatur minor. Natura vt reduplicatiuè apta non potest prædicari de Petro, quin de Petro prædicetur ipsa aptitudo, sicuti non potest prædicari vt rationalis, quin prædicetur rationalitas; Sed impossibile est, quòd de Petro prædicetur aptitudo ad prædicari de Paulo: ergo impossibile est quod natura positiuè ordinata, & comparata possit prædicari de multis distributiuè.

§. 34. Respondeo. Ordinationem, referentiam, seu collationem intellectus ad multa tantum esse conditionem necessariò petitam ad prędicationem naturæ, quæ sola est res, quæ prædicatur, & affirmatur de indiuiduis. Et si quid probat argumentum, simili etiam ratiocinio probaretur, Ignem non comburere actualiter stupas: Ecce. Ignem comburere actualiter stupas, est ignem comburere vt applicatum; Sed impossibile est quod ignis comburat vt applicatus, quin ipsa applicatio comburat: ergo impossibile est quod ignis actualiter comburat stupas. Apage, ad formam argumenti nego minorem, & probationis nego maiorem, reddendo disparitatem inter formam, & conditionem.

§. 35. Obijcies septimò cum Cabero. Vniuersale Logicum fit per cognitionem comparatiuam naturæ cum inferioribus, seu per actum, qui apprehendat conuenientiam naturæ cum illis; Sed hæc conuenientia, seu relatio non solum potest percipi simplici apprehensione; sed etiam actuali iudicio: Ergo non minùs fit vniuersale per comparationem compositam, quam per simplicem. Probatur minor. Nam simplex apprehensio est virtualis comparatio, & enuntiatio: Ergo quod potest fieri per virtualē enuntiationem, poterit per formalem effici. Perperam ergo qui concedunt, vniuersale Logicum fieri per simplicem comparationem, per compositam fieri inficiantur. Similia his etiam obijcit lynceus.

§. 36. Respondeo. Concessa maiore; distinguo minorem: Sed hæc conuenientia naturæ cum indiuiduis percipi etiam potest actuali iudicio: contrahendo ad subiectum aptitudinem naturæ actu priore cognitam, vt contrahibilem, concedo. Statuendo aptitudinem in ea indifferentia, quæ ad vniuersalitatem petitur, nego minorem. Vniuersale enim tunc primo fit, quando statuitur vnum aptum ad essendum in multis; Ast per comparationem compositam, quæ intentionalis quædam contractio est, natura est actu in illis; esse autem actu, supponit posse esse, in quo vniuersalitas consistit, supponit igitur comparatio composita obiectum simplicis.

§. 37. Obijcies tandem. Actus, quo intellectus cognoscit vnum in ordine ad alterum, seu plura mutuò se respicientia est iudicium, seu composita comparatio, quia multa vt relata nequeunt simplici apprehensione percipi: Sed vniuersalitas fit per cognitionem, qua attinguntur multa vt inuicem relata, scilicet natura, & singularia mutuò se respicientia: ergo vniuersalitas fit per iudicium, seu compositam comparationem. Probatur maior: Quia idem est concipere hominem esse animal, ac concipere, animal esse in homine. Minor certa est, & consequentia bona.

§. 38. Dices, multa vt relata posse optimè con-

concipi apprehensione simplici. Vnde, & tota hæc propositio *Stellæ sunt pares* sine iudicio potest apprehendi. Nam cum dubitamus, an Stellæ sint pares? intellectus concipit Stellas, & numerum parem, nihil tamen affirmat, aut negat, quia dubitat. Propositionem autem illam *Stellæ sunt pares* tunc simplici notitia percipi, res est Stellis ipsis clarior, inquit Caberus.

§. 39. Sed contra primo. Quia in eius modi comparatione reperitur verum, & falsum; quando enim intellectus comparat naturam humanam cum singularibus, in quibus est, dicit verum: quando vero comparat cum singularibus, in quibus non est, dicit falsum; Sed veritas, & falsitas non afficiunt simplicem apprehensionem, sed iudicium: Ergo. Contra secundo. Quia per talem comparationem percipit intellectus, naturam humanam v. g. esse prædicatum essentiale, seu res essentialis Petro; sed impossibile est, quòd apprehendens essentiam Petri, concipiat ipsam vt separatam à Petro: ergo illam cum Petro vnit ipso conceptu, quod est componere per iudicium, seu prædicationem. Maior est euidens. Minor item adeo certa, vt sit fundamentum, quo D. Thomas probat contra Platonem, non posse dari vniuersale separatum à singularibus: Consequentia est bona.

§. 40. Respondeo, probè respondisse Caberum, negando maiorem argumenti: & ad primam instantiam dico, in simplici notitia verum, vel falsum apprehendi, sed non affirmari, nec negari, quod est iudicij formalis, & expressi, nec tamen negamus, eiúsmodi apprehensionem relatorum esse virtuale iudicium: quia cognoscere naturam vt conuenientem Petro, est fundamentum formalis iudicij, per quod intellectus illam mox Petro attribuit affirmando. Ad alteram instantiam concedo maiorem, & nego minorem. Nam vt intellectus referat naturam ad singularia necessariò petitur, quòd ipsam concipiat vt separatam, & distinctam per rationem ab illis, quia eiusdem ad se ipsum non est relatio adhuc in ordine rationis. Cognoscit igitur intellectus naturam vt identificabilem cum Petro, sed non asserit identificatam. Cognoscit vt superiorem, & indiuidua cognoscit vt subijcibilia naturæ, non vt actu includentia naturam. Plato autem admittebat separationem realem essentiæ à singularibus (iuxta communem imposturam) quod est implicatorium; at in intellectu nil repugnat, essentiam separari à differentijs, quibuscum realiter identificatur. Nominalistæ nihil obijciunt responsione dignum, quare eorum argumenta lubens omitto.

DISSERTATIO X.

Vtrum vniuersalis essentia consistat in aptitudine ad essendum in multis? an in aptitudine ad prædicandum de illis?

§. 1. ARistoteles primo Perihermenias definit vniuersale: *Quod de pluribus aptum est prædicari.* Iterum deinde primo Analyticorum vniuersale ait, esse *vnum in multis, & de multis.* Controuersia hinc suborta est, Vtra harum definitionum sit essentialis? seu an vniuersalium essentia consistat in aptitudine ad essendum in multis, vel in aptitudine ad prædicandum de illis? Scotus autem (quem Merinerus citat quæstione sexta vniuersalium; sed memoria lapsus: nam non, nisi quæstione tertia debuit citare) respondet conditione quadam reciproca: Putat enim, quod si prima definitio tradita per *prædicari* sit essentialis; tunc ly *esse in multis* secundæ definitionis erit propria passio, seu proprietas vniuersalis: Sin verò secunda tradita per *esse in multis* sit essentialis. Tunc *prædicari de multis* primæ definitionis erit proprietas, & passio vniuersalis. Censuit enim, hos respectus ita in vicem conferri, vt quilibet sit vel essentia, vel passio alterutrius: & quidem benè. Nam improbabile est, quod nonnulli comminiscuntur, nempe illos tanquam genus, & differentiam se habere ad vniuersalitatem, sicut animal, & rationale ad hominem, cum tamen non sint existimandi, nisi vt rationale, & risibile, vt essentia scilicet, & propietas: propietas inquam metaphysicè sumpta, quæ sola ratione distinguatur ab essentia, à qua concipitur dimanare; vt excludam propietates physicas, quæ realiter à suis naturis distinguuntur, sicut & realiter profluunt, vt calor ab igne, lux à sole, &c.

§. 2. Notandum autem, naturam esse in multis sumi posse, & realiter, & intentionaliter, seu conceptibiliter (vt Scotici loquuntur.) Realiter esse in multis contingit vel per idemtitatem, vt homo est in Petro, & in Paulo; vel per inhæsionem, vt albedo in pariete &c. Esse verò intentionaliter in multis est cognosci ab intellectu in illis: & quia per triplicem actum ille cognoscit, tripliciter etiam concipit, naturam esse in illis. Primo simplici quadam notitia, vt supra dicebamus. Secundò affirmatione, seu iudicio: Tertio tandem discursu. Cæterum esse in multis intentionaliter supponit tanquam fundamentum esse in multis realiter, vt sat notum est.

§. 3. Notandum etiam, essentiam, seu (vt dicunt) quidditatem rei esse primum conceptum rei, seu id, quod primò rei inesse concipitur. Id verò quod ex illo primo conceptu proficiscitur, est passio, seu propietas rei. Quibus in omnium sententia admissis: Thomistæ asserunt, aptitudinem ad esse in multis, esse essentiam, & primarium conceptum vniuersalis: Aptitudinem verò ad prædicari de multis esse proprietatem, seu passionem ab altera profluentem. Scotistarum nonnulli Thomistis adhæserunt. Vt Rodriguezius quæst. 3. de vniuersalibus, artic. vnico, & alij. Verum cæteri communiter contrariam tenent sententiam cum Scoto. Quęst. 3. de genere §. *Dicendum.* quos sequitur Hurtadus Logicæ disput. 3. sect. 2.

THEOREMA I.

Dirutis Hurtadi fundamentis, Thesis, ratioque Thomistica stabilitur.

§. 4. PRædicabilitatem esse vniuersalis essentiam astruit Hurtadus his argumentis. Pri-

Primo. Quia vniuersale, vel fit per notitiam comparatiuam, qua natura apprehenditur inferioribus conuenire: At apprehensa conuenientia superioris cum inferiori, est iam proximè prædicabilis: Vel fit per notitiam abstractiuam, & sic prædicabilitas est de essentia vniuersalis: Probatur hoc, quia vt res aliqua sit prædicabilis, tantum requiritur, vt concipiatur, vt conueniens rei, de qua prædicatur; Sed per notitiam abstractiuam vniuersalis vniuersale concipitur, vt conueniens inferioribus: Ergo illa notitia constituit formaliter rem prædicabilem: ergo prædicabilitas est de essentia vniuersalis.

§. 5. Hanc vltimam consequentiam vnde, vel ex quibus præmissis inferat Hurtadus, prorsus ignoro. Concesso enim toto argumento semper illam, & meritò negabit Thomista. Ex eò sanè, quòd per abstractionem, vel comparationem vniuersalis natura fiat proximè prædicabilis, non sequitur, quod prædicabilitas sit essentia vniuersalis: sicut non sequitur, risibilitatem esse essentiam hominis, ex eo, quod statim, ac est rationalis, concipiatur vt proximè risibilis. Rem explico. Sicut rationale, & risibile sunt duo conceptus inuicem conuertibiles, & connexi, ità vniuersale, & prædicabile sunt etiam duo conceptus inuicem conuertibiles, quorum qui prior fuerit, & radix alterius, ille erit essentialis, & quidditatiuus. Non negat Thomista, naturam vniuersalem esse prædicabilem statim, ac vniuersalis fit: negat, prędicabilitatem esse primum conceptum, seu radicem, à qua oriatur aptitudo ad essendum in multis. Hurtadus nil aliud probat, nisi hos respectus esse simul, debebat que probare, prædicabilitatem esse priorem altera aptitudine, vt bonam inferret consequentiam. Adde, quod in secunda parte argumenti assumit falsum inquiens, per notitiam abstractiuam concipi vniuersale, vt conueniens suis inferioribus. Nam vt differt pręcedenti sæpius inculcaui, abstractio minimè percipit inferiora, sed potius remouet, dum solam concipit naturam: est igitur falsum antecedens, & mala consequentia.

§. 6. Secundo. De essentia præmissarum est constituere intellectum potentem ad discursum, quia præmissæ per se ipsas immediatè ad illum determinant intellectum; Sed simili ratione illa notitia abstractiua vniuersalis determinat intellectum ad illud prædicandum: Ergo de essentia illius abstractionis est constituere vniuersale proximè prædicabile.

§. 7. Claudicat hoc argumentum eodem pede, ac præcedens: concesso enim toto, nil contra nos inde. Concedimus per eamdem actionem, quà res fit vniuersalis, fieri etiam prædicabilem, sicut per eamdem homo fit rationalis, & risibilis: hinc tamen minimè sequitur, risibile esse hominis essentiam, nec prædicabile essentiam vniuersalis, vt modo dixi.

§. 8. Dices pro Hurtado, te non velle, aptitudinem ad esse in multis, seu vniuersalitatem esse attributum prædicabilitatis, nec è conuerso, sed vtrumque respectum æquè esse de primo vniuersalis conceptu, vt animal, & rationale de homine, sic enim se explicat ille §. 14. Sed hoc quidem falsius est, difficilius que probatu, nec argumenta Hurtadi id suadent.

§. 9. Contra. Quia Animal, & rationale se habent, vt genus, & differentia hominis; Sed impossibile est *Vniuersale* esse genus respectu *prædicabilis*, nec è contra: ergo impossibilis est Hurtadi meditatio. Minor est euidens, nam cum genus non possit constitui, nisi respectu duarum saltem differentiarum: Rogo, quænam sit altera differentia opposita prædicabilitati, per quam contrahatur vniuersale? Certè nullam assignabit: Equidem vniuersale, quod minimè sit prædicabile huc vsque somniauit nullus, quinimmò contra suam sententiam directè pugnat.

§. 10. Thesis. Definitio vniuersalis tradita ab Aristotele per *Aptum esse in multis* est essentialis; Altera autem, quæ exhibetur per *Aptum prædicari de multis* est descriptiua. Vnde aptitudo ad essendum in multis, est primus, & essentialis conceptus vniuersalium: Prædicabilitas verò propietas, seu attributum eorum. Est communis Thomistarum. Colligunt illam nonnulli ex Aristot. qui Analytic. primo, vniuersale asseruit esse *vnum in multis, & de multis* teste D. Thoma lectione 19. vbi vtrumque respectum expressit, aptitudinem scilicet essendi in multis, per ly *vnum in multis*, & prædicabilitatem per ly *vnum de multis*: in quibus duplex traditur definitio: Prima per *esse in multis*, altera per *prædicari*. Primo, & præcipuo loco memoratur esse in multis; Deinde prædicabilitas: hinc inferunt, definitionem per *esse in multis* primò traditam ab Aristotele esse essentialem, quippè quæ alteram antecedit, sicut & ipsa essentia præponitur passionibus. Sed hæc quidem Coniectura improbabilis non est.

§. 11. Probatur ratione. Quod primo, & per se conuenit rei, est essentia eius; quod verò secūdario, & ratione prioris conuenit ipsi, est propria eius passio: Aptitudo ad essendum in multis primò, & per se conuenit vniuersali; aptitudo verò ad prædicandum de illis conuenit illi secundario, & ratione prioris aptitudinis ad essendum: ergo aptitudo ad essendum essentia; & aptitudo ad prędicandum est passio vniuersalis. Minorem in qua est tota difficultas, probo. Natura abstracta per intellectum agentem, vel possibilem priùs est obiectum comparationis simplicis, quam compositæ, & sicut composita supponit simplicem comparationem, ita obiectum compositæ seipsum supponit, vt obiectum comparationis simplicis, sed obiectum in ordine ad comparationem compositam est prædicabile, vt tale: ergo prædicabile vt tale supponit obiectum simplicis comparationis; At qui comparatio simplex per vos percipit naturam vt conuenientem inferioribus, seu inexistentem illis absque vlla affirmatione, quod est practica cognitio vniuersalis: Ergo antequam obiectum sit formaliter prædicabile, seu dicat ordinem ad comparationem compositam, iam manet vniuersale constitutum per *esse in multis* apprehensum per simplicem.

§. 12. Dices: naturam adhuc dum est obiectum simplicis comparationis esse prædicabilem,

lem, quia ipsa comparatio illam disponit, seu determinat ad prædicationem.

§. 13. Sed *contra primo*. Quia prædicabilitas formalis in omni signo concepta constituitur essentialiter per ordinem ad secundam operationem intellectus; sed secunda operatio essentialiter supponit primam: ergo omnis natura prædicabilis in quocumque signo concipiatur talis, se ipsam supponit, vt comparatam ad sua inferiora per primam operationem intellectus. *Contra secundo*. Quia in illa comparatione simplici, qua apprehendo, naturam inesse inferioribus, seu illis conuenire, licet intellectus determinet, seu disponat naturam ad prædicationem, non tamen determinat illam immediatè, & formalissimè, sed inchoatiuè, & radicalitèr; Atqui hoc ipsum probat, prædicabilitatem formalem esse passionem, quæ illum conceptum secundario consequatur, sicuti risibilitas formalis consequitur risibilitatem radicalem, nempè rationalitatem: ergo eiusmodi determinatio ad prædicabilitatem non tollit, quòd aptitudo ad essendum in multis sit prior prædicabilitate formali. Minor, & consequentia liquent. Maior admittitur ab ipso Valera, qui comparationem simplicem appellat *virtuale iudicium*. Est que certissima: nam si natura constituitur prædicabilis proximè, & formaliter per ordinem ad secundam operationem; quis dubitet, non nisi remotè, & radicaliter hoc fieri in ordine ad primam, quando quidem prima antecedit secundam? *Contra tertio*. Quia hæc propositio causalis est vera. Ideo homo est prædicabilis potiùs de Petro, & Paulo, quam de Bucephalo, ac Alastore, quia intellectus priùs apprehendit simplici comparatione, hominem conuenire, seu inesse Petro, & Paulo, & non Bucephalo, & Alastori; sed causa est prior suo effectu; ergo aptitudo illa hominis ad inesse Petro, & Paulo, quæ obiectum est simplicis comparationis, semper, & necessario antecedit omnem formalem prædicabilitatem de eisdem.

THEOREMA II.

Scotistarum argumenta dissoluuntur.

§. 14. OBijciunt primo Valera lib. 1. distinct. 2. art. 1. qu. 1. Merinerus disput. 2. Vniuers. qu. 2. nu. 22. Et hic efficaciter in nos putat retorqueri rationem Thomisticam sic: Illud est essentia vniuersalis, quod per se primo ei competit, & illud passiò, quod ei competit per se secundo; Sed aptitudo ad prædicandum de pluribus per se primò competit vniuersali; aptitudo verò ad essendum in multis competit ei per se secundo, & ratione aptitudinis ad prædicandum: ergo in aptitudine ad prædicandum de multis consistit essentia illius, & passio in aptitudine ad essendum in illis. Maior est certa: Minor in qua est difficultas, sic ostenditur. Vel per aptitudinem essendi in multis, in qua Thomistæ constituunt essentiam vniuersalis, intelligunt aptitudinem ad existendum in multis per existentiam realem; vel aptitudinem ad existendum in multis per operationem intellectus. Si intelligunt primum, non est ad rem: nam manifestum est, hanc aptitudinem, seu non repugnantiam ad existendum realiter in multis cum sui reali multiplicatione merè esse fundamentum remotum, non formam, à qua actu, & formaliter naturæ sint vniuersales. Tum, quia hæc aptitudo non est positiua, sed negatiua. Tum quia hæc aptitudo conuenit naturis à parte rei; at forma, à qua naturæ habent actu, & formaliter quod sint vniuersales, debet esse aptitudo ad essendum in multis positiuè, & non conueniens naturis à parte rei, sed per operationem intellectus.

§. 15. Si verò intelligant secundum: patet manifestè, hanc aptitudinem non esse priorem aptitudine ad prædicandum, sed potius posteriorem, & sequutam ad illam, tanquam passionem ad essentiam: Quia sicut ista est bona consequẽtia: Ideò natura humana est actualiter per intellectum in Petro, Ioanne, &c. per actum intellectus prædicatur, & attribuitur Petro, Ioanni, &c. & non è contra: Ita etiam hæc erit legitima consequentia: Ideò natura humana est apta ad essendum per operationem intellectus in Petro, Ioanne, &c. quia est apta prædicari, & attribui per intellectum Petro, Ioanni, &c. & non è contra.

§. 16. Ex quo patet (subiungit Merinerus) hallucinatos fuisse aduersarios in fundamento suo, quia inter aptitudinem, seu non repugnantiam essendi realiter cum sui multiplicatione, quæ conuenit naturis à parte rei, & aptitudinem ad essendum in multis positiuè sine sui multiplicatione, quæ naturis conuenit per intellectum, nullam fecerunt distinctionem.

§. 17. Respondeo. Nego minorem, ad probatum dico, Thomistas intelligere per aptitudinem essendi in multis, non realem, sed intentionalem, seu conceptibilem per comparationem simplicem primæ operationis intellectus. Merinerus nil probat, nisi actum essendi in Petro, & Paulo per prædicationem esse posteriorem aptitudine ad prædicandum, quod non est ad rem, nec negant Thomistæ: vnde admisso, quod aptitudo naturæ ad prædicari de Petro, & Paulo sit prior, quam aptitudo ad essendum in illis per actum prædicationis; negamus tamen, esse priorem illa aptitudine ad essendum in multis, quæ fit per simplicem comparationem. Nam vt ab aduersarijs conceditur, natura per simplicẽ comparationem apprehenditur vt conueniens multis, vt indifferens multis, vt superior multis, vt communis, & vna in multis. Quis autem dubitet, ad hunc actum dari aliquam aptitudinem; datur ergo aptitudo ad essendum in multis per simplicem notitiam; aptitudo ad essendum in multis per iudicium formale, & aptitudo ad essendum in multis per discursum. In prima consistit vniuersalitas, in secunda prædicabilitas, & in tertia demonstrabilitas. Hinc patet, Merinerum, suos que Scotistas potius fuisse hallucinatos in fundamento suo, quia inter aptitudinem ad essendum in multis per prædicationem, nullam fecerunt distinctionem.

§. 18. Secundo. Actus correspondens vniuersalitati, & prædicabilitati est omnino idem formaliter: Ergo vtraque est eadem aptitudo formali-

maliter, quia illæ aptitudines idemtificantur, quibus idem actus formaliter correspondet. Antecedens probatur: Actus immediatè correspondens prædicabilitati est actualis prædicatio; sed nec idem actus formaliter est etiam vniuersalitatis: patet hoc, quia aptitudo vniuersalis est in esse conceptibili, id est ad essendum in multis conceptibiliter; sed hoc fit per actualem prædicationem, ratione cuius natura, quæ erat intelligibiliter abstracta, ponitur in pluribus conceptibiliter: ergo idem actus formaliter est vtriusque.

§. 19. Respondeo. Hoc argumentum eadem hallucinatione laborare, ac præcedens: supponit enim, naturam abstractam non poni conceptibiliter in multis; nisi solum per actualem prædicationem; cum tamen per triplicem actum intellectus poni possit, vt modo dixi. Dico ergo, actum correspondentem vniuersalitati esse actualem apprehensionem vnius in multis sine affirmatione, quæ explicatur per actualem referentiam, indifferentiam, conuenientiam, communitatem, vnionem cum pluribus &c. Et licet in hac conuenientia, seu vnione apprehensa fundetur prędicabilitas (immò entitatiuè sit eadem cum ipsa) tamen hæc est per rationem posterior, sicuti ordo ad secundam operationem est posterior, quàm ordo ad primam. Ad formam argumenti nego antecedens, & probationis minorem, & huius probationis etiam nego minorem.

§. 20. Tertio. Eo ipso, quod natura concipiatur per modum totius cum aptitudine illa vniuersalitatis Logicæ, est proximè, & immediatè potens prædicari de pluribus: quorsum ergo superadditur alia prædicabilitas? Ergo ex vi vniuersalitatis præcisè est proximè, & immediatè prædicabilis. Ergo vniuersalitas est prædicabilitas.

§. 21. Respondeo, simili ratiocinio negari posse, risibilitatem formalem homini. Quia eo ipso, quòd homo concipiatur cum rationalitate, seu aptitudine ad ratiocinandum est proximè potens ridere: ergo sola sufficit rationalitas, ad quid ergo superaddita risibilitas? Ast sicut hoc argumento non probatur, nisi rationalitatem esse risibilitatem radicaliter, ita solum conuincitur prædicta ratione, vniuersalitatem esse radicalem prædicabilitatem. Attamen sicut in eodem Petro v. g. aliud est rationale, & aliud risibile formaliter loquendo, ex eo solum, quod idem Petrus est principium diuersarum operationum videlicet, ratiocinationis, & risus, & quia dum connotat ratiocinationē, non censetur connotare risum, qui diuersus realiter est à ratiocinatione: Haud secùs in eadē natura aliud est vniuersalitas, & aliud prædicabilitas, ex eo, quod idem obiectum connotat diuersas cognitiones intellectus, à quibus est denominabile: igitur Prędicabilitas radicalis consistit in connexione illa extremorum, vt apprehensa simpliciter, & formalis in connexione vt enunciabili, seu affirmabili per iudicium, eo fere modo quo ens à verò distinguitur.

DISSERTATIO XI.

Non nulla de Vniuersali, de eius passionibus, & actuali prædicatione expediuntur.

THEOREMA I.

An Natura ab vno indiuiduo abstracta vniuersalis esse possit?

§. 1. QVæres primo: An natura Petri v. g. ab vno Petro abstracta esse possit vniuersalis? Affirmare debent Thomistæ, quippè qui naturas solis, Phœnicis, & quod summum est, Michaelis ab vno dumtaxat indiuiduo abstractas censent, vniuersales esse. Ratio: Quia natura Petri à Petreitate abstracta remanet *natura secundum se*, in qua non nisi prædicata essentialia humanitatis relucent; at qui naturam humanam vt sic potest intellectus multis habentibus similem naturam à parte rei comparare: ergo si semel comparetur, erit vnum in multis, ac proindè vniuersale.

§. 2. Obijcies D. Thomam 3. p. quęst. 2. artic. 5. ad 2. docentem, quod natura humana, *non habet rationem communis speciei secundum quod est in vno solo indiuiduo; sed secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo, prout in nuda contemplatione consideratur; vel secundum quod est in omnibus indiuiduis.* Ergo natura humana ab vno Petro abstracta non est vniuersalis, sed debet ab omni indiuiduo abstrahi, vt sit.

§. 3. Respondeo D. Thomam explicare Damascenum docentem, in Christo Domino non esse accipere communem speciem: idest Christum Dominum non assumpsisse communem naturæ humanæ speciem, quod certum esse, indè probat Sanctus Doctor, quod natura humana dupliciter esse potest vniuersalis: vel secundum quod est abstracta ab omnibus indiuiduis: vel secundum quod est in omnibus illis: At neutro modo erat in Christo, Tùm quia contracta erat in ipso, tum etiam quia, non erat in alijs eamet. Vnde ly *secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo* non est intelligendum positiuè, id est, quod natura ad vniuerrialitatem debeat necessariò præcindi ab omnibus indiuiduis per intellectum agentem, sed negatiuè: idest quod sine omni differentia indiuiduali appareat in intellectu, quod subindicat sapienter Angelicus Magister per illa verba: *prout in nuda contemplatione consideratur*, profectò natura abstracta ab omni indiuiduo apparet in intellectu, vt æquiualenter abstracta ab omnibus, eo quod ad nullum contracta appareat; per accidens autem est, quod obiectiuè materialiter in cæteris remaneat contracta à parte rei.

§. 4. Obijcies secundo. Natura abstracta ab vno indiuiduo v.g. Petro, nequit prædicari de Paulo, Ioanne &c. ergo non est vniuersalis. probatur antecedens, natura, quæ non est idemtificata cum Paulo, & Ioanne, non potest affirmari per intellectum esse in Paulo, & Ioanne; Sed natura, quę abstracta fuit à solo Petro, nec est, nec

nec fuit vnquam idemtificata cum Paulo, & Ioanne: ergo de illis prædicari non valet: ergo vt de illis verè prædicetur, de illis, atque omnibus abstrahenda est.

§. 5. Respondeo, hoc argumentum difficultatem facessere non nobis, sed Nominalistis, qui docent de Paulo non prædicari nisi ipsum Paulum cognitum confusè, & confuso vocabulo hominis significatum. Nos autem, qui vnitatem naturæ *secundum se* adstruimus, eamdem esse negatiuè naturam Petri affirmamus, ac Pauli, Ioannis, & omnium, vt latè docuimus Dissertat. 7. Theor. 2. Vbi hoc, similiaque argumenta diluimus: quæ recolenda sunt; non repetenda.

§. 6. Obijcies tertio. Hæc est ratio probandi, naturam abstractam ab vno indiuiduo esse vniuersalem. Natura abstracta ab vno indiuiduo cognoscitur sine vlla singularitate; Sed natura cognita sine vlla singularitate abstrahitur ab omnibus, quia abstrahere est vnum sine alio cognoscere: ergo natura abstracta ab vno indiuiduo, ab omnibus abstrahitur. At qui hęc ratio est nulla. Ergo &c. Probatur hoc. Naturam abstrahi ab aliquo non est solum cognosci sine illo, sed cognosci sine illa entitate cum qua realiter idemtificabatur: Ideo enim dum cognosco animal, non cognito lapide, non abstraho animal à lapide, quia animal non idemtificatur cum lapide; Sed etiamsi natura abstracta à Petro cognoscatur sine singularitatibus Pauli, & Ioannis, tamen non identificabatur cum illis: Ergo non est abstracta ab illis, proindeque nec vniuersalis ad Paulum, & Ioannem.

§. 7. Respondeo. Naturam humanam abstractam ab vno indiuiduo haberi vt ab omnibus abstractam, quia eius essentia, nempe animal rationale ita absoluta, ac libera manet ab omni contractione *prout in nuda contemplatione consideratur*, Vt possit comparari multis indiuiduis, non secùs, ac si abstracta fuisset à singulis omnibus. Quare solum requirimus naturam *secundum se* ad substratam vniuersalitatis, quæ quidem in quolibet indiuiduo reperiri potest. At nominales, qui vnitatem naturæ constituunt in confusione indiuiduorum, nequeunt suas abstractiones conficere, nisi plura confundant indiuidua; quamobrem miror valdè, nonnullos eorum, nostram amplecti sententiam. Ad formam argumenti negatà minore, ad probationem dico, solum probari, naturam per intellectum non abstrahi positiuè ab omnibus indiuiduis, quod fatemur: apparet tamen in illo abstracta ab omnibus negatiuè, id est sine omni indiuiduatione, quod sufficit, ad hoc, vt referatur ad multa ob suam indifferentiam, nec contra hoc aliquid euincit argumentum.

THEOREMA II.

Habeat ne Vniuersale aliquas passiones? & quęnam illæ sint?

§. 8. QVæres secundo. Quænam sint vniuersalis propietates? Respondeo, has communiter assignari à Philosophis: *Prima* posse de multis prædicari, de qua sermonem fecimus Dissert. præcedenti. *Secunda*, Vt sit ita in multis, vt tamen sit extra multa, non quidem re, sed ratione dumtaxat ab illis separatum, de qua nobis sermo. Dissert. 4. *Tertia* Esse semper, & vbique; non quidem positiuè, ita vt vniuersale omni tempore, omnique loco existat; hoc etenim non nisi Deo potest competere: sed negatiuè, eo, quod nullo certo loci spatio ambiatur, nulloque temporis curriculo mensuretur. *Quarta*, Ortu carere, & interitu, id est ingenerabile esse, atque incorruptibile, quòd est quædam negatiua vniuersalium æternitas, de qua vide, quæ docuimus Dissertatione 2. Theorem. 4. vbi de essentijs ab æterno actualibus disputauimus. Item de propositionibus æternæ veritatis §. 36. *Quinta* Esse scientiam de Vniuersalibus tantum: quia particularia fluxa sunt, ac mutationi obnoxia, de qua, dicta Dissert. Theor. 7.

THEOREMA III.

De actuali vniuersalium prædicatione, quænam, & quotuplex sit?

§. 9. QVæres tertio, quid, & quotuplex sit prædicatio? Respondeo. Prædicationem esse iudicium actuale, quo intellectus aliquid rebus attribuit. Respondet actus hic Prædicabilitati, quam diximus esse passionem vniuersalis: & quia Prædicabile potest esse nomen concretum, vel abstractum, non nulla pro rei claritate breuiter adnotabo. Nàm licet concretum, & abstractum, eamdem rem pro formali significent, tamen in modo significandi trifariam discriminantur. Primo, quod abstractum significat formam per modum substantiæ absolutam, & ab omni subiecto independentem; Concretum è contrà formam significat, vt subiecto inhærentem; Secundò abstractum est tale se ipso, id est non per aliud: Concretum verò non est tale nisi per abstractum: ita Albedo per seipsam albedo est; at verò album non nisi per albedinem est tale. Tertiò, quod abstractum sumitur vt pars, Concretum autem vt totum; coalescit enim concretum ex ipsa forma per abstractum significata, & subiecto inhæsionis illam sustentante.

§. 10. Notandum secundò. Abstracta, vel substantialia esse, vt Humanitas, vel accidentalia, vt albedo, color. Rursus abstractio accidentis potest esse physica, qualis ea est, quà physicè potest albedo apariete separari, vt accidens à suo subiecto: vel Metaphysicè, vt ea est, qua accidens à suis inferioribus concipitur præcisum, vt si ex hac, & illa albedine tertia abstrahatur albedo, quam, ne similitudine nominis recidat cum inferioribus *Albedineitatem* vocam, latinitate post habita, vt Philosophiæ litetur.

§. 11. Tertiò notandum. Abstracta esse talia, vel per abstractionem formalem, vel per totalem, seù vniuersalem. Abstractio formalis est, qua forma abstrahitur à subiecto, ipsum connotando vt compartem: quæ abstractio competit

etiam rebus singularibus, vt Petreitati, quæ quasi forma quædam concipitur separata ab illam habente, nempè supposito, seu persona. Abstractio totalis, seu vniuersalis est, qua forma abstrahitur ab inferioribus, quæ sub se potestatiuè continet. Habitudo primæ abstractionis, vt modo dixi, est partis ad compartem, nempè formæ ad subiectum, secundæ verò totius ad subiectas partes. Sic color abstrahitur à nigredine, & albedine, Humanitas à Petreitate, & Pauleitate.

§. 12. Notandum quartò. Concretum capere posse situm subiecti, vel situm prædicati. Situs subiecti (docente Soto) est immediatus ante copulam *est*. Situs verò prædicati mox illam consequens. Dum autem Concretum ponitur à parte subiecti sumitur substantiuè, seu connotat suppositum; si verò prædicati vices obeat, sumitur adiectiuè, id est pro forma adhærente. Quia dum intellectus prædicat Concretum, intendit enuntiare solam formam significatam per Concretum esse in tali subiecto, atque tale subiectum illam sustentare. Hinc est; quod quamuis communiter dicatur, Concretum accidentale significare in rectò formam, & in obliquo subiectum, tamen perpetuò supponit pro subiecto, & nunquam pro forma, quæ cum accidens sit, nullam habet subsistentiam, nisi à subiecto: animaduertendum ergo est, aliud esse significare Concretum, & aliud supponere, quibus prænotatis.

§. 13. Prædicatio diuiditur in *idempticam*, *disparatam*, & *formalem*. *Idemtica* est, qua res de se ipsa prædicatur non facta distinctione rationis inter subiectum, & prædicatum, quod dupliciter contingit. Primò ratione formæ, quando vtrumque eisdem terminis effertur, vt *Leo est Leo*, seu saltem Synonomis, vt *vestis est indumentum*. Secundò ratione materiæ, quando scilicet propositio, quæ falsa est ratione terminorum formalium, tamen redditur vera ob idemtitatem subiecti illorum, qualis hæc *Album est dulce*, pro lacte, *Quod sapit nutrit*, pro alimonia. *Misericordia est omnipotentia* pro Deitate, *Deus est Homo* pro supposito Verbi. *Disparata prædicatio* est, qua aliquid de alio enuntiatur in materia impossibili, vt *Leo est arbor*, *Petrus est Leo*.

§. 14. *Prædicatio formalis*, quæ media inter idemticam, & disparatam statuitur, *directa* potest esse, & *indirecta*. *Directa* est, in qua subiectum formaliter subijcitur; bifariam autem dicitur subiectum esse formaliter tale, seu formaliter subijci. Primò, quando se gerit vt inferiùs respectu prædicati, quod esse debet superiùs subiecto. Secundò, quando subiectum est materia respectu prædicati, quod se habet, vt forma receptibilis subiecto, Vndè tam subijci, vt superiori, quam subijci, vt formæ, constituunt subiectum formale, idoneumque ad prædicationem formalem directam. *Indirecta* autem est, in qua prædictus ordo inuertitur, ita, vt subiectum sit superiùs, vel forma prædicati, quod se habeat, vt inferius, vel vt materia subiecti. Quarè hæ prædicationes formales, & directæ, *Homo est Animal*. *Plato est risibilis*, redduntur indirectè, si efferantur inuersè: *Animal est homo*. *Risibile est Plato*.

§. 15. Aduerte tamen, quamuis dicamus, Prædicatum in enuntiatione formali geri debere, vt formam; non ideò nos velle, vt se habeat vt pars, seu, vt res incompleta respectu subiecti, quinimmò potiùs implicite, & confusè debet includere totum subiectum; licèt ex modo prædicandi explicito instar formæ enuntietur: cum enim pars à comparte distinguatur necessariò, nequibit intellectus, partem esse compartem verè iudicare prædicatione formali, quæ vna ad Dialecticos attinet præcipuè.

§. 16. Dico primò. Concretum potest de concreto prædicatione formali directè enuntiari, siue id substantiale sit, siue accidentale. Admittitur ab omnibus; hæ enim prædicationes: *Homo est animal*, *Magister est Musicus*, formales sunt, cum prædicatum vnius sit ratio superior, & prædicatum alterius efferatur vt forma.

§. 17. Dico secundò. Concretum nec substantiale, nec accidentale prædicatur formaliter de abstractis, quarè hæ sunt falsæ: *Humanitas est homo*, *albedo est alba*. Ratio. Quia Concretum importat formam, & subiectum; abstractum verò solam formam: distinguuntur inadæquatè, seu vt includens ab incluso.

§. 18. Dico tertiò. Excipiuntur à communi præcedenti regula Concreta transcendentalia, quæ de suis abstractis formaliter prædicantur, vt *Entitas est ens*, *Vnitas est vna*. Rationem infra attingam. Item hæc prædicatio, *Quantitas est quanta* formalis est. Vulgò dicitur id soli Quantitati esse peculiare, quod de ipsa suum prædicetur concretum, reuera tamen non prædicatur *quantum* adiectiuum de suo abstracto, sed de quodam concreto substantiuo, quod vocum penuria dicitur Quantitas, eo modo, quo linea vsurpatur, tum pro abstracto, tum pro concreto. Ratio. Quia de Quantitate nunquam est verum dicere, quod sit habens seipsam. Vide Masium sect. 4. de Vniuers. quæst. 5.

§. 19. Dico quartò. Abstractum nec substantiale, nec accidentale prædicatur formaliter de suo concreto. Vndè hæ sunt falsæ: *Homo est humanitas*, *Album est albedo*. Ratio. Quia prædicatum non includit totum, quod est in subiecto, sed potiùs distinguitur inadæquatè ab illo. Abstractum enim solum præfert formam, concretum verò formam significat, & subiectum.

§. 20. Dico quintò. Abstracta Diuina, & Transcendentia possunt prædicari de suis concretis. Vndè hæ sunt veræ: *Deus est Deitas*, *Ens est Entitas*. Ratio desumitur ex infinitate entis Diuini, quod omnia (præter oppositum relatiuè) secum idemtificat, Et ex transcendentia, quæ nihil excludit, sed in omnibus essentialiter imbibitur.

§. 21. Dico sextò. Abstracta substantialia generica non prædicantur formaliter de abstractis differentiarum, benè tamen idemticè, hæ enim sunt falsæ in sensu formali: *Rationalitas est Anima-*

Animalitas, Hinnibilitas est sensibilitas. Quia tam Genus, quam Differentiæ subalternæ non sunt de conceptu infimarum, vt alibi dicemus; quamuis sint eadem res cum ipsis.

§. 22. Dico septimò. Abstracta superiora prędicantur formaliter de abstractis inferiorum, si sumantur vt abstracta abstractione totali, seu vniuersali; secus verò si præscindantur abstractione formali. Vndè hæc, *Humanitas est Animalitas*, erit vera: Quoniam etiamsi (vt Scotista contendit) Animalitas sit omninò præcisa à rationalitate, ac proindè rationem partis habeat sub ea præcisione formali; attamen hoc non obstat, quominùs respectu humanitatis, ac æquinitatis aliquali gaudeat potentialitate totius, de qua vide PP. Complutenses disput. 4. quęst. 4. §. 2.

§. 23. Dico octauò. Concreta secundæ intentionis prædicantur de Concretis primæ intentionis, sicut quodlibet accidens reale de suo subiecto; sic dicimus: *Homo est species, Animal est genus.*

§. 24. Dico nonò. Concreta secundæ intentionis prædicantur de abstractis primæ intentionis, vt *Animalitas est genus*, *Rationalitas est Differentia*. Minimè tamen prædicantur abstracta secundæ intentionis de abstractis, neque concretis primæ intentionis, quarè tam falsa est hæc: *Animalitas est genereitas*, quam illa: *Homo est specietas*.

§. 25. Dico decimò. Concreta secundæ intentionis prædicantur inter se non secus, ac concreta realia. Verè enim dicimus: *Genus est Vniuersale, Species est Vniuersale, &c.* Et tandem abstracta, & Concreta rationis inter se eadem ferè norma, proportioneque enuntianda sunt, ac realia prædicari tradidimus.

THEOREMA IV.

Caramuelis noua concretorum prædicationes reijciuntur.

§. 26. D. Ioannes Caramuel libro 6. Metalog. disput. 1. de Genere artic. 1. docet, omnem prędicationem esse veram ratione idemtitatis inter suppositum subiecti, & suppositum prædicati. Vndè hæc præpositio, *Animal est viuens*, si reducatur ad rigorem scholasticum (inquit ille) sic debet proferri: *Suppositum habens animalitatem est suppositum habens vitam*; ait insuper, suppositum esse id, quod in rectò dicunt concreta, tam substantialia, quam accidentalia, ac perpetuò, in prædicatione omnium quinque prædicabilium, non nisi suppositum de supposito prædicari, nulla facta distinctione reali, nec vel rationis inter prædicatum, & subiectum. Vndè qui enuntiat, *Homo est rationalis*, dicit: *Suppositum habens humanitatem est suppositum habens rationalitatem*. Et hæc, *Homo est albus*, sonat; *Suppositum habens humanitatem, est suppositum habens albedinem*. Et sic de cæteris omnibus. Similiter, & Genus post habita Porphyrij descriptione sic articulo primo definit: *Genus est suppositum, quod materialiter quidditatiuè prædicatur de pluribus differentibus specie.*

§. 27. Quod si obijcias, nullam fore distinctionem inter prædicata essentialia, & accidentalia, inter Genus, Speciem, Differentiam, &c. Occurrit ille, aiens, illud discrimen omninò desumendum esse ab obliquis, seu à formis habitis. Vndè hæc prædicatio: *Suppositum habens humanitatem est suppositum habens animalitatem*, erit Generica, quia obliquum illius, nempè animalitas est pars materialis subiecti; si verò obliquum fuerit pars formalis, erit prædicatio Differentiæ. Si autem obliquum prędicati contineat totum obliquum subiecti, erit specifica, si tandem obliquum prædicati sit totum respectu obliqui subiecti, erit prædicatio accidentalis.

§. 28. Verùm enim verò (quod pace tanti viri dictum volo) tota hæc doctrina non modo falsa est, sed verè obliqua, tortuosa, & Mæandrica, proindèque minimè philosophica. Nam quid opus habeo retorqueri ad obliquitates in hac directâ prædicatione, *Homo est animal*? Equidem si velim scire, an sit Generis, possum de ipso prædicato rectò *Animal* quærere via rectâ, an sit pars, vel totum sui subiecti *Homo*? quin priùs diuager ad hanc prædicationem: *Suppositum habens humanitatem, est suppositum habens animalitatem*, vt speculer, an obliquum prædicati sit pars obliqui subiecti, nec ne? Sanè prædictus Author quamuis fateatur, se abesse à communi sententia, tamen fundamenta sua ita secura esse dicit, vt sua resolutio despiciat rationes aduersarias. Verùm vel me iudice potiùs hæc animositas despicienda est: nam præter quàm quod eius doctrina multis peccat, quæ excutere non vacat, ob has modò rationes omninò reijcienda est.

§. 29. Primò. Quia si hæc propositio; *Homo est animal*, tantum est vera, quia obliqua, scilicet Humanitas, & Animalitas habent suppositum commune, seu idem: Ergo erit falsa in sensu formali, & tantum in idemtico vera. Probo consequentiam. Ideò hæc prædicatio, *Album est dulce*, tantum in sensu idemtico est vera, quia non verificatur ratione formarum in obliquo habitarum, sed ratione subiecti, seu suppositi communis; Sed in hac, *Homo est animal*, tota veritas pendet ex eo solum, quòd Humanitas, & Animalitas eodem, & communi gaudeant supposito: ergo non est vera in sensu formali: Ergo ad hoc vt illa prædicatio, *Homo est animal*, sit formalis, & directa, ac condistincta ab his, *album est dulce*, *Musicus est Logicus*, præter idemtitatem suppositi, alia admittenda est idemtitas inter terminos formales. Consequentia est perspicua; etenim in Arte syllogistica sicut nec in cæteris scientijs non intendunt Philosophi venari idemtitatem suppositorum, nec suppositum de supposito demonstrare.

§. 30. Secundò. Quia tota Philosophia antiquorum omninò ignorauit subsistentiam, nec Aristoteles, aut Porphyrius, quid esset sup-

positum audiuit vnquam; Fides enim Catholica ex Mysterio Trinitatis, & Incarnationis, nuper nos docuit, esse subsistentiam in rebus, vt omnes Doctores, Theologique fatentur: Ergo sine suppositis efformabat tota Philosophia suas prædicationes formales, & directas, quin Aristoteles,nec quiuis alius Dialecticus ad idemtitatem suppositorũ confugeret ad eas verificandas in tanta Scientiarum multitudine. Hinc vlteriùs infero: Ergo saltem nos, qui Aristotelem sequimur, Aristotelisque Dialecticam explanamus, eiusmodi Caramuelis obliquitates despicere debemus, vtpotè inutiles, impertinentesque ad istius Philosophi mentem, ac doctrinam assequendam.

§.31. Tertiò. Quia si Socrates haberet non equum, sed equinitatem abstractam ex hypothesi, quod Platonis existerent ideæ, hæc propositio vera, *Socrates habet equinitatem*, simul esset etiam falsa; quia æquipolleret huic: *Socrates est equus*, vtraque enim exponeretur à Caramuele sic: *Suppositum habens Socrateitatem est suppositum habens equinitatem*: Ergo non omnis verificatio prædicationum ab idemtitate suppositi habentis desumenda est; immò si formalis quæritur, ab idemtitate formarum est auspicanda.

DISSERTATIO XII.

Num Vniuersalis, in quinque Prædicabilia diuisio exacta sit?

§.1. SI *Prædicabile*, vsurpetur pro omni re, quæ prædicari quoquo modo potest, latissimè vagatur: immò nihil erit, quod prædicabile non sit in ea amplitudine; non modò enim nomina Transcendentia, æquiuoca, & analoga prædicata esse possunt, sed & ipsa indiuidua. At Porphyrius, non nisi *de Prædicabili*, quod cum vniuersali recurrit vt passio sermonem instituit. Quare Porphyrianum Prædicabile, est *vnum in multis*, sicut vniuersale est *vnum in multis*. Si autem vnum est, simplex debet esse, vnitatemque præferre tam in essendo, quàm in significando. Vndè nec complexum potest esse, nec Analogum, aut Æquiuocum. Complexa enim plura significant, vt *homo albus*; *Animal rationale*, Analoga item, æquiuocaque non nisi nomine sunt vnum; procul ergo hæc à Prædicabili vniuoco, atque vniuersali ablegãda sunt, vt omnes Doctores communiter tradunt, resque erat adeò facilis explicatu, vt paucis lineis illam absoluerem;nisi quidam neoterici (inter quos Caramuel, & Sebast. Izquierdo) cornici (vt aiunt) oculos configere præsumerent. Verùm hos, suique similes, qui nullo vrgente argumento ducti Porphyrium cæcutiuisse affirmant, atque doctiores illo, perspicatioresque se esse gloriantur, potiùs rideat prudens Lector.

§.2. Principio. Porphyrius nec voluit, nec promissit explicare hoc libello Prædicabile in tota sua amplitudine sumptum, nec de omnigeno prædicato se tractaturum professus est; sed tantum explicauit Chrysaorio discipulo, quid sit Genus, quid species, Differentia, Proprium, & Accidens, vt horum notitia instructus ille Cathegorias Aristotelis inoffenso pede percurreret, ita quidem modestè, vt nec ea numerarit, neque ea esse quinque, vel duo, atque tria determinauerit. Ipsum audi: *Cum sit necessarium Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam nosse, quid sit Genus, quid Differentia, quid species, quid Proprium, & quid Accidens . . . . . compendiosam tibi traditionem faciens tentabo breuiter velut introductionis modo ea, quæ ab antiquis dicta sunt aggredi, &c.*

§.3. Hinc infero, errare eos omnes, qui si aliquod prædicatum incurrant, quod sibi videatur, non esse ex quinque vniuersalibus, illicò affirmant, Porphyrium diminutum fuisse, Porphyrium Prædicabile ignorasse, aliisque huiusmodi nugis chartas inspergunt; cùm tamen ex proposito Philosophi, satis constet, se non omne, quod prædicatum esse potest, enarrandum suscepisse. Et vt benè notat Caietanus, *non est arguendus Porphyrius si ea, quæ non promissit, non seruauit.*

§.4. Constat etiam, Porphyrium hoc ipso opusculo aliqua prædicabilia memorasse præter quinque supra numerata. Primò indiuidua, ait enim cap.1. *Eorum enim quæ prædicantur, aliqua quidem de vno dicuntur solo, sicut indiuidua, &c.* Secundò. Cap. de Specie licèt non neget Ens prædicari, seu esse prædicabile de omnibus entibus, negat tamen esse Genus, quia non prædicatur vniuocè: *Et si omnia* (inquit) *quis entia vocet, æquiuocè nuncupabit, non vniuocè.* Tertiò constat, Porphyrium prædicationes indirectas exclusisse,non ignorasse. Constat tandem prædicabilia admisisse *æqualia*, id est subiecto non latiùs patentia, vt sunt Differentia, & Proprium respectu speciei, & è contrario, vtrumque expressit inibi: *Prædicantur* (inquit) *omnia superiora de inferioribus: species autem neque de proximo sibi genere, neque de superioribus, neque enim conuertitur.* (Ecce excludit prædicationes indirectas). *Oportet enim, aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de Equo, aut maiora de minoribus, vt animal de homine; minora verò de maioribus minimè.*

§.5. Cæterum Porphyrij diuisio non est in prædicata, sed in modos prædicandi, vt benè notauit Scotus; nam quamuis Prædicabile dicamus in concreto,tamen rigore Dialectico non nisi secunda intentio prædicabilitatis in ea membra distribuitur, seu vt rectiùs loquar, Prædicata materialia non multiplicantur, nisi ad varietatem modorum prædicationis, quibus afficiuntur. Nam si prædicata spectes iuxta diuersos modos essendi, decem Aristotelis numerabis Prædicamenta; non igitur promiscuè modi prædicandi, cum modis essendi debent glomerari.

THEOREMA I.

Communis sententia de quintuplici Prædicabili ex mente D. Thomæ, & ratione probatur.

§. 6. Thesis. Diuisio Porphyriana Prædicabilis in quinque vulgatas species exacta est, adeò, vt nec plura, nec pauciora membra vniuersalitatis vniuocæ excogitari valeant, quæ ad illas, optimè reduci non possint. Ita communiter Peripatetici omnes, S. Thomas, Scotus, ac vtriusque Scholæ sectatores. De mente autem Sancti Doctoris constat primo contra Gentes cap. 32. vbi probat, nullum prædicatum posse de Deo, ac creaturis vniuocè prædicari, hoc syllogismo: *Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur, vel est Genus, vel est species, vel Differentia, vel Accidens, aut Proprium; de Deo autem nihil prædicatur, vt genus, vt supra ostensum est, & similiter, neque vt Differentia, nec etiam, vt species, quæ ex genere, & Differentia constituitur, nec aliquid ei accidere potest, vt supra demonstratum est: & ita nihil de Deo prædicatur, neque vt accidens, neque vt proprium, nam proprium de genere accidentium est: relinquitur igitur nihil de Deo, & rebus alijs vniuocè prædicari.* Si huius argumentationis consequentia valet, proculdubio Maior supponitur à Sancto Doctore; vt certa, & indubia; etenim si aliud prædicabile vniuocum possibile esset præter enumerata quinque, Maior esset falsa, & consequentia nulla.

§. 7. Probatur ratione Thomistica. Vniuersale, quod prædicatur de aliquo, vel essentialiter, vel accidentariò prædicatur. Si essentialiter, vel tanquam tota essentia rei, & sic est *Species*, vel tanquam pars essentiæ; & quidem, vel vt pars contrahibilis respondens potentiæ, & est *Genus*: vel vt pars constitutiua respondens actui, estque *Differentia*. Iam verò quod accidentaliter prædicatur, aut per se, & necessariò prædicatur, quod *Proprium est*; vel contingenter, quod est *Accidens*; Sed nullus restat excogitabilis modus prædicandi, qui in prædictos non recidat: ergo non sunt, nec esse possunt, nisi quinque prædicti. Minor est certissima. Quia eiusmodi membrorum distributio fit per rationes contradictorias, vt esse essentiale, & non esse essentiale, esse completum, & non esse completum, necessarium, & non necessarium: inter quæ non est assignabile medium; fit etiam ista diuisio iuxta Metaphysicas, primasque diuisiones Entis, quod in Actum, & Potentiam, in Substantiam, & Accidens primò, & adæquatè dispertitur ex Aristot. 7. Metaphys. Igitur quicumque excogitetur prædicandi modus, certè essentialis erit, vel Accidentalis, completus, vel incompletus, necessarius, vel contingens.

§. 8. Non multum dissimiliter probat Scotus quæst. 6. vniuersalium. [Prædicari (inquit ille) *diuiditur* in prædicari in quid, & in quale tanquam in Differentias per se. Prædicari in quid, quod est prædicare essentiam per modum essentiæ, id est per modum subsistentis, & non denominantis contingit dupliciter, vel quod prædicet totam essentiam subiecti, & sic est *Species*. Si verò partem essentiæ, est, *Genus*. Prædicari in quale est prædicari per modum denominantis, quod contingit dupliciter, vel quod prædicet subiecti essentiam per modum denominantis, & tunc prædicatur in quale substantiale, seu essentiale, & sic est *Differentia*; vel quod prædicet accidens per modum denominantis, & tunc prædicatur in quale accidentale, vel ergo prædicat accidens conuertibile egrediens à principijs subiecti, & sic est *Proprium*; vel accidens commune, & sic est *vltimum vniuersale*.] Hactenus ille.

THEOREMA II.

Ioan. Caramuelis, & Sebastiani Izquierdi prædicabilia noua difflantur.

§. 9. D. Ioan. Caramuel Metalog. lib. 6. num. 716. docet, Porphyrium diminutè processisse in Prædicabilium numero determinando; quarè diuidit Prædicabilia in *Logica*, *Physica*, *Integralia*, & *Metaphysica*, Prædicabilia Logica ait, esse tredecim: Physica, viginti quatuor. Integralia quatuor, & Metaphysica: omnia simul quadraginta sex, ita ille num. 725.

§. 10. Sebastianus Izquierdo in sua Pharo disput. 17. quæst. 7. num. 722. eàdem præditus consoria virga pronuntiat, planè concludi, Porphyrium, & asseclas eius insufficienter hactenus, & diminutè in quinque dumtaxat species prædicabile diuisisse, cum apud suam penum non sint, nisi triginta omninò prædicata, seu prædicabilia; Decem quidem *essentialia*, & viginti *accidentalia*, præter alia plura, quæ multiplicari possunt, si propria passio diuidatur, iuxta necessitatis diuisionem in *Physicam*, *Metaphysicam*, & *Moralem*, &c. Age ergo, & has nouas merces iam inspiciamus.

Tredecim prædicabilia Logica Caramuelis.

§. 11. Diuidit ille prædicationem Logicam in Identicam, Adæquatam, Inadæquatam, & Condistinctam, & earum sic texit numerum. *Prima* est Identica, vt *Homo est homo*. Secunda est directa prædicatio Definitionis, vt *Animal est viuens sensibile*. Tertia est Definitionis indirecta, vt *Viuens sensibile est animal*. Quarta est specifica directa, vt *Hic homo est homo*. Quinta est specifica indirecta, vt *Homo est Petrus*. Sexta est Generica, vt *Animal est viuens*. Septima est Differentialis directa conuertibilis, vt *Animal est sensibile*. Octaua est Differentialis directa non conuertibilis, vt *Hoc animal est sensibile*. Nona est Generica indirecta, vt *Viuens est Animal*. Vndecima Differentialis indirecta non conuertibilis, vt *Sensibile est hoc animal*. Duodecima est Condistincta directa, id est Differentiæ de Genere, vt *Viuens est sensibile*.

Ex tot Prædicabilibus (inquit Caramuel) non cognouit Porphyrius nisi sextum, & octauum, & fortè septimum.

Reli-

Reliqua Prædicabilia XXXIII.

§. 12. PRædicabilia Physica, quæ materiam, & formam significant similiter diuidit ille per prædicationes Adæquatam, Inadæquatam, & Condistinctam, Idemticas, directas, Indirectas, &c. Prima est Idemtica, vt *Constans corpore, & animo constat corpore, & animo*. Secunda est Definitio directa, *vt Homo est constans corpore, & animo rationali*. Tertia est Indirecta, vt *Constans corpore, & animo rationali est homo*, & sic subindè vsque ad viginti quatuor prædicationes prosequitur, quas ne rebus tam fribolis Lectorem tædio afficiam, lubens omitto.

§. 13. Prædicabilia Integralia, quæ significant corporis membra eodem tenore discriminat penes prædicationes, quarum Prima est Idemtica adæquata, vt *Habens caput habet caput*. Secunda est Idemtica inadæquata, vt *Habens caput, & manus, habet caput, &c.* quas etiam omitto.

§. 14. Prædicabilia Metaphysica, quæ significant naturam, & suppositum quinque etiam numerantur, quorum *prima* prędicatio est Idemtica, *Habens humanitatem habet humanitatem*. Secunda est directa, vt *Homo est habens humanitatem*, & aliæ eiusdem farinæ.

Izquierdi Prædicabilia triginta.

§. 15. DIuidit Scriptor hic Prædicabilia primò in essentialia, & accidentalia. Essentialia ait esse quinque, videlicet Genus, Species, Differentia, Definitio (*quam appellat Prædicabile Mixtum*), & Prædicatum Anonymum; atque hoc quidem Prędicabile verè Anonymum, & incognitum est, quippè quod nec à suo authore cognoscitur, non enim illud explicat, nec vllum illius proferre exemplum audet, sed Lectorem per nescio quas concretionum ambages iubet exemplum quærere; sed quis (rogo) inueniat, aut cognoscat illud Poetæ *truncum, & sine nomine corpus?*

§. 16. Rursus hæc quinque Prædicata geminanda sunt; quia cum prædicatum essentiale, vel Metaphysicum sit, vel Physicum, si vnumquodque eorum in ea duo membra diuidas, decem numerabis essentialia prædicata. Accidentalia autem primò in duas distribuit partes, nempè in necessaria, & contingentia, quæ diuisio Herculea quidem mihi videtur, cum deindè ex ea viginti Prædicabilium seges pullulet copiosa, quasi ex Hydreæ exectò collo capita progerminent. Sed iam ea missa facio. Ecce amice Lector Prædicabilia, quæ apud inopem Porphyrium, & mendicantes Aquinatem, & Scotum quinque dumtaxat erant; Caramuele adinuentore quadraginta sex numerantur, & apud Izquierdum plusquam triginta. O sæculum verè aureum, & prædicabilium omninò ferax!

§. 17. Sed vt verum fatear, plus Iudicij in his Authoribus desidero, nec ferre possum sententiam illam Caramuele indignam, qua pronunciauit, Porphyrium ignorasse tredecim isthæc prædicabilia; vno, vel altero excepto. Ast me hercle rem quidem grandem ignorauit ille, videlicet Prædicabile Idemticum, quod primò loco statuitur à Caramuele in illa enuntiatione, *Homo est homo, Petrus est Petrus*. Indirectas autem prædicationes data opera exposuit ille, aiens, *Minora de maioribus, minimè prædicanda*, vt supra §.4. monstraui: non ergo ignorauit. Sed quid si ostendero, homines hos potiùs diminutè processisse, atque insufficienter Prædicabilia in triginta, vel quadraginta species dumtaxat diuisisse? Faxo planè. Nam si eorum ratiocinio standum sit, plusquam quingenta illis ad numerabo.

§. 18. Primò Caramuel, qui tredecim illas prædicationes Logicas recensuit tantum in Materia necessaria, curtè quidem id præstitit; omisit enim Materiam remotam, seu impossibilem, in qua omnes prædicationes negatiuæ sunt veræ, vt *Equus non est lapis, Homo non est Leo*, præter idemticam, quæ falsa est, vt *Equus non est equus*, qua in materia aliæ tredecim potuerunt fabricari directæ, & indirectæ Genericæ, Differentialesque, vt *Leo non est insensibilis, Hoc insensibile non est Leo, &c.*

§. 19. In materia comitatiua omisit etiam alias prædicationes qualis illa est, *Generatio vnius est corruptio alterius, Finis Decembris est initium Ianuarij, &c.*

§. 20. Insuper sicut diuisit Prædicabile in Logicum, Physicum, Integrale, & Metaphysicum, poterat adijcere Artificiale, Morale, Intentionale, &c. Nam vt cætera omittam, sicut Physicum multiplicauit ratione partium Physicarum, potuit, & Artificiale diuidere in varias species ratione causarum. Primò ex Artificè, vt *Statuam esse Phidiacam*. Secundò ex fine, vt esse *Capitolinam*. Tertiò ex materia, vt *esse marmoream*. Quartò ex forma, vt *esse Mineruam*. Nec enim materia, & forma artefactorum recidunt in Materiam, & Formam substantiales Entis physici. Subindèque ex his quatuor prædicabilibus formarentur aliæ tredecim prædicationes directæ, & indirectæ, conuertibiles, non conuertibiles, &c. sicuti ex quatuor tantum prædicatis Logicis, nempè Genere, Differentia, Specie, & Definitione illas tredecim composuit ipse.

§. 21. Iam verò Ens Morale in non paucas prædicationes enunciandum venit, videlicet ratione Legis, ratione Libertatis, Personæ, Circumstantiæ, &c. Ex hisque multæ etiam idemticæ, adæquatæ, inadæquatæ conuertibiles, &c.

§. 22. Inter prædicabilia Integralia, nonnisi corporis organici membra constituit, at cur partes tot animæ prætermisit? Cur totum illum Orbem Ordinis *Intentionalis* non memorauit? in quo etiam efferri possunt prædicationes multæ, qualis illa est directa, *Intellectus intelligens Leonem est Leo*, & altera indirecta, *Leo est intellectus intelligens Leonem, &c.*

§. 23. Prædicabile Metaphysicum reposuit etiam mutilum; non enim tantum ex natura, & supposito prædicationes fieri solent Metaphy-

physicæ, sed etiam ex prædicatis Transcendentalibus, quæ Caramuel omissit, vt *Ens, Res, Aliquid*; tùm substantiuè, tùm adiectiuè considératis, de quibus mutuò enunciatur, *Verum, Bonum, Vnum*, directè, indirectè, conuertibiliter, &c. quando quidem passiones huiusmodi non pertinent ad quartam Porphyrij classem, cum transcendentales sint.

§. 24. Omissit similiter Izquierdus Prædicata Modalia, quæ nec accidentia sunt, nec passiones, vt *Materiam esse vnitam, Formam esse receptam*. Omissit prædicata Denominatiua, vt *Columnam esse dextram*. Priuatiua, *vt Socratem esse surdum*. Hypostatica, vt *Hircum esse Ceruum. Hominem esse Deum*. Equiuoca, vt *Sydus esse canem*. Analoga, vt *Pratum esse ridens*. Singularia vaga, vt *Petrum esse aliquem hominem*, quæ omnia, & plura, quæ iam missa facimus Caramuelis, & Izquierdi solertissimam subterfugere calculationem.

§. 25. Secundò. Quia nullo alio fundamento nititur Caramuel, ad confingenda tredecim prædicabilia Logica, nisi, quod tredecim faciat prædicationes diuersas. In quibus, vt vides, quatuor dumtaxat prædicata enumerantur, nempè *Viuens, Animal, Sensibile, & Homo*. quæ ita variè, directè, & indirectè versat ille, vt prædictas tredecim efformet prædicationes. Atqui si sola hæc prædicationum multiplicitas diuersificaret prædicabilia, non solùm tredecim, sed multò plura possent accrescere: ergo diminutus ille, parcusque censendus est, qui tam pauca excogitauit. Probo minorem. Sumantur Prædicabilia Porphyriana quinque, addito Indiuiduo vago, quod multorum sententia sextum Prædicabile computatur. Et quiuis poterit ea toties inuicem conferre, variare, tum subijciendo, tum prædicando, ordinem, situmque enuntiationis inter se commutando, vt septingentas, & viginti prædicationes diuersas conficiat; Sed per te prædicationum sola varietas multiplicat prædicabilia; quantumuis prædicata non nisi quatuor sint: Ergo septingenta viginti Prædicabilia poterant è quinque, atque vno Indiuiduo propagari. Consequentia est bona. Minor est doctrina ipsius Caramuelis. Maior demonstratur ab Arithmeticis, qui sex calculos exempli gratia A.B.C.D.E.F. toties inter se variant, situm eorum commutantes, diuersaque eos collocatione combinantes, vt septingenties vicies ordinem mutare ostendant. Hoc modo,

a. b. c. d. e. f.	a. c. b. d. e. f.	a. d. b. c. e. f.
a. e. b. c. d. f.	a. f. b. c. d. e.	b. a. c. d. e. f.
b. c. a. d. e. f.	b. d. a. c. e. f.	a. b. c. d. f. e.
a. c. b. d. e. f.	a. e. b. c. f. d.	a. f. b. c. e. d.
b. a. c. d. f. e.	b. c. a. d. f. e.	b. d. a. c. f. e.
a. b. c. e. d. f.	a. c. b. d. e. f.	

& sic deinceps vsque ad 720. mutationes, quas omnes videris apud Henricum Engelgraue Lucis Euangel. tomo 1. emblem. 37. §. 1. statuatur ergo *Animal* pro A. *Homo* pro B. *Rationale* pro C. *Risibile* pro D. *Album* pro E. *Aliquis homo* pro F. eaque toties nunc prædicando, nunc subijciendo inter se commutabis, & ad supra dictum numerum prædicationes prouehantur.

§. 26. Tertiò. Quia ratio Caramuelis nullius momenti est: Si enim ad formam syllogisticam redigatur, ita habet. Quot sunt prædicationes Logicæ tot sunt Prædicabilia; at prædicationes tredecim fiunt: ergo tredecim sunt prędicabilia. Vtraque præmissa est falsa: Maior, quia multitudo materialis prædicationum non diuersificat modos formales, ac directos prædicatorum. Minor etiam est falsa quia eius modi materiales variationes prædicatorum non modo tredecim, sed septingenta, & viginti possunt esse.

§. 27. Hinc apparet, hos Authores vehementer fuisse hallucinatos. Caramuel enim ex materiali numero prędicationum indirectarum prædicabilia multiplicauit: Izquierdus autem diuisit illa non iuxta modos prædicandi formales, vt par erat, sed iuxta ipsam varietatem prædicatorum secundum se, quæ innumera sunt. Quod si ea omnia ad quinque prædictos modos prædicandi redigere voluissent illi, & potuissent, optimè, & ingeniosiùs, laudabilius que præstitissent.

THEOREMA III.

Cætera argumenta Prædicabilium numerum impugnantia enodantur.

§. 28. OBijcies primo. Ens est prædicabile de multis: & tamen hic non adnumeratur: ergo diuisio hæc adæquata non est. Respondeo: concesso antecedente; nego consequentiam, cuius rationem apertè exibuit ipsemet Prophyrius supra §. 4. citatus, nosque Cap. de genere vberius expendemus.

§. 29. Obijcies secundo. Datur prædicabile mixtum, quod quidem constat ex parte essentiali contrahibili, & parte essentiali contractiua, nempè ex genere, & differentia, vt animal rationale, quæ definitio hominis est: Ergo plura sunt prædicabilia.

§. 30. Dices, definitionem non esse diuersum prædicabile à genere, & differentia; seu esse terminum complexum ex vtroque. Sed contra primo instat Izquierdus. Quia essentia coalescens ex partibus inter se diuersis, ipsa ab illis specificè diuersa est; Sed hoc Prædicabile essentia quædam est coalescens ex mixtione prædicabilium specificè inter se distinctorum: igitur ab eorum singulis specificè distinctum est. Contra secundo instat Auersa. Quia multa prædicabilia possunt per terminos complexos, aut incomplexos designari: ergo non debent excludi à prædicabilibus termini complexi.

§. 31. Respondeo: Caietanum iam pridem asser-

asseruisse, definitionem speciale constituere prædicabile, sicut & indiuiduum vagum, nec tamen inde sequi (inquit ipse(Porphyrium insufficienter processisse, cum non sibi statuerit de omnibus tractare prædicabilibus: quæ doctrina si traditur iuxta ea, quæ nos supra notauimus §. 1. 2. & 3. vera est, Ad argumentum autem rectè responsum est, Ad primam instantiam data maiore; nego minorem: non enim ex homine, & Leone tertia conflari potest species, nec quælibet rerum aggregatio, seu coniunctio statim censenda est intrinseca compositio; aliàs homo equitans fieret Hyppocentaurus illicò. Quòd si species est prædicabile compositum ex genere, & differentia, eius modi vnitas, seu idemtificatio partium significatur nomine etiam vno, at hoc incomplexo, quo ad rem significatam, id, quod & ad secundam instantiam responsum esto. Non enim excludimus vt putat Auersa, terminos complexos voce; sed complexos re, aut significatione, vt benè notauit Poncius, addens, non posse dari instantiam contra hoc.

§. 32. Definitio ergo plura præfefert significata, maximè si fiat coaceruatione plurium differentiarum. Nam vt nos docuit Aristoteles 2. Analyticorum cap. 14. Eo vsque sunt assumendæ dum sub alternæ sunt (non enim infimæ præsto suppetunt, vt cap. de differentia vberius monstrabo) quo vsque illarum collectione fiat, vt quamuis quælibet pluribus competat, omnes tamen non nisi vni definito conuenire possint. Sic apud Aristotelem definitur homo est *animal rationale mortale*. Et sic: *Substantia corporea animata rationalis mortalis*, ex 2. Topicorum in quibus genus, & multæ differentiæ orationem efficiunt omnino complexam. Adde quod, & ipsa definitio *Prædicabilis mixti*, tradita ab Izquierdo constat ex vno genere, & sex differentijs. Ecce; *Est prædicabile de multis vt pars essentialis eorum communis, per aliam partem contrahibilis simul, & contractiua alius*. In qua si aduertas ly Prædicabile erit genus, in quo teste ipso Porphyrio cap. de genere conueniunt quæ de multis, & quæ de vno prædicantur, deinde ly *de multis* est prima differentia; *vt pars* secunda; *Essentiæ eorum* tertia; *Communis* Quarta: per *aliam partem contrahibilis*, Quinta: *simul, & contractiua alius* Sexta; Ergo ex ipsomet Izquierdo hoc prædicabile mixtum non modò componi debet ex genere, & differentia, sed ex genere, & decem, vel viginti differentijs, si totidem necessariæ sunt ad coarctandum, seu determinandum genus. Quod si eius modi aceruì inter prædicabilia admittantur, non modò ex genere, & differentia fiet mixtum prædicabile, sed ex omnibus reliquis simul prædicabilibus aliud consurget monstrum; possum enim sic de homine enuntiare; *Homo est animal rationale risibile bipes*.

§. 33. Obijcies tertio. Hæc prædicatio *Petrus est persona humana* est vniuersalis, non tamen pertinet ad prædicabilia, Dices pertinere ad quartum; quia Personalitas est passio essentiæ, Sed contra insurgit Arriaga: quia personalitas includitur in conceptu Petri, qui ex natura, & personalitate essentialiter constituitur; ergo de illo prædicatur in quid; tametsi in hac prædicatione *Natura est personata* enuntietur vt passio de natura. Quare ille respondet primo, Porphyrium ignorasse personalitatem, ideoque pro illa aliud prædicabile non constituisse. Secundo, prędicationem *Petrus est persona* reduci ad genus: quod si dicatur; *Petrus est persona humana* esse mixtam, debereque excludi, sicut excluditur illa *Petrus est animal rationale*. Nam *Persona* prædicatur inquid vt animal, & *humana* in quale vt rationale.

§. 34. Respondeo, illam prædicationem non esse vniuersalis, sed indiuidui. Nam cum persona (definitore Boethio) sit *Rationalis naturæ indiuidua substantia*, ad illam classem spectabit hæc prædicatio *Petrus est persona*, ad quam spectat hęc: *Petrus est singularis, Petrus est quidam homo*. Vnde miror, aliquos esse tam sollicitos vt reducant personam, & etiam indiuiduum vagum ad aliquod ex Porphyrianis prædicabilibus, cum tamen Porphyrius non nisi prædicabilia recensuerit vniuersalia: prædicatio autem indiuidui minimè est vniuersalis. Igitur fateor, illam prædicationem ad nullius prædicabilis vniuersalis classem spectare, nec si Porphyrius agnouisset personalitatem, ideo diuersum prædicabile statuturus fuisset pro illa, vt perperam diuinat Arriaga, sicut nec statuit ad prædicationes indiuidui vagi, quod sanè ille non ignorauit. Reijciendæ ergo sunt eiusmodi reductiones, mixtiones &c.

§. 35. Obijcies quarto. Hæc prædicatio *Deus est homo* non est generis vt patet, nec speciei, quia prædicatio speciei est necessaria, & æternæ veritatis; Humanitas autem Deo conuenit in tempore; Sed nec propium illa est, cum non oriatur à Deitate, nec accidens, quia est substantia; ergo ad nullum Prophyrij prædicabilium spectat, ac proinde eiusmodi diuisio manca est: Ergo vel ad istius modi prędicationes admittenda sunt alia quinque prædicabilia noua, quæ non nulli *assumptiua* vocant, vel saltem vnum, quod prædicabile sextum constituat, vt placet Lynceo.

§. 36. Respondeo: Hanc prædicationem *Deus est homo* esse speciei de suo indiuiduo, qualis hæc est: *Iesus est homo, Petrus est homo*. Vt docet S. Thomas 3. p. q. 16. art. 1. Nam semel supposita veritate Catholica Incarnationis Dominicæ, ly *Deus* supponit pro Hypostasi naturæ humanæ, eo quòd ratione prædicati restringitur non solum ad personam verbi, quæ sola humanitatem assumpsit, sed etiam ad hunc hominem, nempè *Christum*. Species autem humana vniuocè prædicatur de sua hypostasi: quapropter illa propositio etsi non quo ad significatum; tamen quoad suppositum per nomen subiecti necessaria est; nec refert, quod Deus absolutè non sit necessario homo: nam in eâ propositione ly *Deus* non sumitur absolutè pro omni, quod Deus est, sed pro personâ Verbi incarnati, quæ humana est, persona autem humana necessario est homo, Vide Caietanum, qui loco supra indicato 3. p. contra Scotum, & Durandum remscitè, subtiliterque differit, & M. Ioan. à S. Tho. ibidem dubio vnico à num. 16. &c.

Obij-

§. 37. Obijcies quinto. Datur duplex prædicabile differentiæ, nam differentia subalterna differt ab infima tanquam à distincto prædicabili: ergo plura sunt prædicabilia. Probatur antecedens: Ideo genus, & species constituunt distincta prædicabilia, quia licet vtrumque prædicetur in *Quid*; tamen genus prædicatur de multis differentibus specie, species vero, de multis differentibus numero; Sed etiamsi differentia subalterna, & infima prædicetur in *Quale*; tamen subalterna prædicatur de multis differentibus specie, vt *Sensibile* de Homine, & Bellua, & infima de multis solo numero differentibus, vt *Risibile* de Socrate, & Platone: ergo non minus differunt, quàm genus, & species.

§. 38. Dices, genus, & speciem diuersa constituere prædicabilia ex diuersitate modi prædicandi: genus enim prædicatur incompletè, contrahibiliter, & quasi pars essentiæ; at species completè, & vt totalis essentia: quod discrimen non est inter differentiam subalternam, & infimam, cum vtraque prædicetur per modum formæ qualificantis, & incompletæ. Sed contra. Quia Porphyrius diuersificat prædicabilia per terminos, vt eius literam intuenti patebit: & quidem rectè, nam relatiua non nisi per suos terminos distinguuntur; Sed genus, & species sunt prædicabilia relatiua: ergo eorum distinctio ex diuersitate terminorum capienda est, & non ex modo prædicandi: Quod si semel sufficiat diuersitas terminorum, nempè generica, vel specifica, seu numerica, eodem iure multiplicandum veniet genus in subalternum, & infimum, & propium etiam in subalternum, & infimum, eruntque iam octo prædicabilia.

§. 39. Respondeo, ad argumentum rectè responsum fuisse: Ad instantiam verò aio, Porphyrium non distinguere genus à specie per terminos præcise sumptos, sed adiuncto tali modo prædicandi, ex quibus tanquam ex ratione fundandi, & termino, eorũ distinctio desumenda est.

§. 40. Obijcies sexto. Has prædicationes *Animal est rationale, Petus est aliquis homo, Homo est existens* esse prædicatorum vniuersalium, quæ in Porphyriana diuisione desiderantur. Respondeo, primam esse de numero indirectarum, quas Porphyrius exclusit, vt monui §. 2. At reduci posse ad quintum prædicabile: nam animali accidit esse rationale, sicut parieti esse album. Secundam esse indiuidui vagi, quod vt iam dixi vniuersale non est. Tertiam dico esse analogi, vt suo loco explicabitur, quare neutrum inter prædicabilia admittitur. Reliqua argumenta videas apud alios.

§. 41. Quæret quis, an hæc diuisio sit immediata? Communior sententia negat. Nam vniuersale priùs diuiditur in essentiale, & accidentale, deinde essentiale secatur in genus, speciem, & differentiam. Accidentale verò in proprium, & accidens. Vel aliter diuiditur in prædicabile in *Quid*, & in *Quale*; & medium, quod sit *Quale quid*, hoc vltimum est differentia: secundum diuiditur in propium, & accidens, & primum in genus, & speciem. Hæc est probabilior; nec tamen sua caret probabilitate sententia affirmans iuxta quam dicitur, essentiale, & accidentale; (quæ dicuntur mediare vt genera primo diuidentia prædicabile vt sic) videri quidem, sed verè non esse genera, sed modos transcendentales, qui nequeunt constituere genera, nec esse differentiæ contractiuæ prædicabilis vt sic. Tum quia imbibuntur in vltimis differentijs prædicabilium. Tum etiam quia competunt rebus quoque non vniuersalibus: hæc enim prædicatio *Petrus est hic homo* essentialis est, & hæc *Petrus est hoc album* est accidentalis: Ergo essentiale, & accidentale non sunt differentiæ per se contractiuæ vniuersalis vt sic, nec constituunt illa duo genera immediata, quæ interponi dicuntur inter Prædicabile vt sic, & quinque vulgatas species. Sic M. Zerna disput. 3. sect. 1. artic. 3. M. Ioan. à S. Tho. quæst. 6. articulo 2. & alij.

CAPVT PRIMVM

DE GENERE

Synopsis ad literam Porphyrij.

D. Boethio interprete.

TEXTVS. *Videntur autem neque Genus, neque species simpliciter dici: Genus enim dicitur, & aliquorum quodam modo se habentium, &c.*

I. Hoc primo capite Porphyrius tria pręstat: Primo varias generis notiones enumerat. Secundo: Genus Philosophicum describit. Tertio: ea, in quibus genus cum cæteris prædicabilibus conuenit; & in quibus item ab ipsis discriminatur, sedulò recenset. Quo ad primum aliquas explicat generis acceptiones, quarum prima collectionem hominum significat habitudine quadam societatis, vel cognationis ad vnum pertinentium. Sic Hebræi genus Abrahæ, sic Itali genus dicuntur Iouis, vt apud Poetam 1. Æneidos.

Quis Genus Æneadum, Troiæ quis nesciat Vrbem?

II. Super hanc Porphyriani generis notionem scholiatur M. Iauellus: Quod genus sic dictum inter alia requirit in primis esse multitudinem aggregatam. Vnde neque vnus homo, neque duo, neque tres tantum constituerent hoc genus ciuiliter: quod certum est, & annotauit etiam M. Masius: addit autem hic in scholio obseruat. 5. *Vnde impropiè vna sola persona dici potest genus, & ita raro pro vna persona legitur apud probatos Authores, nisi apud Virgilium.*

Ipsumque Æacidem genus armi potentis Achilli.

Ast licet fatear, Virgilium genus passim pro singulari vsurpare persona, vt

Deiphobe armipotens genus alto à sanguine Teueri.

Item infra: *Augustus Cæsar Diuum genus*, & alia sexcenta: alios tamen potuit memorare probatos Masius Authores, vt Horatium lib. 1. ode 3. *Audax Iapiti genus* de Prometheo, & Satyra 6. lib. 1. *Contra Læuinum Valeri genus.* Tibullum libro 4. de Circe: *Quamuis illa foret genus Solis.* Proper-

tium libro 2. *Qualis, & Ischomache Lapitæ genus heroine*. Catullum in Epitalam. *Collis ò Heliconii cultor, Vraniæ genus*. Senecam in Hercule furente de somno.

——Tuque ò domitor
Somne laborum requies animi
Pars humanæ melior vitæ
Volucer matris Genus Astreæ &c.

Item in Herculæ Oetæo. *Tangens Pieriam Chelyn Orpheus Calliopæ genus*. Nec non & in Agamemnone *Regina Danaum, & inclytum Ledæ genus*. Apud Christianos Vates prudentius in Hymno de natali Iesu.

Emerge ducis pusio
Quem maris edet castitas
Parens, & expers coniugis
Mediator, & duplex Genus.

S. Gregorius Nazianzenus carm. de Christo patiente colum. 16. *O stupendum nobilis mentis Genus*. Venantius lib. 8. Hymno 5. *Spiritus, atque caro caro Christus vtrumque genus*. Mitto plures. Igitur non raro Genus pro vna persona effertur apud probatos Authores, vt Masius adnotabat. Quid ergo? reprehendendus ne ipse? minimè; sed benignè explicandus. Citati equidem Authores poeticè, loquuntur; at verò Genus (vt clarius vno verbo expressit Iauellus) politicè, & ciuiliter non nisi pro multis ab eadem propagine deriuatis vsurpatur, id voluit certè Masius.

III. Secunda generis notio est Principium alicuius genituræ, siue sit locus natiuitatis, qualiter Pindarum dicimus genere Thebanum, pro patria videlicet: siue sit genitor ipse, ac Parens, quo pacto Orestes à Tantalo genus ducere dicitur: sic & Vates 12. operis Diuini.

Cui genus à proauis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis ——

IV. Hæc de primo. Quo ad secundum: Generis Philosophici definitionem exponit, idque docet esse: *Quod de pluribus, & differentibus specie in eo quod quid sit, prædicatur*, vt *animal*, quod scilicet de homine, ac Leone prædicatur; & hæc est tertia generis acceptio, & de qua Philosophorum sermo procedit. Hæc de secundo.

V. Quoad vltimum: Genus ab indiuiduo secernit, quod tametsi indiuiduum prędicetur etiam, ast non de pluribus; sed de vno dumtaxat, vt *Socrates, iste*, &c. Reliqua autem vniuersalia, quamuis etiam de multis enuntientur, vt species, differentia, Propium, & Accidens, qualia sunt Homo, Rationale, Risibile, Nigrum: non tamen eo modo, quo genus de suis (inquit) inferioribus prædicantur. Nam species de differentibus solo *numero*, differentia de eisdem, & de diuersis specie *in quale quid*, propium denique, & accidentia communia minimè prædicantur in *Quid*. Hactenus primum caput: Circa cuius doctrinam præsens texitur Dissertatio.

DISSERTATIO XIII.

An in Porphyriana generis definitione definiatur secunda intentio, an natura? an vtraque?

§. 1. EX precedente Capitis primi synopsi supponimus Porphyrij definitionem communi Philosophorum calculo comprobatam. *Genus est id, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid prædicatur*. De qua nunc inquiritur quidnam sit illud, cui tanquam definito ipsa conueniat? Ratio dubitandi hinc oritur, quod cum genus concretum quoddam sit accidentale ex natura reali (puta animalis v. g.) & secunda intentione (nempe genereitate) compositum, in quo tum realis natura, tùm forma ficta rationis reluceat, dubitant meritò Doctores, conueniat ne prædicta definitio naturæ, an genereitati, an vtrique?

THEOREMA I.

Authorum placita recenseo.

§. 2. CAietanus super hoc cap. & Commentario de ente, & essentia Cap. 4. quæst. septima. *In hac quarta parte* asserit, huius definitionis definitum esse secundam intentionem, & non naturam: Caietanum sequuntur Petrus Niger in Clypeo, quæst. 38. Paulus Venetus super hoc cap. Versoris tract. 2. de Prædicab. cap. de genere notab. 1. M. Masius sect. 1. huius cap. quæst. sexta. Gallego controuers. 12. Episcopus Oña quæst. 1. de genere artic. 1. num. 7. M. Arauxo lib. 3. Metaph. quæst. 4. artic. 2. Tho. Antonius Mertorrellius de genere quæst. 2. conclus. 3. Didacus à Iesu disput. 6. quæst. 1. M. Sotus super hoc cap. quæst. 1. vnica conclus. 1. M. Veracruzius lib. Præd. quæst. 1. de genere. Magister Sanchez libro 3. quæst. 3. Collegium Complutense disput. 5. quæst. 3. num. 43. M. Ioannes à S. Thoma quæst. 6. artic. 2. M. Ioan. Martinez. lib. 1. quæst. 18. §. 3. Hyacintus de la Parra tractat. 2. de Prædicab. disput. 2. dubio 2. §. 4. Item Mercadus, Arboreus, Daniel Barbarus, Villalpandus, & Arcisius apud Masium prædicta quæst. 6. citati. Adhæret subtilis Doctor Scotus quęst. 2. de genere cum allectis omnibus, vt Fartaretus lib. 1. Prædicab. hoc cap. §. *Quantum ad secundum*. H. Valera distinct. 3. artic. 2. quæst. 1. Rodriguezius quæst. 2. Prædicab. artic. 2. Poncius disput. 4. num. 15. Merinerus de genere quæst. 1. num. 28, cæterique Scotistæ, qui à supradictis Thomistis de hac re non dissident: afferunt Thomistę hi pro se Doctorem Angelicum de ente, & essentia cap. 4. §. *Et tamen prædicari conuenit*.

§. 3. Secundam, & omninò oppositam sententiam tuentur alij Thomistæ, nempè quod hic nullatenus definiatur secunda intentio, sed natura dumtaxat realis secundum quod subest secundæ intentioni: adduntque, naturam eo quòd more Dialectico describatur per prædicari non nudè consideratam, sed prout genereitati substernitur, fuisse à Porphyrio hac definitione descriptam. Ita M. Iauellus, tract. 4. de Prædi-

dicab.cap.2.§. *Hæc definitio*. Sequuntur Toletus hoc cap.quæst.1. Rubius quæst.2.cap.2. de genere. Montañesius in Comment. super hoc cap. M. Soncinas in sua Dialectica apud citatum Montañesium, Martinus de Aiala, qui hanc sententiam D. Thomæ Thomistis que attribuit, teste Masio, Raphael de Aueria quæst. 10. Log. sect. 2. M. Lerma lib. 4. quęst. 1. & alij quam plures neoterici tum Thomistę, tùm cæteri, vt Arriaga disput. 7. sub sect. 2. num. 8. Præcedentem cum hac opinione in concordiam redigere contendit, M. Ortizius tract. 3. confer. 3. num. 417. docens, diuersimode posse rem attendi. Nam si attendamus (inquit ille) ad rem definitam in definitione generis, est secunda intentio connotans naturam: si autem ad modum definiendi, est natura ipsa, vt induta secunda intentione.

§. 4. Tertia sententia est aliorum, qui totum concretum ex natura, & generitate coalescens affirmant esse definitum huiusce descriptionis secundum quod æque primo importantur in illo prima, & secunda intentio, nempe animal, & genereitas. Ita M. Caberus tract. 3. disput. 2. dub. 1. Murcia disput. vnica de genere, quæst. 3. M. Moneda disput. 4. quæst. 1. §. 4. num. 10. Ouiedus controuers. 4. puncto 2. num. 13. Peñafiel. disput. 3. q. 3. sect. 2. Lynceus Dialect. lib. 9. tract. 1. cap. 3. conclus. 6.

§. 5. In quartum, & vltimum locum reiecimus Authores, qui nullo respectu, nec mentione habita secundæ intentionis, Naturam nudam dicunt (id est pręcissa omni Genereitate) esse prædicabilem intrinsecè, & secundum se, Consequenterque per Generis deffinitionem solam Naturam absque Ordine, seu intellectus comparatione prædicabilem hic describi. Quorum præcipui Zacharias Pasqualigus Metaphys. disput. 49. sect. 2. num. 7. Stephanus Spinula disput. 7. sect. 1. conclus. 3. eisque antiquior alios innominatos memorat Rubius, vbi supra num. 11.

THEOREMA II.

Caietani, & Scoti fundamenta refero; ac refello.

§. 6. Secundam intentionem Generis definiri à Porphyrio per hanc definitionem, & minimè Naturam, sic probat primo Caietanus. Definitio Logica, id respicit, quod est Logicæ considerationis; sed hoc est secunda intentio: Ergo. Eodem nititur fundamento Scotus, arguit enim sic. Logicus tantùm debet definire, quod per se considerat; illud est intentio: Igitur, &c. Maior patet, quia quod definitur cognoscitur per se. Minor probatur. Logicus non considerat Ens per accidens, cum id non sit scibile: Ergo vel illud est res, & sic Logicus diceretur Artifex realis, aut est intentio, quod est propositum.

§. 7. Hoc argumento solum probatur, Naturam Animalis, v. g. non considerari à Logico per se, neque genus esse, quod certùm est. At verò cum Logicus consideret etiam naturas rerum, non quidem per se, seu secundum se, sed prout sunt primæ intentiones, & termini simplices ex quibus intellectus conficit definitiones, prædicationes, syllogismos, &c. iuxta tritum illud Auicennæ: *Logica tractat de secundis intentionibus adiunctis primis*. Non ideò definitio non erit Logicalis, si vtrumque explicet, neque intentionem, & naturam; intentionem quidem, vt definitum formale *quo*, & Naturam intentione affectam, vt definitum formale *quod*, vt infra fusiùs liquebit.

§. 8. Secundò Caietanus. Hæc definitio traditur per *Prædicari*; Prædicari autem sumi potest pro fundamentali prædicabilitate, quæ est coniunctio Animalis cum Homine, vel Boue, vel pro formali, quæ est secunda intentio, seu relatio rationis. Sed neque prædicabilitas fundamentalis, neque formalis est essentia, vel passio Animalis, quia in definitione Animalis non ponitur coniunctio cum Boue, neque secunda intentio: Ergo id definitur, cuius passio sit secunda intentio, seu prædicabilitas; Sed sola intentio, seu Genus formaliter sumptum potest habere eiusmodi passiones: Ergo illa solum definitur.

§. 9. Nec hoc argumentum conuincit definitum esse solam intentionem, quamuis probet, non esse solam naturam; qui enim dicunt, totum concretum ex vtroque conflatum esse definitum huiuscè definitionis, negabunt prædicabilitatem esse passionem genereitatis præcissæ. Quia prædicari, seu essentialiter affirmari de Homine, & Leone non competit Genereitati, sed vel naturæ animalis, vel saltem toti concreto adæquatè.

§. 10. Tertiò Scotus. Hic definitur, quod vniuocè conuenit rebus omnium generum, vt animali, colori, figuræ, &c. Sed impossibile est abstrahere vnam rem vniuocè communem rebus omnium generum: Ergo non definitur res, vel natura. Probatur minor. Nam si aliquod posset assignari vnum, & commune rebus omnium generum, (nempè Substantiæ, & Accidenti) id esset *Ens*: Ergo Ens sub intentione generis esset ratio vniuoca illis; proindèque tantùm vnum esset genus rerum omnium. Definitur ergo secunda intentio, quæ sola potest vniuocè omnibus entibus conuenire.

§. 11. Hoc argumentum ægrè tuetur Scotum, ægriùsque nonnullos Thomistas, qui eo vtuntur, vt M. Sotus PP. Complutenses, Mag. Ioan. à S. Thoma, &c. Primò, quia Scotus nullum deducit inconueniens aliud, nisi, quòd *Ens* foret viuocum, quod tamen ipse deuorauit, in primo distinct. 3. quæst. 3. Thomistæ autem ex sua eorumdem doctrina redargui possunt. Nam ipsi docent hanc definitionem non esse vnam, quidditatiuam, nec rigorosam, immò esse impossibile, quod eius definitum vna, & simplici definitione explicetur; quia non est vnum per se, sed constans ex rebus diuersorum generum, nempè ex forma rationis, & ente reali; quare illud explicandum esse dicunt de definitione quadam laxa, quam nuncupant per

additamentum, vt explicari solent concreta omnia accidentalia, videlicet exprimendo vtramque entitatem, nempè subiectum pro genere, & formam pro differentia, vt si definiatur in concreto Simus *Est nasus curuus*. Nunc ergo quomodò iam confugiunt ad vnitatem, seu vniuocationem definiti, cum ea solum requiratur ad definitionem quidditatiuam, & rigorosam speciei? Igitur eorum argumentatio minimè vrget eos, qui dixerint, hanc definitionem, non esse rigorosam, nec definiti simpliciter vnius; cum in ipso res adeò diuersæ simul explicentur, vt Nasus, & curuitas: Natura realis per ly *id quod*, & secunda intentio per ly *Prædicatur*, vt ipsi tradunt.

§. 12. Secundò. Quia M.Ioan. à S.Thoma, Ortizius, & alij etiam admissere, vnitatem ex parte subiecti, qua scilicet omnia subiecta, tùm realia, tum ficta, substantialia, & accidentalia conueniant in eo, quod possint esse genera. Quam dicunt, non esse vnitatem naturæ, seu essentiæ, sed vnitatem capacitatis, seu receptibilitatis illius formæ, seu intentionis: omnia enim quæ habent eiusmodi receptibilitatem genereitatis significantur per modum vnius receptibilis, dicunturque Logicè vniuocationem habere in eo, quòd est esse partem incompletam essentiæ, quamuis nulla gaudeant conuenientia Physica, vel Metaphysica. Hæc porrò quæ benè docuerunt Thomistæ, argumentum supra factum validè eneruat. Diceret enim quispiam ex eorum doctrina, omnes naturas genericas conuenire simpliciter in eo, quòd est esse partem potentialem speciei, quod satis, superque est, ad subeundam genereitatis intentionem vniuocè.

§. 13. Tertiò. Quia Scotus breui interuallo, sui oblitus argumenti concessit contra se eiusmodi vnitatem subiectorum. Dum enim sibi obijcit quæst. sequenti, nempè 3. de Genere: *Si passio est vniuoca, & subiectum* per Aristot. secundo, *Posteriorum*; *Ergo si passio, scilicet intentio sit in multis generibus vniuoca, Et subiectum eius, &c.* Respondet inter alia: *Aliter potest concedi, quod habet subiectum vniuocum: quia licèt nulla eadem res sit in diuersis generibus; potest tamen esse eadem secundum quod consideratur à ratione, & sic tantùm est subiectum intentionis*. Hæc ille, quæ & clariùs Thomistæ supra docuerant.

§. 14. En vides Argumentum ipsa Authorum suorum doctrina impellente corruere, adeò, vt nec Thomistæ, nec Scotus illo rem conficiant. Immò quoad Scotum video, Poncium eiusdem debilitatem agnouisse, Dum disput. 4. num. 7. ait, Hanc probationem sui Doctoris valere tantùm ex suppositione, quod Genus hìc definiretur definitione rigorosa; Atqui Thomista nunquam id supponit, sed potiùs pernegat: Ergo probatio Scotica, vel fatente Discipulo, contra nos nihil valet.

§. 15. Quartò probat M.Ioan. à S.Thoma. Illud est definitum formale in definitione accidentis in concreto, quod per tale concretum significatur formaliter; Sed album v.g. (& ipsum dic de Genere) non significat formaliter subiectum, sed solam formam in rectò, & per se, subiectum autem de connotato, & ex consequenti: Ergo sola forma, nempè secunda intentio definitur in Generis descriptione. Minor probatur ex D.Thoma 5. Metaphys. lect. 9. vbi inquit: *Nec verum est, quod Auicenna dicit, quod prædicata, quæ sunt in generibus accidentis principaliter significant substantiam, & per posteriùs accidens, sicut hoc, quod dico Album; nam Album, vt in Prædicamentis dicitur, solam Qualitatem significat: hoc autem nomen Album significat subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis*. Maior est certa, consequentia bona.

§. 16. Sed admissa Angelici Magistri authoritate, quam infra pro nobis clarissimè expendemus; vellem, Maiorem syllogismi probari, & non supponi vt certam absolutè. Nam vt Sotus, Complutenses, ipse Ioannes à S.Tho.& alij hanc sententiam tenentes passim docent, concretum accidentale significat formam; sed non supponit pro illa, sed pro subiecto, quod certissimum est. Quarè cùm dicimus, Album disgregare visum, ly *Album* supponit pro subiecto habente albedinem, quod solum est id, quod verè, principaliter, & in rectò disgregat visum, quamuis solam per se significet albedinem, vt rationem *qua* disgregandi. Vndè concedunt, hanc etiam Generis definitionem supponere pro natura; significari verò intentionem. Hinc ergo video, aduersarios posse optimè negare maiorem. Nam hæc propositio: *Illud est definitum in definitione concreti, quod per tale concretum significatur*. Non est certior hac propositione: *Illud est definitum in definitione concreti, pro quo ipsum concretum supponit*. Cum enim de essentia nominis concreti sit vtrumque, & significare formam, & supponere pro subiecto; ea erit plenior definitio, quæ vtrumque expresserit. Rogo igitur ex his propositionibus: *In definitione Albi id definitur, quod album significat. In definitione Albi id definitur, pro quo album supponit*. Cur prima erit vera, & secunda falsa? Immò sicut tu assumis primam; ita & Aduersarij affirmantes subiectum, seu naturam definiri, vt suam sententiam probent, assumunt secundam propositionem pro vera (vt videbis apud Parram citatum num. 26.) reponuntque illam pro maiore huiusmodi syllogismi: *Illud definitur per se in definitione Generis, pro quo supponit, seu de quo verificatur definitio Generis; Sed supponit pro natura: Ergo illa definitur*. Ad cuius impugnationem tu supponis idipsum, quod probare debebas: Ergo illæ propositiones æquè sunt certæ, vel æquè dubiæ, aut falsæ. Adde quòd suppositio est etiam modus significationis, vt ex Summulis constat; quarè cum dicis, solum definiri significatum concreti; non ideò suppositionem eiusdem excludis; maximè cùm ex D. Thoma proximè citato liqueat, *Album significare subiectum ex consequenti*. Dices, te addidisse ly *formaliter, & per se*. Ais enim: Illud definitur in definitione concreti, quod per se, & formaliter significat nomen concretum. Sed ais, fateor; nnn probas.

THEOREMA III.

Præcipuum argumentum asserentium, Naturam definiri in Generis definitione propono: Caietani, aliorumque solutiones refuto.

§. 17. IAm verò contra prædictam sententiam Authores, qui definitum esse naturam contendunt, hòc præcipuè vtuntur argumento. Id, quod non prædicatur de pluribus differentibus specie in *Quid*, nec est Genus, nec per definitionem generis explicatur; Sed secunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus specie in *Quid*: Ergo illa nec Genus est, nec per eiusmodi definitionem explicatur. Tum sic. Sed Natura realis, v.g. animalis sola est, quæ essentialiter de homine, & bellua prædicatur: Ergo illa definitur. Maior videtur euidens: quia vt ex terminis patet, hìc definitur *Genus*, Genus autem est *id, quod prædicatur de pluribus differentibus, &c.* Minor etiam est perspicua. Quia cum secunda intentio sit accidens rationis, non idemtificatur cum homine, & leone, proindèque, nec de illis prædicari essentialiter valet.

§. 18. Occurrit primò Caietanus, distinguitque duplicem prædicabilitatem vnam formalem, alteram denominatiuam. Prædicari formaliter apud ipsum est esse formam, qua res denominatur prædicabilis de multis speciebus, quod quidem essentialiter conuenit secundæ intentioni, quæ formaliter, & quidditatiuè est ratio, per quam Animal prædicatur de multis. Prædicari verò denominatiuè est prædicari vt res denominata prædicabilis de speciebus, quo pacto animal de homine, atque bellua prædicatur.

§. 19. Hanc Caietani doctrinam multi oppugnant, vt Ouiedus, Spinula, Pasqualigus, qui totus est in probando Genereitatem non idemtificari cum speciebus, neque esse in illis per copulam *Est*, vt *quod*, neque vt *quo*. Tum quia prædicari de pluribus est Naturam posse poni per intellectum in illis; Sed Natura à se hoc habet, & non per Genereitatem, quia à se est in illis: Ergo Genereitas non prædicatur, neque vt *quo*. Tum etiam, quia tam de albo, quam de Albedine verificatur, quod disgregat visum; Sed de Genereitate non verificatur, quod prædicetur essentialiter de homine, & leone: Ergo nec vt *quo* est prædicabilis de illis. Tum denique, quia ratio formalis, per quam aliquid descendit ad inferiora debet simul descendere cum ipso; Sed hoc repugnat Genereitati: Ergo non est ratio formalis, &c.

§. 20. Instantiæ huiusmodi Caietanum non pungunt, quippè qui non docuit, Genereitatem esse prædicabilem vt *quo*, vt multi falsò sibi imponunt; quinimmò asserit ille, secundam intentionem esse prædicabilem vt *quod* formaliter, quia refertur, vt *quæ*; licèt non prædicetur, neque vt *quod*, neque vt *quo* in sensu denominatiuo, seu tanquam prædicabile denominatiuè.

§. 21. Video tamen, omnes ferè Neotericos nihil noui afferre, quo Caietanum impugnent, contentosque esse vetusto hoc argumentulo. Secunda intentio non idemtificatur cum homine, & leone: ergo non prędicatur de illis: ergo non definitur à Porphyrio per *id, quod prædicatur, &c.* quo sibi videntur de Caietano triumphasse, sed ne sibi multùm placeant, lubet eiusdem doctrinam subtexere, vt & animos demittant, & ea recognita nouas ab hinc meditentur instantias.

§. 22. [*Sciendum est* (inquit ille cap. 1. super Porphyrium) quod definitio alicuius accidentis aliter conuenit ipsi accidenti, & aliter conuenit eius subiecto, ipsi quidem accidenti conuenit quidditatiuè, vt ei, quod formaliter est tale; subiecto verò eius denominatiuè, vt ei, quod subiectiuè, vel denominatiuè est tale. V.g. si definiretur *Album*, & diceretur, quod est disgregatiuum visus, talis definitio conueniet albedini quidditatiuè vt ei, quod formaliter est disgregatiuum visus. Eadem verò definitio conueniet Niui denominatiuè, & vt ei, quod substernitur illi. Ita definitio Generis conuenit intentioni Generis quidditatiuè; rei autem substratæ denominatiuè: ita, quod illa propositio *Genus prædicatur de pluribus, &c.* est quidditatiua; ista autem. Animal prædicatur de pluribus, &c. est denominatiua.] Hactenus ille. Et quia secunda Pasqualigi instantia vult, secundam intentionem debere prædicari, sicut & Albedo ipsa dicitur disgregare. Pergit Cardinalis: [*Rursus sciendum est*, quod sicut accidens, cui formaliter conuenit aliquid, habet in se duo. Primum est, quod ipsum potest vocari tale vt *quod*, formaliter tamen, & sic dicimus, quod Albedo disgregat visum. Secundum est, quod ipsum est id, quo subiectum dicitur tale, & sic dicimus, quod Albedo est id, qua Nix disgregat visum. Ita intentio Generis habet in se hæc duo. Et namque dicimus, quod Genus est, quod prædicatur, intelligentes per hoc, Genus esse quod formaliter prędicatur, & dicimus, quod Genus est, quo res substrata prædicatur, &c. Sicut enim Nix disgregat quia est alba, ita animal prædicatur de pluribus differentibus, &c. quia est *Genus*.]

§. 23. Cæterum quia tota aduersariorum vis innititur illi æquiuoco *Prædicari*, illud dirimit, respondetque ad principale argumentum clariùs, quam in Opusculo de Ente, & Essentia. [Homo sit valdè attentus (inquit ipse) ne fallatur ex idemtitate vocabulorum, quæ obscuritatem in hac reparit. Oportet siquidem perspicaciter aduertere, quod prædicari quandoque sumitur fundamentaliter pro *inesse*, quandoque autem formaliter pro illa relatione, & quod licèt primum alterius fundamentum sit, maxima tamen inter ea diuersitas est, & consequenter cum in ista, & similibus definitionibus formaliter sumatur vt dictum est, non exigitur, vt id, cui quidditatiuè conuenit ista definitio, quod prædicetur, idest insit illis, de quibus prædicari dicitur. Sed requiritur, & sufficit, quod prædicetur, idest referatur ad illa: ei autem, cui defini-

definitio conuenit denominatiuè, exigitur, quod prædicari fundamentaliter sumptum, idest inesse conueniat. Vndè Animal est id, quod prædicatur, idest inest homini, & equo. Intentio autem Generis est id, quod prædicatur in *Quid*, idest tali prædicationis relatione refertur ad ipsas species. Et sic patet responsio ad primam rationem ad oppositum, cuius tota vis ex prædicatione fundamentaliter sumpta pendebat, & definitio de prædicatione formaliter loquitur, ideò *meritò ruit*.] Hactenus Caietanus. Ex quibus prima instantia facilè euanescit negata maiore. Similiter friget secunda minore negata; siquidem secunda intentio prædicatur essentialiter de homine, & leone in sensu formali. Tertia non tam vrget Caietanum, quam tenentes totum conflatum ex Natura, & Genereitate esse prædicabile vt quod, qui illam soluere tenentur.

§. 24. Sincerius ergo, magisque ad mentem Porphyrij oppugnandus est Caietanus. Contra primò. Vsurpato ly *prædicatur* in sensu formali, seu pro prędicatione quidditatiua, omninò aberratur ab intentione Porphyrij, à verbis, ab exemplo. Singula probo: Porphyrij scopus est definire Genus inconcreto per *id*, *quod prædicatur de pluribus*, *&c.* sed sumpto ly *prædicatur* in sensu formali, seu pro prædicatione quidditatiua, non definitur Genus in concreto: Ergo ab eius scopo aberratur. Minorem ostendo. Definitio concreti accidentalis vniuersa Thomistarum schola annuente significat formam, & supponit pro subiecto. Sed ly *prædicatur* præcisè acceptum in sensu formali, seu quidditatiuè, solum significat formam, & minimè supponit pro subiecto, nempè natura: Ergo per ly *prædicatur* in sensu formali, & quidditatiuè sumptum non definitur Genus in concreto. Minorem probo. Ly *prædicatur* in sensu formali, seu quidditatiuè acceptum verificatur etiam de abstracto vt tali; valet enim dicere Genereitas est, quæ prædicatur, seu id, quod prædicatur de speciebus, sicut valet: Albedo est, quæ disgregat visum, vt modo concessit Caietanus §.22. Sed impossibile est, quod ipsum prædicari quidditatiuè conueniens abstracto in rectò, verificetur etiam de natura in rectò, & vt quod. Quia de Natura solum verificatur (per te) prædicari fundamentaliter, quod sumitur pro *inesse* homini, & leoni; at verò prædicari quidditatiuè sumitur pro referri ad illos: Ergo vel dicere debes, vtrumque modum prædicandi significari simul per ly *prædicatur*, quod gratis fingitur; immò est contra te; nam indè inferam, non definiri solam intentionem, sed simul etiam naturam; siquidem æquè explicatur vtriusque prædicatio. Vel fatendum est, ly *prædicatur* omninò excludere subiectum, ac proindè non esse definitionem concreti. Hæc consequentia indè liquet, quod definitio abstracti, vt abstracti omninò excludit subiectum, Tua autem definitio in sensu formali sumpta conuenit abstracto vt tali.

§. 25. Contra secundò. Eiusmodi glossema repugnat verbis Porphyrij. Probo. Prædicari in sensu formali vsurpatum est esse formam, qua res prædicatur essentialiter de pluribus, &c. Ergo re benè expensa, & examinata, definitio Porphyriana hoc sonat. Genus est, *id quo res prædicatur de pluribus differentibus*, &c. quo semel admisso, vt reuerà admitti debet, turpiter vitiatur contextus Philosophi. Tum quia ait *quod prædicatur*; non *quo*, tum etiam, quia statim subdit pro exemplo, vt *Animal*. Atqui Animal non est id, quo res prædicatur, sed res ipsa, quæ prædicatur: Ergo glossema illud de sensu formali detorquens ly *quod*, in *quo* verbis repugnat Porphyrij.

§. 26. Contra tertiò. Exemplum Porphyrij est præcipuus, & optimus index eiusdem mentis, quod quidem nonnulli, vel deglutiunt perperam, vel obtortè explicant. At clarè nunc pugnat cum prædicabilitate quidditatiua, quod hoc syllogismo ostendo. Id, quod de pluribus differentibus specie prædicatur, sicut Animal prædicatur de homine, & leone, non prædicatur de illis formaliter prædicatione quiditatiua; Sed Genus prædicatur de pluribus differentibus specie, sicut Animal de homine, & leone: Ergo Genus non est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie formaliter prædicatione quidditatiua. Maior est à te concessa, & tradita. Minor est ipsa doctrina Porphyrij expressa, consequentia legitima in *Celarem*.

§. 27. Respondet secundò M. Sotus, concedit, secundam intentionem non esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus, &c. Et si inferas: Ergo secundæ intentioni non conuenit ea definitio: Ergo non est definitum illius. Distinguit. Non conuenit, si per conuenire intelligatur explicare eius naturam, negat. Si per conuenire intelligatur, quod definitio prædicetur de secunda intentione, concedit.

§. 28. Huius responsi probabilitatem Lector dijudicet; nolo enim id meo, sed M. Sanchezij mucrone confodere. [*Opinio sapientissimi* Magistri (inquit ille) hoc habet inconueniens apertum, quòd ponit definitionem, quæ non prædicetur de suo definito, quod est contra ipsum lumen naturæ, & est aperta implicatio, quod supra dicta definitio explicet naturam secundæ intentionis generis, & quod non prædicetur de illa; nam ex eo explicat, quia dicit, quod est in essentia secundæ intentionis. Si dicit, quod est inessentia secundæ intentionis: ergo prædicatur de illa, maximè quia definitio, & definitum non differunt, nisi penès explicitum, & non explicitum, & sicut impossibile est, quod hæc sit falsa; homo est homo, ita est, quod hæc sit falsa; homo est animal rationale. Vel sicut impossibile est, quod Genus non sit Genus, ita est impossibile, quod Genus non sit prædicabile vt *quod*, nam hoc asserit *hæc definitio*.] Hactenus prædictus Author, & benè. Sed agedum videamus, an ille Soto melius expediat rem.

§. 29. Respondet tertiò M. Sanchez ly *prædicari*, quod in definitione Generis effertur non denotare actum prædicationis, quia verba in definitione (vt fert vulgare proloquium) non dicunt

cunt actum, sed aptitudinem, proindèque prædicari debere sumi pro *prædicabilitate*, quæ non est consideranda quasi potentia quædam, quia non est, nisi relatio, seu ordo ad species, siue referibilitas ad illas. Cum ergo dicitur, quod secunda intentio prædicatur, idem esse, ac si dicamus, quod referatur relatione prædicabilis. Et hoc est (inquit ille) quod non valuerunt intelligere, qui negarunt secundam intentionem in concreto prædicari de speciebus. Accipiebant enim *prædicari* pro actualiter affirmari; non pro refferri ad species, vt quid prædicabile. Nec est necesse, vt exercitium per actualem affirmationem conueniat ipsi secundæ intentioni in concreto, sed sufficit, quod conueniat materiali generis, quia esse prædicabile non est potentia quædam, sed relatio, cuius totum suum esse est ad aliud se habere.

§. 30. Hæc responsio sicut à doctrina Caietani supra §. 23. citati mutuata est, ita easdem patitur instantias, quas repetere non licet. Præterea falsa est, nec nodum difficultatis absoluit. Nam omnis relatio solum est ratio formalis referendi subiectum, seu forma, qua fundamentum refertur vt *quod* ad suum terminum: Paternitas enim v.g. non est id, quod refertur in rectò, seu vt Genitor, sed est ratio, qua principium *filij* refertur ad illum, & Genitor vt quod primo, & per se filium collimat: Ergo quamuis prædicabilitas illa, vel prædicari sit relatio quædam ad species; non tamen ipsa, sed subiectum, scilicet natura generica per ipsam refertur ad illas, patet hæc consequentia à paritate rationis, nam si definias Patrem: *Pater est, qui respicit filium*; quamuis Paternitas sit ratio formalis, quæ in sensu formali referat Genitorem ad natum, minimè tamen erit id, quod refertur ad illum, nec indè benè colliges, Paternitatem esse definitum vt *quod*, seu rectum, sed tantum vt *quo*. Ideoque.

§. 31. Quartò PP. Complutenses, alijque recentiores Thomistæ prædicta ratione conuicti fatentur, secundam intentionem non prædicari vt *quod*, sed subiectum, seu naturam; indè tamen non inferri, definiri naturam, propterea quod nomen concretum significat vnam rem, & supponit pro alia. Vndè in huiusmodi definitionibus (inquiunt) præter illam rem, quæ est definitum, fit suppositio pro re, in qua exercetur ipsa definitio; & per consequens non potest tota definitio conuenire vt *quod*, sed tantum vt *quo* ipsi rei, quæ definitur. Sic enim simul explicatur essentia accidentium, quæ tantum est esse principium *quo* suorum effectuum, & innuitur, tales effectus exerceri in subiectis eorum, qui est proprius modus definiendi concreta accidentalia. Quod si quæras, cur non assignent aliquod definitum, cui vt *quod* hæc definitio conueniat, sicut in omni definitione assignatur? Respondent, in definitione perfecta necessariò assignandum esse definitum, cui vt *quod* definitio conueniat. At verò definitiones concretorum accidentalium degenerare à perfectione definitionis, eo quod vt iam dictum est, aliud significent, & pro alio supponant.

§. 32. Sed verò hæc doctrina veris falsa immiscet, nonnullaque secum pugnantia suadere conatur. Nam aduersarius arguens assumit has duas propositiones omninò veras, prima: *Id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid* est Genus, ac proindè est definitum in definitione Generis, altera: *Id quod non prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid non est Genus, neque definitum in definitione generis*. Et vtraque est per se nota. At Complutenses concedunt, totum concretum prout dicit naturam in rectò esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus, &c. & tamen negant, id esse definitum. Concedunt etiam, secundam intentionem non esse id, *quod prædicatur de pluribus differentibus*, &c. & tamen asserunt, illam esse definitum. Verùm semel admissis duabus illis propositionibus, nescio, an facilè se possint expedire.

§. 33. Contra primò. hæc responsio eisdem est obnoxia telis, ac Caietanica, quam suprà impugnauimus §. 24. & sequent. Contra secundo. Quia hac doctrina semel admissa, nullus conuinceret quempiam, qui proteruè assereret, definitum huius definitionis *Viuens sensibile* non esse Animal, sed animam sensitiuam. Probo. Nullo argumento potest probari Animal esse definitum per Viuens sensibile, & non animam sensitiuam, nisi hoc: Viuens sensibile conuenit animali, prædicatur conuertibiliter de animali, Animal viuit, & sentit vt quod; At verò anima, non nisi vt quo. Viuens sensibile supponit pro animali, non supponit pro anima: Ergo animal, non Anima definitur per viuens sensibile. Negaret quis consequentiam eodem iure, ac Complutenses; diceret enim, per hoc concretum *Viuens* per se, & principaliter significari vitam, seu Animam, vt formam vitalem, & ex consequenti significari corpus habens animam, seu Animal; etenim Anima realiter etiam distinguitur à corpore non minus, ac accidens à subiecto (quamuis non sint diuersi generis, quod nihil refert ad præsens institutum) diceret, Animam definiri vt *quo*, quia per illam Animal viuit, & sentit; nec corpus, aut Animal esse definitum, etiamsi pro ipso supponeret viuens; quia per illam definitionem solum explicaretur essentia formæ vitalis, seu animæ sensitiuæ, quæ solum est esse principium *quo* suorum effectuum, & simul declararetur, tales effectus exerceri in corpore illam recipiente, negaret subindè dari definitum *quod* ob iam dicta, sicut & Complutenses supra negabant.

§. 34. Nec refert si dicas, Viuens non esse concretum accidentale, quia ratio, ob quam dicis definitionem concreti accidentalis significare vnum, & supponere pro alio est, quia forma, quæ significat non habet essentiam completam, qua propter definitur per additamentum subiecti, quod est res diuersi generis. Atqui etiam concretum *Viuens* significat formam vitalem non habentem esse completum, & quæ definitur per additionem rei diuersi generis ab ipsa, videlicet materiæ, seu corporis physici:

Ergo

ergo definitio viuentis significaret vnum, & supponeret pro alio, tametsi non esset concretum accidentale. Significaret enim formam non per se subsistentem, & supponeret pro corpore, seu supposito illam habente, quod etiam est diuersi generis, etiam si sint eiusdem prædicamenti, quod nihil refert, vt dixi: ergo nullus conuinceret dicentem per *viuens sensibile* non definiri animal, sed solam animam sensitiuam. Minor, in qua est tota difficultas huius discursus traditur eleganter à D. Thoma de Ente, & Essentia cap. 9. vbi hæc habet. *Etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia, quia in definitione formæ substantialis oportet, quod ponatur illud cuius est forma, & ista definitio eius est per additionem alicuius, quod extra eius genus est: sicut & definitio formæ accidentalis, vt etiam in definitione animæ ponitur corpus à naturali, qui considerat animam solum in quantum est forma physici corporis*. Huc vsque S. Doctor.

§. 35. Contra tertio. Quia forma non est id, quod in recto, & principaliter significatur per concretum: ergo illi falsò nituntur fundamento. Probo antecedens. Id, quod est rectum in definitione est rectum in definito; sed rectum in definitione concreti est natura generica: ergo rectum huius concreti *Genus* est natura, & non secunda intentio. Maior est per se nota, quia definitio, & definitum non differunt nisi per expressum, & non expressum. Consequentia bona. Minorem docet S. Tho. lib. 7. Metaph. lect. 4. *Accidentium quidditas* (inquit) *est dependens à subiecto, & per hoc oportet, quod subiectum in definitione accidentis ponatur quandoque quidem in recto, quandoque vero in obliquo. In recto quidem, quando accidens significatur in concretione ad subiectum; vt cum dico, simus est nasus curuus*: Ergo & si forma sit rectum abstracti, at rectum concreti non nisi subiectum est.

§. 36. Contra quarto. Concretum accidentale est res verè, & realiter composita ex materia, & forma, id est subiecto, & accidente, essentialiterque constituitur inesse concreti per eiusmodi compositionem: ergo falsò dicitur, per concretum solum significari formam. Probo consequentiam. Sicut accidens concurrit in genere causæ formalis, ita subiectum concurrit in genere causæ materialis ad resultantiam huius tertij, nec maior, aut potior est influxus causæ formalis, quam materialis, cum æquè ambæ concurrant, immò dependeat vna ab altera in suo genere causandi, quod quidem est intrinsecum, & per immissionem, seu communicationem sui in effectum, vt dicitur 2. Physicorum: ergo qui significat effectũ earum, idest concretum, æquè significabit ipsas causas intrinsecas ad illum æquè concurrentes. Cur ergo significabit solam formam? ob dictum ne Aristotelis male intellectum? sed de his infrà fusius circa D. Thomæ mentem plura dabo.

THEOREMA IV.

Solutionem Scoti expono, & exploro.

§. 37. TAndem ad argumentum supra §. 16. propositum respondet Scotus, distinguendo duplex prædicari: videlicet prædicari signatè, & prædicari exercitè. Prædicari exercitè est prædicatum primæ intentionis affirmari, quod sit in subiecto, quod explicatur per verbum *Est*. Prædicari signatè est, quod secunda intentio signet, seu significet eiusmodi identitatem primarum intentionum supponendo pro illis, quod quidem explicatur per verbum *Prædicatur*, seu *dicitur*. Vnde vt inquit Scotus *esse* in rebus primæ intentionis illud exercet, quod *prædicari* signat in secundis. V. g. Si dicas *Genus dicitur, vel prædicatur de specie*, prædicatio erit signata: Si vero dicas: *Homo est animal*, erit exercita. (Docet ergo, definitionem Generis datam per *Prædicari* sumi debere pro prædicari signato, non pro exercito, quasi eius sensus sit. Genus *est id, quod prædicatur signatè de pluribus differentibus, &c.* seu *Genus est intentio secunda signans, aut significans id, quod in actu exercito prædicatur de pluribus differentibus*, &c. quare concessa maiore, negat minorem argumenti, si intelligatur de prædicari signato.

§. 38. Video, Merinerum, Poncium, & alios liter prædicationem signatam explicare. Illud dicitur prędicari in actu signato (inquit Merinerus) de quo verificatur, quod est ratio prædicandi. Illud vero dicitur, prædicari in actu exercito, quod in actuali exercitio de alio affirmatur. Sed nec vel apicem video in litera Scoti, ex quo possit colligi, prædicationem signatam constitui per esse rationem prædicandi. Scotus enim nihil tale docet, nisi secundas intentiones signare per *prædicari*, quod sua fundamenta exercent *per esse*: sicuti etiam per *Non* exercetur negatio; per *Nego* signatur, & per hanc voculam *Tantum* exercetur exclusio, & per *Excludo* signatur, &c. Ecce doctrina, & verba Scoti. Ex quibus liquido constat, *Prædicari signatè* omninò consistere in eo, quod secundæ intentiones signent per vocem *prædicatur*, quod fundamenta, seu subiecta earum exercent per copulam *Est*. Et non in esse rationem qua prædicandi; hoc enim potius sapit Thomisticum quid, nec cohæret verbis, nec menti Scoti, quæ nos fidelissimè testati sumus. Sed quid quid id est.

§. 39. Contra primo. Perperam confugitur ad actum signatum, cum hæc difficultas communis sit omni concreto accidentali, in cuius definitione Scotus docet, solam formam in recto importatam definiri: Ergo non minus tenetur dicere, in concreto *Album* solam definiri albedinem per disgregare visum, quam in concreto *Genus* solam definiri intentionem per *prædicari de multis*. Atqui si obijcias, albedinem non esse id, quod disgregat visum, quia Albedo solum est principium *quo*, id est forma accidentalis, quæ nec subsistit, nec agit: ergo id, quod disgregat visum actiuè, & tanquam res subsistens, debet esse Corpus, & non Albedo: Nullus respondet, Albedinem disgregare in actu signato, seu significare disgregationem exercitam, quam Corpus exercet in visum: Ergo nec opus est confugere ad signationem prædicationis exercitæ in genere, sicut nec confugitur ad disgrega-

tionem signatam, quando asseritur, solam albedinem definiri per disgregare visum: Ergo sicut independenter à signatura tenetur verificare de albedine, quod sit id quod disgregat; ita tenebitur verificare de intentione, quod sit id, quod prædicatur, independenter etiam à signaturis.

§. 40. Contra secundo. Si prædicari æquè significat vtramque prædicationem signatam videlicet, & exercitam; Vnde scit Scotus, in definitione Porphyriana ly *prædicatur* potius pro signata vsurpari? Dices primo: Inde, quia signata denotatur per verbum *prædicatur*; & exercita per verbum *Est*. Contra: Quia hæc est vera propositio Animal prædicatur de homine, & tamen ly prædicatur significat prædicationem exercitam: Ergo ex eo præcisè, quod Porphyrius tradat hanc definitionem per verbum *prædicatur*, non benè infert Scotus prædicationem signatam. Dices secundo: Prædicari esse secundam intentionē. Contra quia prædicari exercitè etiam est secunda intentio, quia eiusmodi prædicari non est prædicatum reale, aut attributum realiter conueniens animali, & tamen non attribuis prædicationem exercitam secundæ intentioni.

§. 41. Contra tertio. Quia illa vocula *In quid*, quæ in definitione sonat essentialiter, non modificat, nec determinat signaturam, vel significationem intētionis, sed ipsam exercitam vnionem rei prædicatæ cum speciebus: Ergo ly prædicatur ita modificatum non sumi debet pro signato. Antecedens colligitur (ni fallor) ex ipsomet Scoto sic docente: *Ita, vt in quid sit determinatio inhærentis; non verò ita, vt sit determinatio inhærentiæ*. Idest, quod res inhærens, nempe animal sit essentialis; non secunda intentio. Quod si hoc non sibi velint ea verba, tenebris obscuriora sunt, nihilque explicant; immò vt ipsa explicentur potius indigent Apolline interprete, Tyresia vate; Nec vnquam eorum expositores Scotistæ ænigma hoc satis diuinarunt, teste Poncio ita scribente: *Quæ verba per se obscurissima sunt, nec satis apte mihi videntur explicari à Sarnano, aut à Ioanne Anglico*.

§. 42. Contra quarto (& simul interpretatio Poncij confutatur) Prædicari signatè est esse rationem formalem prædicandi exercitè (vt recentiores Scotistæ volunt) Ergo potius ly prædicatur definitionis pro prædicari exercitè capiendum est, quod est contra mentem Scoti. Probo consequentiam: Ideo Albedo disgregat exercitè visum vt *quo*, & formaliter, quia est ratio formalis, per quam Nix disgregat exercitè visum. Et vniuersaliter loquendo omnis causa formalis per quam aliquod subiectum est tale, eo ipso etiam est ipsa talis vt *quo*, idest vt causa formalis continens in se talem effectum formalem; Sed per vos in definitione ly *quod prædicatur* significat rationem formalem prædicandi exercitè; Ergo illud est prædicabile exercitè vt *quo*, seu ipsa prædicabilitas exercita, & non signata. Adde, quod Scotista ideò negat, intentionem prædicari exercitè de homine, quia affirmaretur de homine, quod esset Genus: Sed si intentio prædicaretur exercitè tantum, vt *quo* non affirmaretur de homine Genus, quia de homine solum affirmaretur id, quod in recto, & vt *quod* prædicaretur: Ergo.

§. 4V. Contra quinto. Quia iuxta Scotistas hos ista definitio *Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus*, &c. sic debet intelligi: *Genus est ratio formalis prædicandi de pluribus differentibus*, &c. Ergo secunda intentio non est definitum, vt *Quod* huius definitionis, sed tantum ratio *qua* competens vt *forma* definito *Quod*. Assignetur ergo illud. Hic hærent Scotistæ: Nonnulli Thomistas appellant vt se expediant: sanè doctissimus Merinerus ad illos confugit dicta qu.num. 30. sub his verbis: [sed objiciet aliquis: Si hæc definitio est intelligenda de prædicatione signata, ita vt sensus illius *Genus prædicatur de pluribus*, &c. sit *Genus est ratio prædicandi de pluribus*, &c. Sequeretur in hac definitione non esse propiè, & rigorosè definitum *Quod*: Respondeo cum Caietano loco citato, in concretis accidentalibus, quale est Genus, non esse in rigore definitum *Quod*, quia cum hæc concreta formam, quam per se significant, & quæ per se definitur, non significent, vt per se stantem, id est, vt quod est; sed vt alteri adiacentem, id est, vt quo aliud est; non mirum, si in definitionibus concretorum non sit rigorosè definitum *quod* formale] Hactenus Merinerus, qui se cum Caietano loco citato respondere dicit; Sed reuera nec Caietanus tale quid docuit, nec Merinerus locum citatum Caietani legerat, vbi nihil eorum reperiet quicumque illum recognouerit: Doctrina enim illa non Caietani, sed Complutensium est, aliorumque recentiorum Thomistarum, quos iam supra impugnaui à §.32.

§. 44. Nonnulli vero Scotistarum adhuc contendunt, definitionem competere vt *quod* suo definito, idest secundæ intentioni, vt Poncius, qui respondet, secundam intentionem prædicari, vt *quod* prædicatione signata. Sed contra: nam Poncius ipse num.9. explicabat prædicabile signatè per esse rationem formalem prędicandi de multis exercitè, sed nihil aliud est prædicari vt *quo*, nisi esse rationem formalem prædicandi de multis exercitè: Ergo intentioni conuenit prædicari vt quo, eo ipso, quod ipsi conueniat prædicari signatè: Ergo saltem iste sensus, quem exhibes prædicabilis signati, scilicet esse rationem formalem prædicandi de multis exercitè, in quo Generis essentia consistit, iam ipsi nonconuenit vt *quod*. Consequentia est clara ex principijs Poncij: Quare eam merito, & quidem consequentius ad suam doctrinam concessit Merinerus; Immò quicumque prædicationem signatam constituerint per esse rationem formalem prædicandi de multis exercitè, prædictis consequentijs vrgebuntur.

§. 45. Sexto: Si genus definiretur per prædicari exercitè, ita vt sensus esset: *Genus est id, quod exercitè prædicatur de pluribus differentibus*, &c. Genus maneret benè definitum, nec ratio Poncij, & aliorum Scotistarum probat Porphyrium non definiuisse illud per huiusmodi prædicationem exercitam: Ergo frustra comminiscuntur signatam. Probo antecedens. Fatetur Poncius, bene potuisse describi id, quod est prædicabile

exercitè, negat verò, id fore Genus formaliter. Et si petas ab eo, cur non esset Genus formaliter? nullam assignat rationem, nisi quia alias genus prædicaretur exercitè de speciebus, & sic verum esset dicere, quod homo de quo prædicatur animal esset Genus, quod falsum est. Atqui animal vt prædicabile exercitè esset genus formaliter, nec ideo diceretur, quod homo, de quo illud prædicatur, esset genus: Ergo. Probo primum: Id, quod à secunda intentione constituitur formaliter in esse prædicabilis exercitè de pluribus differentibus, &c. est formaliter Genus; sed animal v.g. vt prædicabile exercitè de homine, & bellua constituitur ab ipsa sua prædicabilitate exercita, vt à secunda intentione, in eo, quod sit prædicabile exercitè de pluribus differentibus, &c. Ergo esset Genus formaliter. Maior est certa; Nam Genereitas apud Logicos nil aliud est, quam secunda intentio constituens naturam in esse prædicabilis de pluribus differentibus specie in *quid* exercitè, nisi velis alias Genereitatis essentias confingere; ergo id, quod eiusmodi intentione constitueretur formaliter, proculdubio constitueretur Genereitate, ac proinde esset Genus formaliter. Minor est euidens; Quia sicut homo albus ab albedine, & sanctus à sanctitate, ita animal prædicabile exercitè constituitur per suũ abstractum nempe. *Prædicabilitatem exercitam*. Quod autem prædicabilita exercita sit secunda intentio, præter quam quod conceditur à Poncio, patet ex eo, quod prædicari exercitè non est (vt iam dixi) prædicatum reale animalis, de cuius reali essentia tantum est, esse viuens sensibile; ergo est prædicatum secundæ intentionis. Probo alterum: videlicet, non sequi, hominem fore Genus ex eo, quod animal vt exercitè prædicabile esset Genus formaliter. Nam de facto animal per vos prædicatur exercitè de homine, & bellua, vt exercitè prædicabile de multis speciebus; (Esto non prædicetur, vt Genus formaliter) sed non ideo sequitur, quod homo, de quo illud prædicatur, sit prædicabilis de multis speciebus; ergo etiamsi Animal prædicaretur de homine, vt Genus formaliter, non ideo homo esset Genus. Consequentia est liquida. Quia quamuis Animal vt prædicabile exercitè de multis speciebus prædicetur de homine, attamen ipsa ipsius prędicabilitas exercita de multis speciebus non conuenit homini, (non enim valet dicere; Homo est prædicabilis exercitè de multis speciebus) eo quod prædicabilitas *illa* exercita est secunda intentio, de cuius ratione non est descendere ad inferiora; Ergo sicut non dicitur de homine, quod sit prædicabilis exercitè de multis speciebus, etsi animal de illo prædicetur vt exercitè prædicabile de multis speciebus, ita nec diceretur de homine, quod esset genus; tam etsi animal prædicaretur de illo vt genus est formaliter, Genereitas enim secunda intentio est.

§. 46. Vrgeo hominem Scotistam ex sua doctrina. Per vos natura communis per se, & ante intellectum est apta ad essendum in multis, & hoc ipsi conuenit vt proprietas illius; Sed non ideò sequitur (per vos) quod indiuiduum participans eius modi naturam, sit per se communicabile, nec aptum ad essendum in multis, quia dicitis, illud prædicatum consequi naturam vt talem: ergo tametsi esse genus competeret animali, vt naturæ communi, supponeretque suppositione simplici, & non personali, vt vos asseritis de communicabilitate reali naturæ. Rursus: de Patre æterno non potest prædicari, quod sit communicabilis Filio, & tamen de ipso prædicatur Essentia Diuina, vt communicabilis Filio: Ergo, etsi de homine prædicaretur animal exercitè vt genus, non ideo prædicaretur de homine quod genus esset. Et hoc exemplum de essentia Diuina valde commendatur à Scotistis quippe quod vnicum refugium est, vt eludant illud Principium: *Quod per se, & essentialiter conuenit rationi superiori, per se, & essentialiter conuenit inferiori.* (Vt videbis Dissert. 7. Theorem. 3. §. 25. Vbi impugnantur latè.) Ast nunc suum exemplum in ipsos contorqueo. Et sanè non video quomodo ista cohæreant, videlicet, Naturam negatiuè communem prædicari de indiuiduo suo; & tamen communitatem negatiuam de ipso non prædicari, cum sit propietas realis per se, & intrinsecè conueniens naturæ prædicatæ: At verò si animal prædicaretur exercitè vt genus de homine, deberè necessario prædicari de homine, quod sit genus, cum tamen Genereitas nec esset propietas realis, nec in secundo modo perseitatis conueniret animali. Consequentiam desidero.

§. 47. Bene vidit Poncius, hoc argumentum non facile posse eludi; ètenim post datam solutionem hæc subiungit: [*Quod si etiam* intelligeretur in definitione generis prædicabilitas exercita, ità, vt illud sit genus formaliter, quòd formaliter potest prædicari exercitè, adhuc vera esset conclusio, quòd scilicèt ipsa natura, quæ prædicatur exercitè non esset genus formaliter, & secundum se primo intentionaliter sumpta, aut secundum vllum prædicatum primæ intentionis competens ipsi, quià prædicabilitas exercita competens naturæ non conuenit ipsi secundum se primo intentionaliter sumptam, nec est prædicatum primæ intentionis, sed secundæ. Hæc ille. Ast vel inuitus fatetur hic Author, se per doctrinam datam non posse defendere, nisi hanc vnam conclusionem: *Natura nuda, seù secundum se, & primò intentionaliter sumpta non est genus, nec definitur per generis definitionem*: quam dicit semper mansuram veram, etiamsi illud esset genus formaliter, quod formaliter posset prędicari exercitè, quando quidem iam esset genus per ipsam prædicabilitatem exercitam, quæ est secunda intentio. Sed contra: Esto ea conclusio vera sit: Ergo natura saltem prout informata est eius modi secunda intentione prædicabilitatis exercitæ esset genus formaliter, & definitum huius definitionis, quod est contra te, & vniuersos Scotistas. Cæterum Poncius contentus defendere prędictam conclusionem, solutionem Scoticam deseruit omninò, quando quidem ex doctrina, ab ipso nuper data inferuntur contra illam hæ consequentiæ ineuitabiles: Ergo genus formaliter posset constitui optimè per prædicabilitatem exercitam independenter à signata: Ergo dum prædicari Porphyrianum saluari potest

test per exercitam prædicabilitatem; frustra confingitur signata. Ergo etiam si gratis tibi concedatur, definitum Porphyrianæ definitionis esse solam secundam intentionem, non ea erit necessario prædicabilitas signata; quia potest esse exercita, cum æquè præstare potest per te exercita, quod præstaret signata: superfluit igitur signata.

§. 48. Septimo. Prędicabilitas signata non constituit genus tanquam ratio formalis prædicandi exercitè. Tum quia prædicabilitas signata si tribuat subiecto quod ipsa est, vt causa formalis, non nisi prædicabile signatum potest constituere, vt albedo album, iustitia iustum, signata signatum &c. Tum etiam quia hoc nomen *Prædicabile exercite* est terminus concretus, qui significat prędicabilitatem exercitam tanquam formam inhærentem alicui subiecto, quod constituat inesse talis: Ergo dum animal prædicatur exercite vt *quod*, eo ipso sua prædicabilitas exercita prædicatur vt *quo*, idest vt ratio formalis prædicandi exercitè, eo modo, quo Albedo dicitur disgregare visum vt *quo*, eo ipso, quod album disgreget, vt *quod* (vt supra dicebamus) atqui prædicabilitas signata neque vt *quod*, neque vt quo prædicatur exercite: Ergo ipsa non est ratio formalis essentialis, qua animal constituitur inesse prędicabilis exercitè, vt Poncius explicabat. Minor quo ad primam partem est euidens: Quoad secundam, hinc patet, quia prædicari exercitè vt *quo* solum conuenit prædicabilitati exercitæ constituenti formaliter prędicabile exercitum. Consequentia satis perspicua est; etenim si Albedo neque vt *quod*, neque vt *quo* digregaret visum, certè non esset ratio formalis per quam nix visum disgregaret.

THEOREMA V.

Propiam sententiam aperio, mentem S. Thomæ inquiro, concretum æquè significans naturam, & genereitatem esse definitum Porphyrianæ descriptionis ostendo.

§. 49. DEfinitur ergo in hac Porphyrij descriptione totum concretum, seu compositum ex natura substrata, & genereitate: ita, vt genereitas sit definitum formale *Quo* Et natura definitum materiale: at vero vt actu informatur genereitate, id est vt totum constituit cum ipsa, concretum sit definitum formale *Quod*; Hanc thesim censeo veriorem, amplectuntur que Thomistæ non vulgares, quos §. 4. citaui, quibus aggregare possem DD. citatos §. 3. equidem eorum nullus afirmat, naturam secundum se definiri, sed prout genereitati substernitur, quod omnes illi docent, & quod plus est M. Sotus, apud quem ista lego. *Volo dicere, quod id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, est animal, aut color &c. sed hoc habent in quantum substant secundæ intentioni generis cuius natura explicatur in illa definitione: Itaque vt in summa dicam:* (attende lector.) *Definiri secundam intentionem, est definiri res in quantum substant secundæ intentioni &c.* Caietano autem non acquiesco aienti, D. Thomam expresse eiusdem sententiam docuisse: Tum quia eam tuetur Scotus eisdem fundamentis, ac Caietanus, quod mihi non leue indicium est, vt putem, à D. Thomæ sententia, vt semper Scotum abhorrere. Tum quia non pauci Thomistæ dissident à Caietano, quod quidem, si Sancti Doctoris esset aperta mens, minimè fecissent. Tum denique quia non video hanc expressionem in verbis D. Thomæ, quæ iam produco ex cap. 4. de ente, & essentia, prope finem.

§. 50. *Et tamen prædicari conuenit generi per se, cum in eius definitione ponatur, Prædicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis, & diuidentis; habens tamen fundamentum in re ipsam vnitatem eorum, quorum vnū de altero dicitur. Vnde ratio prædicabilitatis potest claudi in ratione huius intentionis, quæ est Genus, quæ similiter per actionem intellectus completur. Nihilominus id, cui intellectus intentionem Prædicabilitatis attribuit componens id cum altero, non est ipsa intentio Generis, sed potius id, cui intellectus intentionem Generis attribuit, sicut quod significatur hoc nomine Animal.* Hęc Angelicus Magister: Cuius mentem ad præsens dissidium satis obscurum reputauit Zacharias Pasqualigus citata disput. sect. 1. num. 6. At ni fallor D. Thomas solum hæc tria dicit. *Primum*: Quod prædicari conuenit generi per se, quia ponitur in sua definitione. *Secundum*: Quod prædicabilitas in abstracto, seu ratio prædicabilitatis clauditur in ratione intentionis genericæ. *Tertium*: Quod tamen id, quod prædicatur non est secunda intentio, sed substratum, vt animal. Omnia sunt vera, in quibus, si aliqua Caietano fauere videntur, ea verba sunt, quibus docet, prædicabilitatem claudi in secunda intentione, quod lubens concedo. Hinc tamen non benè infertur, Sanctum Doctorem expresse docuisse, definitum Porphyrianæ definitionis esse solam secundam intentionem. Nam tametsi sola intentio sit prædicabilitas, tamen hic non definitur abstracta prædicabilitas. Vt & Aduersarij fatentur; sed id quod prædicatur, id est habens prædicabilitatem. Vnde S. Thomas vel nobis fauet, vel neutris. Immò M. Ayala eius modi Thomistas sugillat, quod à vero tramite S. Thomæ deuiarint, quippe in secundis intentionibus, & in his vniuersalibus parem faciunt Thomam cum Scoto (vt ille loquitur) affirmat que de mente Scoti hic definiri secundas intentiones; & secundum Doctorem Sanctum, conceptum obiectiuum pro substrato. Sic ille prædicab. quæst. 3. principali: Vide Veracruzium loco supra indicato. Quę profero, non quia subscribam Ayalæ; sed nequis nimium credulus Caietano existimet, S. Thomam pro secunda intentione apertè, expresseque stetisse.

§. 51. Probo nostram conclusionem primo. Hic non definitur natura primò intentionaliter, seu secundum se sumpta, vt probant argumenta Scoti, & Caietani supra Theoremate 2. proposita (non enim aliquid benè probant, nisi hoc solum, vt ibi adnotabamus (nec definitur sola secunda intentio, vt probat fundamētum Theorematis tertij, & rationes, quibus eiusdem solutiones impugnauimus Theorem. 5. & 4; sed nullum

um restat tertium, quod definiri possit, nisi compositum ex vtroque intrinsecè coalescens: Nam de aggregato ex prima, & secunda intentione, quod Caietanus significat per ly *Animal, genus*, verò verius est, definiri nō posse, cum complexorum non sit definitio ex Aristot. 7. Metaph Textu 13. Ergo eiusmodi compositum definitur adæquatè.

§. 52. Secundo: Eatenus non explicaretur in hac definitione natura generica non minus, quam secunda intentio, quatenus solum connotaretur de materiali tanquam id quod recipit secundam intentionem; Sed natura generica non potest tantum de materiali, & connotato innui: Ergo non minus explicatur, quam secunda intentio. Minorem probo. Eo ipso quod natura generica tantum se haberet materialiter ad recipiendum genereitatem, posset intellectus pro libito illam affigere indiuiduo, quod quidem esset sufficiens sustentaculum genereitatis, quæ nihil amplius desiderat in subiecto per te, ac proinde indiuiduo sic genereitate informato conueniret definitio generis: nam haberet totum illud, quod importat genus ratione formæ in recto, principaliter &c. Ergo. Probo antecedens: In definitione concreti v.g. Album per te minimè implicatur id, quod est materiale subiectum albedinis: equidem dum dico, album disgregare visum, minimè exprimo, an nix disgregeget, siue lac, siue paries, quia per accidens, & de materiali (vt ais) est, quod sit lac, vel nix, dummodò habeat albedinem: Sed per te in hac definitione nihil explicaretur naturæ, cum solum se haberet, vt quid materiale quemadmodum nix, vel lac respectu Albi: Ergo si semel intellectus adfigeret genereitatem indiuiduo, id esset per accidens, ac de ipso verificaretur definitio; verificatur enim de quolibet materiali, cui tamen aplicata sit genereitas.

§. 53. Dices: Naturam genericam habere fundamentum prædicationis de multis speciebus; non verò indiuiduum, quod incapax est genereitatis: eo quod non est pars incompleta essentiæ. Sed *Contra*: Ergo in hac definitione non se habet natura vt quid materiale tantum: Ergo explicatur apertissimè eius modi fundamentum, & esse partem contrahibilem essentiæ. Dices: explicari in obliquo, & minus principaliter. *Contra* primo, potius secunda intentio explicatur in obliquo, quia ea definitio *Id quod prædicatur de pluribus differentibus &c.* nequit verificari de secunda intentione, nisi vt *quo* vt fatentur Thomistæ: non tamen nego, potuisse, ipsam in recto explicari, vt si diceretur: Est *id, quod naturam reddit prædicabilem de multis differentibus &c.* vel aliter: sed hic non disputamus de modis, quibus in recto definiri potest intentio; sed de hac definitione, quæ de facto à Porphyrio tradita est. *Contra secundo*. Quia in hac definitione de natura exprimitur, quod prædicetur: Item quod sit pars contrahibilis, & incompleta essentiæ per ly de *differentibus specie in eo quod quid*. At verò de secunda intentione solùm virtualiter denotatur, eam esse rationem formalem, qua eius modi natura prædicatur de pluribus differentibus, &c. Ergo si aliquid expressiùs, & clarius explicatum fuit à Porphyrio, id certè est natura: Ergo falsò dicis, naturam connotari tantum in obliquo, & minus principaliter explicari.

§. 54. Probo tertio euertendo Aduersariorum fundamentum: Ideo per vos nequit definiri totum compositum ex natura, & genereitate, quia est compositum accidentale constans ex rebus diuersorum generum, quæ nequeunt explicari per vnam definitionem; Sed hæc definitio Porphyrij per vos non est vna definitio, sed explicatio quædam imperfecta degenerans à perfectione definitionum essentialium, vt aiunt Complutenses §. 31. citati: immò ipsa constat etiam ex rebus diuersorum generum, nam in ea ponitur natura realis pro genere, & secunda intentio pro differentia, vt vniuersi Thomistæ docent: Ergo non teneor, dare definitum simpliciter vnum; cum vos non detis definitionem simpliciter vnam: proindeque definitum accidentale, & carens vnitate essentiali benè definitur per definitionem laxam, similiterque vnitate carentem. Vnde Aduersariorum prædicta ratio nihil valet, nisi contra eos, qui definitionem admiserint rigorosam, vt supra monui.

§. 55. Quarto: quia falsò dicitur, concretum accidentale significare in recto formam, & in obliquo subiectum absolutè, & semper: Ergo hinc nihil euincitur contra eos, qui dixerint, naturam, & secundam intentionem æquè denotari per concretum *genus*. Probo antecedens: Significari in recto nil est per vos, quam explicari in casu nominandi: Sed potius in concretis explicatur in casu nominandi subiectum, dicimus enim *Album est id, quod disgregat visum*, & è contra hæc propositio est falsa, *Album est albedo inhærens subiecto*: Ergo concretum accidentale non significat formam in recto. Probo minorem: hæc propositio *Album est dulce* (prolacte) identice est vera: sed impossibile est per vos, quod aliqua propositio adhuc identicè vera sit, nisi rectum prædicati identificetur cum recto subiecti: Ergo impossibile est quod illa propositio sit vera saltem identicè, nisi dulcedo, quæ per vos est rectum prædicati identificetur cum albedine, quæ rectum est subiecti; quod falsum est: falsò enim enuntiabis; *Albedo inhærens lacti est dulcedo inhærens eidem*. Igitur præter dulcedinem, quæ forma est, aliquid subiecti importatur in recto in eiusmodi affirmatione dulcis de albo, vt vera sit. *Probo secundo* idem antecedens. Nam forma concreti nunc importatur in recto, vt cum dicimus. *Album distinguitur formaliter à dulci.* Nunc importatur in recto subiectum, vt in supradicta propositione *Album est dulce*. Interdum etiam ex æquo forma, & subiectum importantur in recto, vt si dicam: *Album est quoddam compositum ex substantia, & accidente*: vt cum dicimus: *Album partim est idem cum dulci; partim ab eo distinctum*. Interdum tandem vtrumque significatur in obliquo vt in hac propositione *Hominem esse album est contingens*: ergo importari formam in recto, vel in obliquo pendet ex varietate concipiendi concretum accidentale, nec certum est,

sem-

semper, absoluteque in recto denotari: *Probo tertio* ipsum antecedens: Si verum esset, per album significari in recto solam formam, connotando inhærentiam ad subiectum, seu vnionem cum illo, hæc propositio esset vera: *Albedo est alba simpliciter*: seu *Albedo est quid album*: Quia album per te est forma albi connotans inhærentiam subiecto; sed valet dicere: *Albedo simpliciter est forma albi connotans inhærentiam subiecto*: ergo valet dicere: *albedo est alba simpliciter*: quod falsum est, & contra S. Thomam, quæst.20. de veritate artic.9. ad 3. vbi inquit: *albedo facit album*; *quamuis ipsa non sit alba*; *sed est, quo aliquid est album*.

§. 56. Admitto tamen vt certam illam dialecticorum regulam, videlicet concretum accidentale positum ex parte prædicati solum importare principaliter formam, connotando subiectum eo præcise, quod significatur per modum alteri adiacentis. Et ratio est, quia vt monui Dissertat.11. Theorem. 3. §. 12. Intellectus dum affirmat concretum de aliquo subiecto, intendit simpliciter enuntiare formam de illo, non vero subiectum, etiamsi subiectum proximum æquè importetur in concreto iuxta aliam considerationem intellectus. Hinc est, quod hæc prædicatio *Homo est albus* sit accidentalis, seu enuntiatio quinti prædicabilis, quia album positum pro prædicato sumi debet adiectiuè, & pro illo dumtaxat, quod significatur de formali connotando inhærentiam. Si verò mutetur in subiectum prædicationis, vt si dicas: *album disgregat visum*, tunc sumendum est pro subiecto inhæsionis in recto, & pro albedine in obliquo. Et quia nouem accidentia, quæ in prædicamentis collocantur, statuuntur pro nouem generibus prædicatorum: hinc est, quod apud Aristotelem, & D. Thomam dicantur, prædicamenta accidentium, seu prædicata solam formam significare, quod certum est de significatione principali prædicati vt talis: nec tamen ideò censendum est, concreta accidentalia, in omni modo concipiendi, & consideratione intellectus importare solam formam, seu adiectiuè sumenda esse, quia vt dixi dum in propositione fiunt subiecta, interdum sumuntur substantiuè, importantque principaliter subiectum: quod & docuere PP. Complutenses disput. 4. Logicæ quæst. 3. num. 21. & 22. (*quia autem* (inquiunt) concretum accidentale simul significat formam, & ex hoc modo significandi supponit pro subiecto, inde est, quod quando in huiusmodi propositionibus concretum ponitur à parte subiecti, non solum supponit vtcumque pro subiecto (quod habet concretum ex se) sed etiam exercet talem suppositionem, (quod illi conuenit ex situ propositionis) quando vero ponitur à parte prædicati, quamuis non amittat propriam suppositionem, quodam modo tamen impeditur propter situm prædicationis, & leges Appellationis, magisque attenditur in illo res significata, scilicet forma. Radix autem huius doctrinæ est, quod in his propositionibus concretum accidentale positum à parte subiecti sumitur substantiuè; positum verò à parte prædicati *sumitur adiectiuè*.) Hactenus Complutenses, quæ notanda sunt valdè tum pro intelligenda mente S. Thomæ in 5. Metaph. lectione 9. Tum etiam pro refutandis non nullis Scotistarum obiectiunculis, de quibus infra.

§. 57. Quinto concretum accidentale v. g. Album est compositum reale, & ens physicum realiter, & verè constans ex subiecto, & forma, tanquam ex actu, & potentia verè, & realiter vnitis: ergo habet veram, & realem vnitatem, licet non essentialem, saltem accidentalem, ac proinde non est ens per accidens eo modo, quo sunt complexa, seu aggregata ex diuersis generibus, vt *animal, albedo*; tametsi dicatur ens per accidēs ad distinctionē perseitatis specificæ, & essētialis, qualē habet quidditas composita ex entibus, quæ in vnam coalescunt substantiam vnitate rigorosa: ergo concretum accidentale eo modo, quo est vnum definiri potest, videlicet prout æquè importat suas partes realiter vnitas. Ergo falsò dicitur, concretum accidentale prout æquè constat ex subiecto, & forma accidentaria definiri non posse. Probo consequentiam: omne ens eo modo, quo habet vnitatem, est cognoscibile, quia cognoscibilitas est passio entis non secus, ac vnitas; Sed concretum accidentale vt æquè importat materiam suam, & formam verè vnitas, habet aliquam vnitatem veram: ergo vt æque importat materiam, & formam est cognoscibile: ergo definibile.

§. 58. Dices cum Ioan. à S. Tho. quæst. 5. art. 5. Ortizio tract. 3. cont. 3. num. 425. & alijs, ens per accidens, cum constet ex rebus diuersi generis, in quo consistit eius essentia, & ex illis rebus non possit resultare vna quidditas, ideo non posse vnica definitione definiri; posse tamen definitione multiplici, seu quam per additamentum vocant, quæ est non vna simpliciter. *Sed contra primo*: quia hoc ipsum vobis respondeo, & supra obieci §. 54. nam definitio Porphyrij est definitio per *Additamentum*, vt vos, & Thomistæ omnes fatemur: ergo per illam totum concretum, seu ens per accidens definiri potest. *Contra secundo*: quia hic non definitur animal v. g. secundum suam absolutam entitatem viuentis sensitiui, sed secundum quod proximè aptum est, deseruitque ad subeundam genereitatem, scilicet secundum quod est pars contrahibilis, & incompleta essentiæ: sicut nec subiectum materiale *Simi* explicatur secundum quod est caro, vel membrum animatum; sed vt *Nasus*, idest vt proximum receptiuum *Simitatis*. Et in albo non exprimitur esse lac, vel niuem, quod materiale remotum, & per accidens est, sed *esse perspicuum terminatum*, quod proximè & per se componit cum albedine: Ergo tametsi animal non exprimatur secundum quod est viuens sensituum, & potius ad hoc alia indigeat definitione; tamen vt est pars contrahibilis, & incompleta essentiæ humanæ, explicabitur in hac definitione generis, non minus, quam *Nasus* exprimitur in definitione *Simi*, esto laxa sit definitio, & non vna simpliciter.

THEO-

THEOREMA VI.

Aduersariorum argumenta diluo.

§. 59. OBijciunt primo Scotistæ Aristotelem, qui cap. de substantia, docuit, Album solam qualitatem significare. Et cap. de Denominatiuis: tradit denominatiua solo casu differre à formis, à quibus sumunt denominationem. Quod dictum (ait Scotus) non esset verum, si denominatiua, siue concreta accidentalia, aliud præter formam in recto significarent.

§. 60. Secundo. Si Album, aut quoduis concretum accidentale significaret per se subiectum seu habens formam, hæ propositiones, ac similes essent nugatorię: *lignum est album*: *lignum est quantum*, redderent enim hunc sensum: *lignum est lignum habens albedinem, &c.*

§. 61. Tertio: Hæc prædicatio *Homo est albus* est accidentalis: ergo res per se, & in recto significata per prædicatum est id, quod potest esse, & abesse à subiecto; Sed hoc est sola qualitas albedinis: ergo hæc sola, & non subiectum significatur per se, & in recto per album.

§. 62. Quartò: quia si subiectum intraret significatum concreti, redderetur ens per accidens, non solum quoad modum significandi, sed etiam quoad rem significatam, proindeque esset indefinibile.

§. 63. Respondeo, ex legibus Appellationis, & doctrina data §. 56. tria priora argumenta manere facillimè soluta. Quartum vero ex dictis §. 57. & 58. similiter enodari: sed de his iterum infra sermo redibit.

§. 64. Quinto obijcit Poncius: Si huius modi concreta per se primo, & principaliter significarent subiectum, sequeretur vnum album specificè distingui ab alio albo, quod absurdum est. Probatur sequela: Tunc aliqua distinguntur specie, quando quæ principaliter includunt distinguntur specie: Sed ea, quæ principaliter includunt hoc album vt album est, & illud album etiam vt album v. g. Homo albus, & paries albus distinguuntur specie: ergo hoc album, & illud specificè distinguerentur, etiam vt alba sunt.

§. 65. Respondeo, me non dicere concretum accidentale per se primo, & principaliter significare substantiam, vt inferius monstrabo, sed argumentum ex dictis euanescit facilè; nego enim Antecedens, & probationis data maiore, distinguo minorem: quod principalius dicit hoc album distinguitur specificè ab alio ex vi prædicationis formalis, ita vt valeat dicere: *Hoc album non est specificè illud album*, nego minorem. Ex vi prædicationis identicę, vt si dicas *Hoc habens albedinem non est illud habens albedinem*, transeat minor, & nego consequentiam. Ratio est, quia, vt supra monui, concretum accidentale positum ex parte prædicati sumitur adiectiuè, seu pro forma adiacente, quarè hæc propositio: *Hoc album non est specificè illud album* est falsa, quia æquipollet huic: *Hoc habens albedinem non habet eandem albedinem specie, ac illud habens albedinem*; ex parte enim prędicati principaliter importatur forma, & cum distingui specie hic appellet formam, falsum est, formam albi esse distinctam specie ab alio albo, dum dicitur *Hoc album non est specificè illud album*: vel cum dicitur: *Quod importat principaliter hoc album, specificè non est quod importat principaliter illud album.* Etenim quod importat principaliter album in prædicato negato, est forma eiusdem speciei.

§. 66. Sed instabis: Per te Album positum ex parte subiecti sumitur pro subiecto, & album ex parte prædicati sumitur pro forma; sed subiectum, & forma distinguuntur plusquam specie: ergo hæc prædicatio Album in quantum album distinguitur plusquam specie ab illo albo in quantum albo, est formaliter vera. Concedo præmissas, & nego consequentiam, quia in eà fit reduplicatio *Album in quantum album*, quę non fit in pręmissis. In sensu autem reduplicatiuo concretum etiam subiecti vices obtineat, principaliter præsefert formam, quia transit in naturam prædicati, vt eleganter docuit Caietanus 3. p. q. 16. art. 1. *Reduplicatio* (inquit) *transfert terminum subiectum in naturam prædicati, quod constat teneri formaliter: cum enim dico: homo in quantum homo est animal, vel risibilis, perinde est, ac si dicerem: Homo in quantum est homo est animal, vel &c.* accepit à D. Thoma eadem q. art. 10. vide Dissertat. 11.

§. 67. Sexto obijcies D. Thomam in primo distinct. 18 artic. 2. ad 3. & Metaph 5. lect. 9. citatum supra §. 15. Vbi diserctis verbis docet, prædicata, quæ sunt in generibus accidentium non significare principaliter substantiā: atque album solam significare qualitatem, & ex consequenti subiectum; sed genus est concretum accidentale: ergo significat principaliter genereitatem, & ex consequenti naturam: Ergo dum definitur, principaliter explicatur genereitas, & ex consequenti natura, proindeque definitum non erit totum concretum, prout æquè importat vtrumque.

§. 68. Respondeo, Doctorem Sanctum nostram tradere doctrinam: asserui enim §. 56. prædicata omnia accidentalia sumi pro formali, seu adiectiuè: Immò, & ipsum genus dum dico *Animal est genus* sumitur pro sola forma in prædicato. Hinc tamen non bene infertur, Porphyrium definiuisse solam formam; nam vt supra dicebam cum de essentia nominis concreti sit supponere pro subiecto, & significare formam, vtrumque debet in eius definitione explicari; Vt respondi §. 16. Non enim dicimus concretum accidentale principaliter, & per se primo significare substantiam, quod Auicenna falsò putabat, sed subiectum sub accidente definiri in definitione concreti, quod longè aliud est. Item dico subiectum importari in recto, & non formam; siue sit ratione suppositionis, siue alio ex capite, quod etiā est diuersum à significatione principali; nec S. Thomas docet, album significare in recto solam qualitatem, sed *principaliter*. Significare autem principaliter secundum ipsum dicitur contra significare *per posterius*; non contra significare in obliquo, & tamen rectum non opponitur nisi obliquo, vt patet. Igitur hæc benè inter se cohe-

rent, scilicet, concretum accidentale secundum se, & vt obiectum simplicis apprehensionis inuoluere, seu importare intrinsecè subiectum, & formam, & tamen ex hoc toto intellectum considerare interdum subiectum solum; interdum sumere solam formam, vel vtrumque nunc in recto, nunc in obliquo, vt apparet in exemplis supra datis §. 55. At vero in prædicando semper attendere ad formam, vt *principaliter* enuntiandã, subiecto *per posterius* significato, quod tantum vult D. Thomas, de cuius mente non ita solicitos video Thomistas eos, qui docuerunt, definitum hìc esse naturam genericam sub intentione, quos etiam prædicta verba vrgent.

§. 69. Septimo: Natura generica definitur hic secundum se, & non vt prædicabilis est ratione secundæ intentionis; Ergo non definitur genus vt concretum est constans ex subiecto, & accidente. Probatur antecedens: Quia licet prædicari de pluribus actualiter conueniat secundò intentionaliter animali, & cuilibet naturæ genericæ secundum se sumptæ; tamen prædicari aptitudinaliter de pluribus speciebus non conuenit ipsi secundo intentionaliter, seu per accidens rationis; Atqui per prædicari de pluribus speciebus positum in definitione generis non intelligitur prædicari actualiter, sed aptitudinaliter, vt apud omnes in confesso est: Ergo quamuis natura generica definiatur per prædicari de multis speciebus, non ideò definietur vt est concretum secundæ intentionis, seu vt est prædicabile per accidens rationis, sed vt est secundum se, & intrinsecè prædicabilis. Maior pro secunda parte, in qua sola potest esse difficultas, patet: quia Animal, v.g. tam est per se necessario prædicabile, quam est per se necessario intelligibile, aut quam homo est necessario risibilis.

§. 70. Respondeo, hoc argumentum Scotistis posse facessere difficultatem, si vllam habet: quippe, qui docent, naturas vniuersales à parte rei esse negatiuè communes, & ex se aptas, vt sint in multis; quod tamen negat Thomista: quare nego antecedens, & probationis Maiorem, nego, animal adhuc remotè, & aptitudinaliter esse prædicabile de multis tam necessario, quam est intelligibile: non enim est intelligibile ex se in ordine ad plura, nec cum aptitudine ad illa, cum eius modi aptitudo ipsi ab intellectu proueniat, vt latè docui Dissert. 6. per totam, & Dissert. 8. Theoremate 3.

§. 71. Octauò. Si secunda intentio aliquo modo intrat definitionem generis, maximè intrat tanquam causa formalis constitutiua naturæ inesse prædicabilis, sicut albedo respectu albi; sed secunda intentio nullo modo est prædicabilis de speciebus, quia nullo modo est in illis: Ergo non potest esse causa formalis constitutiua naturæ in esse prædicabilis. Probatur consequentia: Impossibile est, quod causa formalis tribuat subiecto aliquem effectum, quem non habet in se: Vnde quia albedo est causa formalis, per quam paries est albus, ipsa multò magis essentialiter est alba iuxta illud Aristotelicum. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Quod certissimum est in causis formalibus: Ergo si secunda intentio nullo modo est prædicabilis, non poterit esse causa formalis constitutiua naturæ in esse prædicabilis.

§. 72. Ouiedus ait, se omittere vulgarem solutionem de prædicabili *quo*, & *quod*, quia est obscura, & rem non dirimit: nam ratio formalis est ex vi cuius prædicatum conuenit subiecto, & hæc nequit esse secunda intentio, quare neque dicenda est (inquit) ratio formalis, neque prædicatum vt *quo*; ideòque respondet, genus, sicut & quodlibet vniuersale constitui non per esse prædicatum actu, sed per esse prædicabile, immò eo ipso, quod actu prædicetur amittere vniuersalitatem, quia per actualem prædicationem, quæ diuisio quædam est, destruitur eius forma, quæ est vnitas: vnde dicit, secundam intentionem, neque vt *quo*, neque vt *quod prædicari*, hoc est non esse prædicatum, neque formam, qua prædicatum constituitur: nihilominus esse formam, qua constituitur prædicabile; genus enim non est prædicatum, sed prædicabile de multis speciebus ita, vt per actualem prædicationem amittat prædicabilitatem, sicut lignum, quod quatenus diuisibile est, includit vnionem; at vero vt est actu diuisum, dicit negationem vnionis.

§. 73. Sed contra insurgit Spinula, primo: Si secunda intentio esset ratio formalis, qua natura constitueretur prædicabilis, etiam ipsa deberet esse prædicabilis, quia vt supra dictum est, effectus formalis competit causæ formali, quod patet in exemplo Ouiedi: Quià enim vnio est causa formalis, per quam compositum sit dissolubile, hoc est per quam partes eius possint dissolui, ipsa etiam à partibus dissolui potest: Ergo si secunda intentio non est prædicabilis, neque erit constitutiua naturæ in esse prædicabilis. Contra secundo: Exemplum de vnione non est ad rem: nam vnio nõ est causa formalis, per quam compositum sit diuisibile, sed qua compositum sit vnitum, & diuisibilitatem ad summum supponit, non causat: cuius rei signum est, quod etiam seclusa vnione anima est diuisibilis à corpore, actualis enim diuisio non tollit diuisibilitatem; immò eiusmodi actus non modo non tollit potentiam, sed perficit: Ergo.

§. 74. Ita instat Spinula: Ast faciliùs Ouiedum vrgerem ex suamet doctrina: Ideo per te secunda intentio non est ratio formalis prædicãdi, seu prædicatum vt *quo*, quia ratio formalis prędicandi ea est, ex vi cuius prædicatũ conuenit subiecto, quod nequit per te competere secundæ intentioni; Sed eo ipso nec ipsi competere potest esse rationem formalem ex vi cuius prædicatum possit conuenire subiecto: Ergo non solum ei repugnat esse prædicatum vt *quo*, sed etiam esse rationem formalem, qua natura constituitur in esse prædicabilis. Consequentia est bona. Maior à se concessa, minorem probarem eo medio, quo ipse probaturus est, non posse secundam intentionem esse rationem formalem ex vi cuius prædicatum conueniat subiecto.

§. 75. Respondeo ergo, communem solutionem bonam esse. Et certè Ouiedum, atque Spinulam simul fugit notio secundæ intentionis genericæ, quam ex Caietano sic explico. Considerat primo intellectus, albedinem v.g. esse in Socra-

Socrate. Deinde enuntiat verbo: *Socrates est albus*. Tribus nempe terminis propositionem efformamus, quorum ly *est* significat compositionem Socratis cum albedine. Tandem reflexè attendit operi suo intellectus, atque varias relationes vnicuique voci, seu termino appingit. Socratem relatione donat subiecti, album relatione prædicati, & ly *est* relatione prædicationis. Vnde prædicatio, seu prædicabilitas fundamentaliter sumpta est coniunctio rei prædicatæ cum subiecta re. Prædicabilitas verò formaliter nil est aliud quam illa relatio fundata in verbali copula. Falluntur igitur, qui existimant, prædicabilitatem huius modi esse rationem formalem, per quam prædicatum realiter conueniat subiecto, seu per quam cum illo identificetur, hoc enim iam supponitur, & factum realiter, & cognitum per intellectum. Nam sicut Paternitas non constituit Socratem in esse principij generantis filium, sed supponendo iam ipsum genuisse, solum refert illum ad natum: Ita prædicabilitas supposita identitate naturæ genericæ cum subiecto, & supposita etiam cognitione apprehendente eiusmodi identitatem (tanquam fundamento, & ratione fundandi) refert animal ad hominem, vt quid superius ad suum subijcibile. Pensanda ergo est prædicabilitas omninò ad modum oppositæ subijcibilitatis, sicut enim subijcibilitas nil est, nisi relatio, per quam v.g. Homo ponitur, vel poni potest vt subiectum in propositione, in qua prædicatur animal, quin sit ratio formalis, per quam homo essentialiter, & obiectiuè sit animal, ita & prædicabilitas è contrario, &c.

§. 78. Ad argumentum dico, rem fribolam assumi, & manifestè expugnabilem, nam similitudo, v.g. est ratio formalis per quam Petrus est similis Paulo, & tamen ipsa similitudo non est similis Paulo. Album est tale per albedinem, & tamen albedo, vt ex D. Thoma supra ostendi, non est alba, anima rationalis est, qua corpus fit tale in sententia S. Thomę, & ipsa non est corpus, & alia sexcenta; quare in his peccatur ex confusione recti cum obliquo. Concessa ergo vtraque præmissa; nego consequentiam, & probationis dato etiam antecedente; nego consequentiam, & suppositum, quod ad hoc, vt causa formalis præstet suum effectum formalem, exigatur, vt etiam ipsa denominetur, & sit qualis est, & denominatur terminus resultans ex subiecto, & eiusmodi forma. Dicere autem genereitatem debere prædicari simpliciter, vt sit ratio formalis prædicandi, tam falsum est, quam similitudinem debere assimilari Paulo, ad hoc, vt per illam Petrus sit Paulo similis. Sola igitur natura prædicatur sicut solus Petrus assimilatur; genereitas vero minime dicitur prædicabilitate; sed cum addito, vt *quo*, per quod solum denotatur, esse relationem, qua natura prædicabilis fundamentaliter constituitur in esse extremum intentionaliter vnibile cum altero extremo, scilicet subiecto. De axiomate autem Arist. *Propter quod vnumquodque*, &c. Vide Dissertat. 62. Vbi illud explano.

§. 77. Nono obijcies: omne per accidens reducitur ad aliquod per se, à quo illud dicitur per accidens: Sed res, (id est natura generica) definitur per accidens quia definitur per hoc, quod intentio sibi accidit: ergo intentio per se hìc definitur. Ita Scotus vbi supra.

§. 78. Respondeo: nego consequentiam, datis pręmissis: nec hoc argumento aliquid probatur, nisi præter naturas, quæ per accidens sunt prædicabiles, & genera denominantur, debere assignari aliquam formam, quæ per se, & essentialiter sit ipsa prædicabilitas, seu genereitas, à qua illæ denominentur, quod non inficior; Immo fateor, hanc genereitatem in abstracto per se, & essentialiter definiri posse, atque debere.

§. 79. Decimo: Si res per accidens definitur, idest natura sub intentione quæ sibi accidit: ergo non definitur, quia definitio conuenit definito per se. Sic Scotus ibidem: vtuntur hoc argumento Complutenses, & alij appellantes Aristot. 1. Poster. cap. 4. vbi docet, definitionem, et partes eius in primo modo dicendi per se (idest essentialiter) conuenire definito.

§. 80. Respondeo, nego consequentiam, quia quale fuerit definitum, taliter sibi conueniet definitio: si definitum fuerit vna quidditas, & ens per se specificum, definitio, & essentialiter, & per se sibi conueniet; secus, si aliter. Nam quo iure quæso, definire tenebor essentialiter, & per se hominem musicum, Thuribulum, aut Æs Campanum, cum eius modi res sint prorsus entia per accidens? Aristoteles intelligendus est de definitione quidditatiua; non de qualicumque explicatione.

§. 81. Vndecimo: Hic non definitur id, quod accidentaliter, & denominatiuè est genus, sed id, quod essentialiter genus est: ergo sola secunda intentio definitum, quæ sola essentialiter est genus. Ita Caietanus vbi supra. Vtuntur eo argumento Merinerus n. 21. & alij Scotistæ.

§. 82. Respondeo. Nego antecedens. Quia disputamus de definitione prout à Porphyrio data est, qui si voluisset explicare id totum, quod essentialiter, & quidditatiuè est genus, aliam certè tradidisset rigorosam per verum genus, & differentiam; non hanc, quam dicunt per *additamentum*. In qua natura realis loco generis ponitur. Et ens rationis loco differentiæ.

§. 83. Duodecimo, & vltimò: Plura entia actualia nequeunt definiri vnica definitione; Sed concretum, vt compositum accidentale est, præfert plura entia actualia, naturam videlicet, & accidens rationis: ergo definiri nequit.

§. 84. Respondeo: Distinguo maiorem: non possunt definiri plura entia, vt plura sunt, concedo, plura, vt vnum sunt accidentale: subdistinguo definitione rigorosa transeat: definitione per *additamentum* nego, recteque dixi, §. 57. & 58.

DISSERTATIO XIV.

Num Porphyriana Generis definitio sit recta? vbi de genere eius Physico, & Metaphysico.

§. 1. DEfinitionem, qua Porphyrius genus explicauit exactam esse docent omnes

nes tùm Theologi, tum Dialectici, nec nisi Grammaticus ausus est eam vellicare Laurentius Valla, quem tota Philosophorum exibilat academia: ridemus etiam pauculos, qui grammaticum sequi non erubuere, vt Martinium, & Izquierdum. Cum autem omnis bona definitio ex genere constet, atque differentia, quærimus in præsenti, quid illud sit, quod loco generis constituerit Porphyrius? de quo tres feruntur sententiæ. Prima tenet, in hac definitione locum generis obtinere *Vniuersale*, idque exprimi per ly *quod prædicatur*, ita, vt hic reddatur sensus. *Genus est vniuersale quod prædicatur de pluribus differentibus, &c.* quod etiam reliquis prædicabilibus eo tenore definitis competit, vt *species est vniuersale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero &c.* Ita M. Sotus quæst. de genere ad 5. M. Mercadus cap. de propio fol. 24. Didacus à Iesu disput. 6. quæst. 2. Titelmanus tract. de prædicab. cap. 7. subtilis Doctor Scotus quæst. 3. de genere. Valera distinct. 3. de genere artic. 2. q. 1. num. 4. Merinerus disput. vnica de genere quæst. 1. num. 25. & communiter Scotistæ.

§. 2. Sed hæc Sententia rem benè explicaret, veraque saltem primo adspectu appareret, si omninò non esset opposita menti Porphyrii, qua propter vt ipsi repugnans communiter reijcitur. Porphyrium autem minimè per ly *quod prædicatur* vniuersale voluisse exprimere, res adeo clara est, vt non nisi oculis opus sit, quibus eiusdem contextus legatur, quem subiicio. *Eorum quæ de pluribus prædicantur alia de vno solo dicuntur, vt indiuidua, veluti Socrates, & iste, & istud: Alia de pluribus prædicantur, vt genera, species, Differentiæ, propria, & accidentia communiter; sed non cuique propiè. Atque genus est (exempli causa) animal, species, homo: differentia rationale: proprium risibile: accidens album, nigrum, sedere. Genus igitur ab hisce quidem, quæ de vno solo dicuntur hoc sanè differt, quod ipsum de pluribus prædicatur.* Ex quibus constat, prædicabile, seu ly *quod prædicatur*, quod primo ponitur loco generis à Porphyrio non esse vniuersale, quia in illo conuenit genus cum indiuiduo, in vniuersali non conuenit: quod si addideris ly *de multis*, vt constituas vniuersale, iam addis differentiam, & non defendis primum, & simplex genus à Porphyrio designatum.

THEOREMA I.

Thomistica, sententia probatur: non nullæ obiectiones soluuntur.

§. 3. Secunda sententia tenet in hac definitione, sicut in omnibus concretorum accidentalium, loco generis subiectum subrogari, & loco differentiæ formam, quæ definitio dicitur per *additamentum*, eo quod ad explicandam essentiam incompletam accidentis, adsciscitur ab extrinseco subiectum realiter ab ipsa diuersum, quod docuit Aristoteles septimo Metaphysicæ, & D. Thomas ibidem, atque innumeris locis: quare pro genere ponitur hic natura realis quæ quidem subiectum est, denotaturque per ly *quod*: & pro differentia statuitur *prædicabilitas de pluribus differentibus, &c.* quæ forma est secundæ intentionis exprimitur per sequentes voces *prædicatur de pluribus &c.* Ita omnes Thomistæ, quibus subscribo. Vide PP. Complutenses, qui hunc modum definiendi accuratè explicant disput. 5. de genere quæst. 2. & quæst. 4. si tædet euoluere antiquiores, vt Flandrensem metaph. 7. q. 9. art. 1. Soncinatem metaph. 7. quæst. 6. qua propter ab hoc munere abstinebo, contentus recitare clariora D. Thomæ testimonia: ille ergo Aristotelem loco citato textu 4. luculenter explanat. Substantia est (inquiens) *prima inter omnia entia secundum definitionem, & secundum cognitionem, & secundum tempus: quod sit prima secundum definitionem patet, quia in definitione cuiuslibet accidentis oportet ponere definitionem substantiæ, sicut enim in definitione simi ponitur Nasus, ita in definitione cuiuslibet accidentis ponitur propium eius subiectum.*

§. 4. Horum reddit rationem Sanctus Doctor lect. 4: *quia substantia* (inquit) *quæ habet quidditatem absolutam non dependet in sua quidditate ex alio, ita, vt oporteat exteriorem in eius definitione poni. Accidentia verò non habent esse, nisi per hoc, quod insunt subiecto: Et ideo eorum quidditas est dependens à subiecto, & per hoc oportet, quod subiectum indefinitione accidentis ponatur quandoque quidem in recto, quondoque verò in obliquo. In recto quidem, quando accidens significatur vt accidens in concretione ad subiectum, vt cum dico simus est nasus concauus. Tunc enim nasus ponitur indefinitione simi quasi genus ad designandum quod accidentia non habent subsistentiam, nisi ex subiecto. Quando verò accidens significatur per modum substantiæ in abstracto, tunc subiectum ponitur in definitione eius in obliquo, vt differentia: sicut dicitur simitas est concauitas nasi.*

§. 5. Quod si petas, cur fiat eius modi vicissitudo, quod idem Nasus modò in rectó sit genus *simi* in concreto; modò in obliquo sit differentia *Simitatis* in abracto? Rationem reddit eleganter idem Sanctus Magister in primo secundæ partis volumine quæst. 53. art. 2. ad 3. vbi ait: *Quocumque modo significetur accidens, habet dependentiam ad subiectum secundum suam rationem, aliter tamen, & aliter: Nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidenti, & terminatur ad subiectum, nam albedo dicitur, qua aliquid est album, & ideo in definitione accidentis in abstracto non ponitur subiectum quasi prima pars definitionis, quæ est genus; sed quasi secunda, quæ est differentia: dicimus enim quod simitas est curuitas nasi; sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim album quod habet albedinem. Propter quod in definitione huius modi accidentis ponitur subiectum, tanquam genus, quod est prima pars definitionis; dicimus enim quod simus est nasus curuus.* Hactenus S. Thomas. Et licet hæc sit clara, & vera sententia, nec contra illam alicuius momenti obijci possit argumentum.

§. 6. Nihilominus Thomistæ non nulli dicunt, dupliciter concretum accidentale definiri posse, physicè, videlicet, seu quasi physicè, & etiam metaphisicè, seu quasi. Eum, quem optimè præscripsit S. Tho. dicunt esse modum de-

finitionis physicæ, qua nempe concretum explicatur per suas quasi partes physicas, quarum subiectum, quod est materia, vices obit generis, & forma differentiæ, eo fere modo quo hominem per corpus explicamus, & animum rationalem. Alio modo explicari per partes Logicas, seu metaphysicas, nempe genus, & differentiam, vt si dicas, *Album est coloratum disgregatiuum visus*, vbi album definitur per concretum *coloratum* loco generis, & per *Disgregatiuum* loco differentiæ, qualiter homo per animal rationale explicatur. Vnde genus hac definitione quasi metaphysica expressum est prædicabile de multis differentibus, &c. *seu est vniuersale in multis specie differentibus, vt quidditas partialis eorum*. Et species erit *vniuersale in multis differentibus numero, vt quidditas totalis eorum*. Et sic de cæteris, quam opinionem censeo improbabilem non esse in Thomistica Schola, quod & censuit M. Ortizius tract.3.conf.3.§.4.num.433. & longè ante illum M. Zerna Logicæ disput.3.sect.2.quæst.1.artic.1. M. Nuño apud Ortiz, &c. quare.

§. 7. Tertia sententia affirmat, Prædicabile statui hic loco generis Metaphysici. Ast non omnes huius sententiæ Patroni de hoc prædicabili conueniunt, (vt omittam Scotistarum supra refutatum dogma opinantium per prædicabile intelligi *vniuersale*, eo quòd essentia vniuersalis apud istos in prædicabilitate de multis consistat) Nam quidam sumunt illud prædicabile pro eo quod de pluribus prædicari potest, quod non potest, nisi vniuersali competere tanquam eius passio, vt Auicenna Logicæ cap. 6. M. Oña q. 2.articul.1.conclus.1. Alij verò prædicabile vsurpant pro remotiore aptitudine ad prædicari, qualis est ea, quæ abstrahit à prædicabili de vno, & prædicabili de multis: Prædicabilitas enim de aliquo subiecto æquè conuenit tam Petro, v. g. quam Animali; tametsi per differentias *de vno*, & *de multis* postea differant. Ita Caietanus, Toletus, Villalpandus super hoc cap. Et hæc explicatio doctissimorum Cardinalium mihi arridet, vt verior, mentique Porphyrij conformior.

§. 8. Probatur eodem fundamento, quod supra §. 2. è litera Porphyrij innuimus; & quam Toletus *rationem conuincentem* appellat, in hunc syllogismum conformo: Differentia ponitur in definitione ad excludendum ea, quæ sub eodem genere conueniebant: Sed ly *de multis* ponitur, vt differentia, per quam indiuiduum differat à genere; Ergo indiuiduum, & genus conueniebant in prædicabili: Ergo illud prædicabile non erat vniuersale, seu prædicabile de multis: Patet consequentia, quia indiuiduum non erat vniuersale, alioqui ly *de multis* non esset differentia, cum esset ratio conueniendi inclusa in ipso vniuersali. Maior est per se nota. Minor docetur à Porphyrio. Cum ergo indiuiduum sit prædicabile quidem; sed de vno; Genus autem de pluribus; igitur prædicabile vt abstrahens ab vno, de multis, erit genus vtrique.

§. 9. Intolerabilis est Rodriguezius, ob idque minimè audiendus, qui prędicta ratione conuictus respondet, quod per genus huius definitionis debet indiuiduum excludi, ne generis aut alterius prædicabilis sibi rationem vsurpet, quæst.3.prædicab.artic.1. Sed si Author hic sicut textum sui Scoti pręsefert, ita Porphyrij litteram inspexisset, aliam excogitasset responsionem: quare non nisi contra illam reclamantis Porphyrij codice impugnandus est, iubendusque, vt legat hęc: *Ab his ergo, quæ de vno solo prædicantur differunt genera, eo quod hæc de pluribus dicuntur, & eodem cap. infra: Quare genus de pluribus prædicari diuidit ipsum ab ijs, quæ de vno solo dicuntur, sicut indiuidua*, quid clarius?

§. 10. Igitur in hac definitione ly *quod prædicatur* sonat prædicabile, quod est genus communissimum tam generi, quam Indiuiduo. Deinde ly *de pluribus* est differentia subalterna, qua genus incipit differre ab indiuiduo, quæ quidem pluralitas inferiorum contracta per ly *differentibus specie* tanquam per differentiam vlteriorem ipsum vlterius differre facit ab specie: Demum ad vltimam descendens differentiam, quæ est ly *in eo quod quid est*, vltimò ab accidente, propio, atque differentia discriminatur. Hæc est ipsamet Porphyri doctrina, vt textum intuenti patebit. Quo autem pacto vnica definitio pluribus fabricari differentijs possit, ac debeat, abundè explico infra cap. de differentia dissert. 24.

§. 11. Dices: Vniuersale est genus ad quinque prædicabilia per te: Sed genus est vnum ex illis quinque: ergo in eius definitione propium suum genus, nempè vniuersale assignandum est: Sed illud prædicabile remotum, & abstrahens à prædicabili de vno, & prædicabili de multis vniuersale non est. Ergo nec generis genus est.

§. 12. Fateor, prædicta ratione conuinci, vniuersale statui posse tanquam genus proximum, & incomplexum in definitione generis: non vero illud fuisse statutum à Porphyrio in iam præstita definitione, reposuit enim ille definitionem pro definitio, vt si pro animali subrogaretur viuens sensibile in definitione hominis, quod permittit Aristoteles 2. Topicorum. At ex illo, quod hic pro genere ponitur, & prima differentia coalescit genus proximum, nempè vniuersale, sicut ex viuente, & sensibili conflatur animal, ita, vt, qui volet, apte poterit definire: *Genus est vniuersale in multis differentibus specie &c.* sed vt sæpe dixi, non disputamus, nisi de definitione à Porphyrio tradita, in qua ly *quod prædicatur*, seu *prædicabile* loco generis statuitur; & quamuis addito ly *de multis* fiat genus proximum, nempè vel vniuersale, vt putat Scotus vel prædicabile commune, (quod est propria vniuersalis passio) illud tamen iam complexum quoddam est ex genere remoto, & prima differentia subalterna; & non genus proximum, & incomplexum. Cæterum cum nemo reprehendere possit hanc hominis definitionem est *viuens sensibile rationale.* Cogita te hunc contra illam syllogismum vibrare similem supradicto, *Animal est genus: sed viuens, vt abstrahit ab animali, & non animali non est animal: Ergo viuens non est genus in ea hominis definitione*. Ecce tua obiectio, ad quam respondebit quispiam, viuens sensibile poni pro animali, complexum pro incomple-

plexo, definitionem pro definitio: Attamen in ea definitione solum viuens esse genus, & pro genere statui; nam *sensibile* est iam differentia. Id ipsum dico de definitione Porphyrij, in qua solum *prædicabile* fuit positum loco generis; at ly *de multis* differentia est, fatente, semetque explicante Porphyrio. Concessa ergo maiore de genere proximo; neganda est de remoto, quod simul cum prima deferentia complexum efficit, quod generi proximo æquiualet.

§. 13. Obijcies contra primam definitionem: Subiectum secundæ intentionis, siue natura generica non est aliquid commune, & vniuocum omnibus subiectis, & naturis, quæ possunt esse genera: ergo subiectum eiusmodi non potest poni loco generis in præfata definitione. Probatur antecedens: non solum naturæ reales, sed etiam entia rationis subeunt genereitatem; sed nullum subiectum assignari potest, quod vniuocè conueniat substantiæ, & accidenti, enti reali, & rationis: ergo. Ad hoc argumentum latè respondi dissertatione præcedenti Theorem. 2. à §. 11. vsque ad 14.

§. 14. Leuioris momenti sunt, quæ contra secundam definitionem (quam probabiliter physicam dicunt præfati Thomistæ) objiciunt Murcia, Caberus, & Merinerus. Ita illi: In hoc modo explicandi Porphyrium committitur quasi quædam nugatio, & vitiosa repetitio: Ergo non est ipsius menti germanus. Probatur antecedens: Nam in illa particula *quod* iam sub intelligitur prædicabile; sed post modum additur ly *prædicatur de pluribus &c.* Ergo idem bis in definitione inculcatur, sensusque redditur hic: *Genus est prædicabile, hoc est aptum prædicari, quod est aptum prædicari de pluribus differentibus specie*, qui nugatorius est.

§. 15. Nego antecedens, & probationis nego etiam maiorem: Nam sola vocula *quod* non significat prædicabile, sed iuncta cum ly *prædicatur*: etenim prædicabile exprimitur per id, quod prædicatur, idque sufficitur loco generis, vbi nam ergo nugatio?

THEOREMA II.

Cæteræ definitionis particulæ explicantur.

§. 16. LOco differentiæ ponuntur reliquæ voces, quarum ly *de pluribus* genus ab indiuiduo secernit, quod non nisi de vno enuntiatur. Ly *differentibus specie* illud ab specie discriminat, quæ solum de differentibus numero dicitur, vt species est formalissime. Differt item potissime genus ab specie in eo, quod prædicatur vt pars contrahibilis, & in completa essentiæ: Equidem species non nisi vt essentia completa, & perfecta indiuiduorum dicitur de illis, quod significatur per ly *differentibus specie*. Ratio est, quia ex duabus essentijs completis, atque distinctis quales quidem sunt duæ species, impossibile est, abstrahere vnam essentiam completam: etenim eo ipso, quod essentiæ distinctæ sint, id tantum poterit ab illis abstrahi vt vnum, in quo illæ essentialiter adunantur, id est ratio in qua partim, & inadæquatè conueniunt, (supponuntur enim essentialiter distinctæ) vnde præter id, in quo conueniunt, inuoluunt etiam rationes illas, quibus eiusmodi essentiæ fiunt distinctæ, atque essentialiter dissimiles: Igitur illa ratio, in qua illæ conueniunt, quæ dimidium essentiæ earum est (vt sic dicã) nõ nisi incõplete de ipsis prædicari potest; reliqua parte essentiali remanente in differentijs: quod quidem non contingit in specie; in hac enim ita conueniunt, atque assimilantur indiuidua, vt nihil essentiale restet de ipsis prædicandum, quod in specie non contineatur: Nam hæcceitates non sunt de essentiæ participio, sed accidentia Metaphysica, vt alibi monstrabitur.

§. 17. Hinc patet, Rodericum de Arriaga audacule quidem addidisse definitioni Porphyrianæ particulam *in completè*, id minimè facturus, si illam bene penetrasset. Nam quod genus prædicetur incompletè, satis, superque denotatur per hoc, quod de pluribus differentibus specie prædicetur, vt modo dixi: Repugnat enim aliquid prædicari de multis speciebus, & non prædicari, vt quid incompletum de illis. Probo: si res vlla prædicaretur de illis completè, illæ essent species diuersæ, & non diuersæ, quod impossibile est: essent quidem diuersæ, vt supponitur; item non essent, quia adæquate conuenirent in tota essentia, quandoquidem vna & completa essentia explicite prædicaretur de illis. Ex sufflanda ergo est Arriagæ inutilis minutia.

§. 18. *In eo quod quid est.* Verba hæc sonant essentialiter, seu vt loquuntur dialectici, *quidditatinè*. Nam per *Quid* significatur essentia rei, quoniam percontanti, quid est homo? non respondetur, quod sit rationalis, vel albus, aut Musicus; (hoc enim ad interrogationem *qualis sit*? attinere perspicuum est) sed quod sit animal, aut viuens: vnde prædicari *in quid* dupliciter vsurpatur. Primo pro prædicari essentialiter, (per quod differt etiam genus ab accidente, & propio.) Et hac latissima notione *Quidditatis*, etiam differentia prædicatur *in quid*, quia non accidentaliter, sed vt quid essentiale prædicatur de specie. Altero modo sumitur pro prædicari substantiuè, quando scilicet prædicatum non solum est de essentia subiecti; sed etiam seruat modum peculiarem substantiæ, quæ semper significatur per modum per se stantis idest nomine substantiuo. Nam rationale, v.g. sensitiuum, &c. tametsi substantiæ sint, & essentiæ, proindeque (spectata re significata) semper prædicetur *in quid*. attamen ex modo significandi (significantur enim nomine adiectiuo, siue vt quid adiacens alteri, videlicet suo subiecto, vt rationale animal, sensitiuum corpus &c.) non dicuntur per se, & rigorosè prædicari in *Quid*, vt cap. de differentia pleniùs dabo. Et quamuis Aristot. Topicorum 4. cap. 6. & locis alijs doceat, differentiam prædicari in *Quid* latiore quidditatis significatu; minimè tamen voluit peculiarem modum prædicandi generis competere differentiæ; nec enim interroganti, quid sit homo? bene responderetur, quod sit rationalis (vt supra diximus) quia per eius modi interrogationem quæritur id, quod de homine præ-

prædicatur isto speciali modo. Differt ergo genus per prædicari in quid, (idest substantiuè) à differentia, quæ prædicatur in *quid adiectiuè* vel in *quale quid*,

§. 19. Differt insuper genus per ly *de pluribus differentibus specie in eo, quod quid* à prædicatis transcendentibus, vt ens, vnum, bonum, quæ genera non sunt; quia eo ipso, quod transcendant differentias, atque eas inuoluant, non prædicantur incompletè, seu per modum partis Metaphysicæ, de cuius ratione est, compartem omninò excludere: denotatur autem, genus debere excludere differentias per ly *differentibus specie*, quod sonat *incompletè*, eo sensu, quo supra explicabamus.

THEOREMA III.

Argumenta aduersantia enodantur.

§. 20. PLura alia argumenta qui volet, apud alios videat soluta; à facilibus enim tritisque abstinebo; sed quia nouus Author recentibus telis instructus Prophyrium feror inuadit, operæ pretium erit, communem Magistrum, à tam ingenti periculo liberare. Sebastianus enim Izquierdo Iesuita in Baro Scient. disputat. 17. quæst. 13. num. 236. seuerè affirmat, multos in præsentiarum vexari in defendendis hac, & alijs definitionibus prędicabilium traditis à Porphyrio, in illisque componendis, & explicandis, vt sint exactæ, addentes etiam non nunquam eis particulas aliquas, quas in suo Authore non habent, quasi hoc sit defendere Authorem; & non potius eum tacitè reprobare, quod tales particulas omiserit. Sed certè non esse, cur in accomodandis definitionibus Porphyrii tempus teramus; qui enim in diuidendis, recensendis ve prædicabilibus adequatè, & vt scientia postulat, manifestè deceptus est (inquit ille) etiam in illis definiendis decipi potuit; immò de facto fuit deceptus: si quidem definitiones, quas tradit, neque discernunt ab alijs sua definita, neque illa sufficienter declarant. Hactenus Izquierdus. Sed age, & quibus istæc probet, videamus argumenta.

§. 21. In primis genus non solum prædicatur in eo quodquid, seu essentialiter de pluribus differentibus specie, sed etiam de pluribus differentibus numero. Immò genera suprema, etiam prædicantur de pluribus differentibus genere: Vnde species non differt à genere per prædicari de pluribus differentibus numero, per quod dumtaxat definit eam Porphyrius capit. 2. Ergo, &c.

§. 22. Dices, speciem prædicari de solis differentibus numero cum tamen genus insuper prædicetur de differentibus specie, aut etiam genere.

Contra primo; Quia id Porphyrius debuisset exprimere. *Contra* secundo: Quia esto genus, & species per id inter se distinguantur; at ab alijs prædicabilibus non distinguuntur: Nam prædicabile mixtum, tum de pluribus differentibus specie, tum de pluribus differentibus numero prædicatur, atque in hoc cum genere conuenit, Prædicabile autem Anonymum, & differentia etiam de solis differentibus numero prædicantur, in quo cum specie conueniunt. Ergo.

§. 23. Respondeo; Hoc argumentum iam pridem à centum, & plusquam annis à Caietano, item à plusquam quadrigentis ab Alberto Magno, immo à plusquam sexcentis annis ab Auicenna solutum fuisse; Vt taccam minus antiquos, & iuniores, qui eamdem difficultatem ità à sex sæculis propositam, & solutam quotannis in codicibus tyronum soluere solent. Nec enim Izquierdus aliquam nouam instantiam, aut difficultatem attulit, qua vetustas solutionis recenter impugnaret: quamobrem aio, solutionem antiquam esse bonam: nam genus prædicatur de solis speciebus per se; quia, & si de indiuiduis prædicetur, non per se prædicatur, sed per aliud, siue mediate, quæ Alberti Magni solutio est. Species autem è contra per se ipsam prædicatur de indiuiduis, quoniam per se ipsam participatur ab eis: genus vero, sicut mediante specie participatur ab indiuiduis, ita per speciem, & non per se ipsam prædicatur de eisdem, cui responsioni accinit Caietanus hoc loco. Ad instantiam nego, per aliquas voces debuisse exprimi, genus prædicari non tantum de indiuiduis, mediate, &c. nam in omni definitione verba sumenda sunt per se, & vt scite notat Poncius, ea omnia significantur satis, dum dicitur genus esse prædicabile de speciebus: eo enim ipso datur intelligi, quod de indiuiduis non prædicatur, nec immediate, nec tantum.

§. 24. Ad id autem, quod addit de prædicabili mixto: (sic vocat definitionem) & de prædicabili Anonymo, quod ipse non explicat, nec vllum illius producit exemplum, vt supra notabamus Dissert. 2. Dico definitionem prædicari in *Quid*, & in *Quale* simul, vtpotè quæ genus importat, atque differentiam, ob idque, & alia excludi à numero prædicabilium, vt ibidem diximus. Quod si Anonymum, & differentia prædicantur, etiam de multis differentibus numero, in quo cum specie conueniunt, quid inde? Immo etiam Accidens, & propium id habere fatemur: non enim ex sola ratione conueniendi desumenda est identitas specifica, vt & pueris notum est. Nam differenia quidem habet per quod ab specie discriminetur, præter id, in quo conuenit cum ipsa: Atque etiam prædicabile Anonymum ab ipsa debet differre per aliquam particulam, eo ipso, quod Izquierdus illud constituerit distinctum prædicabile à quinque Porphyriani, vel sibi imputet, quod illi non prouiderit sufficientem rationem differendi à cæteris.

§. 25. Deinde falsum est genus prædicari per se de pluribus differentibus genere: nihil enim subijcitur generi, nisi in quantum species est, nec genus de aliquo prædicatur, nisi à quo participatur, atque eo ipso quod genus prædicetur de participante ipsum, iam prædicatur de sua specie, quia species est, quæ ex genere componitur, atque differentia. Quod vero eius modi species possit etiam de alijs speciebus prædicari, id acciden-

cidentarium prorsus est ad rationem generis, sicut ad rationem speciei est accidentarium, quod prædicetur de indiuiduis differentibus sexu, vt Sortes, & Berta, vel non differentibus, vt Sortes, & Plato.

§. 26. Secundo obijcit: Per prædicari *in eo quod quid*, seu essentialiter genus, & species non distinguuntur à differentia: Falsum enim est, hanc prædicari in *quale quid*, vt docet Porphyrius, sunt namque termini repugnantes, si quidem prædicari in *Quale* propium est prædicatorum accidentalium addentium aliquid subiecto, atque adeò illud quodam modo qualificantium: Prædicari autem in *Quid* propium essentialium nihil subiecto addentium, sed illud constituentium intrinsecè, qualiter constituit differentia: ergo absolutè dicenda est *in eo quod quid*, seu essentialiter prædicari. Antecedens directè traditur ab Aristot. 1. Posteriorum. Textu 21. docente, vtramque partem definitionis, nempe genus, & differentiam prædicari in *Quid*. Et clarius 7. Topicorum cap. 2. loco 31. dicente: *In eo quod quid &c. genus, & differentia prædicantur.*

§. 27. Dices: differentiam adiungi generi, vt in *Quale* dicatur prædicari. Contra: quia non adiungitur illi, vt subiecto, sed vt comparti, cum qua constituit speciem; alioquin definitio differentiæ etiam conueniet generi, quod etiam prædicatur vt pars, & alteri comparti adiungitur: Ergo.

§. 28. Respondeo, hoc argumentum satis dilui ex dictis supra §. 18. similiter que iam pridem à sexcentis annis dilutum fuisse, nempe sęculo Auicennæ: quare sicut Izquierdus nihil noui adiecit antiquissimæ obiectioni, ita & ego communi, ac veteri solutioni nihil addidero. Ast producit Aristotelem quasi aliquid contra Porphyrium docuisse ille; Sed reuera Izquierdus non viderat Aristotelem, nisi à Rubio citatum. Nam si Scriptro hic, vt Porphyrium impugnaret, consuluisset Aristotelem, didicisset vtique; nihil magis Aristoteli consentaneum dici potuisse, quam differentiam prædicari in *Quale*, id que Porphyrium, non nisi ab Aristotele accepisse. Equidem in quinto Metaphysicæ capit. 13. enumerat Aristoteles quatuor modos *Qualium*, seu qualitatis, inter quos primum, & præcipuum quale statuitur differentia essentialis. Audi Phylosopum. *Quale dicitur vno quidem modo differentia substantiæ, vt quale quid, Homo animal, quia bipes, sed & equus quadrupes, & circulus quidem æqualis: quia quædam figura; quia agonon quasi differentia secundum substantiam qualitate existente. Vno quidem modo hæc dicitur qualitas differentia substantiæ. Alio autem modo,* &c. citauit Izquierdus septimum Topicorum; sed non legerat quartum, vbi cap. 2. manifestum contra se inuenisset testimonium, ibi. *Quod autem hoc verum, manifestum: nulla enim differentia in eo quod quid est de speciebus prædicari, separandum est genus, & differentia.* (Ecce argumentum desumptum ex eo quod genus, & differentia conueniant in prædicari in quid: attende nunc discrimen.) *Primum quidem, quoniam genus de pluribus dicitur, quam differentia. Deinde quoniam secundum eius (quod quid est) assignationem magis conuenit genus, quam differentiam dicere: Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile. Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat: genus autem differentiam non, nam qui dicit gressibile quidem, animal dicit; qui vero animal dicit: non dicit quale quiddam gressibile: differentia igitur à genere sic separanda.* Hactenus Phylosophus.

§. 29. Ex quibus planè apparet, apud Aristotelem differentiam, tum esse generis qualitatem, tum prædicari in *quale*: liquet etiam, prædicari in *quid*, & in *quale* non esse terminos repugnantes, vt perperam Author ille cogitabat, instantia autem, præter quam quod nemo respondet eius modi nugas, quas ille impugnat, adeò puerilis est, vt & responsione indigna sit. Nam cum nemo dicat prædicationem in *quale* consistere in eo, quod res adiungatur suæ comparti, nescio ex quibus præmissis inferat, etiam generi debere competere definitionem differentiæ. Deinde ridiculum est monere, differentiam adiungi generi, vt comparti, non vt subiecto, perinde, ac si repugnaret, eamdem rem esse compartem, & subiectum: Equidem forma substantialis adiungitur materiæ primæ vt subiecto, proindeque vt comparti. Nego igitur, differentiam non qualificare genus. Nego item prædicabilitatem in *quale* consistere in adiungi comparti, si res adiuncta non significatur nomine adiectiuo. Verùm hæc ita facilia, sunt claraque, vt mirer, homini, vel leuiter Logica initiato difficultatem ingerere potuisse!

§. 30. Tertio obijcit. Porphyrium indefiniendo genus per speciem, & rursus speciem per genus circulum fecisse vitiosum, vt notauit Arriaga.

§. 31. Hoc argumentum simul cum litera Porphyrii natum est, videlicet à mille quadringintis annis, quippe quod Porphyrius ipse sibimet obiecit, atque soluit: cuius etiam nonnullas tum veterum, tum iuniorum dialecticorum solutiones adducam, atque examinabo infra cap. de specie. Vnde nec Arriaga id primo notauit, nec Izquierdus sciuit, quinam ex grauibus, antiquisque Porphyrii interpretibus illud bene, vel male soluerint, quod sæpe euenit ijs, qui non eiusmodi Doctores, sed domi suæ natos tantum libros versarunt.

§. 32. Obijciunt alij quarto: Nihil ponitur in hac definitione per quod genus differat à specie, nisi quod genus prædicetur de differentibus numero, Sed hæc non est sufficiens differentia: Ergo. Minor probatur; Si differre numero, vel differre specie ea, de quibus vniuersalia prædicantur, sufficeret ad distinctionem essentialem, & specificam prædicabilium, sequeretur, genus subalternum, & genus infimum essentialiter, & specie differre adeò, vt diuersa etiam constituerent prædicabilia quando quidem genus sub alternum prædicatur de multis differentibus genere; & infimum de differentibus specie.

§. 33. Respondi supra §. 25. negando genus prædicari posse formaliter de differentibus genere: nec enim possibile est, genera per se subijci alteri generi, cum genera per se potius respiciant sua subijcibilia, suas videlicet species. Quare nunc

nunc etiam nego minorem, & probationis sequelam. Nam genus, & species non eo præcise distinguuntur, quod genus de speciebus, & species de indiuiduis prædicetur; sed eo quod genus in quid incompletè; species autem in quid completè de inferioribus enuntiantur: nec ob id vocula *incompletè* addenda erat generis definitioni; cum aliunde satis innotesceret, vt supra §.15. & 16. contra Arriagam explicabamus.

DISSERTATIO XV.

Prædicetur ne genus de indiuiduis vt genus, & an propium eiusdem inferius sit quid abstahens ab specie, & indiuiduo, quod vocant subijcibile in quid incomplete?

§. 1. QVæstio hæc non adeò facilis est, vt meritò à nonnullis debeat prætermitti, illam enim M. Masius ait, *difficultatem habere, & subtilitatem*. Conimbricenses item *Controuersiam pro re non exigua* vocant. Inquirimus, quod nam sit correlatiuum, & immediatum subijcibile generis? Et ratio dubitandi oritur ex hoc quod genus tum de specie, tum de indiuiduis directè prędicatur. Tametsi enim vulgò dicitur, genus non prędicari de indiuiduis, nisi mediante specie: nam animal non dicitur de Petro, nisi ratione humanitatis, id tamen de genere respectu indiuidui completi, seu specifici certum est dumtaxat, non respectu indiuidui incompleti, seu generici quale est *hoc animal*, de quo immediatè videtur genus animal enuntiari. Rursus admisso, quod genus immediatè prædicetur de indiuiduo completo, vel incompleto: dubitatur vlterius, an de illo dicatur, vt genus formaliter, an vt species? in quibus extricandis dialectici varias ineunt sententias.

§. 2. Prima est, Louaniensium, qui cap. de genere docent immediatum, & adęquatum correlatiuum generis esse solam speciem, ita, vt hæc genereitatis relatio minimè respiciat indiuidua, nec aliquid aliud subijcibile. Quod si reclames perperam negari genus respicere indiuidua, cum de ipsis directè enuntietur; hæ enim prędicationes quidditatiuæ, formales, atque directæ sunt. *Petrus est animal, Bucephalus est animal.*

§. 3. Respondent: genus respectu, & habitudinę ad indiuidua non esse, nec dici genus; sed esse attributum quoddam in nominatum, & à cęteris prędicabilibus diuersum, ac proinde ipsi vt sextum prędicabile adnumerandum. Sed verò quamuis hanc sententiam communiter reijciant Authores, & M. Masius prorsus ridiculam, & tantis Doctoribus indignam appellet, nostra tamen ętate Joanni Poncio potuit arrisisse disput. 4. num. 64. & 65. vbi afferit, animal de duobus annonima prędicabilitate enuntiari, quę nec genereitas sit, nec specifica, nec vlla earum, quas Porphyrius recensuit.

§. 4. Secunda sententia quorumdam est, quos tacito nomine refferunt Louanienses, affirmantium, correlatiuum immediatum, & adæquatum generis non esse speciem, neque indiuidua; sed quid abstrahens à subijcibili specifico, & indiuiduali, quod vocant *subiicibile in quid incompletè*, ad quod primò, & adequatè genus terminatur. Quę opinatio alioqui ab omnibus deserta, & multo temporum situ obruta, nunc demùm placuit Ricardo Lynceo, tract. 2. de genere cap. 7. num. 80. placueratque antea Hurtado disput. 5. de specie sect. 1. §. 9.

§. 5. Tertia, & communis sententia fert, correlatiuum immediatū generis esse quidem speciem; adęquatum tamen non esse illam solam, sed vna cum indiuiduis: Ita vt generis relatio primo, & per se speciem spectet; at secundario simul etiam ad indiuidua corriuetur: ita grauissimi Authores, vt Ammonius, Boethius, B. Albertus Magnus, Scotus, Caietanus, &c. quos innumeri recentiores tum Thomistę, tum Scotistæ sequuntur.

THEOREMA I.

Genus ad solam speciem immediatè, & adæquatè terminari suadetur.

§. 6. TErminus ordinis, seu habitudinis in prȩsentiarum diuiditur apud Doctores in immediatum, & mediatum, in adæquatū, & inadęquatum. Terminus immediatus is est, qui ratione sui, & non alterius terminat relationem, seu habitudinem. Sic lumen terminat visionem immediatè, quia per se excipit actum videndi. Mediatus autem est, qui alterius ratione terminat relationem, qualis est color, qui non nisi medio lumine perspicitur, terminat ve eamdem visionem.

Rursus terminus adęquatus dicitur, qui solus tòtam habitudinem ita adęquat, & explet, vt pręter illum non possit ipsa ad alterum tendere. Sic color est adęquatus visionis scopus, quippe nihil cernere potest visus, quod aliquo colore prędituma non fuerit. Cęterum hic terminus, qui adæquatus, vel immediatus, &c. dicitur, demùm considerari etiam potest, vt formalis, & vt materialis. Dicitur formalis, qui per se terminat ordinem, seu habitudinem, & habet essentialem proportionem cum illa, vt in prędicto exemplo color, qui per se terminat visionem, habet essentialem proportionem (vulgo correspondentiam) cum visiua potentia. Materialis vero, nec per se terminat, nec per se habet quod vniatur, vel identificetur cum formali. Sic viriditas (v. g. (quatenus talis dicitur materialiter terminare visionem, quia sub ratione formali coloris cernitur, qua cum identificatur, sic & paries, qui vnitur colori, non nisi vt materialis terminus visionem excipit.

§. 7. His itaque statutis: prædicti tertiæ, veræque sententiæ Doctores asserunt, speciem esse terminum correlatiuum primarium, & immediatum generis, non tamen adæquatum. Ratio: quia licet genus primo, & immediatè respiciat species, tamen mediate respicit indiuidua, de quibus ipsæ species prædicantur: ergo species non ita complent, exhauriuntue terminabilitatem generis, vt non etiam ad indiuidua illud extendatur: Igitur species non sunt terminus

eius

eius adæquatus, tametsi primarius. Dicunt insuper, indiuidua esse terminum mediatum, sed tamen adæquatum ipsius generis ob eamdem rationem, nempe quia terminant ratione speciei, atque ita plenè, vt extra indiuidua ad nihil aliud possit genus relationem suam, seu superioritatem dirigere. Ita M. Masius sect. 2. de genere quæst. 3. D. Fonseca metaph. lib. 5. cap. 28. quæst. 14. Conimbricenses cap. 2. de specie, q. 2. artic. 1. Hyer. Valera distinct. 3. de genere artic. 3. quæst. 2. Rodriguezius de specie quæst. 1. artic. 2. & alij communiter à quibus quamuis non nihil dissideam.

PROTASIS I.

§. 8. Assero primo: Species sola est immediatus, formalis, atque adæquatus terminus, seu correlatiuum generis, non vero indiuidua. Probo: de ratione intrinseca generis est prædicari per modum essentiæ incompletæ, seu potentiæ metaphisicæ essentialiter contrahibilis: ergo genus exigit rationem terminandi essentialem, qua formaliter, & per se cōpleatur, & determinetur eiusmodi potentia, & contrahibilitas: sed sola differentia essentialis est complementum proportionatum, & actus essentialiter contractiuus eiusmodi contrahibilitatis: ergo sola differentia essentialis est ratio terminandi formaliter, & per se complens, & determinans potentialitatem genericam. Pergo. Sola species vt species constituitur per differentiam essentialem: ergo sola species habet rationem terminandi formalem, & adæquatam generis. Ergo indiuidua, vt talia non habent rationem formalem terminandi genus. Probo hanc solam consequentiam, quia cęteræ liquent. Indiuiduatio non est actus essentialis in ordine Metaphysico proportionatus cum potentia essentiali, nec complens essentiam; sed supponens completam: At qui indiuidua vt talia formalissimè, solum contrahunt genus per suas indiuiduationes: ergo non terminant illud per rationem terminandi proportionatam, & formalem. Maior est perspicua: Ideo enim forma accidentalis non est actus proportionatus complens, & determinans materiam primam v. g. quia materia prima est potentia substantialis, cum qua non potest proportionari nisi actus eiusdem ordinis, nempe forma substantialis: Et quamuis mediatè, & interuentu formæ etiam recipiat accidentia: attamen eo ipso, quod accidentia supponant materiam iam determinatam, & completam per actū essentialem, sibique proportionatum, minimè illam determinant, nec adęquant, sed potius afficiunt ens iam completum, nempè compositum Physicum: Sed etiam indiuiduatio per vos est actus accidentalis in ordine Metaphysico, similiter essentiam supponens completam: ergo indiuiduatio in ordine Metaphysico non est actus proportionatus cum potentia essentiali, qui illam compleat, aut adæquet. Hæc pro maiore prædicti syllogismi. Minor est euidens, consequentia legitima.

§. 9. Dices: Hoc argumento probari quidem, indiuidua esse terminum materialem generis, speciem vero primarium, & formalem; non tamen conuinci, speciem esse terminum generis adęquatum: quia præter illam sunt alia subijcibilia, ad quæ genus directè tendat, nempè indiuidua, de quibus dicitur directè.

§. 10. Sed contra: Quia ille est, diciturque propriissimè terminus adæquatus alicuius habitudinis, qui ita circumscribit, & exhaurit totam habitudinem, vt nullus alius possit eam terminare, nisi per illam, & ratione illius, vt patet inductione: Sed species diuidentes genus eo ipso, quod sint terminus formalis habens essentialem proportionem cum eius potentialitate, ita illud circumscribunt, atque exhauriunt, vt indiuidua, & si quid aliud est, vel esse potest, quod participet, vel terminet illud, non nisi per identitatem cum specie, & ratione speciei participent, & terminent genus: ergo eo præcisè, quod species sint terminus formalis generis, deducitur optimè, quod sint terminus adęquatus. Maior est definitio termini adæquati. Minor hinc patet, quòd id, quod per se non habet proportionem essentialem cum ordine, seu habitudine, non potest esse terminus adæquatus, nec inadæquatus illius. Ergo eo pręcisè quod indiuidua non sint termini formales generis nequeunt adæquatè, nec inadequatè genus terminare. Res est manifesta in colore, & pariete: eo enim præcisè quod color sit terminus formalis visionis, est etiam adæquatus: proindeque paries, vt paries non est terminus adæquatus, nec inadæquatus eiusdem, quia impossibile est, parietem vt talem videri, nisi vt colore præditum, id est ratione vnionis cum termino formali.

§. 11. Obijcies: Correlatiuum inadæquatum est illud, præter quod est aliud, quod terminet habitudinem relatiui: sed præter speciem, est aliquid aliud, quod habitudinem generis terminet in quantum genus est, videlicet indiuiduum: ergo sola species est inadæquatum correlatiuum generis. Maior est definitio termini inadæquati. Minor patet: quia hæc prædicatio *Petrus est animal* est generica per te, in qua quidem aliquid quod non est species, nempe indiuiduum terminat prædicabilitatem genericam: ergo non sola species ipsam exhaurit.

§. 12. Dices, indiuiduum esse terminum materialem, mediatum &c. proindeque illud relationem generis terminare mediatè, materialiter, per accidens, &c. Sed contra primo, quia eo ipso, quód dicas, indiuiduum esse terminum mediatum, materialem, &c. concedis, speciem non esse terminum adæquatum genereitatis. Terminus enim adæquatus eiusdem constabit ex formali, & materiali, qui simul totam generis amplitudinem adæquent: ergo cum eius modi habitudo nō sistat in termino formali, sed etiam ad materialem transeat: species, quæ formalis terminus est, formalis quidem erit; sed non adæquatus.

§. 13. Contra secundo: quia terminus immediatus non excludit mediatum, vt patet in exemplo luminis, qod immediatè visionem terminat, & quia visio transit in colorem, qui terminus

minus mediatus est, ideò lumen non est eius modi visionis adæquatus terminus. Similiter actus videndi est primus, & immediatus terminus potentiæ visiuæ: & tamen eo ipso, quod hæc terminetur vlterius ad suum obiectum visibile, Visio non censetur eiusmodi potentiam adæquate terminare: At qui species respectu generis sunt terminus immediatus, sicut lumen respectu visionis, & sicut ipsa visio respectu visiuę potentiæ, quando quidem non ita explent latitudinem generis, vt eiusdem prædicabilitas non deriuetur etiam ad indiuidua: ergo &c.

§. 14. Respondeo; ad Argumentum, distinguo maiorem: Correlatiuum inadæquatum est id præter quod datur aliud, quod terminet habitudinem relatiui: Aliud, quod illam terminet per se, Concedo: præter quod est aliud, quod terminet per accidens; nego, eadem distinctione minorem admitto; Deinde nego consequentiam. Terminus enim adæquatus, vel inadæquatus cuiuslibet ordinis debet aliqua perseitate ordinem contingere: alioqui simili argumento probaretur etiam, colorem vt sic vt proximè visibilem non esse terminum adæquatum visionis vt sic, quod est falsum, & contra omnes. Ecce tuus discursus. Id, præter quod est aliud terminans visionem vt talem, non est totalis, & adæquatus terminus illius; sed præter colorem vt proximè visibilem, datur paries v.g. lapis, & cætera obiecta materialiter visibilia, quę eius modi visionem terminant: Ergo color adhuc vt proximè visibilis, non est adæquatus terminus visionis vt sic. Quid ais ad hæc? nisi obiectum visibile per accidens non debere poni extra coloratum, nec cum illo numerum facere. Item parietem v. g vt parietem minimè posse videri, nisi ratione vnionis, quam habet cum termino formali, videlicet colore. Age ergo, & hoc ipsum de indiuiduo dictum puta: id enim per se minimè attingit habitudinem, aut prędicabilitatem generis, nisi ratione vnionis intentionalis, seu idemtitatis, quam habet cum specie. Et sicut non potest dici, parietem esse aliquid visibile extra, vel præter coloratum: ita nec affirmari potest, indiuiduum extra, vel præter speciem esse subijcibile generi.

§. 15. Hinc euanescit prima instantia argumenti, terminus enim materialis non efficit numerum cum formali, sed sub ipso continetur. Euanescit etiam secunda instantia: nego enim speciem, & indiuidua quatenus terminant genus congruè comparari cum lumine, & colore quatenus terminant visionem, & multo minus cum actu videndi, & obiecto ad quæ ordinatur visiua potentia, vt infra monstrabo. Omnes enim hi termini sunt formales, & aliqua perseitate contingunt suas habitudines; licet vnum alio mediante illas contingat. Nam lumen per se est visibile sicut, & color: Item visio per se terminat visum, & obiectum etiam per se. (admisso quod eadem relatione in vtrumque feratur visiua potentia quod falsum est) Ast indiuiduum non modo non respicitur à genere per se mediatè, sicut color medio lumine, & obiectum media visione; sed nullatenus per se, quamobrem neutrum exemplum admitto. Et si quod aptius, germanius vè debet admitti, id videlicet est, quod inculcauimus de pariete, & colore. Porrò habitudo potentiæ cognitiuæ ad suum actum est relatio realiter distincta ab habitudine, qua suum respicit obiectum: prima enim est causæ ad effectum, estque primi generis relationum: Altera vero est attingentiæ, seu vnionis intentionalis, cuius terminus nempe obiectum non producitur sicut prioris; sed potius agit, potentiam immutando, quæ tertiæ classis relationum est.

THEOREMA II.

Genus non prędicari per se, & immediate de indiuid uis completis ostendo.

PROTASIS ALTERA.

§. 16. Assero secundo: Genus non prædicatur immediatè de indiuiduis completis. Conclusio communis, & certa vtriusque scholæ: dissident Ouiedus, & Comptonus, & quidem contra apertam Porphyrij mentem, qui cap. de specie nostram sub his verbis docuit sententiam: *Ac omne quod est ante indiuidua, proximè que de ipsis prædicatur, species erit solum, non etiam genus*. Hęc ille iuxta D. Boethi, quam sequimur translationem: & iuxta versionem Argyropili ita habet: *Atque omninò id omne, quod est ante indiuidua, & de ipsis sine medio prædicatur, species erit dumtaxat, & nullo modo generis rationem subibit*. Quibus manifeste satis affirmat, solam speciem proximè, & sine medio pędicari, ita, vt minimè sit genus id quod ita de indiuiduis dicitur: hoc quippe non nisi remote, & mediate solum, & vt Scotus loquitur *per accidens* enunciatur de illis. Scotistarum autem Hieronymus valera asserit, hanc esse expressam Aristotelis mentem quarto Topicorum cap. septimo. Item Rodriguezius affirmat, Aristotelem quarto Topicorum, cap septimo aperte fateri, genus non posse de indiuiduis prędicari, nisi medijs speciebus. Sed ipsi falluntur aperte: non enim est visum caput septimum quarti Topicorum; cum citatus quartus liber non nisi sex dumtaxat habeat capitula: Immò (quod plus est) in toto eo libro, vbi de locis generis differit, nihil tale scripsit Aristoteles, vt euoluenti patebit: excusandus tamen Rodriguezius est, quippe citationem falsam transcripsit ex Peruano Valera; sed ad rem.

§. 17. Notandum, indiuidua sumi posse, vel materialiter, vel formaliter: non loquimur de indiuiduo materialtier sumpto, certum est enim omnes gradus superiores ęquè, & immediatè esse in illo idemticè, & realiter. Sermo est de indiuiduo formaliter considerato, & prout est ima radix arboris prędicamentalis infra monstrandę. Gradus autem superiores inesse obiectiuo, & cognoscibili priores sunt, quo sunt vniuersaliores: omnis enim prioritas (si temporis excipias) in aliqua dependentia fundatur, quare cum in cognoscendo alter ab altero dependeat, ideò in esse cognoscibili, & obiectiuo alter est altero prior, posteriorue.

§. 18. Insuper bifariam quoduis prædicatum dicitur esse immediatum respectu subiecti. Primo immediatum *subsistendi consequentia*, quando scilicet prædicatum probatur de subiecto immediata consequentia, ita, vt inter illud prædicatum, & subiectum non intercedat alia: Sic homo est immediatum prædicatum Socratis, quia immediata consequentia colligitur: *Est Socrtes: ergo homo*. At vero viuens erit prædicatum mediatum, quia medijs duabus consequentijs de Socrate probatur, vt *est Socrates: ergo homo: ergo est animal: ergo viuens.* Et hoc quidem in cognitione discursiua, seu in tertia operatione intellectus contingit. Altero modo in secunda operatione prædicatum dicitur immediatum, quando inter ipsum scilicet, & subiectum non intercedit enũtiandum aliud prædicatum, quando inter ipsum scilicet, & subiectum non intercedit enuntiandum aliud prædicatum, quod sit superius subiecto, & inferius prædicato. Sic de Socrate affimatur immediatè *Homo*, & mediatè *Animal*, eo quod inter Socratem, & Animal intercedit Homo, superior quidem Socrate, & inferior Animali, quod & docuit Porphyrius supra citatus, aiens speciem *proximè* prædicari de indiuiduis, & vt fert alia versio *sine medio*. Quibus satis indicauit, non solum in discursibus dari prædicatum medium per subsistendi consequentiam dumtaxat prius, (vt Aduersarij male putant) sed etiam in iudicio, & enuntiatione *medium* concedi debet, itaut non minus detur medium prædicabile, quam demonstrabile. Sicut enim consequentia medians facit prædicatum esse mediatè demonstrabile, haud secus medians enuntiatio efficiet, prædicatum esse mediate prædicabile, & quia species ita prædicatur de indiuiduo, vt inter Hominem, v.g. & Petrum nullum restet prædicatum enuntiabile de Petro, quod sit eo superius, & inferius homine, ideo notauit Porphyrius speciem prædicari de indiuiduis *proximè sine medio*. Ex his autem facilè.

§. 19. Probatur conclusio. Illud prædicatur mediate de subiecto, inter quod, & subiectum restat aliud prædicatum superius subiecto, & inferius prædicato; inter genus, & indiuiduum restat illud prædicatum, videlicet species, quæ superior sit indiuiduo, & genere inferior: ergo genus prædicatur mediatè de indiuiduo.

§. 20. Dices cum Comptono: æque immediatè prædicari genus de specie, ac de indiuiduo, quia æque immediatè singularizatur vnus gradus, atque alter.

§. 21. Contra primo. Hoc est manifeste contradicere Porphyrio aienti, minimè posse esse genus, nec rationem generis subire id, quod immediatè de indiuiduo prædicatur. *Omnino id omne, quod est ante indiuidua, & de ipsis sine prædio prædicatur, species erit dumtaxat, & nullo modo genus rationem subibit*.

§. 22. Contra secundo, & simul explico rationem à priori. Prædicatio est contractio quædam intentionalis, qua prædicabile determinatur ad subiectum: ergo genus nequit immediatè prædicari de indiuiduo. Probo consequentiam. Essentia incompleta, & essentialiter contrahibilis ex se petit immediatè contrahi per actum sibi proportionatum, nempe essentialem, & intrinsecum in ordine Metaphysico; Sed Genus est prædicabile per modum essentiæ incompletæ, & essentialiter contrahibilis: ergo exigit per se, & immediatè contrahi per actum essentialem, sibique proportionatum. Tum sic: species contrahit genus per differentiam essentialem, quæ actus essentialis est, atque proportionatus; Indiuiduum autem contrahit illud per indiuiduationem, quæ est actus secundarius extrinsecus, & accidentalis in ordine Metaphysico essentiatum: ergo genus per se, immediatè, & prius exigit contrahi per speciem ratione differentiæ essentialis, quam per indiuidua ratione singularitatũ.

§. 23. Hinc infero, eos omnes, qui genus dicunt prædicari de indiuiduo immediatè, atque etiam vt genus, idest incompletè, non leuem nectere implicationem. Nam si prædicatur essentialiter incompletè: ergo non immediate de indiuiduo; non enim potest illud incompletum immediatè vniri intentionaliter cum actu essentialiter supponente naturam completam, qualis est indiuiduatio: ergo petit vniri cum anteriori complemento, nempe essentiali. Equidem eo ipso, quod materia prima sit substantia incompleta, non potest vniri cum accidente, quod quidem est actus essentiale complementum supponens. Infero subinde, Ouiedum, atque alios, qui dicunt genus prædicari immediatè de indiuiduis incompletis, & quod prædicetur complete de illis; non seruare consequentiam doctrinæ; dum alioqui affirmant, genus prædicari immediatè de indiuiduis completis, atque simul de ipsis prædicari incompletè.

§. 24. Contra tertio: Quid rogo est *æque immediatè singularizari vnum gradum, ac alterum?* (quæ responsio Comptoni est,) si intelligas, æque simul atque immediatè omnes gradus superiores esse rem singularem, seu cum illa identificari materialiter, & physicè, verum quidem est, sed non ad rem: Si sensus est, conceptus formales, communes, & superiores, prout à suis actibus, & terminis contractiuis virtualiter distinguuntur, æque exigere, quod intellectus illos determinet per singularitatem, ac per differentias essentiales; respondes id ipsum, quod in quæstione est, proindeque nihil respondes.

Obiectiones depulsæ.

§. 25 Obijcies aduersus secundam assertionem argumentum, quo Ouiedus cogitur affirmare, genus immediatè prædicari de indiuiduo. Genus nihil aliud est quam aggregatum ex indiuiduis diuersarum specierum: Ergo sicut potest diuidi immediatè in species, tanquam in membra vniuersaliora, etiam poterit immediatè diuidi in ipsa indiuidua. Probatur consequentia exemplo vlnę, quę constat ex duabus semiulnis, & palmis, quę potest immediatè diuidi in duas semiulnas, & postea quęlibet semiulna in duos palmos, & potest etiam immediatè diuidi in quatuor palmos: Ergo similiter genus etiam si possit diuidi immediatè in species; ex vi alius diuisionis potest diuidi immediatè in indiuidua.

§. 26. Respondeo, antecedens esse falsum, immò continere præcipuam nominalismi falsitatem. Genus enim apud Peripateticos minime, est aggregatum ex speciebus, nec ex indiuiduis vt latè probauimus differtat...... sed est natura quædam communis obiectiuè, & formaliter distincta ab essentialibus, atque indiuidualibus differentijs, ad quas comparatur, vt potentia Metaphysica perfectibilis, & in completa: potentia autem essentialiter incompleta ex se prius, & immediatè petit compleri, & perfici per actū essentialem sui ordinis; sibique proportionatum, videlicet per differentiam essentialem: Quare exemplum vlnæ non est ad rem, quando quidem nec simeulnę, nec palmi, sicut nec vllæ partes continui habent inter se ordinem essentialem actus, & potentiæ, immò potentiæ perfectibilis per actus, quorum quidam sunt essentialiter posteriores alijs, nempe accidentales: non ergo erat comparanda generis contrahibilitas cum diuisibilitate continui; sed potius, aptiusque cum potentia materiæ primæ, vt explicui supra §.8. & 23. Ad formam argumenti etiam gratis antecedente falso admisso; nego consequentiam, & probationis exemplum reijcio, ob datam disparitatem.

§. 27. Obijcies item: Eadem ratione, qua prędicatum aliquod abstrahitur ab inferioribus potest de illis prędicari; Sed cognitis indiuiduis diuersarum specierum, v. g. cognitis duobus equinis, tribus leoninis, & quatuor humanis, potest ab illis immediatè abstrahi ratio animalis: ergo potest immediatè de illis prędicari. Maior est certa, quia eadem ratione, qua aliquid ab alio abstrahitur in illo reperitur, & eadem ratione, qua aliquid in aliquo reperitur, potest de illo prędicari. Maior probatur illa indiuidua possunt immediatè cognosci in ordine ad operationes in omnibus similes: ergo posset ab illis omnibus immediatè abstrahi quędam ratio generica.

§. 28. Respondeo, hoc argumentum mutuasse Ouiedum Controuers.4. de genere punct. 4.num.11, ab hurtado, qui formalius, & magis ad rem proposuit illud disput.4. sect.5.§.14. probat eo Hurtadus, genus prædicari immediatè de indiuiduis incompletis; negat vero prædicari posse de completis immediatè. Et vel hinc apparet clarè, illud minime fauere Ouiedo, ad probandum genus prædicari immediatè de indiuiduis completis, alioqui fatendum erit Hurtado, se argumentari ratione destruente suam sententiam. Sed vero ille addit aliquid, quod subticet Ouiedus, videlicet ignorationem specierum. Nam quando video quatuor indiuidua animalis, nempe duos leones, & duos homines possum explicite cognoscere ea esse animalia; at ignorare, quæ animalia: in hoc euentu abstrahere possum immediatè animal ab ijs indiuiduis, quia præter indiuiduationes, quas remoueo nulla mihi apparet ratio diuersitatis, aut differentiæ (suppono enim, me ignorare eos esse leones, vel homines) quare percipio rationem omnibus illis vniformem, & communem, proindeque rationem animalis immediatè prædico de illis indiuiduis incompletis, nempe de hoc, & illo animali, sicut immediatè ab illis eam abstraxi, Quod tantum vult Hurtadus. At vero si Ouiedus velit amplius me cognoscentem expresse differentias hominum, atque leonum essentiales, posset abstrahere immediatè ab indiuiduationibus rationem genericam animalis; fallitur omnino, quia remotis per intellectū indiuiduationibus, adhuc remanēt diuersę eius modi naturę, atque dissimiles, quapropter opus est, vt iterum remoueam differentias rugibilis, & rationalis. Equidem si abstrahere naturam ab indiuiduis, nil aliud est, quam illam cognoscere non cognitis indiuiduationibus; etiamsi millies cognoscam leones, & homines; non cognitis eorum indiuiduationibus, adhuc tamen leo remanebit, & homo, nec resultabit vnum genus animalis, quousque iterum eorum naturas abstraham à rationibus cōstituentibus hominem, & leonem, id est non cognoscam eorum essentiales differentias. En vides argumentum pro Hurtado rem conficere; pro Ouiedo vero minime. Igitur data maiore, nego minorem, & probationis antecedens: nam intellectus non potest cognoscere ea indiuidua, vt vnum principium operationum omnino similium, nisi non cognitis operationibus dissimilibus, seu earum principijs, quod est abstrahere à differentijs essentialibus: non ergo poterit abstrahi immediatè ratio generica ab indiuiduis.

§. 29. Obijcies tertio. Homo contrahitur immediatè per singularitatem: ergo, & animal, patet consequentia, quia homo nil est aliud, quā animal rationale; Sed Petrus immediatè est homo; ergo immediatè est animal rationale. Immo animal, non enim ex eo quod *Petrus sit hoc animal rationale*, tollitur, quod sit *hoc animal*.

§. 30. Respondeo concesso antecedente; nego consequentiam, quia animal contractum per rationale iam est animal medio rationali enuntiatum, proindeque non iam mediatè.

§. 31. Obijcies quarto. In hac prędicatione *Petrus est animal*, vel mediat homo, quatenus animal, & sic non mediat, quia vt talis non distinguitur à prędicato. Vel mediat, quatenus rationalis, & sic etiam non mediat, quia Petrus vt rationalis formaliter non est animal: ergo nullatenus mediat.

§. 32. Respondeo inter Petrum, & animal mediare hominem, vt homo est, non vt animal, neque vt rationalis præcisè.

§. 33. Obijcies quinto à priori (vt vult Comptonus.) Qcia licet viuens immediatè contrahatur, & prædicetur de animali, tanquam de subiecto, ita tamen illi inest tanquam subiecto, vt sit ipsum inadæquate, & formaliter: animal enim formalissimè est *viuens sensibile*; Vlterius ad hominem ita contrahitur animal, vt sit inadequatè ipse homo: homo enim formaliter est *animal rationale*. Cum ergo animal sit immediatè viuens, viuens immediatè corpus, corpus immediatè substantia, substantia ens. Petrus, qui ex his omnibus est compactus, est immediatè hoc singulare ens, hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hic homo.

§. 34. Respondeo, hoc argumento Comptonum non modo non probare suam sententiam,

sed eius contradictorium conuincere. Nam in simili argumentatione; Abraham immediatè genuit Isac, Isac immediatè genuit Iacob, Iacob immediatè genuit Iudam: Ergo Abraham immediatè genuit Iudam: non valet consequentia. Haud secus in ista viuens immediatè prædicatur de Petro minime etiam valet illatio. Ratio est euidens. Quia sicut gradus illi generationum realiter distinguuntur, ita proportione seruata gradus hi prædicatorum distinguuntur virtualiter, & ratione ratiocinata inter se: Et sicut in illa graduatione ex immediato contractu, & cathenatione graduum inter se non sequitur immediata, & realis coniunctio Abrahami, cum Iuda, sed potius realis distantia inter illos: ita ex immediata prædicatione graduali horum conceptuum, non sequitur immediata prædicatio substantię de Petro, sed potius virtualis distantia inter illos. Adde quod sermo nobis est de prædicatione generis de indiuiduo. Ast hæ prædicationes, *Petrus est hoc viuens, Petrus est hoc animal,* &c. quas producit Author iste, non sunt genericæ, sed potius indiuidui incompleti materialiter, & physice sumpti de indiuiduo completo: quam ob rem quamuis illi concedamus hanc prædicationem, *Petrus est hoc animal, hoc viuens,* &c. esse immediatam, nihil tamen inde contra nostram poterit inferre sententiam.

THEOREMA III.

Genus qua genus prædicari de indiuiduis: atque correlatiuum generis non esse subijcibile in quid incompletè abstrahens ab specie, & indiuiduo auctoritate, & ratione adstruitur.

PROTASIS III.

§. 35. ASsero tertio: genus non solum de speciebus sed etiam de indiuiduis prædicatur vt genus; nec respectu indiuiduorum est innominatum prædicabile à quinque Porphyrianis diuersum. Probant nonnulli sic, & quidem pacatè, nimis que securè: Genus est vniuersale, quod directè, & in *Quid* prædicatur de indiuiduis: Sed non prædicatur vt species, quia non *completè*, non vt differentia, neque vt *propium*, quia non prædicatur in *quale*, neque vt accidens, quia non *Contingenter*. Ergo prædicatur de illis vt genus. Sic Masius, sic Zerna, Valera, & alij. Ast concessis præmissis, negant consequentiam Louanienses, qui serió affirmant, genus respectu indiuiduorum sextam, & innominatam constituere prædicabilitatem.

§. 36. Alij autem hanc assertionem sic probant: Genus vt tale non definitur in ordine ad species iuxta Porphyrium sed in ordine ad ea, quæ differunt specie; non enim docet Porphyrius, genus prædicari de multis speciebus, sed *de multis differentibus specie*; At qui indiuidua vt Petrus, & Bucephalus non minus specie differunt, quam homo, & equus: ergo genus non minus est genus ad indiuidua, quam ad species: sic M. Masius D. Fonseca Conimbricenses, Valera, & alij recentiores communiter.

§. 37. Sed hæc ratio mihi nimium displicet: Primo quia non seruatur consequentia doctrinæ: Qui enim ea vtuntur, iam quando impugnant sententiam asserentem, correlatiuum immediatum generis non esse speciem, nec indiuidua, sed *subiicibile in quid incompletè*, abstrahens ab vtroque: Confugiunt ad definitionem Porphyrij, dicuntque, illum definiuisse genus per suum immediatum correlatiuum, scilicet speciem, idque fecisse necessitate compulsum: quia iuxta Aristotelem 6. Topicorum cap. 2. Relatiuum non potest nisi per suum terminum immediatum explicari: indeque inferunt, genus non terminari ad eius modi subijcibile commune abstrahens ab specie, & indiuiduo. At quis non videat apertam horum contradictionem? Nam si, vt effugiant *subiicibile incomplete*, clamant, Porphyrium signanter definiuisse genus in ordine ad species tantùm: Quomodo quæso iam nunc dicunt, non in ordine ad species signanter, sed in ordine ad ea, quæ specie differunt vage, siue sint species, siue indiuidua, genus fuisse definitum à Porphyrio.

§. 38. Displicet secundo, quia supponit, indiuidua vt talia differre specie, quod ego constantissimè pernego. Indiuidua enim vt talia non dicunt diuersitatem per principia formalia, sed diuisionem dumtaxat ex parte materiæ.

§. 39. Displicet tertio: Quia si æquè genus definitur per ordinem ad species, & indiuidua in quantum æquè significantur per ly *differentibus specie*: ergo genus æquè immediatè prædicabitur de indiuiduis, ac de speciebus, quod etiam ipsi negabant.

§. 40. Displicet tandem: quia indiuidua eiusdem speciei non possunt significari per ly *differentibus specie* cum non differant specie, Ergo ex eo præcisè, quod Porphyrius non docuerit, genus esse prædicabile de speciebus; sed de *differentibus specie*. Non benè inferunt, genus definiri in ordine etiam ad indiuidua, quorum est genus, vt inferunt Ouiedus, Comptonus, Lynceus &c. Ergo velint, nolint, confugere debent ad aliam rationem, qua comprehendere possint indiuidua eiusdem speciei, quæ prædicta ratio non comprehendit.

§. 41. Quamobrem censeo, ad hoc vt prædicatum quodpiam enuntietur prædicatione generis, non opus esse, quod prædicetur de pluribus differentibus specie, vt scitè adnotauit M. Sotus quæst. vnica de specie ad finem §. *Ad tertium argumentum*. Proindeque frustra vexari qui rationes quærunt, quibus indiuidua differre specie videantur, ad hoc vt genus prædicetur de ipsis prædicatione generica. Nam quamuis ad hoc, vt genus sit, & constituatur vniuersale exigatur, quod sit prædicabile de multis differentibus specie; Attamen ad hoc, vt prædicetur prædicatione generis, non requiritur (inquit Sotus) *quod in illa prædicatur de pluribus differentibus specie, immo in vna prædicatione non potest prædicari de pluribus, sed satis est, quod prædicatum sit genus ad subiectum.*

§. 42. Probo igitur facile primo ex ipso Porphyrio aiente *species quidem de indiuiduo prædicabitur:*

tur: Genus autem, & de specie, & de indiuiduo. Cap. de specie, Item ratione: genus terminatur ad species essentialiter differentes, tanquam ad correlatiuum immediatum, primarium, & per se specificatiuum; Ergo indiuidua supponunt genus primò, & per se terminatum ad species: ergo dum de indiuiduis prædicatur genus exercitè; non est necessè, vt iterum comparetur ad indiuidua, tanquam ad *differentia specie* eo modo, quoad suam primam specificationem comparatum fuit, patet consequentia; nam aliud est constitui genus inesse talis, & aliud est genus iam sic constitutum prædicari de aliquo, quod est euidens in hac prædicatione generis de vna specie; *Homo est animal* in qua tamen animal exercitè non prædicatur de multis differentibus specie. Antecedens probaui Theoremate præcedenti, consequentiæ sunt bonæ. Pergo. Genus prædicatur vt tale de specie; ergo prædicatur vt genus de indiuiduis. Probo consequentiam primo inductione omnium prædicabilium. Nam ideo prædicatur rationale vt differentia de Petro, quia prædicatur vt talis de specie. Ideo risibile prædicatur, vt propium de Petro, quia vt propium enuntiatur de specie, nempè homine ideo Musicum prædicatur vt accidens de Petro, quia de homine dicitur, vt accidens, quod *Musicus sit, &c. &c. Sed de homine* prædicatur animal vt genus; ergo, & de suo indiuiduo vt genus erit prædicandum. Probo secundo eamdem consequentiam: Ideo genus prædicatur vt tale de vna specie, quia de illa enuntiatur in *Quid* ad modum essentiæ incompletæ per differentiam contrahibilis: Sed genus tam de indiuiduis eiusdem speciei, quam de indiuiduis diuersarum prædicatur in *Quid*, & incomplete eomet modo, quo de vna specierum: ergo prædicatur vt genus *de vtrisque*. *Dices, debere prædicari* de pluribus specie differentibus, quod est de essentia generis, idque respectu indiuiduorum non saluari. Respondeo, id esse verum de prædicabilitate specificante, & primaria, quæ comparanda est ad terminum formalem, & primarium; nego autem generis essentiam constituendam esse in exercita prædicatione de indiuiduis, quę vt termini secundarij, & materiales ipsam iam *supponunt integram ratamque*.

§. 43. Objicies: Relatiuum tantum obtinet naturam talis in ordine ad correlatiuum; Sed sola species est correlatiuum per se generis, vt constat ex Porphyrio: immò est formalis, & adæquatus eiusdem terminus per te; ergo genus solum erit genus in ordine ad species: ergo si comparetur ad indiuidua vt talia, nullo modo erit genus; sed aliud innominatum prædicabile.

§. 44. Respondeo, *sub correlatiuo formali* contineri terminum materialem, & per accidens: proindeque id ipsum, quod ad correlatiuum formale ordinatur per se, eadem habitudine non minus dirigi ad materiale: sicut potentia visiua refertur ad visibile formaliter, ita tamen, quod non solum ad colorem formaliter, sed etiam ad parietem dirigatur, tanquam ad correlatiuum per accidens. Idcircò distinguo maiorem: Relatiuum tantùm est tale in ordine ad correlatiuum vel formale, vel materiale concedo: tantum in ordine ad formale nego: Deinde concessa minore, nego consequentiam.

§. 45. Objicies rursus: Indiuiduum formaliter non terminat genus, nec est correlatiuum ipsius: ergo genus non prædicatur vt genus de indiuiduo. Antecedens constat ex §. 8. & sequent. Consequentia videtur euidens: quia impossibile est quod prædicabilitas generis vt talis non terminetur ab indiuiduo, & tamen, quod ad illud referatur vt talis; prædicari enim referri est. *Ergo vel indiuiduum vt tale terminat* genus, quatenus genus est, aut saltem quatenus est diuersum prædicabile à Porphyrianis; vel genus non prædicatur de indiuiduis vt genus est formaliter.

§. 46. Respondeo. Concesso antecedente de terminatione formali, nego consequentiam. Nam licet prima fronte hęc videantur inter se pugnare, scilicet, indiuiduum non terminare genus formaliter, & tamen genus prędicari de illo formaliter vt genus: ast re benè *inspecta*, cohærent optimè, Genus equidem formaliter non nisi per speciem, & ad speciem terminatur: Et quia indiuiduum solum est terminus materialis illius, adeo quidem per accidens illud excipiens, vt si Petrus non esset homo; minime esset ratione Petreitatis animal: Eo ipso, quod genus prædicetur de indiuiduo ratione speciei, de ipso prędicatur formaliter vt genus, quia prædicatur de habente suum formale correlatiuum: E regione vero quia indiuiduum vt tale dicit in recto formam indiuiduationis (facta enim reduplicatione concreti, concretum præsefert in recto formam, vt abundè explicui Dissertat. 13. Theorem. 6. §. 55. & 56. & 66.) propterea Indiuiduum vt tale non terminat genus, sed potius vt species contracta, seu vt concretum specificatiuè significans naturam speciei in recto; & indiuiduationem in obliquo. Discriminandæ ergo sunt eiusmodi propositiones: Indiuiduum terminat genus; Indiuiduum, vt indiuiduum est, terminat genus.

§. 47. Objicies tertio argumentum, quo Poncius conuincitur ad ponendam sextam prædicabilitatem. Animal respectu duorum hominum conuenientium in animalitate, & rationalitate non potest prædicari de ipsis, nec per modum speciei, nec per modum generis: non quidem per modum speciei, quandoquidem intellectus non consideraret ipsum in illis tanquam totam essentiam; non etiam per modum generis, quia non consideraret ipsum per modum superioris, determinabilis, seu contrahibilis: quod probatur; quia non consideraret ipsum, vt determinabile per aliquam differentiam præter rationalitatem; vt posset autem considerare ipsum tanquam non conuertibile, aut magis late patens, id est vt superius, deberet considerare ipsum, vt potens existere absque rationalitate cum alia differentia, vt est euidens: ergo non prædicaret ipsum per modum superioris, aut contrahibilis. Hæc Poncius vbi supra.

§. 48.

§. 48. Respondeo, negando, animal in eius modi prædicatione *Petrus, & Paulus sunt animal* considerari non posse vt determinabile per aliam differentiam: Tametsi enim actu contrahatur ad rationalitatem; aptitudine tamen concipitur vt potens existere cum alia differentia, & hoc quidem in ipsa Poncij (id est Scotica) sententia ante operationem intellectus, ex natura rei: Et in Thomistica per considerationem mentis ratiocinatam. Adde, quod si in eius modi actu non prædicatur animal vt tota essentia, sed vt pars essentiæ, vt ipse Poncius fatetur, eo ipso concipi debebit vt pars contrahibilis, & determinabilis; quando quidem non esset pars contractiua, & differentialis: Igitur vel argumentum nihil probat; vel conuincit, genus non posse prædicari de vna suarum specierum, vt animal de leone ob eius modi contractionem; quod quam futile sit, nemo non videat: vnde miror, virum alioqui per doctum contra vnanimem Doctorum sensum ratione adeò leuicula conspirasse.

PROTASIS IV.

§. 49. Assero quarto: Immediatum correlatium, seu terminus primarius generis non est *subiicibile in quid incompletè* abstrahens ab specie, & indiuiduo. Probo. Ab specie & indiuiduo vel abstrahitur natura aliqua realis, quę nec sit Petrus, nec homo: vel abstrahitur sola subijcibilitas incompleta à subijcibilitate specifica, & indiuiduali. Primum est impossibile: nam in ijs nulla est natura, nisi animal, vel rationale, vel vtrumque, adquæ genus per te non refertur. Si vero sola subijcibilitas abstrahitur: hæc est accidens rationis, de quo non potest animal essentialiter prædicari: Etenim genus non terminatur, nisi ab inferiori, à quo participatur; Sed subijcibilitas incompleta non participat animal: ergo non terminat.

§. 50. Confirmo rem. Omne, quod participat genus, vel est species, vel indiuiduum est: sed *subijcibile in quid incompletè* per te non est species, nec indiuiduum: ergo subijcibile in quid incompletè non participat genus. Quid ad hæc? Negasti maiorem: benè: sed negasti maiorem certam syllogismi Aristotelis, id est quam pro certa, & vera supponit ipse Aristoteles: hoc enim Syllogismo probat ille differentiam non participare genus. Audi: *Neque videtur participare differentia genus.* Ecce conclusio probat sic. *Nam omne quod participat genus, vel species, vel indiuiduum est: Differentia autem neque indiuiduum, neque species est; manifestum igitur quoniam non participat genus differentia.* Topicorum quarto cap. secundo. Ergo illa maior est vera; vel Aristoteles nihil concludit:

§. 51. Dices, illud subijcibile *in quid incompletè* saltem negatiuè, & idemticè esse speciem, & indiuiduum, quod sat est ad hoc vt participet genus. Sed contra. Quia etiam differentia negatiue, & idemtice est species, & indiuiduum: Sed non obstante hac idemtitate eam excludit Aristoteles à participatione generis: ergo potiore iure excludendum est illud subijcibile *in quid incompletè*. Probo consequentiam. Ex his duabus prædicationibus: *Animal est homo*, & *rationale est animal*: prima est magis indirecta, & magis idemtica (vt sic loquar) quam secunda: in prima enim prædicatur inferius de suo superiori, nempe homo de animali; at vero in secunda tametsi genus non directe enuntietur de differentia, enuntiatur tamen tanquam de inferiori saltem indriecto, animal enim superius est rationali: Ergo hæc tua prædicatio: Subijcibile *in quid incompletè est indiuiduum, & species negatiuè*, est magis materialis, & indirecta, quam hæc: *Rationale est animal*, in illa enim prædicatur inferius de superiori, species degenere (quando quidem subijcibile illud commune, vt lynceus affirmat, est genus) ex quibus rationem instauro. Eo, quia de differentia genus non nisi idèmticè, & indirectè prędicatur, negat Aristoteles differentiam participare genus; At qui de subijcibili illo communi multo magis indirectè, ac identicè prędicatur species, & indiuiduū: ergo multo magis, seu potiore iure negabit, illud subijcibile participare genus. Consequentia liquet ex illa maiore Aristotelea; Omne, quod participat genus vel est species, vel indiuiduum, quam, vt eludas, cogeris efficere prædicationem idemticam, & materialem, scilicet *Subijcibile commune est species, & indiuidua*.

§. 52. Nec contemnenda est illatio, quam communiter contra hanc opinationem deducunt alij, scilicet, fore, vt genus infimum sit infimum, & non infimum, quod est impossibile. Esset quidem infimum vt supponitur v. g. animal ad hominem; non esset: quia inter animal, & hominem mediaret aliud genus, nempe subijcibile illud commune.

Ocurrit Lynceus aiens, eam rationem communem subijcibilis in quid incompletè non esse genus quoddam inferius respectu animalis; sed potiùs accidens, addit insuper, nec instar acci dentis cuiusdam, vllo vè modò subijcibile in quid incompletè esse animali inferius, sed potius eo superius; quippe quod illud, & quæcumque alia ita possunt subijci, comprehendit] sed hanc responsionem validè eneruarunt alij argumento, quod supra innui. Nam omne prædicabile in quid, atque superius quatenus tale non terminatur, nsi ad subiectum inferius, de quo essentialiter dicitur: Sed subijcibile commune per se nullo modo est inferius animali, sed potius superius ad illud, nec de eiusmodi subijcibili animal prædicatur, aut prædicari potest essentialiter: ergo animal quatenus prędicaaile genericum, & superius est non terminatur ad subijcibile commune in quid incompletè.

§. 53. Profecto non ideò præcisè, quoniam species, & indiuidua habeant conuenientiam, aut similitudinem in eo, quod subijciantur incompletè; statim inferendum est, dari rationem communem subijcibilitatis incompletæ, quæ per se terminet genus: potest enim fieri (vt reuera contingit) quod illa ratio communis non habeat proportionem essentialem cum habitudine terminanda. Nam etiam colores v, g. conue-

ueniunt in ratione entis intrinsecè; & tamen non terminant visum sub ratione entis, vt est manifestum. Quare mihi cordatior visus est Hurtadus, qui licet dicat, dari hanc rationem communem subijcibilitatis in quid incompletè, quæ per se terminet genus, dicit tamen solum; non probat, nec rem argumentorum examini committit, quippè, quę in sua sententia longè difficilior esset, quam in Lyncei. Nam si abstractio cuiuslibet rationis communis nil est aliud, iuxta Hurtadum, ac cæteros nominalistas, quam confusio indiuiduorum: statuenda esset species, id est omnia indiuidua confusè cognita ex vna parte; & etiam omnia indiuidua clarè cognita ex alia: Deinde vt ex his illa ratio communis abstraheretur, necesse esset iterum confundere indiuidua clare cognita cum se ipsis confusè cognitis, fieretque confusio confusionis, & confusio non leuis; nisi fortè diceret, ex specie, & indiuiduis non fore abstrahendum, nisi accidens subijcibilitatis in quid incompletè, quod sola quinti prædicabilis communitate illis esset commune; sed & hoc iam suprà explosimus.

§. 54. Obiicies: Species, & indiuiduum subijciuntur generi, ita, vt conueniant in subijcibilitate *in quid* incompletè; quamuis in eo differant, quod species subijcitur illi immediatè; Indiuiduum autem mediatè: Sed subijci mediatè, vel immediatè non tollit vniuocationem ab ijs, quę subijciuntur: ergo speciei, & indiuiduo debet assignari aliqua natura subijcibilitatis communis, & vniuoca, quæ sit primus, & immediatus terminus relationis generis. Maior est liquida, minor probatur: Eadem est ratio subijcibilitatis, ac prædicabilitatis; Sed ei, quod prædicatur mediatè, & ei quod prędicatur immediatè, dari potest natura aliqua communis, & vniuoca; etenim generi supremo, & infimo datur eadem communis, & vniuoca ratio generis, & tamen genus supremum est prædicabile mediatum de speciebus; & genus infimum est prædicabile immediatum: ergo & subijcibili mediato, & immediato assignari debet aliqua ratio subijcibilis vniuocè communis.

§. 57. Respondeo (omissis non paucis, quæ apud Fonsecam, & Conimbricenses videri possunt si lubet) nullam naturam realem, atque communem abstracti posse ab specie, & indiuiduo, quæ sit proximum fundamentum eiusmodi subijcibilitatis communis, & incompletæ, & quæ terminet per se genereitatem, vt satis apparet ex dictis §.49. quamuis enim tam species, quam indiuiduum conueniant in subijcibilitate, cetè non nisi accidenti rationis tanquam quinto subduntur prædicabili: quare eius modi ratio communis nequibit prædicabilitatem generis terminare, quoniam, vt diximus, nec participat, nec participare potest essentialiter ipsum. Ceterum gratis admissa eius modi natura ab specie, & indiuiduo præcisis, adhuc tamen non terminaret genereitatem, quæ vniuersalitas quædam est: de essentia enim vniuersalis est terminari ad multa, vt multa sunt, cum verò eius modi natura esset vna simpliciter, & vniuocè; nequiret proinde in ordine ad ipsam genus constitui vniuersale, sicut communiter dicitur, differentiam non esse vniuersalem respectu speciei, quam constituit ob eamdem rationem. Ad formam nego minorem, & ad probationem aio, subijcibilia conuenire vniuocè solum in accidente rationis, sicut & genus infimum, & supremum, &c.

§. 58. Obijcies item. Tam species, quam indiuiduum referuntur ad genus relatione subijcibilitatis: ergo vel referuntur ad illud eadem numero relatione, vel diuersis? eadem numero referri non possunt, quia eadem numero relatio non potest esse in duobus diuersis extremis: Igitur referuntur diuersis numero relationibus: vel ergo hæ relationes solo numero differunt; aut specie, & numero? specie, & numero nequeunt differre, quia earum correlatiuum nempè genus est vnum specie: Relatiuum, autem specie vnum non potest primo referri ad correlatiua specie diuersa; erunt igitur solo numero differentes: At qui quæ solo numero differuut; conueniunt in aliqua natura specifica communi: ergo species, & indiuidua habebunt communem aliquam naturam subijcibilitatis, quæ primo terminet relationem generis.

§. 59. Dices cum Masio vna, eademque relatione speciem, & indiuidua referri ad genus, nam vbi vnum propter aliud, ibi non sunt duo, sed vnum: quæ vt est speciei est immediata, vt vero est indiuiduorum est mediata relatio. Quemadmodum lumen, & color eadem numero visibilitate referuntur ad visum, quæ vt est luminis, est immediata, vt autem est coloris est mediata relatio, vt omnes Philosophi docent. Et quamuis eadem relatio non possit esse in duobus extremis immediatè; in vno tamen mediatè, & in altero immediatè reperiri potest optimè, vt in visibilitatis exemplo patet.

§. 60. Contra: quia indiuidui relatio ad genus per se, & essentialiter supponit relationem speciei prius tendentem ad genus: Relatio vero speciei nihil supponit: ergo non possunt esse vna, & eadem numero.

§. 61. Hoc argumentum excitat quæstionem de numero, & specificatione relationum, quibus species, & indiuidua respiciunt genus, & è conuerso, in qua non insipida pro alterna parte militant argumenta. Et quamuis Conimbricenses in ea tres enumerent sententias cap. 2. de specie q.2.artic.2.quartam tamen omisere, quam Masius amplectitur de indiuisibilitate numerica subijcibilitatis, per quam species, & indiuidua genus collimant, & quæ nobis in præsentia arridet. Vide si vis prædictos Conimbricenses loco dudum indicato, H. Valeram distinct. 4. de specie artic. 2.quæst. 2.Ric. Lynceum tract. 2. de genere cap.7.num.73.&c. Respondeo igitur, siue eius modi relationes sint vna, siue distinctæ numero, nihil contra nos inferri. Si est vna numero affirmo, Masium aptè respondisse: & instantia falsum assumit: Nam indiuiduum eo præcisè, quod ratione speciei respicit genus, vt terminus materialis eiusdem, dicitur supponere speciem tendere ad genus; non quia duo sint

actus

actus tendendi in illud, quorum alter alterum anteuertat. Si vero duæ sunt numero distinctæ subiicibilitates; esto, abstrahatur tertia ab vtraque, minimè ista terminabit genus, ob ea, quæ superiori argumento diximus.

DISSERTATIO XVI.

Dentur ne individua generica, seu incompleta? & quo pacto genus de illis prædicetur.

§. 1. RVrsus circa existentiam indiuidui generici, & modum, quo genus de ipso predicatur quatuor etiam non minus celebres versantur sententiæ. Prima negat, dari indiuidua incompleta, seu generica. Sic Hyeronimus Valera Peruanus distinct.4. de specie, artic.2.qu.4. Zacharias Pasqualigus metaph.disput.55.sect.2. num.5. Stephanus Spinula Logicæ disput.7. sect.2.num.32.& alij. Secunda, & affirmans sententia est Thomistarum communis, quos infra producam: Quorum quidem (quamuis conueniant in admittendo eiusmodi indiuiduo incompleto) dissident tamen nonnulli in assignando prædicationis modo: Nam quidam asserunt genus de illo predicari immediatè; Alij vero inficiantur. Tertia sententia est eorum, qui concedentes, genus immediatè de indiuiduo incompleto prædicari: Tamen illud quatenus est genus, & non aliter enuntiari docent, vt Hurtadus Logicæ disput.4. sect.5. Tho. Comptonus Logicæ disput.3. sect.6. Quarta denique sententia eiusmodi prædicationem generis immediatam de indiuiduo incompleto negat esse genericam; asseritque, genus non vt genus, sed vt species, rituque speciei de ipso prædicari. Sic Rubius, PP. Complutenses, M. Parra, & alij infra citandi Thomistæ, ac multi exterorum, vt Poncius disp.4. Logicæ num.63. Merinerus disput. vnica de genere qu.4. dub.3. Arriaga disput.7.sect.1. subsect.6. à nu.29. Ouiedus controu.4.Log. punct.4.num.3: Auersa qu.10. de genere sect.5.§.*Hinc sequitur.* Linceus Dialect. Tract.2. de genere cap.6. Izquierdus Pphari scient.disput.17. quæst.13. numer.255. Caramuel Metalog.lib.6.disputat.4. artic.1.

THEOREMA I.

Indiuidua incompleta, siue generica admittenda esse, atque de ipsis genus immediatè, non tamen quà genus prędicari ostenditur.

§. 2. INdiuiduum incompletum est id, quod in cognitione nostra solum dicit rationem genericam singularizatam, vt *hoc animal, hoc viuens,* ad distinctionem completi, quod totam speciem præsefert, vt *hic homo, hic leo, Socrates,* &c. Ait Ouiedus, se scire Thomistas negare huiusmodi incompleta indiuidua; Ast ego scio, Ouiedum id nescire: Scio insuper, Thomistas illa admisisse. Vide ergo an hi Thomistæ sint? Caietanus cap.1. de genere, 5. *Circa hanc definitionem dubitatur.* M. Sanchez lib.3. de specie quæst.16. M. Arauxo Metaph. lib.3. quæst.4. artic.2. num.8. M. Oña quæst.2. de genere artic.4. num.5. D. Rubius cap. de specie qu.5. M. Zerna disput.3. de de prædicab. sect.2. artic.3. M. Caberus tractat.3. disput.2. anb.5. num.10. Didacus à Iesu disput.7. quæst.1. PP. Complutenses disput.6. de specie quæst.1. num.12. M. Ioannes à S. Thoma quæst.8. artic.2. M. Parra Tract.2. de prædicab. dub.8. PP. Salmanticenses Carmelitani 1.2.qu.71.tract.13. de peccatis disput.6. à num.92. qui omes vel indubiè supponunt, vel ex instituto probante dari indiuidua generica, seu incompleta. Producunt non nulli Diuum Thomam Opusculo 55. qui eam docuerit sententiam sub his verbis. *Cum habemus hoc animal, intellectus considerans anteà, quam deueniamus ad formam hominis, apprehendit formam vniuersalem in hoc indiuiduo, scilicet animal.* Quibus subscribo, &c.

PROTASIS I.

§. 3. ASsero primo, danda esse indiuidua generica, seu incompleta. Et quoad D. Thomam, cum citatum Opusculu, vt dubiæ fidei alibi reijciant Thomistæ, nec ego admittam, vt sæpè alias, cuius rationem reddo infra cap. de relatione Dissert.48. Theorem.5. Sed tamen huic sententiæ maximè fauisse videtur Sanctus Doctor Operis indubitati tertia parte quæst.78. artic.5. ad 1. & 2. Vbi hæc habet. *Ad primum ergo dicendum, quod hæc dictio. Hoc significat substantiam; sed absque determinatione propriæ naturæ. Ad secundum dicendum, quod hoc pronomen. Hoc non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam.* Probat eamdem M. Sanchez septem argumentis, quæ omitto, contentus afferre fundamentum Neotericorum, quod vnicum est, consistitque in vulgari exemplo (vt ait Ouiedus.) Animalis à longè visi, in quo apprehenditur ratio animalis; non apprehensa ratione rationalis. Quia tunc non tantum apprehendo animal, vt sic, sed vnum indiuiduum animal, & ex vi illius apprehensionis possum dicere, animal visum est vnum numericè, & non possum dicere est hinibile, aut est rationale: Ergo rectè potest per intellectum contrahi ratio animalis ad hoc numero animal, differentia specifica non apprehensa. Hanc rationem ab Hurtado acceperunt Ouiedus, Comptonus, Lynceus, &c.

§. 4. Sed hoc argumentum si quorum iure est, certè Thomistarum est, & eorum omnium, qui præcisiones obiectiuas defendunt: eo enim non leuiter suadentur eius modi præcisiones, quare, & Ouiedus Metaph. 5. Controu.4. punct.8. num.37. vt suæ sententiæ contrarium sibi obiecit. Illudque soluturus hęc ait: [Vidi plures, qui magnifaciunt hoc argumentum, quod mihi alicuius momenti nunquam fuit.) At vero ipsemet Ouiedus hoc argumento, quod respuit tunc; probauerat suam conclusionem Controu.4. Logicæ punct.4. num.2. illudque pro indiuiduo incompleto probando momentosum existimauit. Quæ profero, vt ostendam, potius esse Thomistarum admittere indiuidua incompleta, quippè qui docent, hoc animal èminus visum cognosci posse; non cognito rationali: Et è contra

tra si quibus negandum erat, dari indiuidua incompleta potius, quam Thomistæ, certè erat Ouiedo ipsi, cæterisque nominalium discipulis, qui mordicus negant, animal posse cognosci: etiam de longe visum non cognito rationali: quod non bene aduertit Ouiedus, dum simpliciter hic dicit, rationem animalis apprehendi: *non apprehensa ratione rationalis*. Sed quidquid dicant huius modi Scriptores, nota, eos hac sola ratione inniti ad asserenda indiuidua incompleta: Videlicet quod dum è minus animal video, nec tamen an sit brutum, vel homo dignosco, tunc in meo intellectu repræsentatur animal quoddam singulare; ignorata omnino, & non repræsentata differentia rationalis, nec hinnibilis, de quo dicere possum: Hoc animal est viuens sensibile: Ergo tametsi realiter id sit brutum, vel homo; at vero hic, & nunc in meo intellectu non est nisi anima singularizatum, nihil enim percipio, nisi animal, & singularitatem, quam rationem iam pridem ante Hurtadum inculcauerat Sanchezius vbi supra.

§. 5. Obijcies: quolibet indiuiduo dato, inter illud, & genus mediat necessario aliqua species infima, vt inter animal, & hoc animal: ergo nullum datur indiuiduum incompletum, de quo genus immediate prædicetur. Probatur antecedens: de intrinseca ratione differentiæ indiuidualis est, quod sit vltima realitas supponens naturam specificam constitutam in omni suo essentiali: Ergo quomodolibet consideretur indiuiduum, debet præsupponere gradum specificum actuatum per differentiam essentialem, qui mediet inter illud, & genus.

§. 6. Respondeo, distinguendo antecedens: Inter indiuiduum, & genus mediat necessario aliqua species infima: si cognoscatur indiuiduũ perfectè, & vt constitutum per talem speciem infimam, transeat antecedens: Si cognoscatur imperfectè, & secundum rationem generis incompletam, vt contingit in exemplo, de quo loquimur, nego antecedens, cuius probatio procedit de constitutione indiuidui completi.

§. 7. Obijcies rursus cum Spinula: Dum motus ab indiuiduo præsentis animalis concipio *hoc animal*, necessario concipio saltem confusè omnia prædicata præsentis animalis, ac proinde etiam differentiam specificam: Ergo dum dico *hoc animal* cõcipio indiuiduum completissimum. Consequentia est euidens, quia indiuiduum completum illud est, quod in suo conceptu saltem confusè noluit omnia sua prædicata. Antecedens præterquam quod negari non potest, probatur euidenter, quia hæc est vera propositio: *Hoc animal est homo*. Si ly *hoc* demonstrat Petrum, v.g. ergo hoc animal in suo conceptu formali includit saltem confuse totum id, quod importat ly *homo*, ac proinde etiam differentiam specificam. Si ly *hoc animal* non inuolueret, nisi rationem genericam, vera esse non posset hæc propositio, quia prædicatum esset maius, quam subiectum.

§. 8. Respondeo, hanc propositionem. *Hoc animal est homo* non esse veram in sensu formali sed in identico dumtaxat, si reuera hoc animal sit Petrus: nam si sermo sit de indiuiduo incomplete cognito, nempe de hoc animali, certum est, nec hominem, nec rationale, vel hinnibile esse de eius essentia; sed tantum *viuens sensibile*. Cæterum si cognitio complete Petro, dicatur de ipso *hoc animal est homo*. Propositio æquiualebit huic: *Petrus est homo*, de qua non loquimur; notitia enim assertio de indiuiduo intelligenda est incomplete cognitio, quare antecedens argumenti, eiusque probatio procedunt contra hypothes in animalis eminus, atque incompletè cogniti.

§. 9. Obijcies tertio: Cum animal prædicatur de hoc animali, vel prædicatur de illo tanquam de aliquo indifferenti, & contrahibili ad hunc hominem, & ad hunc leonem, &c. vel prędicatur tanquam de aliquo iam determinato, & contracto ad esse hunc hominem, vel hunc leonem? Si primum: Ergo ly hoc animal non est indiuiduum, sed potius genus, quippe quod contrahibile sit ad species diuersas. Si secundum: ergo iam hoc animal formaliter constituitur per id, quod Petrus inesse indiuidui completi; non enim aliter animal prædicatur de Petro, nisi vt de animali determinato ad esse hunc hominem.

§. 10. Respondeo; animal neutro modo prædicari de hoc animali: assigno medium: nempe prædicari de gradu animalitatis intentionaliter singularizato: quamobrem neque est indifferens ad hominem, & leonem hoc animal, quia cognoscitur contractum: neque est hic homo, aut hic leo, quia non cognoscitur perfectè, vt supponimus.

PROTASIS ALTERA.

§. 11. Assero secundo: Genus prædicatur *immediatè de indiuiduis Genericis*: at verò non prædicatur vt Genus; sed vt species. Probatur prima pars huius asserti. In hac prædicatione. *Hoc animal est animal* si aliquid mediaret, maxime esset rationale, vel Hinnibile, vel ratio specifica: (sed hæc non mediant, quia nec homo, nec rationale, aut rugibile est de conceptu Indiuidui incompleti: non ens valet per subsistendi consequentiam: Est hoc animal, ergo homo, nec: Ergo Leo. Ratio autem specifica, seu differentialis solum est de conceptu indiuidui Completi, vt Completi, estque illo prior etiam subsistendi consequentia. Ergo licet ratio specifica sit prædicatum medians respectu indiuidui completi; non tamen incompleti respectu. Secundam partem eiusdem asserti tuentur etiam Complutenses Quæst. 1. de Specie num. 12. iubentque, videri Rubium q. 5. conclus. 2. Rubius autem eam probat hoc argumento: Immediatè contrahi per differentias indiuiduales conuenit Speciei; & non Generi, vt Genus est, quia quod immediatè contrahitur per illas, concipitur vt quid Completum in sua natura: Sed in hac prædicatione. *Hoc animal est animal*. Consideratur animal vt immediatè contractis per differentias indiuiduales: ergo vt quid completum. Sed vero maiorem Syllogismi negabunt meritò omnes ij, qui docent, Genus, vt Genus immediatè prædicari de indiui-

diuiduis adhuc completis, vt Ouiedus, Comptonus, &c. nec illam probat Rubius.

§. 12. Quamobrem rectius alij argumentantur sic. Ea prædicatio est completa, in qua prædicatum explicat totum, & quidquid essentiale includitur in subiecto, vt in hac *Petrus est homo*, in qua sola Petreitate seclusa, quæ essentialis non est, prædicatum exprimit totam essentiam Petri; quod non contigit in hac: *Petrus est animal*, in qua prædicatum non exprimit rationale, proindeque non totam essentiam explicat in subiecto inclusam; At qui in hac prædicatione: *Hoc animal est animal*, prædicatum explicat totum, & quidquid essentiale includitur in subiecto, sola hæcceitate seclusa: Ergo completa est. Maior, & consequentiæ satis liquent. Minor etiam est perspicua: Tum quia vt supra dixi nec rationale, nec rugibile, nec vlla alia differentia est de conceptu *huius animalis* cogniti vt talis, vnde nulla earum in ipso clauditur. Tum etiam, quia quærenti, quid sit hoc animal? aptè respondebitur, esse *viuens sensibile*, quod est tota, & completa essentia animalis: ergo qui animal prædicat de hoc animali, totam, & completam prædicat essentiam. Ergo tametsi Animal materialiter sit genus; at vero formaliter in eo actu ex modo prædicandi completo, quem seruat, habet etiam modum prædicandi speciei, ritu que specifico de indiuiduo incompleto enuntiatur.

§. 13. Dices, in hac prædicatione. *Hoc animal est animal* implicitè, & confusè includitur ratio specifica in subiecto, quia impossibile est aliquid esse hoc animal, quin sit rationale, vel irrationale saltem implicite: ergo ea prædicatio est Generica, & incompleta, siquidem prædicatum non dicit omne, quod subiectum includit.

§. 14. Sed Contra: Quia hoc animal, vel includit rationale physicè, & materialiter, quod verum est, sed non ad rem: vel includit illud formaliter eo actu cognitionis? Sed hoc non potest dicere Thomista, quando quidem præcisione Obiectiua animal éminus visum ita cognoscitur solum, quod nec immediate, nec confusè per illum actum cognoscatur rationale: Ergo in Thomistica sententia admitti nequit *Hoc animal* esse immediatè, implicite, vel confusè rationale in eo actu formaliter. At vero Nominalistæ docentes, repugnare omninò animal cognosci, quin eodem actu, & immediatè cognoscatur rationale: Confugiunt ad expressiones, & claritates, vt defendant hanc prædicationem: *Hoc animal est animal* esse completam. Dicunt enim, quamuis ex parte subiecti attingatur formaliter, & immediatè etiam rationale, at non clarè, & expresse: Rationem autem prædicationis completæ, & incompletæ non esse desumendam ex rationibus confusè significatis ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sed ex rationibus clarè, & expresse significatis. Nam si attendendum esset ad rationes confusè significatas, etiam dicendum esset, in hac prædicatione *Hoc animal est animal* confusè importari ex parte prædicati prædicatum rationalis, eâdem ratione, qua dicitur importari ex parte subiecti: Ergo cum in ea prædicatio, ne clarè, & expresse dicat prædicatum totum quod clarè, & expresse dicit subiectum, omnino erit specifica, & completa eo actu formaliter.

THEOREMA II.

Argumenta Aduersariorum disiecta.

§. 15. Contra hanc ultimam assertionem Comptonus obijcit primo: Si hæc prædicatio hoc animal est animal esset cōpleta, & specifica, ita vt animalia prout hoc nomine significantur, solo numero differrent: Ergo aliquid est à parte rei in Petro, quod specie differat à Bucephalo; & aliquid, quod non differat specie, quæ sunt contradictoria; hæc consequentia quo ad primam partem est manifesta; quo ad secundam probatur. Nisi enim esset in Petro aliquid à parte rei, quod numero tantum, & non specie differret à Bucephalo, non posset talis ratio per intellectum in eo verè repræsentari, magis quam hinnibilitas in homine: Ergo.

§. 16. Respondeo, me vidente hoc, & illud animal, non tamen discernente, quænam animalia sint: certò quidem, ac expresse cognoscere, ea numero differre: at me latere prorsus, an solo numero differant, an numero simul, & specie. Quarè longè aliud est, me aliam differentiam præter numericam ob imperfectionem cognitionis attingere non posse; & aliud, me cognoscere, ea differre solo numero: hoc enim secundum Nequeo iudicare, nisi indiuiduo adæquatè cognito. Rursus dum dicitur, hoc animal, & illud animal prout incompletè cognoscuntur, solum numero differre eo actu, ly *solùm* non est accipiendum positiuè, idest, quod cognoscam numericas differentias, & negationem simul differentiæ essentialis eorum: sed negatiuè, idest, me non cognoscere vlteriorem differentiam; eo quòd per non apparentiam vlterioris differentiæ solam percipio numericam. Vnde arguens falsùm assumit adprobatum sequelæ; scilicet, repræsentari intellectui rationem, per quam Petrus tantum numero, & non specie differt à Bucephalo, hæc quippe erit repræsentatio positiua conuenientię specificę eorum, quę tunc tam non repræsentatur, quàm hinnibilitas in homine: Porrò vt modo dixi nonnisi negatiuè, & per non repræsentationem vlterioris differentię dicuntur solo numero differre: nec inde bene deducitur, fore à parte rei aliquid, in quo Petrus, & Bucephalus specificè fundamentaliter conueniant; quia licet eius modi conuenientia explicetur per ly *solo numero differre* positiuè sumptum: at cognitione incompleta Petri, & Bucephali negatiuè usurpatur exclusio. Negata igitur secunda parte sequelæ, antecedens probationis sub prædicto glossemate explicandum est.

§. 17. Obijcit secundo. Implicat, duo numero tantùm inter se distincta identificari realiter cum

cum duobus specie distinctis; quod tamen euidenter sequitur, si hæcceitates Petri, & Bucephali inter se numero tantum distinguantur: rationes enim hominis, & equi differunt specie.

§. 18. Respondeo dato antecedente; nego id sequi ex eo, quod hæcceitates Petri, & Bucephali incompletè noscantur. Nego item suppositum, quod scilicet eo actu cognoscam Petreitatem, & Bucephaleitatem, vt numero solo distinctas: nam cum ea sit cognitio inadæquata, & præcisiua; non concipio, nisi hanc animalitatem, & illam animalitatem, quæ quidem virtualiter distinguuntur à Petreitate, & Bucephaleitate. Deinde nulla implicatio inuoluitur in eo quòd ea, quæ incompletè cognita apparent vt numero tantum distincta; si completè, & clarè cognoscantur, alio actu specie differre deprehendantur: in prima enim cognitione ly *tantum* accipitur negatiuè, vt superiori argumento diximus.

§. 19. Obijcit tertio. In differentia numerica indiuidui equini etiam incompletè sumpti est prædicatum notabiliter diuersum á differentia numerica indiuidui humani, aut leonini: Ergo hæ differentiæ, & consequenter ipsa indiuidua incompleta differunt specie; Consequentia est clara: Ideo enim vnio materię primę cum forma equi distinguitur specie ab vnione eiusdem cum forma ignis, quia istę vniones notabiliter differunt. Antecedens probatur: Differentia numerica indiuidui equini petit essentialiter identificari cum natura equi, quod prædicatum non habet differentia numerica indiuidui hominis, aut lapidis; Sed hoc est prædicatum notabiliter diuersum, quam obrem multo magis differunt Bucephaleitas, & Pauleitas, quam Petreitas, & Pauleitas: Ergo.

§. 20. Respondeo nego antecedens: Differentia enim numerica indiuidui equini *etiam incompletè sumpti* non est differentia huius equi, sed huius animalis. Hæcceitas autem huius animalis vt talis nullum inuoluit prædicatum notabiliter diuersum ab hæcceitate alterius animalis vt sic apprehensi. Probationis item nego antecedens ob id ipsum, nam differentia numerica Indiuidui equini incompletè cogniti non petit identificari cum equo, sed cum animali. Cætera non sunt ad rem.

Obijces quarto. Ideo hæc prædicatio *Hoc animal est animal* esset completa, seu speciei de indiuiduo, quia non differret in modo prædicandi completo ab alijs similiter enunciatis: Vt *Hoc rationale est rationale, hoc risibile est risibile* &c. Sed ab ijs multùm differt: ergo non est specifica. Minor probatur: Quia nec rationale, nec risibile aptum est prædicari de multis differentibus specie: Sed Animal adhuc vt prædicatum illius propositionis *Hoc animal est animal* prædicari potest de multis differentibus specie: ergo non prædicatur completè, sed vt Genus.

§. 22. Ad hoc argumentum respondent nonnulli (inter quos Arriaga sub sect. 6. num. 30. Genus vt Genus prædicari de multis differentibus specie: At vero in hac prædicatione Animal formaliter non prædicari de multis differentibus specie, quia *hoc animal*, & *illud animal* vt sic explicata non differunt specie, sed solo numero.

§. 23. Sed contra primo: Quia in his prædicationibus *Petrus est animal, Paulus est animal.* Animal prædicatur vt Genus formaliter per vos, & tamen de eis non prædicatur formaliter, vt de multis differentibus specie. Quod si dicas, prædicari vt genus tunc animal de Petro, & Paulo, etsi non differant specie, quia tamen aptum est prædicari de differentibus specie: Contra: Quia etiam in hàc prædicatione *hoc animal est animal* non caret animal eiusmodi aptitudine; & tamen dicis, id non esse genus eo actu.

§. 24. Contra secundo. Quia ad prædicationem genericam non est necesse, quod in actuali prædicatione de quouis inferiori prædicetur etiam de multis differentibus specie vt ostendi supra §. 41. & §. 42. sed sat est, quòd de subiecto enuntietur incompletè, & per modum essentię contrahibilis. Atque hæc est germana prædicti argumenti solutio; Tametsi enim animal secundum se, & materialiter aptum sit prædicari de multis speciebus, ac proinde materialiter sit genus: Verum in eo actu formaliter prædicatur ut species, quia prædicatur completè; eiusmodi nempe prædicationes ex vi modi prædicandi sunt formaliter adæquatæ, in quibus subiectum solum à prædicato dissidet hæcceitate, quę est differentia materialis.

§. 25. Obijcies tandem. Sicut se habet substantia ad hanc substantiam, ita Animal ad hoc animal; Sed substantia non dicitur immediatè de hac substantia: Ergo nec Animal de hoc animali. Probatur minor. Vel substantia dicitur immediatè de hac substantia vt genus est, & hoc est contra te: Vel vt est species, & hoc est aperte contra Porphyrium, qui substantiam docet esse Genus supremum, quod non potest esse species, alioqui esset Genus supremum, & non esset, quod est impossibile. Definit enim Porphyrius Genus supremum sic: *Quod cum genus sit, non est species, & rursus: Supra quod non est aliud superueniens genus.* Cap. de Specie. Item de eius Logica prædicabilitate sic ait. *Nam & generalissimum ad ea, quæ posteriora sunt, habet habitudinem, cum genus sit omnium supremum; eam vero, quæ est ad superiora non habet, cum sit supremum, & primum principium, & (vt diximus) supra quod non est aliud superueniens genus.* Ergo substantia ita est genus, quod nequeat prædicari vt species.

§. 26. Ad hoc respondet Arriaga, eam prædicationem esse formaliter speciei prædicabilis; non subijcibilis: Subijcibilis enim definitur, quę subest generi, quod quia non habet substantia, non erit subijcibilis; at prædicabilis non definitur per ordinem ad genus; sed adæquatè consistit in hoc, quod prædicetur de multis solo numero differentibus. &c. quam solutionem ab Arriaga mutuauit Ouiedus puncto. 4. num. 5. sed reuera illa nec Arriagę fuit, sed multis annis ipso antiquior ab antiquis Thomistis tradita, & à M. Sanchez validè impugnata libro 3. de Genere q. 13. ad 7. At quidquid sit de huius

responsi

responsi longæuitate, id mihi summopere displicet.

§. 27. Contra primo: Quia Arriaga terminorum committit implicationem aiens, eam prędicationem non esse speciei subijcibilis. Species enim subijcibilis non prædicatur, quod si prædicetur, iam erit prædicabilis, cum vt subijcibilis prædicari nequeat. Ergò male distinguit speciei prædicabilis prædicationem, & prędicationem subijcibilis. Contra secundo: Quia omnis species vt sic, & prout abstrahit à subijcibili, & prædicabili, est natura completa secundum se, & totum quoddam ex genere, & differentia compositum, adeo, vt relatio prędicabilitatis specificę fundetur super essentiam vt completam: Et quamuis certum sit, Prædicabilitatem specificam pro formali solum dicere respectum ad indiuidua: tamen illud formale nequit consistere sine necessario, atque essentiali fundamento, quod de materiali supponi debet: Eo modo, quo licet Paternitas v. g. pro formali solum dicat respectum ad filium, impossibile tamen est, ipsam poni in substantia non viuente, seu non generante: Ergo etiam si ratio naturę completę, seu compositę ex genere, & differentia non importetur de formali indefinitione speciei prædicabilis, supponitur tamen de materiali, vt quid essentialiter petitum ad fundandum eiusmodi specificam relationem: Ergo concipere prædicabilitatem specificam in natura secundum se non completà tàm absurdum est, quam Paternitatem ponere in substantia non generante. Ergo etiamsi substantia esset species prædicabilis, non ideò non deberet esse ens completum ex aliquo genere, quod ipsa contraheret. Adde, quod species subijcibilis nullatenus differt à prædicabili in genere contrahendo; sed eò solum, quod altera formaliter dicit respectnm ad illud, altera non dicit formaliter, sed supponit.

§. 28. Hac ratione conuicti nonnulli Authores aliter occurrunt argumento. Respondet Rodriguezius, Genus generalissimum non posse esse speciem, vt est in seriè prędicamentali, quia vt sic non est sub genere; alioqui non esset generalissimum, sed vt consideratur extra seriem prędicamentalem, & specificatiuè sumptum, quia vt sic habet indiuidua, potestque nominari species. Vacua verba!

§. 29. Contra primo. Quia si extra seriem prędicamentalem est ens completum ex genere, & differentia: ergo extra seriem prędicamentalem debes illi suum genus assignare. Quodnam ergo est? Contra secundo: quia non ex eò solum, quòd extra eius modi seriem habeat indiuidua, bene infers illicò, prędicari vt speciem: Quia etiam Genus prędicatur vt tale de indiuiduis; debes ergo exhibere formalem, & pręcipuam rationem, per quam de indiuiduis prędicetur non vt genus, quę alia non est, nisi prędicari completè, id est vt quid constans ex genere, & differentia, quibus caret substantia vt sic, etiam extra seriem prędicamentalem.

§. 30. Merinerus Disput. de Genere quęst. 4. Dubio tertio, num. 8. respondet, Substantiam tunc fore speciem incompletam, non completam, quę sola collocatur sub genere: Porphyrium, dum ait, speciem sub genere contineri, de completa esse intelligendum. Contra: quia debuit Author iste explicare, quid sit esse speciem incompletam, quę sub nullo genere contineatur directè, neque indirectè: Nan si species incompleta est species inchoata, non dum perfecta, seu (vt sic dicam) dimidium speciei: Ergo est Genus. Si species incompleta est aliqua natura, seu prędicatum incompletum in ordine ad totum quodpiam componendum; attamen quod in ordine ad se concipiatur vt constans suo proportionali genere, atque differentia, vt anima, Accidens, punctum, &c: Ergo eiusmodi prædicatum etsi incompletum sit physicè; at verò Logicè completum erit apud te, saltem eà ratione, quà sub aliquo genere continetur: assignandum erit ergo huius speciei incompletæ incompletum etiam genus, incompletamque differentiam.

§. 31. Respondent alij vltimò prædicationem completā non esse desumendam ex modo essendi completo, sed ex modo prędicandi: modum autem prędicandi completè consistere in eò solum, quod prędicatum dicat totum, quod dicit subiectum sola hæcceitate exceptà. Vnde licet substantia vt sic non sit natura completa ex modo essendi, tamen modum seruat prædicandi completum speciei, quia in hac enuntiatione *Hæc substantia est substantia* prędicatum exprimit totam essentiam subiecti, qui quidem modus prædicandi minimè competit generi vt genus est. Sic M. Parra. Disput. 3. de specie Dubio primo num. 2.

§. 32. Sed contra primo. Quia hæc responsio manifestam patitur instantiam in *Ente*, quod quidem, nec Thomista, nec Scoticus admittet esse genus, neque speciem (non moror Nominalistas) etsi enim Scotista asserat vniuocationem Entis, tamen id esse Genus prædicabile, aut speciem, planè inficiatur. Age ergo. In hac enuntiatione: *Hoc ens est ens* prædicatum dicit adæquatè totum quod dicit subiectum, & tamen vtraque Schola negat, prædicationem Entis esse genericam, aut specificam: Ergo adæquatio prædicati cum subiecto sola non constituit prædicabilitatem specificam.

§. 33. Contra secundo. Quia si prædicatum non habet aliàs ex modo essendi, quòd sit natura completa ex genere, & differentia, nequit ex eo solum, quòd adæquet subiectum, esse quid completum: Immò eò ipso erit res incompleta. Id enim quod adæquat tantum rem incompletam vt talem est quid incompletum, sicut numerus, qui adæquat tantum imparem, est impar; Sed substantia per te solum prędicatur adæquatè de indiuiduo incompleto ut tali: ergo ex sola eiusmodi adæquatione cum subiecto incompleto, sola erat colligenda prędicabilitas illius incompleta.

§. 34. Censeo, nullo modo nostram sententiam pugnare cum Porphyrio. Nam aliud est substantiam vt sic esse speciem absolutè, aliud seruare morem speciei in prædicando: hoc secundum

cundum dicimus, non primum, quarè præstabilior mihi videtur solutio vltima. Ad primam instantiam dicet Thomista, *Ens* non modò dicere totum, quod dicit subiectum excepta hæcceitate, sed etiam transcendere ipsam differentiam numericam, seu hæcceitatem, quod non conuenit prædicationi specificæ, qualis hæc est; *hic homo est homo*. Secunda instantia solum euincit, prædicatum illius enuntiationis esse quid incompletum *secundum se*, & materialiter, non tamen inmodo prædicandi.

DISSERTATIO XVII.

Cætera ad primum prædicabile spectantia expediuntur.

§. 1. QVæres prius, an Genus prædicetur vt pars speciei deipsa, an vero vt totum potestatiuum confusè ipsam continens? Respondeo diuersas de hac re sententias leui posse componi negotio. Nam Genus est pars Metaphysica, idest, quæ totum significat; exprimit tamen aliquem gradum suæ essentiæ, non enim est realiter pars physica, de cuius ratione est compartem realiter excludere, vt Anima, & Corpus. Quarè qui dicunt, Animal prædicari vt partem, non negant illud confusè inuoluere totum hominem, quamuis quoad expressum solùm explicet principium sentiendi; Pars enim formaliter vt pars, non potest affirmari de suo toto, quia cum ipso non idetificatur adequatè; Cum totum dicat ipsam partem, & amplius alteram ab illa realiter, vel formaliter distinctam, de qua non potest alia pars prędicari, vt est euidens. At verò si ipsa pars expressè significata concipiatur vt non excludens alterā compartem, sed vt illam confusè inuoluens, poterit sanè de toto prędicari: Quod & in partibus physicis, atque realibus apparet. Nam etiamsi hæc prædicatio *Petrus est caput* sit falsa; hæc tamen vera est: *Petrus est Capitatus*; Hæc est falsa: *Homo est materia*. Hæ autem verę *Homo est materialis, Homo est corporeus*. Quia in his propositionibus pars physica non significatur vt pars, sed sub ratione totius, significatur enim nomine adiectiuo, de cuius ratione est rem quoque significare per modum habentis, quid enim est *album*, nisi habens albedinem? Vnde licet ly *materiale & corporeum* quoad expressum solā dicant partem; implicitè tamen ex modo concipiendi totum inuoluunt. Multo magis ergo id in parte Metaphysica continget, quę omnino significat totum in ordine ad has, vel illas ipsius operationes.

§. 2. Aio ergo, Genus prædicari vt totum confusè, & potestate significans quidquid est in specie. Est communis vtriusque Scholę Conclusio, traditurque à D. Thomà Opusc. de Ente, & Essent. Cap. 3. Vbi ait: *Quidquid est in specie est etiam in genere vt non determinatum; si enim Animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius non prædicaretur de eo, cum nulla pars prædicetur de suo toto*. Obijcies Aristotelem docentem, partes definitionis prædicari de definito. Respondeo, id, quod est pars definitionis posse, atque debere prædicari vt totum de specie, quod Aristoteles non negat. Obijcies item: Genus in eo distinguitur ab specie, quod hæc prædicatur completè; ergo Genus non prædicatur vt totum, quando quidem prædicatur incompletè. Respondeo, Genus prædicari incompletè quoad rem explicitè prædicatam, non quo ad rem implicitè conceptam. Tandem obijcies: Genus posse prædicari vt partem potentialem; Nam vt talis adhuc in potentia inuoluit differentiam. Respondeo, Genus vt partem adhuc potentialem excludere differentiam, alioqui non consideraretur vt pars: vt possit autem prędicari de specie, debet illam includere; nequit enim de homine prædicari animal, quod excludat rationale.

§. 3. Igitur Genus vt totum actuale ex suis partibus coalitum dicitur, non prædicari de specie: Quia ad prædicationem de illa per accidens est eiusmodi actualis compositio. At vero vt pars actualis, aut potentialis perpetuò excludit Differentiam, proindeque non dicit totū, quod includit subiectum, quo cum per rationem adæquatè idemtificandum erat. Restat ergo, quod vt totum dumtaxat confusum, & potestatiuum de ipsa enuntietur.

§. 4. Quæres posterius: An Genus desumatur ex materia, & Differentia à forma? Rationem dubitandi exhibuit Aristot. 8. Metaph. textu 9. aiens Indefinitione aliquid esse vt materiam, & aliquid vt formam, circa quæ multi multa. Audi tamen Sanctum Doctorem *Non est intelligendum, quod Differentia sit forma, aut Genus sit materia: cum Genus, & Differentia prædicentur de specie: Materia autem, & Forma non prædicantur de Composito; Sed hoc dicitur: quia Genus sumitur ab eo, quod est materiale in re; Differentia vero ab eò quod est formale in re: sicut Genus hominis est animal, quod significat aliquid habens naturam sensitiuam, quæ quidem materialiter se habet ad naturam intellectiuam: à qua sumitur rationale, quod est differentia hominis, Rationale vero significat aliquid habens naturam intellectiuam, & inde est, quod Genus habet differentias potestate, & quod Genus, & Differentia proportionentur materiæ, & formæ, vt Porphyrius dicit Cap. de Differentia*. Hæc ille explicans Arist. Igitur affirmantem teneo sententiam, cuius peritior disputatio negotij est omnino Metaphysici. Lege M. Sanchezium, de Genere quæst. 7. PP. Complutenses, Disput. 5. quæst. 6. qui rem accuratè tractarunt.

CAPVT SECVNDVM

De Specie.

D. Seuerino Boethio interprete.

TEXTVS.

Species autem dicitur quidem & de vniuscuiusque forma secundum quam dictum est: Primum quidem species digna est imperio. &c.

Synopsis

Synopsis ad literam Porphyrij.

I. HOc Capite Porphyrius tria absoluit: Primò acceptiones speciei, eiusque definitiones enumerat: Secundò seriem prædicatorum coordinat: Tertiò Indiuiduum vt proximo limine speciei vernaculum describit. Quoad primum solent hic Authores multiplicem speciei notionem expromere, enarrantes videlicet qualiter sumatur species apud Grammaticos, apud Rhetores, Iurisconsultos, Metaphysicos. &c. quæ quia vt instituto inepta Porphyrius præterijt, lubens itidem omitto. Is autem speciem celebriori significatu pro forma, orisque venustate docet vsurpari, qua notione dicit Cantatum: *Primum quidem species digna est imperio*. Versiculus est Euripidis teste Athæneo lib. 13. In hoc tamen textu variè legitur apud Interpretes. Nam Argyropilus primò vertit: *Præstantissima forma digna est imperio.* Quam lectionem sequuntur M. Sotus, Toletus, Rubius, M. Caberus, Murcia, PP. Complutenses, Merinerus, & alij. Secunda aliorum versio: *Prima species digna est imperio.* Sic legunt Commentator, Conimbricenses. &c. Tertia versio: *Species Priami digna est, quæ imperet*. quam amplectuntur grauissimi Doctores vt Auerroes, D. Albertus Magnus, Caietanus, Tartaretus, M. Iauellus, Titelmanus, M. Ortizius. M. Parra, & alij. Quarta denique est nostri Seuerini Boethij, Perionij, Gruchij, & aliorum legentium sicut in nostro textu effertur. *Primum quidem Species*, &c. quam sectantur Martorrellius, M. Massius, & alij quamplures. Falluntur ergo Mag. Sotus, & Martorrellius interpretationem Priami Boethio imponentes. Et quidem Sotus ita habet: *Boethius autem non dixit prima, sed Priami, vel quia in aliquo exemplari Græco ita reperit, vel quia ad infælicitatem Priami alluderet, qui cum esset formà præstantissimus, atque adeò dignus censeretur imperio, iniquà tamen fortunà Regno cecidit Troianorum*. Sed vir alioqui doctissimus non legerat attentè Boethium, cui nec Priamus, nec iniqua Pergamonem euersio vnquam venit in mētem. Quod & ego dissimulassem facilè, nisi me iam antè pupugisset, quod Argyropilum ita seuerè Boethio prætulit (in procemio ad Prologum Porphyrij) vt huius versionem *subobscuram, & quæ phrasim Græcam non iam ad verbum Latinè reddat* censuerit. Cum tamen ad exactum eiusmodi iudicium debuisset vtrumque attentius lectitasse, eosque inuicem diligentissimè contulisse. Vide nonnulla quæ de his in procemio vniuersalium contra Sotum adnotaui.

II. Vnde autem mendum Priami irrepserit litteræ? haud apparet. Suspicor tamen Latinos fuisse Codices quosdam, quos *Primi species* corruptè prætulisse testantur M. Sotus, & Conimbricenses; vnde quia sensus non rectè cohærebat, Sciolus quispiam *Priami* pro *Primi* emendaturus reposuit. Eos verò Codices nonnisi Latinos fuisse (vt modo dixi) vel inde contra ipsum Sotum liquet (qui eiusmodi erratum è Græco aliquo archetypo Boethium ebibisse coniectat) quod ipse ait: Notandum est, quod Græca littera sic habet: *Proton eidos axion tyrannidos*. Sed quid rogo *Priami* cum *Proton*? Certè Græca littera mendo minimè tribuit ansam, sicut Latina; quæ quia habebat *Primi* vnius litterulæ interiectu in Priami facillimè deturpata est.

III. Qualitercumque tamen legitur versus ille, omnes quidem versiones in idem recidunt, eumque collimant sensum, vt vultus honestas, corporisque elegans proceritas digna sit, quæ imperet. Nam sicut & oris deformitas, despicabilisque membrorum turpitudo ignauiam vt plurimùm, distortosque mores, ad Principatum vtrique minus idoneos præseferat; Ita è regione Corporis venustas, orisque decor inclytus indolem subinde notat egregiam, animum planè grandem, augustumque; quare omnino decère videtur, vt qui omnes forma præcellit, potestate ipsis antistet. Sic vulgò ex sacris litteris profertur; *Saul statura Procerus inter Hebræos Princeps, & inter Ethnicos Æthiopum Magistratus, qui non nisi formosi deligebantur apud Aristot. Politicorum* 4. Ast (ni fallor) formam regno dignam præcipuè, & signantiùs ab Euripide pro fæminea pulchritudine dici putauero. Speciosas èquidem fœminas, & forma insigniter elegantes ob vnam pulchritudinis præstantiam extima etiam fortuna in Regale solium, ac Imperij consortium à Principibus frequentiùs euectas, & cooptatas fuisse apud sacram, atque prophanam Historiam adeo celebre, atque testatum est, vt nihil magis, id, quod & Niloticus vates floridissimè expressit. Paneg. de Nuptijs Honorij.

Claudianus. —— —— *Quamuis aliena fuisses*
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.
Quæ proprior sceptris facies? quis dignior aulà
Vultus erit? non labra rosæ, non colla pruinæ
Non crines æquant violæ. &c.
—— —— *Si Bacchus amator*
Dotali potuit Cœlum signare coronà
Cur nullius virgo redimitur pulchrior astris?
Iam tibi molitur stellantia serta Bootes,
Inque decus Mariæ iam sydera parturit æther.

Perinde, ac quamuis Regna in terris Pulchritudini non suppeterent; Cœlum vel ipsum sydereas illi coronas contexturum, vt Ariadnæ olim concinnasse fabulantur. Species ergo pro *forma, & pulchritudine vsurpatur*, quam solam notionem Porphyrius adducit ob maximam similitudinem, quam cum Logicali habet specie. Sicut enim forma, & pulchritudo realis in honesta partium proportione consistit, tollitque materiæ confusionem, ipsiusque potentialitatem perficit, & actuat, vt simmetrico lineamento determinatam oculis proponat spectabilem: Ita Species Logica resultat ex mira proportione, & commensuratione suarum inter se partium, nempè Generis, & Differentiæ. Hæc enim informem Generis contrahibilitatem moderatur, potentiam perficit, determinat, ac quasi oculis contuendam eiusdem naturam exibet formatam in Indiuiduis, quorum tota essentialis perfectio, seu Metaphysica pulchritudo in eiusmodi Specie proculdubio consistit,

vt

vt vna notarunt Tartaretus, M. Masius, M. Iauellus, M. Sotus, M. Oña, Martorrellius, Toletus, Rubius, Sanchezius, Conimbricenses, Complutenses, Merinerus, & alij quamplures. Nubem testium produxi, vt sciat lector, me haud perperàm Platonem fuisse interpretatum in Parmenide Dissertat. 2. Vniuersalium Theoremate 5. §. 44. contra Ricardum Lynceum, qui aduersus D.Thomam asserebat, Platonem non Specierum modo, sed & Accidentium Idæas posuisse, eo quod Idæam *Pulchri* fateri videatur in Parmenide. Sed vt ibidem dixi, Idæalis pulchritudo non nisi pro Metaphysica, & essentiali pulchritudine capienda est, cum & vox *Species tam oris venustatem, quàm essentiæ constitutionem æquè significet*, vt hic seriò notat Porphyrius.

IV. Deinde speciem Logicè sumptam sic definiri ait: *Species est quæ sub assignato genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid sit prædicatur*. Amplius quoque sic definiri subiungit. *Species, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur*. Quibus species describitur secundum omnem respectum, & habitudinem sibi conuenientem, id est tam secundum quod prædicabilis, quam secundum quod subijcibilis est. Et quidem quia prædicabilis, & vniuersalis clarè explicatur per vltimam definitionem: per priores autem (duas enim eas assero, docetque Porphyrius, vt mox ostendam) describitur species vt subijcibilis, & spectata habitudine ad genus, siue inferioritate essentiali erga vniuersalitatem generis, siue subiectione accidentali erga prædicabilitatem eiusdem, de quibus infra disputabo.

V. Circa ly *sub assignato genere* primæ definitionis nonnulli autumant, denotari speciem determinati non vagi, nec incerti generis ambitu continendam esse, inter quos Caietanus: Sed sensus germanus è Græca proprietate petitus est, *sub assignato genere*, idest, sub supra *iam definito, explicatoque genere*. Assignare enim hìc, pro definire, vertit Boethius, quare, & nunc de specie inquit: *Assignant ergo sic speciem: Species est quæ ponitur sub genere*. Et deinde speciem atomam definiens subiungit; *Sed hæc quidem assignatio specialissimæ est*, & alias frequentissimè toto libro. Clarius porro Perionius ipsa Porphyrij verba interpretatus est, *vocatur autem id species quod subest modo explicato generi*: versio hæc litem dirimit omnino.

VI. Iam vero tacitam obiectionem præuenerat Porphyrius, inquiens, non sibi vertendum vitio, quòd genus definierit supra per species, rursumque nunc speciem describens per genus definiat, circulatione quidem nugaci, vt apparet. Quia relatiuorum ingenium exigit, vt non nisi reciproco, tralatitioque innotescant explicatu, de quibus in sequenti Dissertatione non pauca dabimus, & etiam infra cap. de relatione. Hæc de primo.


VII. Quoad secundum vt ostendat quo pacto, quoue ordine genera contineant species subalternas, & hæ inferiores alias, lineam quamdam protendit principio, medio, atque fine constantem. Principium est genus generalissimum, sic dictum, eo quod inter genera supremum sit, nempè non habens aliud supra se genus, cui subijciatur, cum potius omnia tam genera, quam species subijciantur ipsi. Alterum extremum est species specialissima, quæ specierum omnium infima est, ambituque angustula, quippe quæ nullas iam sub se habeat species, quæ ipsi subijciantur, quin potius è contra ipsa subijciatur omnibus. Igitur extremorum huius lineæ alterum, scilicet supremum genus de omnibus prædicatur, & ita est genus, vt non sit species: Alterum vero nempè species specialissima omnibus subijcitur, & ita est species, vt non sit genus. Genera autem media, & species, quæ intercapedine extremorum collocantur, simul sunt genera, & species: genera quidem respectu specierum, quas continent sub se; species vero respectu generum sub quibus continentur, dicunturque species, & genera *subalterna*.

VIII. Cum autem omnia genera, atque vniuersæ species in vnum genus tanquam ad caput, cunctorumque primordium reuocari non possint (quamuis nonnulli coire omnia posse in genere entis perperam existimarint) Peripateticorum schola decem statuit genera generalissima, de quibus agit Aristoteles in Categorijs, genera (inquam) rigore, & proprietate Logicali talia. Ens enim vt æquiuocum in hoc capite è generum choro repellitur à Porphirio. Eiusmodi autem decem generum primum est *substantia*, in cuius serie supra dictæ doctrinæ paradigma proponit: quamuis enim potuisset etiam in quolibet nouem Accidentalium generum ordine proposuisse: at verò res notior erat in substantiâ, captuque tyronibus facilior, præter quam quod inter decem principia arcem tenet substantia, de cuius principatu aptè lusit Audoenus lib. 3. Epigram. 44.

Vna Categorias in se substantia ter tres
Continet, vt Musas vnus Apollo nouem.


IX. Primo igitur statuitur *substantia* supremum genus, sub hac deinde *corpus*, sub Corpore *Animatum Corpus*, idest viuens, sub hoc *animal*, sub animali *Rationale animal*, sub hoc *Homo*, sub homine tandem *Socrates*, & *Plato*, qui non nisi singulares homines sunt, á primo ergo genere descensus fiet per species, quę sub se alias complectuntur, suntque eo ipso etiam genera ad vsque hominem, speciem scilicet specialissimam, quæ non nisi species tantum est, quippè quæ iam non in alias species, sed in Platonem dumtaxat Calliamque diuidua sit; Item ab homine si sursum ascendas, ea genera simul, vicissimque species esse deprehendes vsque dum in supremum genus deuenias, quod nulli deinceps generi subijciatur. Quæ quidem exemplo generationum humanæ propaginis declarat Porphyrius: vt v. g. Agamemnon, ante quem est Pater, scilicet Atreus, ante hunc Pelops, ante hunc Tantalus, ante hunc tandem Iupiter, quorum omnes vicissim sunt patres, atque etiam filij, diuersorum tamen respectu; præter Iouem, qui vtpote Deorum maximus sub nullo fingitur

tur genitore constitutus, iuxta illud: *ab Ioue principium*. In eo tamen differt maximè linea hæc generationum à nostra prædicatorum serie, quod illa nonnisi ad vnum dumtaxat cogitur principum, nempe Iouem: hæc vero ad decem capita reuocantur. Quę omnia humanæ stirpis etiam more ad Arboris typum ordinata apud veteres interpretes oculis in hanc formam proponuntur spectanda: Subijcio arborem Porphyrianam, vt a D. Boethio describitur.



X. Arboris cacumen tenet substantia, cui cætera succedunt genera per stipitem. Aduerte tamen testio loco *Corpus animatum* poni, quod licet quia terminus complexus est, generi significando non erat idoneum; penuria tamen nominum simplicium pro incomplexo subrogatur, considerarique debet vt nomen simplex, & substantiuum. Quare alij eius loco viuens reponunt, perinde ac si *viuens* non esset etiam ita adiectiuum, vt *animatum*. Sicut enim huius termini complexi *corpus viuens* omisso ly *Corpus* relinquitur adiectiuum viuens loco nominis incomplexi, poterat etiam ex corpore animato omitti corpus, & poni *animatum* pro incomplexo: eadem enim erat vel necessitas, vel facultas efficiendi substantiuum siue *viuens*, siue *animatum*.

XI. Quinto gradu ponitur eodem modo, eàdemque penuria *Rationale animal* loco quidem simplicis nominis, quod genus sit ad Deos, & homines, huiusmodi enim animal rationale contractum per differentiam *mortale* constituere putabant hominem; contractum vero per *immortale* constituere Deum. *Deum* (inquit Boethius) *corporeum: hunc enim mundum veteres Deum vocabant, & Iouis eum appellatione dignati sunt, Deumque Solem, ceteraque cœlestia corpora, quæ animata esse tū Plato, tùm plures arbitrati sunt.* Adde quod Angelos etiam existimabant concretos corpore, ac proinde subtilissimæ naturæ animalia, vt Platonici docebant, è quorum secta Porphyrius erat. Immo, & antiquitus hæc fuit in Ecclesia sententia (adduco testes Iouerium, & Bartholomæum Carranza in Summ. ad Concilium Nizænum secundum, actione quinta) Ad cuius saporem D. Athanasius libro de communi essentia Angelum appellat *animal rationale.* Et D. Gregorius Magnus Hom. 10. in Euang. *Quia videlicet* (inquit) *Iudeis tanquam ratione vtentibus rationale animal, idest Angelus prædicare debuit.* Taceo Augustinum, qui videtur eiusmodi Angelica expressisse animalia. Vide illum lib. 2. super genesim ad litteram cap. 17. & libro 3. cap. 1. & Epist. 115. ad Nebridium, & lib. 3. de Trinitate cap. 1. de Ciuitate Dei lib. 11. cap. 23. & lib. 15. cap. 23. Taceo etiam SS. Damascenum, & Isidorum, quos proferam infra cap. de differentia Differt. 23..... Theorem. 2. Et licet eiusmodi sententia hac tempestate temeritatis nota, (& quidem merito) à cunctis inuratur Theologis, fide tamen non esse definitum, Angelos esse simpliciter incorporeos mihi satis compertum est, probantque Melchior Canus libro 5. de locis cap. 5. Mag. Bañes 1. p. q. 50. art. 1. P. Molina, & alij ibidem. Rada controuers. 2. p. conclus. 1. Delgadillus de Angelis cap. 2. difficul. 1. dub. 2. Caietanus, Serarius. Quæ dixero, vt videat lector, Porphyrium sua ætate communem, plausibilemque tenuisse sententiam, & cui inter Catholicos suffragabantur grauissimi, simulque Sanctissimi Patres, atque Doctores, dum videlicet animal rationale in mortale diuisit, & immortale. Nam quos Ethnici appellabant Deos, orthodoxi Patres pro Angelis admittebant in eius diuisione. Ast nunc ab eiusmodi putaminibus resectam, & gentilitatis nænijs repurgatam excolimus arborem hanc: quarè Neoterici illam aliter complantarunt, vt videre est in schemate PP. Complutensium, quod pro pleniore Porphyrianæ Arboris spectaculo suppingere non grauabor.



XII. En vides recta linea genera, atque species ordinari: Læuorsum autem, atque dextrorsum differentias tum repugnantes, tùm constituentes speciem collocari clarâ quidem, & graphyca descriptione. Ast licet fatear, Arborem hanc Complutensium, & stipite proceriorem, & ramis amæniorem existere; duo tamen licet leuicula in eâ displicent. Alterum: quod contra Porphyrij mentem duo genera intrusserint, nempe *Generabile, & Mixtum*, nulla cogente ratione, cum & eodem libito plura possent addidisse. Alterum, quod ea nomina potius, (me iudice) differentias apta sint significare, quam genera, & species, sunt enim adiectiua, & rem in quale (vt aiunt,) & vt alteri hærentem significantia. Quidnam enim discrimen inter generabile, alterabile, sensibile, rationale, &c? Certè nullum. Quare consulto Porpyrij arborem præposuimus, tum, vt ad illius mentem, & propositum eiusmodi seriem sufficere notaremus, tum etiam vt Tyrones de antiquitate benemeritos formaremus. Hæc de secundo.

XIII. Quoad tertium occasione capta ex natura speciei specialissimæ, quæ non nisi de indiuiduis prædicatur, quasi incidenter indiuiduum describit, aiens: *Indiuiduum autem prædicatur de vno solo particulari.* Subdit exempla, *vt Socrates, hoc album, Sophronisci filius*, si solus sit ei Socrates

filius. Pergit tandem, docetque indè dici indiuidua. *Quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum quarum collectio nunquam in alio quolibet eadem erit*. Ex quibus apte colligunt Authores, duplicem indiuidui tradidisse definitionem. Primam scilicet indiuidui Logicè accepti, idest quatenus secundam induit intentionem, quam sic efferendam dicunt: *Quod prædicatur de vno*. Alteram vero indiuidui realiter considerati, seu (vt inquiunt) primo intentionaliter accepti, quam sic compingunt. *Id cuius proprietatum collectio nunquã in alio fiet*, de quibus differemus infra. Hactenus tertium Caput, cuius cum littera longiuscule excurrisset, eam nequiuimus breuius perstrinxisse.

DISSERTATIO XVIII.

Vtrum species rectè fuerit à Porphyrio definita?

§. 1. VT in synopsi ad litteram Porphyrij dedimus, tres ab ipso traduntur speciei definitiones (quidquid dicant Sotus, & Pasqualigus.) Prima est: *Quæ sub assignato genere ponitur*. Secunda: *Species est de qua genus in eo quod quid est, prædicatur*. Tertia: *Species est, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur*. Et quoniam multa, quæ de prædicabilis speciei definitione disputanda essent, vt scilicet: Quid loco generis sufficiatur? quid titulo differentiæ? quid per prædicari in quid vsurpetur? &c. supra genus definientes, satis explicauerimus, ea nunc omittimus, vtpote quæ proportione seruata facile queant speciei aptari: quare contraria dumtaxat argumenta enodabimus.

THEOREMA I.

Circulus Porphyrij decircinatur.

§. 2. OBijcies primo. Porphyrius definiuit genus per speciem Superiori capite, nunc describit speciem per genus, in quo circulationem committit nugacem. Nam genus est, quod prædicatur de speciebus: Item species est, quæ subest generi: ergo idem est notius, & ignotius respectu eiusdem suadetur consequentia, quia quod definitur per aliud, debet definiri per notius, quippe definitio est ignoti explicatio; sed genus definitur per speciem: ergo genus est ignotum; & species est nota. Sed rursus species nunc definitur per genus: ergo si illud etiam sit notius, vtrumque erit magis, & minus notum, quam alterutrum.

§. 3. Item pro eodem circulo; loco nominis in definitione positi subrogari potest eius definitio ex Aristotele 2. Topicor. cap. 5. vt si loco animalis ponas *sensibile*, apte definies hominem: est *viuens sensibile rationale*; sed definitio speciei est *quæ subest generi*: ergo genus poterit sic definiri: genus est quod prædicatur de multis, quæ subsunt generi, & species ita. Species est, quæ subest ei, quod prædicatur de speciebus. En circulus, de genere enim ad genus, & de specie in speciem definitio vitiosa girauit.

§. 4. Hæc circuli obiectio vetustior est, quam vt moneamur ab Izquierdo, quod Arriaga eum notasset. Ante mille enim, & fere quadringentos annos eum sibimet obiecerat Porphyrius, ita inquiens: *Quod si etiam Genus assignantes, speciei meminimus, dicentes quod de pluribus, & differentibus specie in eo quod quid prædicatur, & speciem dicimus id, quod sub assignato genere ponitur*. Ecce argumentum. Respondet: *Quod quia relatiua sunt, idcirco necesse esse in vtrorumque rationibus vtrisque vti*. Quam solutionem postea innumeri sunt secuti, quare primo.

§. 5. D. Boethius eamdem repetit, aitque, genus per speciem necessario debere definiri, quia *omnia quacumque ad aliquid prædicantur ex his de qua prędicantur, substantiam sortiuntur, quod si definitio vniuscuiusque substantiæ proprietatem debet ostendere, iure ex alterutro fit descriptio in his, quæ adinuicem refferuntur: ergo quoniam genus, &c.* lib. 3. in Porphyrium cap. de specie. Quæ doctrina plausibilis est, communisque apud Phylosophos veteres omnes, qui relatiua hoc more esse definienda decreuere: testem aduoco Marium Victorinum in sua Dialectica, qui cum quindecim definitiones speciei enumerasset, hãc Catotonoron appellauit apud Græcos celebrem, quam & affert S. Isidorus Ætimolog. lib. 2. cap. 30. *Quartadecima species est* (inquit) *Græcè Catotonoron, Latinè Generalis, vt Cicero in Rethoricis, genus est, quod plures amplectitur partes; item pars est, quæ subest generi*.

§. 6. Secundo B. Albertus Magnus (vt omittam antiquiores, vt Auicenam, Alpharabium, &c.) negat genus definiri per speciem, & è contra: Docet enim, aliud esse rem definiti per aliud, ab eo quod est definiri ad aliud, quam solutionem mox à Caietano amplius explicatam dabo.

§. 7. Tertio subtilis Scotus respondet: [*Quod absolutum* potest cognosci in se per essentialia, & notiora, & ideò in eius definitione alia poni non debent: illud autem, quod secundum quod est, dependet ad aliud; sine illo cognosci non potest, sicut dicitur in prædicamentis cap. de Relatione: & ideo ponitur Correlatiuum, non vt notius; sed quia sine eo definitum cognosci non potest.] Quæst. 3. de Genere ad 5.

§. 8. Quarto Caietanus: (*Non est quærenda*, inquit, vniformiter omnium rerum definitio, sicut nec essentia: substantiarum enim Completarum definitio absque addito fit, quia earum essentia absoluta omnino est: formarum vero tam substantialium, quam accidentalium definitio aliquid additum recipiunt, subiectum scilicet, quia absoluta à subiecto entia non sunt. Et similiter relatiuorum definitio additum terminum recipere debet, quia ens absolutum à termino non est. Et hæc ratio est demonstratiua, & eos tantùm non conuincit, qui non capiunt ipsam. Sed diligenter notandum est secundum Albertum, quod aliud est definiri per reliquum, & aliud est definiri ad reliquum: ly namque *Per* causalitatem quandam denotat, quam neutrum Correlatiuorum formaliter sumptum habet respectu alterius: & ideo vnum correlatiuum non debet definiri per reliquum. Ly vero *Ad* causali-

litatem aliquam non denotat, nec etiam formaliter loquendo dependentiam; sed tantum habitudinem, & respectum sonat ad aliquod, vt terminum; & hoc modo intelligitur, quod vnum relatiuorum ponitur in definitione alterius, ita quod relatuum non definitur per reliquum, sed ad reliquum; essentia enim propria relatiui in ipso *Ad* consistit, &c.)

§. 9. Ad illud de noto simul, & ignoto respondet bifariam. Primo, quod relatiuum definitur ad reliquum, vt terminum, terminus autem vt sic notior est eo, quod ad ipsum terminatur vt sic, quoniam interminatum, vt sic ignotum est, & sic vtrumque correlatiuorum est notius altero, vt terminus; ignotius vt terminatur, & quia definitur, vt tendit ad aliud, definit, vt terminat: ideò non est inconueniens vnum ad aliud mutuo definiri: Et si objiciatur, quod relatiua sunt simul natura, & cognitione: Dicatur concedendo, quod simul cognoscũtur, vnum tamen accipitur vt notius altero: aliud enim est simul cognosci, & aliud est *magis cognosci*. Sequitur Cardinalem Cardinalis, subditque Toletus: *Notius est enim relatiuum Pater simulcum suo Correlatiuo sumptum, quam ipsum per se.* Hanc solutionem accepit Caietanus ab Auicenna, & Alpharabio. Secundo respondet, quod Correlatiuum, neque assumitur in definitione, vt prius notum, neque vt magis notum, sed vt necessariò connotatum, & quod stat, definitionem dari causa innotescendi, & notificare rem, etiamsi non quælibet pars definitionis *sit notior definito*, quæ solutio ab Scotica non abhorret.

§. 10. (Ad secundam rationem (pergit Caietanus) dicitur negando cõsequentiam: eius enim deductio procedit ex malo intellectu doctrinæ Aristot. cum enim dicitur, quod loco nominis definiti licet ponere eius rationem, intelligitur quoad ea, quæ intrinsecè cadunt in illius nominis ratione, non quæ cadunt vt additum. Correlatiuum autem constat, quod in definitione alterius cadit, vt additum, & ideò non sequitur, quod idem *definiat seipsum*.) Commentar. in Porphyr. cap. de genere, §. *Circa hanc responsionem.*

§. 11. Quinto Tartaretus. (Quod vnum relatiuum non dicitur definiri per suum correlatiuum, sed per fundamentum sui correlatiui, vel per terminum supponentem pro eo, vt species non dicitur definiri per genus captum formaliter, sed per terminum supponentem pro suo fundamento. Similiter genus debet definiri per fundamentum speciei, & non per speciem captam secundo intentionaliter. Et si quis dicat, Porphyrius dixit in textu oppositum: Dicitur, quod Porphyrius non vult, quod vnum relatiuum definiatur per suum correlatiuum; sed per fundamentum correlatiui, quia correlatiuum non est notius suo relatiuo. Etiam esset circulatio in definitionibus relatiuorum, & idem esset notius seipso) &c lib. 1. Prædicab. cap. de specie, §. *Sciendum est secundo*. Quam responsionem communiter complectuntur Scotistæ aiemes, speciem definiri per genus, & genus per species absolutè, & specificatiuè, non formaliter, aut reduplicatiuè sumpta, ita vt cum genus definitur, sensus sit (inquit Poncius) quod genus sit illud, quod prædicatur in *Quid* de naturis distinctæ rationis, vt sunt autem distinctæ rationis præcissè, & formaliter, non sunt species subjicibiles, &c.

§. 12. Sextò Thomistæ recentiores communiter respondent, circulum iri commissum, si correlatiuum definiretur per alterum in recto, at definiri per correlatiuum in obliquo, & tanquam per additum, vel connotatum, nihil habere absurdi, quibus adhæret Merinerus Scotista. Ad Aristotelem aiunt, illum loqui solum de partibus intrinsecis definitionis, quales sunt genus, & differentia, non de additamentis obliquis, vt supra Caietanus docuerat. Ad id autem, quod objicitur, definitionem tradi debere per notiora ex eodem Aristot. Topicor. 6. cap. 3. Occurrit Masius aiens, Aristotelem statim ipso capite excepisse relatiua, quod in comperto est; Ibi enim sic inquit Phylosophus. *Oportet autem non latere, quædam fortasse aliter definiri non posse, vt duplum sine dimidio, & quæcumque per se ad aliquid dicuntur. Nam omnibus huiusmodi est idem esse ei, quod est ad aliquid quodammodo se habere: Quare non est possibile sine altero alterum cognoscere, eo quòd necessarium èst alterius oratione coassumi, & ad alterum.*

§. 13. Septimò Hurtadus respondet dupliciter commiti circulum: primo non explicando naturam definiti, *Pater est qui habet filium, & Filius est qui habet Patrem*, qui circulus est vitiosus, & sic vitiosa esset generis definitio, si diceres *genus est quod habet species, species est qua habetur à genere*. Altero modo quando explicatur vnum relatiuum per connotationem alterius (nec enim fieri potest, quod relatiuum non connotet alterum) vt si dicatur *Pater est qui habet filium*. Si roges: quid sit habere filium? non est respondendum: *Filius est qui habet Patrem.* Sed dicendum, habere filium esse hominem genuisse, & illi coexistere. Quod ante Hurtadum iam pridem docuerat M. Sotus hoc cap. Ita ergo dum definitur genus per prædicari de differentibus specie, debet explicari quid sit differre specie: & cum dicitur, speciem subjici generi, explicandum est, quid sit subijci generi. Igitur huiusmodi circulus in quo natura definiti explicatur minimè est vitiosus. Disput. 5. §. 5. Sequitur Caberus Disput. 3. de specie dub. 1.

§. 14. Octauo M. Ioannes à S. Thoma (& est solutio affinis præcedenti) negat circulum, quia species (inquit) non illa tantum definitione definitur, scilicet per respectum subijcibilitatis ad genus, sed etiam alia, scilicet prædicabilitatis ad inferiora, & sic non præcisse notificatur per genus, sed alia via. Vbicumque autem aliquid supponitur notificatum, & definitum alia definitione, & alia via, quam per illud, cum quo circulariter definitur, non committitur circulus formalis, sed materialis tantum, qui vitiosus non est, eo quòd non idem per idem tantum notificatur, &c. qu. 8. art. 1.

§. 15. Nono Quiedus respondet, genus non definiri per hoc, quod est prædicari de pluribus spe-

speciebus; sed pluribus differentibus secundum prædicatum specificum, quod est dicere de pluribus notabiliter differentibus, siue illa species sint, siue indiuidua. Controuers. 5. de specie punct. 1. num. 3.

§. 16. Decimo Lynceus, vt vitet circulum ait, genus non definiri in ordine ad speciem subiicibilem, sed in ordine ad prædicabilem. Quia quamuis verum sit (inquit.) Relatiuum definiri posse, & solere per ordinem ad correlatiuum specificatiuè acceptum; non vero per ordinem ad illud reduplicatiuè sumptum: hoc tamen non impedit, quo minus genus definiatur per respectum ad speciem prædicabilem, quippe quæ specificatiuè loquendo est eius correlatiua, eique subiicibilis. Tract. 2. de genere cap. 4. nu. 43. & 44. Sed hoc responsum multis annis ante Lynceum docuerat Vazques 1. p. Disput. 59. cap. 6. num. 28. Reuera tamẽ, & hic à communi Scotistarum solutione id accepit, qui docent genus non terminari ad speciem, vt reduplicatiuè subiicibilem, sed ad speciem sumptam specificatiuè.

§. 17. Vndecimo, & vltimo responderem, Quod quamuis hic definiatur Species per id *quod sit sub genere* tantum: At vero Genus non definitur per id *quod contineat sub se species*, sed per aliquid ab eo diuersum, nempe per id, quod prædicetur de differentibus specie, quod est illud formalissimè explicari per prædicationem incompletam vt talem. Eo enim ipso, quod Animal v. g. sit prædicatum essentiale inferioribus, quæ etiamsi in ipso conueniant, tamen adhuc differunt essentialiter; ostenditur Animal esse incompletam essentiam, proindeque incompletè prædicari. Etenim si inferiora quę in Animali conueniunt non differrent essentialiter sub ipso, animal de ipsis completè prædicaretur, eaque in animali adæquatè, & completè conuenirent, vt supra explicuimus Dissertat. 14. §. 2. Igitur in definitione Generis statuitur tanquam genus *Quod prædicetur in Quid*, in quo illud cum specie conuenit; & instar differentiæ ponitur, quòd eius inferiora differant essentialiter, per quod ab specie dissidet. Non ergo definitur Genus per meram continentiam speciei; sed ratio prædicabilitatis incompletæ vt talis explicatur per ly *differentibus specie*, quod sonat differentibus essentialiter; & quamuis per ly *differentibus* significentur species subiicibiles, vt tales (quod contra Scotistas affirmo) non tamen significantur præcisè per ly *specie*, quod non benè aduerterunt plerique, ly enim *specie* pro tunc formaliter sonat *essentialiter*, vt dixi, quod vel inde liquet, quod si definias: Genus est quod prædicatur de multis essentialiter differentibus: manet integra, rataque Definitio. Vno verbo: Species definitur per continentiam sui sub genere; At vero Genus non explicatur per continentiam specierum; sed per id, quod differant essentialiter contenta sub ipso. Non igitur fit Circulus (vt alij iam benè notarunt) dummodo non dicitur Speciem esse quę continetur sub genere, & genus esse, quod continet Species.

§. 18. Quod si obiicias, Porphyrium dicere, se in Definitione Generis *meminisse Speciei*. Dico, me id quoque fateri, nempe solum meminisse, non per illam præcipuè explicasse, nec per continentiam specierum, sed per differentiam contentarum, vt modo dixi.

§. 19. Hinc corruunt Nominalistarum definitiones, quibus Porphyrium correcturi, Genus dicunt, se explicare, non facta mentione Speciei; vt cum Arriaga, & Ouiedo nonnulli. *Genus est* (inquiunt) *quod prædicatur de multis notabiliter differentibus in Quid*? Sed quid, quæro est *notabiliter differre*? estne differre solo numero? an differre specie? Dices esse differre specificè, & essentialiter. Contra primo: Quia iam tu inculcas speciem in explicanda tua notabilitate, vt patet ex nona solutione Ouiedi aientis, Differre notabiliter esse *differre secundum prædicatum specificum*. Contra secundo. Quia nec differre non notabiliter arguit identitatem specificam, nec differre notabiliter constituit specificam diuersitatem. Cattus enim, & Tigris non ita differunt, vt non videantur sola proceritate dissimiles, ita etiam plures Piscium species. Tum Mures de muribus prognati non sunt notabiliter dissimiles muribus è putrefactione oriundis, & tamen distingui specie docuerunt Auerroes 8. Physicor. Coment. 46. & 1. de Generat. cap. 10. Sanctus Thomas in primo, distinct. decima articulo quinto ibi: *Vna res habet tantum vnum modum, quo oritur ex alio. Non enim idem in Specie est à natura, & ab arte, nec per putrefactionem, & seminationem: & ideo erit vna persona, quæ est ab alia per generationem, & hic est Filius, & ab alia, quę est ab alia per spirationem, & hic est Spiritus Sanctus*. Vbi assumit, animalia quę producuntur per seminationem non esse eadem Specie cum ijs, quę per putrefactionem oriuntur, ad probandam distinctionem quasi specificam inter terminos generationis, & Spirationis Diuinæ. Id etiam concedit Quæst. 9. de potentia. art. 9. ad 23. & quæst. 10. artic. 2. ad 17. quibus in locis distinctio specifica admittitur inter eiusmodi animalia, si solutiones formaliter applicentur argumentis, vt benè notat Flandrensis. Item Ægidius Romanus 2. Hexam. cap. 28. Iandunus 7. Metaph. quæst. 15. Flandrensis 7. Metaph. quæst. 13. artic. 4. vbi contraria omnia eneruat argumenta; Ergo distinctio specifica non benè explicatur per notabilem dissimilitudinem solam, cum & aliunde prouenire possit.

§. 20. Et ne quid dissimulem, oppono istis Satyros, atque Faunos, qualis ille fuit, quem in vasta Ægypti eremo Magnus parens noster Antonius vidisse dicitur. Testibus SS. Hieronymo, Isidoro, & alijs. Homuncio enim fronte cornibus asperatâ, naribus aduncis, fæmore hispido, pedibusque caprinis à Dei seruo interrogatus, respondisse fertur: *Mortalis ego sum vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore Gentilitas Faunos, Satyrosque colit. &c.* Sub hæc addidit: se legatione gregis sui fungi ad Antonium, vt pro illis communem Deum oraret. Quæ sanè Hieronymi historia vera est, & a Sede Apostolica per Gelasium Papam in Concilio Romano approbata, vt constat ex Cap. *Sancta Romana Ecclesia*. distinct.

distinct. 15. Atqui Homuncio ille notabiliter erat dissimilis nobis, & tamen erat homo; Item non erat notabiliter dissimilis Capro, & tamen erat diuersæ speciei; ergo sola notabilis dissimilitudo, vel similitudo non arguit distinctionem, nec identitatem specificam, si aliquid aliud per notabilitatem non explicas.

§. 21. Contra tertio; Per differre notabiliter non explicas differentiam secundum gradum specificum, quæ explicari debet in definitione Generis; Ergo debes omnino speciem commemorare. Probo antecedens, In vestra sententia non solum differentiæ specificæ, sed etiam Indiuiduales sunt essentiales Indiuiduo, vt fatetur Ouiedus dicta Controuers. punct. 2. num.3. Sed per differre *notabiliter* solum intelligis differre essentialiter; ergo Indiuidua eiusdem speciei tam differunt notabiliter inter se, quam duæ species; Ergo debes per aliquid aliud discriminare id quod est differre essentialiter specificè, ab eo, quod est differre essentialiter numerice, siquidem differre notabiliter solum significat differre essentialiter, quod vtique competit per se.

§. 22. Hinc vlteriùs contra Ouiedum ex eiusdem doctrinâ infero, illum malè describere Genus, aiens: *Quod prædicatur de pluribus per modum partis materialis*. Qua posita definitione, dicit, absque timore Circuli vitiosi definiri posse speciem. Probo primo; Quia si Differentia indiuidualis est essentialis Indiuidio apud ipsum, proculdubio prædicabitur per modū partis formalis de ipso, Ergo eiusmodi Definitio Generis conueniet etiam speciei, quæ quidem de indiuiduis prędicabitur necessario per modum partis materialis, cum Indiuiduum constet ex Specie, & indiuiduatione tamquam ex materia, & forma essentialibus per Ouiedum. Secundo, quia etiam Materia prima prædicatur de homine, & Corpus per modum partis materialis, & tamen non vt Genus, hæ enim prædicationes; *Homo est materialis, homo est Corporeus* minimè sunt Genericæ. Dices *Materiale*, & *Corporeum* non prædicari in Quid, idest Substantiuè. Aio, in eo etiam te peccasse, qui illā particulam omisisti. Vel si omitendam putas, *Materiale*, & *Corporeum* pro Generibus tibi esse deuoranda.

§. 23. Plures (mi Lector) attuli Circuli solutiones tum veterum, tum Iuniorum, vt ostenderem, summos viros Porphyrii definitiones laudabili conatu explicasse; non (vt nostri sæculi faciunt Scioli) contempsisse. Quam malueris ergo eligas, si nostram detrectas.

THEOREMA II.

Cætera aduersariorum argumenta diluuntur.

§. 24. Obijcies tertio leuia quædam, & parui, aut nullius momenti, quę solent hic vulgo comminisci. Vt Definitionem Speciei subiicibilis conuenire Indiuiduo, quod quidem etiam sub genere collocatur. Quod si dicas illud non collocari immediatè, seu Genus non prædicari de Indiuiduo per se, sed per accidens, vt docui Dissert.13.Theor.2. Reponunt contrà; Quia Indiuiduum incompletum per se; & immediatè ponitur sub genere, vt *hoc animal* sub animali: ergo huiusmodi definitio saltem Indiuiduo incompleto conueniet, Respondeo; Genus non quà Genus, sed quà Species est de indiuiduis incompletis prædicari per se, vt probaui Dissert.16. §.11.

§. 25. Obijcies quarto Definitionem speciei prædicabilis conuenire Deo, qui prædicatur de Personis numero distinctis in *Quid*, Respondi Dissert.2. §.3.

§. 26. Obijcies quinto non requiri, vt species prædicabilis prædicetur de multis differentibus numero. Primo, quia Species Angelica est prædicabilis, & vniuersalis, & tamen non dicitur de multis indiuiduis. Item, quia possent Hircus, & Cervus hypostaticè vniri in vno supposito, de ipsoque Hircocervum vniuersaliter prædicari. Similiter Geryon de tribus hominibus hypostaticè in eadem persona vnitis, & Briareus de centum, nec id repugnare dicendum est (inquit Caramuel) Tum quia si Deus, & Homo vniuntur hypostaticè, non apparet impossibile, tres Geryones, & centum Briareos posse vnam esse personam. Tum etiam, quia si vnio Hypostatica esset impossibilis in Creaturis (quod numquam demonstraturus es) identificatio non est impossibilis; ergo posset tunc dari Species prædicabilis de hominibus inter se realiter identificatis, & non differentibus numero. Probat antecedens; Nam si duas Continui partes, quas Academici distinguunt realiter ante omnem diuisionem, *Peripatetici identificant*; Etsi intellectum, & voluntatem, & alias potentias, quas Thomistæ distinguunt ab Anima realiter; Scotistæ identificant. Etsi essentiam, Existentiamque, quas multi realiter distinguunt, alij identificant, &c. Cur Indiuidua, & Species, quas natura distinxit, non poterit Deus identificare? repugnantiam non video (inquit ille) nec plurimi Doctores mecum. Metalog. lib.6. Disput.3. articul.3.

§. 27. Respondeo negando assumptum Obiectionis, & quoad primam partem probationis nego antecedens, de quo Dissert.20. Ad secundam probationis partem aio, vnionem hypostaticam inter creaturas esse impossibilem, cuius repugnantiam Theologi ostendunt, Thomistæ in 3.p.quæst.3.artic.1.Sotus in 4.distinct.9.quæst. 2.art.2. Durandus in 3.distinct.1.quæst.5. & omnes communiter contra Nominales. At vero gratis admisso, Hircum, & Cervum in vnum coalescere suppositum, nullam video difficultatem, quominus hæ propositiones sint vniuersales, & Genericæ, *hic Hircus est animal*: *Hic Cervus est animal*: essent enim duo indiuidua realiter distincta in vno supposito vnita tantum, non identificata, de quibus animal prædicaretur, non secùs ac nunc prædicatur de Hirco, & Cervo non vnitis. Sed quid inde contra definitionem Speciei? Quid hoc habet difficultatis, vel quid lucis hoc affert Logicæ, vt Caramuel ait?

§. 28. Ad id autem, quod addit, si vnio hypostatica repugnat in Creaturis; at saltem idem-

identificationem non fore impossibilem: Respondeo, si ulla inter impossibilia latitudo admittenda est; sanè multo magis impossibile esse, hominem identificari; quam vniri cum Equo. Probatio antecedentis, videtur Caramuelis ingenio indigna: *Intellectus, & voluntas realiter distinguuntur ab anima apud Thomistas: sed Schotistæ identificant Intellectum, & voluntatem realiter cum anima: Ergo Deus potiori titulo præstare poterit quod Scotistæ præstant*. O egregia argumentatio! Sed vero nec Scotista realiter vllas res identificat distinctas, nec Thomista identificatas reapse distinguit; sed cum nec identitas, nec distinctio rerum facilè apparet, hic opinatur esse distinctas; illo identificatas, quod & puer non ignoret alphabetarius, quare Caramueli non habeo fidem aienti, multos esse Doctores, qui hoc cum ipso discurrant.

§. 29. Porrò gratis concesso, posse Deum centum homines in Briareo, sicut tres in Geryone identificare, concesso etiam, has propositiones esse vniuersales, & specificas *Geryon A. est homo: Geryon B. est homo*; nego tamen consequentiam Caramuelis, nempe quod ad constituendam vniuersalitatem non exigatur distinctio realis inter inferiora. Nam aliud est, Hominem nunc vniuersalem prædicari vniuersaliter de vno indiuiduo ex suis, quod non est ad rem, nemo enim negat, hanc prædicationem, *Petrus est homo* esse specificam, tametsi in eo actu, Homo in Petro non sit vnum in multis. Et aliud est asserere, repugnante multitudine indiuiduorum, & dato solo Geryone, in quo tres homines identificentur numero, Hominem esse vniuersalem ex comparatione ad illos dumtaxat in vno indiuiduo identificatos, quod Author hic probare debuit. Etenim quamuis homo foret vniuersalis species respectu Geryonum realiter in eodem numero homine identificatorum, non tamen constitueretur vniuersalis, nec Species per solam comparationem ad eiusmodi Geryones, sed per comparationem ad cætera etiam hominis indiuidua. Compararetur autem ad Geryones identificatos tamquam ad vnum ex suis indiuiduis, & sicut nunc comparatur ad Marcum, Tullium, & Ciceronem; quamuis enim hæ propositiones sint specificæ, & vniuersales: *Marcus est homo: Tullius est homo: Cicero est homo*. Stultè quispiam inferet, Speciem humanam constitui vniuersalem solo respectu subiectorum eiusmodi propositionum, cum illius vniuersalitas consurgat ex habitudine ad omnia eiusdem indiuidua, quæ si repugnarent omnino præter Marcum, minime homo esset vniuersalis, quantumuis prædicaretur de Marco, & de Tullio, atque de Cicerone. Hoc ipsum respondebit Scotista ad similem obiectionem, quam præmisserat Caramuel de intellectu, & voluntate, quæ in sententia Scotica non distinguuntur realiter, & tamen hæ propositiones sunt vniuersales; *Intellectus est potentia spiritualis, Voluntas est potentia spiritualis*. Hinc infert: Ergo vt res sit vniuersalis ad multa, non petitur vt illa multa sint realiter distincta, quandoquidem illud prædicatum *spirituale* est vniuersale ad intellectum, & voluntatem, quæ apud Scotum non distinguuntur realiter. Mala quidem consequentia: Nam prædicatum *spirituale* vniuersale erat, quamuis ad intellectum, & voluntatem numquam compararetur; cum sit commune multis alijs ab intellectu, & voluntate distinctis; immo Deo, Angelis, animo rationali, ex quorum respectu, & comparatione vniuersalitatem potuit nancisci. Non respectu voluntatis cum intellectu identificatę dumtaxat, quod Caramuel debuit probare, vt iam dixi. Cæterum ipsemet secum pugnat contradictorius: negat enim Deum esse speciem: quia etiam admisso Trinitatis Mysterio *non est plures numero*, quod omnes diximus: Ergo si non esset posibilis alius homo præter tres Geryones, qui eo ipso, quod essent realiter identificati, *non essent plures numero*, homo non esset species, vel Deus esset species.

§. 30. Addo tamen, quod si Geryones ita essent realiter identificati in eodem Indiuiduo, vt saltem non repugnaret realis eorum multiplicatio (quod necessario eueniret propter sui materialitatem) Hominem tunc fore vniuersalem *secundum rationem*, tametsi naturaliter nec esset, nec existere posset alius homo præter Geryonem in potentia tergeminum, vt de sole, atque luna dicitur. Sed hæc ita sunt clara, atque facilia, ut nos iam pigeat in huiusmodi Camuelis argutationibus bonas charitas malè perdere.

DISSERTATIO XIX.

De specie subijcibili, & prædicabili.

§. 1. DVplex est subijcibilitas speciei. Prima, per quam subijcitur naturæ Genericæ vt vniuersali. Altera, per quam subijcitur ipsi vt prædicabili. Prima dicitur *subijcibilitas naturæ in qua*, idest ratione cuius genus est aptum ad essendum *in illa*. Secunda nuncupatur *subijcibilitas naturæ de qua*, idest cuius ratione genus prædicatur de ipsa. Ita vt species hac duplici habitudine inferioritatis duplici etiam respondeat superioritati generis, videlicet aptitudini ad essendum in multis, quæ essentia est vniuersalis, & aptitudini ad prædicandum de multis, quæ illius passio quædam est, vt probaui Dissertat. 10. . . . . Porphyrius autem prima definitione. *Quæ sub assignato genere ponitur*: primam habitudinem speciei ad vniuersale expressit: Altera vero descriptione, *De qua genus in eo quod quid est, prædicatur*, secundam relationem ad prædicabile significauit. Tertia denique. *Quod prædicatur de multis, & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur*, explicuit speciem, vt prædicabilem, seu speciem per vniuersalitatem, qua pollet erga indiuidua. Vnde satis liquet, Porphyrium triplici descriptione speciem explicasse iuxta tres diuersas eiusdem habitudines, atque hunc ternarium definitionũ numerum præter quàm quod omnes communiter complectuntur, Rubius ex ipso Porphyrij textu probat euidenter. Quæstio. 1. numer. 5.

§. 2. Nec

§. 2. Nec propterea quoniam de sola specie subiicibili vt tali, quæ generis correlatiua est, faciamus sermonem, existimes, ei soli subijcibilitatem conuenire: quinque enim sunt subijcibilia, quibus quinque respondent prædicabilia, totque necesse est, esse subiecta, quot sunt prædicata. Porrò sicut in prædicatis vniuersalitas est essentia, & prædicabilitas passio: haud secus in subiectis subijcibilitas respondens vniuersalitati erit essentia rei subijcibilis. Subijcibilitas autem respondens prædicabilitati consideranda est velut passio primæ. Cæterum de subijcibilitate, ac prædicabilitate speciei non parum celebres versantur quæstiones. Prima; vtrum ex subijcibilitate oriatur prædicabilitas specifica, vel è contra? & quo ordine, quaue connexione hi respectus conueniant speciei? Secunda: per quam harum relationum constituatur species in relatione secundi prædicabilis. Tertio: vtrum species subijcibilis prout talis sit vniuersalis? quas sequentibus Theorematibus expediam.

THEOREMA I.

Vtrum ex subijcibilitate profluat prædicabilitas speciei, vel contra? & quo pacto se habeant hi respectus?

§. 3. PRimā speciei definitionem, *quæ sub genere ponitur*. Tota antiquorum authoritas Philosophorum censuit essentialem, teste Alberto Magno: Censuit Scotus quæst. 5. de specie ad quartum: vbi apertè docet, speciem secundum suam propriam rationem dici ad genus, ideoque primam speciei definitionem esse speciei propriam secundum se: quia datur (inquit) per eius primum correlatiuum: secunda datur per posterius; quia magis est ad propositum; est enim propria speciei in quantum est vniuersale. Hæc Scotus.

§. 4. Cum ergo omes docerent, speciem vt speciem essentialiter constitui per esse sub genere: Prædicari vero de indiuiduis esse quid posterius in specie, Caietanum, sicut & eiusdem sæculi Dialecticos torquebat difficultas hæc: Species vt species est, respicit genus ex Porphyrio: Ergo species vt species est, non est vniuersalis: quomodo ergo vniuersale diuiditur in quinque vniuersalia genus, speciem, &c. si species vt talis formaliter non est vniuersalis? Iuniores Dialectici adinuenerunt effugium, videlicet, speciem esse nomen æquiuocum significans res omnino diuersas, & disparatas, nempe speciem subijcibilem, & prædicabilem, quæ solo nomine conueniant, exigantque diuersas definitiones, ita vt subijcibilis sit ea, quæ genus respiciat, prædicabilis vero, quæ de indiuiduis enuntietur. Alij ad analogias confugere. Caietanus autem cum sentiret (vt modo dixi) vniuersa Philosophorum Academia approbantem speciem essentialiter definiri per subijci generi; consequenter arbitratus est Definitionem tertiam. *Quod prædicatur de multis differentibus numero in eo quod quid*, esse descriptiuam: idest non conuenire speciei in eo, quod species est, sed illi conuenire secundum quamdam eius proprietatem, quæ sequitur ad esse speciem.

§. 5. Fundamentum Caietani: *Cum enim species vt sic sit sub genere, ita quod suppositio eius tota ex genere oriatur, necessario ex hoc emanat, quod species aliqua respiciat, quorum suppositio aliunde oriatur, hoc autem est respicere indiuidua, vt prædicabile in quid,* &c. *Vnde præsens definitio descriptio est speciei secundum quamdam eius proprietatem, & non quiditatiua eius definitio*. Clarius infra §. *circa banc partem*, sic ait. Ex hoc namque quod aliquid est sub genere positum positione superius declarata, scilicet quæ tota originetur à genere; necessario in illo pullulat habitudo ad indiuidua: quoniam impossibile est, aliquid ita generis participare naturam, & indiuiduis carere, saltem *in esse obiectiuo*.

§. 6. Secundo Toletus è regione nega contra Caietanum, quod vniuersalitas accidat speciei vt proprietas: Eo quod vniuersale sit prius, abstrahatque à prædicabili, & subiicibili; quare asserit, vniuersale vt tale per se dicere esse in multis, & ex hac eius essentia duas relationes, seu proprietates duas consequi, quarum altera est esse prædicabile de multis, altera esse subijcibile. Hoc cap. quæst. vnica.

§. 7. Tertia, mediaque via incedunt post Masium, Rubium, Caberum, Zernam, &c. Complutenses Disp. 6. de specie, qu. 3. docentes, prædicabilitatem speciei emanare, vt proprietatem ab eius subijcibilitate, vt censet Caietanus, nec subijcibilitatem ab eius vniuersalitate, vt vult Toletus, sed esse respectus disparatos, qui nullum inter se habeant nexum passionis, & essentiæ. Adhærent Rodrigueczius, Merinerus, & alij Scotistæ.

§. 8. Probat Rubius argumento quod à M. Masio desumpsit: Vniuersalitas, & prædicabilitas sunt respectus naturæ ad inferiora; subijcibilitas vero est respectus eiusdem ad superiora: Ergo respectus iste est oppositus illis; sed vnum oppositorum non potest procedere ab alio tamquam passio ab essentia: ergo vniuersalitas, & prædicabilitas non procedunt à subijcibilitate, tamquam ab essentia, vt vult Caietanus; nec subijcibilitas procedit ab vniuersalitate tamquam ab essentia, vt vult Toletus, ita & Mag Parra.

§. 9. Probant secundo Complutenses: Quia istæ relationes adueniunt naturæ ex solo intellectu illam comparante ad diuersos terminos, sed vna harum comparationum non dependet ab altera, nec emanat: ergo nec relationes. Minor est euidens: Quia ex eo quod intellectus comparet speciem ad genus, ipsa non manet aptior, aut magis disposita, vt comparetur ad indiuidua, quam si nullo modo præcessisset prima comparatio. Desidero probationem huius minoris: nam quid, si Caietanus neget euidentiam? dicatque speciem comparatam generi reddi aptiorem, vt ad indiuidua comparetur?

§. 10. Probat tertio M. Zerna Disput. 3. artic. 2. Si respectus hi essent essentialiter ordinati (vt Caietanus, & Toletus existimant) non posset vnus absque alio reperiri. Hoc est falsum: Nam in specie subalterna, v. g. Animal est respectus subijcibilitatis sine respectu prædicabilitatis, seu vniuersalitatis specificæ. Tum etiam nam potest dari species, cui repugnet multiplicatio indiui-

duo-

duorum de potentia Dei absoluta: Sed ea esset subijcibilis, & non prædicabilis, nec vniuersalis: ergo, vtuntur eodem argumento Merinerus Scotista M. Parra &c.

§. 11. Quarta opinio est M. Ioannis à S. Thoma constanter negantis, hos respectus esse disparatos, asseritque, vnum eorum determinare, & modificare alterum, siue ratione sui, siue ratione suorum fundamentorum. Ratio: Quia de intrinseco, & essentiali conceptu *speciei* est esse vniuersale, non quomodolibet, sed subordinatum alteri, & minus amplum, seu inferius ipso: ergo id, quod constituit speciem in esse huiusmodi vniuersale subordinatum, & subditum alteri, nempè generi, nequit per accidens, & disparatè illi conuenire. Hæc ferè ille: & benè.

§. 12. Vt meam proferam sententiam suppono subijcibilitatem, & prædicabilitatem accipi posse, & fundamentaliter, & formaliter, sicut & quælibet aliæ relationes. Posse item sumi in tota sua latitudine, prout scilicet prædicabile abstrahit ab vniuersali, & non vniuersali: & subijcibile prout abstrahit à particulari; & non particulari, & hoc est largè vsurpari hasce relationes: Quæ tamen presè accipi possunt, idest prout denominant secundum prædicabile vt tale, vel quatenus conueniunt speciei nempè vniuersali respicienti genus, seu subijcibili generis immediato, quibus positis.

§. 13. Dico primo. Prius natura est, speciem esse subijcibilem fundamentaliter, quam prædicabilem: & in hoc sensu vera est sententia Caietani. Probo. Fundamentum subijcibilitatis est prius natura fundamento prędicabilitatis; Equidem fundamentum subijcibilitatis est natura secundum quod constat ex genere, & differentia: ideo enim generi subijcitur, quia illud participat. Fundamentum vero prædicabilitatis est, naturam habere non repugnantiam ad indiuidua; Sed prius est, naturam intelligi in ordine ad sua prædicata essentialia, & ad genus à quo essentiam accipit, quam in ordine ad indiuidua extrinseca, à quibus non accipit: ergo humanitas v. g. prius natura est fundamentaliter subijcibilis, quam prædicabilis. Hanc consequentiam fatentur aduersarij, vt Complutenses num. 14. & Merinerus num. 13. qui addit intellectum interdum concipere naturam prius prædicabilem, quam subijcibilem, *Sed hoc per accidens & non attendendo exigentiam fundamenti, quod potius oppositum postulat.* Ergo per se tenetur intellectus prius concipere sobijcibilitatem fundamentaliter, seu ratione fundamenti: ac proinde Caietanus benè constituit essentiam, seu quasi essentiam in illa exigentia fundamenti postulantis subijcibilitatem vt priorem per se.

§. 14. Dico secundo: Si subijcibilitas, & prædicabilitas sumantur formaliter, & largè, sunt relationes disparatæ, quæ nulla inter se dependentia connectuntur. Et in hoc sensu sententia Complutensium vera est, eamque probant argumenta, quæ Masius, Zerna, & alij afferunt contra Caietanum & Toletum supra.

§. 15. Dico tertio, antequam natura specifica concipiatur vt subijcibilis, vel vt prædicabilis formaliter, necessario debet supponi abstracta ab indiuiduationibus. Vnde ante hos respectus natura est negatiuè vniuersalis, idest indifferens ad vniuersalitatem, vel subijcibilitatem. Conclusio certa, & ab omnibus admissa: ex qua infero, falli eos, qui putant, speciem esse prius vniuersalem formaliter, quam subijcibilem, ex eo solum, quod natura supponatur abstracta ab indiuiduationibus, vt volunt M. Masius, M. Sanchez, &c. Probo: tum quia vniuersalitas formalis non resultat per eiusmodi abstractionem, vt ostendi Dissertat. nona: Ergo licet postea resultet subijcibilitas formalis, non ideo censenda est ab vniuersalitate formali oriri, vt passionem. Tum etiam, quia natura secundum se completa per eiusmodi vniuersalitatem negatiuam, seu vt abstracta est, solum est disposita ad vtramlibet relationem; sed dispositio licet præcedat formam, non ideo est essentia illius, vt patet: Ergo licet natura præcedat vt abstracta, seu vt negatiuè vniuersalis, nec abstractio passiua, aut vniuersalitas negatiua erit essentia, a qua profluat subijcibilitas, nec prædicabilitas.

§. 16. Dico quarto: Sententia Mag. Ioannis à S. Thoma quatenus asserit, subijcibilitatem, & prædicabilitatem, quæ pertinent ad secundum prædicabile, non esse omnino respectus disparatos, sed vel ratione sui, vel ratione fundamenti habere inter se connexionem, & vnam determinare, & modificare alteram, omnino vera est, quicquid dicant Complutenses. Sed quatenus non explicat eiusmodi connexionem, & modificationem, est obscura. Et tandem quatenus negat, secundum prædicabile non posse constitui per subijcibilitatem prorsus est falsa. Prima pars huius asserti probatur. Quia eo ipso, quod sit de essentia speciei, & secundi prædicabilis hoc, quod solum de differentibus numero prædicatur, essentialiter petit esse vniuersale constitutum sub infimo genere: ergo essentialiter petit prædicabilitatem temperatam, seu modificatam per respectum ad genus. Antecedens est euidens, alioqui species posset prædicari vt talis, de multis differentibus specie. Consequentia est bona. Item species subijcibilis conueuit cum indiuiduo in subijcibilitate respectu generis; sed non differt ab indiuiduo, nisi per hoc, quod subijcibilitas specifica sit coniuncta cum vniuersalitate: Ergo subijcibilitas specifica vt talis modificatur per vniuersalitatem: ac proinde respectus hi denominare speciem, vt talem, seu constituentes secundum prædicabile mutuo sese determinant, ac modificant, petuntque necessariò connecti: Ergo non sunt disparati in ipso.

§. 17. Secunda pars eiusdem asserti patet: Nam prædictus Magister non explicat, qualisnam sit ista connexio: non enim est essentiæ, & passionis, vt Caietanus, & Toletus existimabant. Affirmo esse connexionem actus, & potentiæ, vel generis, & differentiæ, quæ mutuò petunt compleri ad constitutionem alicuius tertij, vt sequenti Theoremate dabo: vbi & tertia pars eiusdem asserti probabitur. Dicam enim subijcibilitatem formalem constitnere secundum prædicabile vt tale: Porphyriumque eiusmodi prędica-

dica-

dicabilis essentiam per subijcibilitatem aptissimè explicasse.

THEOREMA II.

Per quam harum relationum constituatur essentialiter species in ratione secundi prædicabilis?

§. 18. ANntiqui ferè omnes Dialectici (vt supra indicaui) speciem docuerunt vt speciem constitui per respectum ad genus, subindeque Porphyrij primam definitionem. *Quæ sub assignato genere ponitur*, essentialem esse. Fundamentum eorum sanè non leue erat: Species est nomen relatiuum secundæ intentionis, seu est relatio rationis: Ergo essentialiter definienda est per suum terminum. Age ergo, elige ex his duobus terminis, in ordine ad quemnam eorum definienda sit? Nam respicit genus, & respicit indiuidua. Certè genus est terminus prior, essentialiorque, quam indiuidua: Ergo species essentialiter est definienda per respectum ad genus. Probo antecedens: Species respicit genus, vt quid intrinsecè constituens ipsam, & indiuidua respicit, vt quid extra suam essentiam constituendum: prius enim est speciem constitui essentialiter in se per genus, quam ipsam componere, & constituere indiuidua. Et magis necessaria est hæc consequentia: *Genus componit speciem: Ergo species participat genus*, quam ista: *Genus constituit speciem: Ergo species participatur ab indiuiduis.* Atqui definitio essentialis relatiui debet fieri per terminum priorem, magis necessarium, & essentialem: Ergo species prius, & essentialiter definienda est per respectum ad genus.

§. 19. Ex hoc discursu oritur nodus ille difficilis supra §. 4. exhibitus. Deducitur etiam consequenter, prædicabilitatem competere speciei vt proprietatem subijcibilitatis, eo ipso quod subijcibilitas sit primarium, & essentiale constitutiuum speciei, vt prædicto argumento probatur: Quod quia certè durum erat, lenire voluit Caietanus, aiens, ex immediata positione speciei sub genere, necessario emanare, quod ipsa respiciat indiuidua sub se, quod verum est, saltem de prioritate, qua fundamentalis subijcibilitas præcedit prædicabilitatem.

§. 20. Ad euadendas igitur tam difficiles, simulque necessarias consequentias opus erat infringere vires suprapositi argumenti, quod & Neoterici fecisse putarunt, negando vniuocationem huius termini *species*. Primusque, seu inter primos Petrus Niger in Clypeo quæst. 34. docuit, speciem non significare rem simplicem, aut vniuocam; sed esse nomen æquiuocum diuersas specierum essentias significans, quem post secuti sunt Masius, Sanchez, Complutenses, Parra, & alij Iuniores pro se citantes Sotum; Alij vero non æquiuocum, sed Analogum duxerunt eumdem terminum, vt Conimbricenses, Murcia, Merinerius, &c. Negata autem vniuocatione speciei vt sic, semelque admisso, speciem non posse definiri, vt talem absolutè, & essentialiter, sed diuisione opus esse, ac exigere diuersas definitiones essentiales, quarum altera explicet subijcibilem, & altera prædicabilem, quæ non nisi in nomine *Speciei* conueniebant, faciè putarunt se prædictis difficultatibus expedire. Censeo tamen, non opus esse, confugere ad analogias, nec æquiuocationes, vt tuetur authoritas, & doctrina Porphyrij: nec enim in D. Thoma, nec apud Scotum inuenio fundamentum eiusmodi æquiuocationis, aut analogiæ, quamuis Thomistæ Iuniores, atque Scotici eas passim amplectantur, quare.

§. 21. Dico quinto: Species vt est secundum prædicabile formaliter, & vltimo constituitur in ea ratione per respectum ad genus, seu per relationem subijcibilitatis. Nec per hoc excluditur ipsius vniuersalitas, quæ in ea præsupponi debet vt gradus anterior, & genericus, ita vt hoc secundum prædicabile constet essentialiter ex vniuersalitate, seu prædicabilitate, tamquam ex genere, & subijcibilitate, tamquam differentia determinante, & modificante vniuersalitatem illius. Hoc est proculdubio germanus Porphyrij sensus, vt post liquebit. Sentit nobiscum M. Eustachius à S. Paulo Cisterciensis sect. 2. de specie quæst. 2. Adstipulatur Toletus quatenus asserit, vniuersale vt sic abstrahere à prædicabili, & subiicibili, quatenus scilicet (inquit) est in multis, siue prædicetur, siue subijciatur, &c. Consentiunt Thomistæ grauissimi. In primis M. Sotus hoc cap. docet Correlatiuum *posse perspicacius explicari per fundamentum alterius: vt si dicas Pater est animal, quod genuit sibi simile in substantia: Et filius est animal, quod à simile genitum est, atque adeo genus est vniuersale, quod alteri vniuersali superpositum est; species vero vniuersale, quod sub alio positum est.* Accedit Mag. Ioannes à S. Tho. *Non possunt* (inquit) *concurrere per accidens, & disparatè se habere in secundo prædicabili prædicabilitas, & subijcibilitas: sed vel secundum, se, vel per sua fundamenta vna determinat, & modificat alteram. Ratio est: Quia secundum prædicabile non habet esse vniuersale quomodolibet; sed vniuersale subordinatum, & minus altero, scilicet genere; Ergo id, quod conducit ad hoc vt sit vniuersale minus amplum, altero, non potest disparatè se habere ad constitutionem talis vniuersalis; siquidem de intrinseca ratione eius est, quod sit vniuersale subordinatum, & inferius. Sicut non disparatè se habet ad constituendam causam secundam hoc, quòd est subordinari causæ primæ: Et in ordine Politico, Ministro inferiori non est per accidens, & disparatum, quòd subordinetur Superiori, & superior Minister Regi ita species essentialiter habet prędicari de inferioribus; sed non est ei per accidens, & disparatum; sed per se requiritur subordinari superiori vniuersali, sub quo continetur in quantum minus vniuersale est.* Hæc ille. Mitto plures, qui per transennam docuere hanc sententiam, quorum nonnullos infra producam §. 26. sed Auctor iste formidine quadam videtur connexionem hanc statuere, veritus fortasse, ne sibi quispiam inferret, subijcibilitatem fore essentiam, prædicabilitatem vero esse eius passionem vel è contra, quod nos minimè timemus. Constat tamen ex eorum sententia Authorum, vniuersalitatem speciei modificari per subijcibilitatem: atque speciem nil esse nisi vniuersale positū sub alio, vt inquit Sotus, adeo vt vniuersale

vt sic

vt sic, quod est Genus ad speciem, determinetur per positionem sub genere, quod est nostra assertio.

§. 22. Probo primo ratione, quàm superiori Theoremate innui §. 16. Per vos vniuersale, seu prædicabile est genus commune generi, speciei, &c. Ergo species nequit formaliter, & vltimo constitui in esse talis, nempe secundi prædicabilis per vniuersalitatem, aut prædicabilitatem. Consequentia est euidens. Eo enim ipso, quod homo v. g. constet ex animali tamquam ex genere, non potest formaliter, & vltimo constitui in esse talis animalis, nempe hominis per animal; sed per formaliter distinctum ab animali, id est per rationale. Differentia enim omnino est extra conceptum generis; At qui vniuersalitas non potest trahi ad speciem constituendam per aliquid aliud ab ipsa, nisi per formalem positionem sub genere, quam dicimus *subijcibilitatem naturę in qua*. Ergo species formaliter, & vltimo constituitur in esse prædicabilis secundi per formalem subijcibilitatem. Probo minorem. Species, vt species conuenit cum primo prædicabili in proximo genere vniuersalitatis, seu prædicabilitatis quidditatiuæ, differtque ab ipso vel per modum prædicandi *completè*, vel per id, quod prædicetur *de solo numero differentibus*: Sed tam ly *complete*, quam ly *de solo numero differentibus* formaliter dicit *subijcibilitatem naturæ in qua*. Ergo eius modi subijcibilitas est differentia constitutiua speciei. Minorem ostendo. Per ly *completè* explicatur, speciem esse compositam ex genere, & differentia, & per ly *solo numero differentibus* notatur, speciem essentialiter exigere, vt constituatur sub infimo genere, alioqui non prædicabitur vt species, sed vt genus: quippe quæ posset de multis differentibus specie prædicari: ergo per vtramque particulam explicatur, quod genus sit speciei: Sed hoc ipsum est *subijcibilitas naturæ in qua*, vt supra notauimus: ergo per hanc tamquam per differentiam constituitur species formaliter, & vltimo.

§. 23. Dices, respectum ad genus importari solum de materiali, quatenus natura specifica supponitur completa ex genere, & differentia. Sed contra: Quia potius vniuersalitas importatur de materiali, & (vt aiunt) præsuppositiuè, eo ipso, quod sit genus ad speciem, vt vos dicitis. Tum sic: Id quod determinat, & modificat rationem genericam in composito Metaphysico, semper importatur de formali; importatur enim vt forma actuans gradum potentialem: sed *subijcibilitas naturæ in qua*, seu positio, aut (vt loquitur Ioan. à S Tho.) coarctatio speciei sub genere determinat, & modificat rationem genericam vniuersalitatis ad esse speciei, adeo vt impossibile sit, quod vniuersale positum sub infimo genere, ob id præcisè non sit species, vel non prædicetur vt species. Ergo eiusmodi subijcibilitas importatur de formali in constitutione essentiali speciei.

§. 24. Probo secundo. Sub aliquam rationem subijcibilitas non esset differentia, seu actus determinans, & modificans vniuersalitatem specificam, maximè quia vniuersalitas, & subijcibilitas essent respectus oppositi; sed hæc ratio est nullius momenti: ergo probo minorem. In primis ea non est vera oppositio, sed fictitia, & intentionalis, cum nec termini sint verè oppositi, qui sunt natura prædicabilis, & suum subiectum: etenim cum prædicabile constituat essentialiter subijcibile quomodo potest esse vera oppositio inter constitutiuum, & rem constitutam, inter animal prædicatum, & hominem subiectum? Ast gratis admisso, dari inter illa veram oppositionem, tamen in specie prædicabile, & subijcibile non coëunt respectu eiusdem ergo cessat oppositio: ergo alterum oppositorum potest optimè alterum modificare. Patet hæc consequentia, primo in exemplo ipsius M. Ioannis à S. Thoma. Nam si in Politicis v. g. describatur Minister supremus, ita illum definis. *Qui omnibus ita superior est, vt solo Rege sit inferior*. Ecce superioritas in omnes modificatur per inferioritatem respectu Regis, cum tamen superioritas, & inferioritas inter se opponantur, quia vero superioritas est in populum, & inferioritas in Principem, idest respectu diuersorum, nihil obest, quo minus eamdem dignitatem constituant. Ergo superioritas intentionalis speciei modificari potest per inferioritatem ipsius, eo ipso, quod superioritas sit erga indiuidua, & inferioritas erga genus, quod omnem amolitur oppositionem. Patet secundo in *infimo supremi*, quod simul est *supremum infimi*, vt fert communis Philosophorum paræmia. Demum de ratione aui est, quod inter ipsum, & nepotem mediet alius modificatus per Paternitatem, vel Pater modificatus per filiationem, idest persona producens, simul & producta, & tamen Pater, & Filius, producens, & productum alioqui opponuntur. Omitto sexcenta: Ergo ex oppositione inter subijcibile, & prædicabile hoc solum benè infertur, quod scilicet species superior non sit simul inferior respectu eiusdem termini, cuius erat superior, quod quidem repugnat, sed non ex nostra sequitur assertione.

§. 25. Dico sexto: Prima definitio Porphyrij est essentialis, explicatque essentialiter secundum prædicabile vt tale, hæc assertio facile sequitur ex supradictis. Nam definitio tradita per differentiam essentialem, & non per secundariam proprietatem essentialis est; respectus ad genus infimum est differentia essentialis, per quam species formaliter distinguitur à genere, vt supra probaui: ergo definitio tradita per eiusmodi respectum essentialis est.

§. 26. Dices, primam speciei definitionem solum esse descriptionem speciei prout subijcibilis est, omnesque dialecticos ita sensisse, quin ipsis venerit in mentem vlla ipsius prædicabilitas, aut vniuersalitas: ergo prima definitio non est speciei prædicabilis: sed contra primo, nam id constantissimè negarunt antiqui omnes dialectici, qui mecum essentialem putauerunt. Contra secundo, & quidem recentes occurerunt, in ea definitione poni vniuersale pro genere, itaut sonet: *Species est vniuersale, quod sub genere ponitur.*

Accipe hos: *Raphaelem de Auersa*, *Tuentes*, *Louanienses*, *Io: à S. Thoma*, *Poncium*, *Merinerum &c.* quibus, & multis alijs dum obijcitur, primæ definitionem speciei, *Quæ sub genere ponitur*, conuenire indiuiduo, quippe quod etiam ponitur directe sub genere: Respondent, indiuiduum excludi per vniuersale subintellectum loco generis in ea definitione. *Nam in omnibus istis definitionibus prædicabilium* (inquit Ioannes à S. Thoma) *debet subintelligi proprium eorum genus, quod est vniuersale, & ita sensus definitionis est quod species est vniuersale, quod sub genere collocatur, & differentia vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale, &c. & sic de alijs. Neque hoc est addere aliqdam particulam extraneam definitioni, sed necessario præsuppositam: Nam vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, debet ergo in omni prædicabili subintelligi, quia hic solum agimus de eo, quod tamquam vniuersale, seu vnum ex quinque prædicabilibus subijcitur. Indiuiduum enim non tamquam vniuersale subijcitur.* Quæst. 8. art. 2. Eadem ferè repetit Merinerus. Ergo cum ex horum sententia prima speciei definitio consiet ex vniuersalitate tamquam ex genere, & ex respectu ad genus tamquam differentia, velint, nolint, concedere debent, eam esse omnino essentialem.

§. 27. Pro corollario ex dictis deduco, definitionem essentialem speciei vt secundi prædicabilis ita efferendam ex Porphyrio: *est vniuersale quod sub genere infimo ponitur*. Equiualet huic: *Est vniuersale in multis solo numero differentiaus*. Sublato ly *infimo*, prima conueniet speciei mediæ, seu subalternæ, quæ genus est, & non habet prædicabilitatem specificam, vt talem. Deduco item, secundam, & tertiam definitionem descriptiuas esse: Secunda enim speciem explicat per subiicibilitatem prædicationis, seu quam dicimus *subijcibilitatem naturæ de qua*, quæ quidem posterior est, sicut & prædicabilitas, per quam traditur tertia. Infero tandem, speciem, vt talem, vtramque dicere relationem essentialiter, quippe quæ vniuersalitate constat tamquam ex genere, & subiicibilitate prima tamquam differentia, sicut relatio *Ministri supremi* constat ex superioritate erga omnes subditos, & inferioritate erga Regem, vt supra diximus: nec opus esse confugere ad æquiuocationes, aut analogias, sicut nec antiqui, grauioresque Thomistæ confugerunt, volentes potius difficultatem fateri, quam eludere, quod sanè notare voluit Mortorellius cum Caietani sententiam secutus, nescio, quem iuniorem sic perstringit. *Quidem Neotericus rei difficultate implicatus asserit, rationem speciei esse æquiuocam, &c.* quæst. 1. de specie.

THEOREMA III.

Obiectiones solutæ.

§. 28. OBiicies primo. Si secundum prædicabile constitueretur ex vniuersalitate modificata per respectum ad genus, species subalterna pertineret ad secundum prædicabile, seu haberet prædicabilitatem distinctam à generica: sed hoc est falsum: & à nemine admittitur: ergo: antecedens probatur, species subalterna est vniuersalis respectu infimarum: item subest generi suo immediato, v.g. animal, quod prædicatur de homine, & bellua, simulque subijcitur viuenti: sed nihil amplius exigitur ad secundum prædicabile, quam quod species sit vniuersalis, simulque suo generi subijciatur: ergo species subalterna v.g. animal esset secundum prædicabile.

§. 29. Respondeo: nego antecedens ab probatum dico, speciem, quæ secundum prædicabile constituit, debere subiici generi *infimo*, quod minimè competit speciei subalternæ; Dices pro libito addi ly *infimo*, quod quidem non apposuit Porphyrius definitioni speciei. Respondeo, te eiusdem criminis reum esse: Nam cum tibi obijcitur hoc argumentum: Quod prędicatur de multis differentibus numero est secundum prædicabile: Sed species subalterna prædicatur de multis differentibus numero, v.g. animal de Socrate, & Platone: Ergo species subalterna est secundum prædicabile: Respondes, in prædicari de indiuiduis, seu differentibus numero debere subintelligi ly *solum* vel *immediatè*, vel *completè*, vel *adæquatè*, per quas particulas ais, excludi speciem subalternam: eo igitur iure, quo tu hæc subintelligis, eodem dico, in prima definitione subintelligendum esse ly *infimo*: Immo omnes eas tuas particulas hæc vna vocula comprehendit. Cum autem species subalterna non habeat nisi prædicationem genericam; quamuis enim de indiuiduis prædicetur, in omni sententia debet à definitione secundi prædicabilis repelli per subintellectas particulas.

§. 30. Obijcies secundò, cum M. Sanchez. Si ratio generica speciei subijcibilis est vniuersalitas: Ergo ratio constitutiua speciei non debet esse opposita rationi genericæ, sed determinatiua illius. Atqui subiici est oppositum huius, quod est esse vniuersale, quia in ratione subijcibilis non est vniuersalis; si enim ratio generica viuentis est habere vitam, non potest ratio specifica esse non viuere: ergo vniuersalitas nequit determinari per subijcibilitatem. Ferè eadem obijcit M. Arauxo. Nam Relatio secundi prædicabilis (inquit ille) *debet esse species vniuersalitatis*, quæ essentialiter est relatio Superioris de inferiori: ergo relatio constitutiua Secundi prædicabilis debet esse specialis relatio ad inferiora.

§. 31. Confirmatur. Differentiæ diuisiuæ debent contineri in genere, quod per illas contrahitur, sed ratio subijcibilis non continetur formaliter intra genus, quod diuiditur in quinque prædicabilia: ergo non constituit vllam speciem illius. Consequentia patet. Nam differentia quæ non est diuisiua generis alicuius, nequit esse constitutiua alicuius speciei illius. Minor vero probatur. Genus ad quinque prædicabilia est vniuersale, seu prædicabile, quod essentialiter constituitur per respectum ad inferiora. At intra latitudinem huius respectus non continetur respectus subijcibilis ad superiora, cum sint respectus ex æquo diuersi, ad di-

diuersos terminos ordinati, & *entitatiuè distincti*, vnusque prædicationem alterius subire nequaquam possit: ergo.

§. 32. Hæc eadem reponit Magist. Ioannes à S. Tho. & instantiam aliquantulum explicat sic. Implicat, quod aliqua relatio in communi importet tendentiam ad aliquem terminum, & relatio, quæ est eius species, & sub ea contenta tendat ad oppositum, sicut si relatio Patris in communi respicit Filium, relatio talis Patris in particulari non potest respicere Auum, sed debet respicere talem filium in particulari. Sed relatio vniuersalitatis vt sic respicit, vt proprium terminum inferiora: ergo relatio talis vniuersalitatis, scilicet speciei non potest respicere superiora: Ergo nec constitui formaliter per subijcibilitatem in ratione secundi prædicabilis, sed per vniuersalitatem talem.

§. 33. Respondeo, hæc argumenta minimè vrgere nos, sed vt plurimum eos, qui aiunt, speciem subijcibilem constituere secundum prędicabile, nullam ponentes vniuersalitatem formalem in specie. Nos vero eiusmodi prædicabile constituimus per vniuersalitatem talem, idest modificatam per respectum ad genus. Deindè hi Authores malè confundere videntur speciem participantem vniuersalitatem vt sic cum differentia contractiua vniuersalitatis vt sit. Nam sola species continet genus formaliter, non vero differentia, de qua genus prædicari non potest. Vndè licet certum sit, speciem esse vniuersalitatem *talem*, at vero illa talitas non est vniuersalitas; eo modo, quo licet homo sit Animal tale, idest rationale; attamen talitas, vel rationalitas non est animalitas: ergo species solum in quantum dicit rationem genericam est vniuersalis; at vero quatenus dicit differentialem, minimè. Patet hoc, nam prout est vniuersalis non est, nisi *vnum in multis* præcisè, quod & Accidenti, & Proprio, & Generi æquè competit: Ergo id quod peculiariter determinat illam vniuersalitatem ad esse speciem, aliquid aliud est formaliter ab vniuersalitate distinctum, siquidem non potest vniuersalitas per vniuersalitatem determinari, sicut nec animalitas per animalitatem, vt est euidens. Insuper malè supponunt, vniuersalitetem, & subiicibilitatem esse oppositas hìc, non enim versantur circa eosdem terminos, vt notaui §. 24. Et respectus ad genus, seu subijcibilitas speciei minimè negat eiusdem vniuersalitatem, sed determinat, & limitat sub genere, hoc est, facit vt species, quæ communis est, & vniuersalis, exerceat eiusmodi communitatem, sub certo genere, quasi designans ipsi inferiora suæ superioritatis. Porrò coarctare communitatem, & vniuersalitatem intra meras generis infimi, non est illam tollere, sed potiùs supponere.

§. 34. Ex his facilè corruunt fundamenta aduersariorum, M. enim Sanchezio dato primo entymemate, nego secundum antecedens, nam licet vniuersalitas, & subijcibilitas vt sic opponantur, si versentur circa eosdem terminos, at vero id non contingit in specie, cuius subijcibilitas non negat, nec tollit, quod sic vna in multis, sed solum determinat, quod ea multa sint sub infimo genere, quarè exemplum viuentis non est ad rem, quia non viuere negat omninò viuens, M. item Arauxo concedo antecedens de ratione generica speciei, & nego consequentiam de constitutiuo differentiali eiusdem. Nam *secundum prædicabile* licet prout prædicabile, quod est ratio generica sit vniuersale, at prout *secundum* non est vniuersale formaliter, sed identicè, aut præsuppositiuè, vt aiunt; repugnat enim quod genus prædicetur formaliter de ratione differentiali.

§. 35. Ad confirmationem nego minorem de nostra subijcibilitate disparata, seu non opposita vniuersalitati, & ad probationem dico, differentias non debere contineri directè sub genere, vt inferiora participantia ipsum, sed vt modos extrinsecos, de quibus illud non possit prædicari. Immò sunt quædam differentiæ, quæ genus extrahunt ad lineam diuersam, & oppositam. Rationale enim v.g. quod est principium operationum immaterialium, & spiritualium, nempè intellectionis, & volitionis determinat animal, quod essentialiter constituitur per sensibile, idest per esse principium operationum materialium, & corporearum. En Genus quod est principium operationum materialium contrahitur per differentiam, quæ est principium operationum immaterialium, quæ magis opponuntur. Portò vniuersale aptè diuiditur in vniuersale constitutum sub genere infimo, & in non constitutum sub illo, quod perindè est, ac sub alijs terminis diuidi in prædicabile de solo numero, & de non solo numero differentibus. Fallitur arguens dum differentias existimat, debere participare genus, quasi essent species. Subijcibilitas igitur licet non sit species vniuersalitatis, potest esse modus extrinsecus, & differentialis determinans illam, vt sæpè dixi.

§. 36. Tandem M. Ioannis à S. Thoma totum syllogismum concedo de ratione generica speciei, & nego vltimam consequentiam. Nulla enim est repugnantia in eo, quod species quatenus est quid vniuersale respiciat inferiora, & quod adhoc, vt sit species modificetur illa vniuersalitas per respectum ad genus, tamquam per modum differentialem, quandoquidem hi respectus nullatenus opponuntur interse; sicut nec superioritas, & inferioritas *Ministri Supremi* in ipso eiusdem Authoris exemplo minimè opponuntur. Alioqui si vlla hic est difficultas argumentum retorquebo in ipsum. De ratione Magistratus Superioris, vt sic est respicere inferiores. Ergo talis Magistratus, nempè supremus debet etiam respicere inferiores. Ergo non potest constitui in esse Magistratus Supremi per inferioritatem respectu Regis. Quid ad hęc? sanè concesso primo entymemate, negabit secundam consequentiam, Quia Minister Supremus præter rationem communem respiciendi inferiores, hoc habet speciale in quantum *Supremus*, quod non nisi Regi sit inferior, adeòut generica Superioritas coarctetur, & determinetur per inferioritatem erga Principem, nec enim illa

illa superioritas erga populum negatur, aut tollitur per inferioritatem erga Principem, cum sint tales diuersorum respectu. Hæc, quæ ille nobis benè responderet pro suo exemplo, nos itidem proportione seruata de superioritate, & inferioritate speciei reponimus.

§. 37. Obijcies tertiò. Si species in quantum secundum prædicabile constitueretur formaliter, & vltimo per subijcibilitatem naturæ *in qua* sequeretur, prædicabilitatem esse passionem subijcibilitatis, Sed hoc est falsum, & sæpè à nobis negatum; Ergo. Probatur sequela. Prædicabilitas est passio speciei in quantum est secundum vniuersale, seu in quantum species est, sed in esse talis constituitur per subijcibilitatem tanquam per differentiam essentialem: Ergo prædicabilitas non minus esset passio subijcibilitatis constituentis speciem, quam ipsius speciei. Sicut risibile non minus est passio rationalis, quam hominis, eo quod rationale constituat hominem essentialiter.

§. 38. Respondeo. Nego antecedens, & ad probationem distinguo minorem, Prædicabilitas est passio speciei illam consequens secundum gradum genericum, concedo; Consequens speciem secundum gradum differentialem, nego. deindè nego consequentiam. Solutionem meam, vel hostis explicabit M. Ioan. à S. Thoma: *Ex vniuersalitate autem* (inquit) *in linea, & respectu vniuersalitatis respicientis inferiora solùm sequi potest id, quod superioritatis; non quod inferioritatis, & subiectionis est: Ergo ex vi vniuersalitatis non sequitur intentio subijcibilitatis*. Nec è contra. *Sed quia vniuersalitas limitata est, & coarctata, ratione illius, vt limitatæ subijcibilitas sequi potest*. (Attende nunc) *sicut in creatura aliæ passiones sequuntur ex eo, quod ens creatum est, vel quia tale ens est, v.g. substantia, vel corpus: aliæ ex eo, quod ex nihilo est, v.g. quod sit defectibilis, peccabilis, annihilabilis, &c. Similiter in causa ex eo quod causatiuum est, seu ex linea causalitatis non sequitur subiectio ad aliam causam, sed ex eo, quòd causa limitata, & dependens, & coarctata in causando*. Alio tendit Author hic, sed eius doctrinam admitto quatenus benè explicat, passiones non sequi essentiam, nisi secundum diuersos eiusdem gradus. Sic *Ambulatiuum* sequitur hominem ex gradu generico animalis, & *Admiratiuum* ex gradu rationalis. Haud secus *prædicari* sequitur speciem, qua vniuersalis est, &c.

§. 39. Obijcies quartò. Nam subijcibile, vt sic etiam potest esse genus, in quo species conueniat cum indiuiduo, sed tunc species differret ab illo per vniuersalitatem: Ergo falsò dicitur, subijcibilitatem esse differentiam, per quam modificatur vniuersalitas speciei.

§. 40. Respondeo. Datis præmissis, nego consequentiam. reddo distadtiam. [Nam eo euentu vniuersalitas esset differentia, eo ipso, quod *subijcibile*, vt sic esset diuisum. Nunc verò vniuersale Porphyrianum in quinque vniuersalia secatur, quorum species determinatur per *subijcibile*: Quod autem dentur huiusmodi differentiæ, quæ mutuo sese modificent, satis mihi exploratum est, vt dabo infra Cap. de Differentia. Sic Animal diuidi potest in intellectiuum, nempè hominem, & non intellectiuum, scilicet Belluam. Et rursus intellectiuum bipartiri potest in intellectiuum animale, vel animatum, scilicet hominem, & in intellectiuum non animatum, nempè Angelum. Ecce Animal in prima diuisione est genus, & in secunda differentiæ vices obit.

§. 41. Obijcies quintò. Differentia debet perficere speciem in ipsa ratione generis, non illam extrahendo ad aliam lineam, sed subijcibilitas non perficit speciem intra lineam vniuersalitatis; minimè enim conducit, aut habilitat speciem adhoc, vt prædicetur de indiuiduis: Ergo subijcibilitas non est differentia constituens speciem in esse secundi prædicabilis.

§. 42. Respondet M. Ioan. à S. Thoma, *Quod subijcibilitas non conducit ad prædicabilitatem de indiuiduis absolutè consideratam, benè tamen ad prædicabilitatem de indiuiduis, vt limitatam, & dependentem, & in quantum infima prædicabilitas est: hæc enim esse non potest sine tali subijcibilitate: sicut obscuritas per se non conducit ad cognitionem; benè tamen ad cognitionem talem, scilicet ad Fidem, quæ est imperfecta, & limitata cognitio petens illam modificationem obscuritatis*. Fateor, me huic Authori bona exempla debere, nec habeo quòd vltraaddam, præter id quod supradixi de *Rationali* extrahente Animal ad lineam operatiui spiritualiter §. 38. Aduerto etiam, hanc infimitatem speciei formaliter constituere secundum prædicabile. Nam species subalterna (vt supra dixi) genus est, nec vlla pollet prædicabilitate specifica.

THEOREMA IV.

Vtrum species subijcibilis in quantum talis sit vniuersalis?

§. 43. ET quæstio hæc originem duxit ex difficultate illa, quam §. 4. & 18. exposuimus. Nam si species essentialiter constituitur in esse speciei per respectum ad genus, & aliundè vniuersale diuiditur in Genus, & speciem, &c. tanquam in membra vniuersalia, statim occurrit rationabilis causa dubitandi. In species, vt subest generi sit vniuersalis? quod vulgò non explicant Dialectici. Hinc etiam ortum habet syllogismus ille celebris inter Dialecticos: *Species, vt species est vniuersalis, sed species subijcibilis in quantum subest generi est species: ergo species in quantum subest generi est vniuersalis*. Quo Scholasticum vrgebat Illustrissimus, atque optimæ memoriæ Archiepiscopus Platensis D. Ioannes Alonso Ocon me præside in insigni nostro S. Antonij Magni Seminario, tum Præsul Coskensis, cum theses Dialecticas eidem Antistiti publicè defendendas dedicarem. Sed quamuis prædictum syllogismum facile eludant Æquiuocatores, atque Analogizantes Moderni, distinguendo Maiorem glossemate iam à nobis supra indicato, tamen qui Sapientiam Antiquorum accuratiùs versamur, aliter illum, & longè quidem subtiliùs excutimus. Dico enim prædictum syllogismum eodem pede currere, ac

ac iste: *Homo vt homo est animal. Sed Socrates in quantum rationalis est homo; Ergo Socrates in quantum rationalis est animal*. Falsa consequentia. Quia ex idemtitate formali speciei cum genere infertur idemtitas formalis differentiæ cum genere, cum ex vi syllogistica sola debeat inferri materialis, & entitatiua. Vide dissert. 25. à §. 16.

§. 44. Quare vt hæc quæstio doctrinalis sit, explicare debes statum, & originem controuersiæ, non enim dubitant Doctores, An species subijcibilis, vt formaliter respicit suum genus sit vniuersalis? vel quia ipsa subijcibilitas sit prędicabilitas, vel quia respiciendo genus, aliquid inferius respicere censeatur, vel tandem quia in ipso genere indiuidua respiciat sua, quæ sunt meræ nugæ, & quæstione Philosophica indignæ. Dubitant (vt dixi) An species, vt subest sit vniuersalis? eo quod Porphyrius definierit speciem per subesse generi; & aliundè doceat speciem esse vnum ex quinque vniuersalibus, nec hic alia potest esse difficultas. Sciunt quippè omnes, Æneam v.g. esse simul filium, & Patrem, sed cum filius est, & prout filium solum respicere Anchisem, & prout Patrem solum respicere Ascanium, nemo item dubitat, an Æneas prout filius respiciat, habeatue pro termino Ascanium, nec valet, Æneam prout patrem Ascanij refferri ad Anchisem, ex eo præcisè, quod Æneas simul sit Filius, atque Pater, id enim summa esset stoliditas. Haud secus species tametsi prædicabilis sit, simulque subijcibilis, non ideò vt subijcibilis prædicabitur de indiuiduis, nec vt prædicabilis subest generi. Quia quælibet relatio earum ad suum terminum definita est essentialiter, & in ordine ad illum, & non aliter suum fundamentum denominat tale. Abstineo argumentis in re facili. Vide si lubet M. Sanchezium quæst. 15. de specie, vbi quinque argumenta contraria proponit, atque soluit.

§. 45. Dico primo, *species subijcibilis in quantum subijcibilis non est, nec esse vniuersalis, quamuis prædicabilitas esset passio subijcibilitatis*. Hanc conclusionem statuo contra Rubium quæst. 2. de specie, qui aduersus Caietanum affirmat, ex eius sententia sequi debere, speciem, vt subijcibilem formaliter esse vniuersalem: sicùt verùm est, hominem esse risibilem in quantum homo, quia risibilitas procedit à rationabilitate tanquàm propria passio ab essentia. Sequuntur Complutenses, aduertutque, id benè notasse Rubium. Non sequor Caietanum, sed consequentias in eum in tortas, nec etiam tolero; hæc Rubij, & Complutensium talis est. Probo: De ratione relationis est denominare subiectum relatiuum in ordine ad proprium terminum, & nullatenùs aliter: sed subijcibilitas, & prædicabilitas sunt relationes: ergo de ratione subijcibilitatis est denominare speciem subiicibilem respectu sui termini, idest superioris: & de ratione prædicabilitatis est denominare prædicabilem illam respectu sui termini, nempè inferioris. Ergo quamuis hæ relationes essent idemtificatæ, seù connexæ per modum radicis, & passionis inter se, vt homo, & visibile; non ex eò præcisse species subijcibilis esset formaliter prædicabilis, id enim solùm inferretur ex eò, quod species subijcibilis in quantum talis compararetur ad inferiora, quod est impossibile: Ergo speciem subijcibilem, vt talem fore prædicabilem, non beaè colligitur ex connexione harum relationum inter se, sed ex comparatione speciei subijcibilis in quantum talis ad terminum Prædicabilis in quantum talis, quod nec fieri potest, nec ex sententia Caietani sequitur vllo modo. Probo posteriores consequentias: Eamdem, & maiorem idemtitatem, quam homo, & risibile habent Paternitas Diuina, & Relatio Spiratoris, & tamen Pater Diuinus in quantum Pater non est Spirator, nec è contra Spirator in quantum Spirator est Pater, sed hoc ideò, quia Pater in quantum Pater exigit terminum Paternitatis, *nempè Filium*, & Spirator in quantum talis, exigit Spiritum Sanctum, vt terminum proportionatum, debitumque Spirationis actiuæ: Ergo quamuis subijcibilitas, & prædicabilitas essent tam idemtificatæ relationes, quàm sunt Paternitas, & Spiratio in Diuinis, minimè tamen species subijcibilis, vt talis, esset prædicabilis, nec è contra ex defectu comparationis ad terminum suæ exigentiæ. Ratio à priori est, quia reduplicatio exprimit rationem formalem, quæ in Relatiuis tota est à terminis. Patet etiam hoc in sententia negante distinctionem realem relationis à fundamento, in qua quidem *Albedo* v. g. est realiter ipsa similitudo, & tamen hæc propositio est falsa: *Album in quantum album reduplicatiuè est simile*. Quia album, vt album pręcisè nec simile est, nec dissimile, cum eiusmodi denominatio *similis*, eo quod relatiua, omninò sit desumenda ex termino, quarè etiamsi Albedo sit entitatiuè ipsa similitudo, si tamen non comparetur album ad aliud album, non erit simile: Ergo etiamsi subijcibilitas speciei esset idemtificata cum sua prædicabilitate, sicut albedo cum similitudine, tam illa vt subijcibilis, idest vt comparata Superiori (id enim est esse subijcibile) impossibile erit, quod sit formaliter prædicabilis. Vndè exemplum Rubij de Homine, & risibili non est ad rem, quia sunt res absolutæ, quæ vt sint, vel denominentur tales, non dependent essentialiter à comparatione ad terminum, sicut relatiua.

§. 46. Dico secundò, licèt hæc propositio: *Species prædicabilis in quantum prædicabilis est subijcibilis sit falsa*. At vero hæc; *Species* prout est secundum Prædicabile, seu prout est prædicabilis specificè *est subijcibilis*, est vera. Patet hoc Assertum quoad primam partem. Quia species subalterna etiam est prædicabilis, sed tali quidem prædicabilitate, quæ minimè modificetur per subijcibilitatem cum sit generica. Quoad secundam partem patet ex dictis præcedenti Theoremate. Nam licèt subijcibilitas non faciat, quòd infima sit prædicabilis, nec quod secundum Prædicabile sit vniuersale. Attamen supponendo vniuersalitatem, vt rationem genericam, illam facit esse secundam, & prædicabi-

litatem modificat infimam, quarè ly *secundum*, & ly *infimum, siue specificum* ab ipsa prouenit subijcibilitate formali.

§. 47. Obijcies Aristotelem primo Posterior, cap. 4. docentem, *quod per se, & secundum quod ipsum, sunt idem*, idest, prædicatum per se, & definitionem, seu essentiam rei idem esse. Atqui passio est prædicatum per se, in secundo modo perseitatis, ex ipsomet Aristot. in eodem loco: Ergo sicut valet dicere *Homo in quantum homo est animal rationale, & Homo in quantum homo est risibilis*, etiam valeret dicere. Species subijcibilis, quatenus talis est prædicabilis, eo ipso quod prædicabilitas esset prædicatum in secundo modo perseitatis, idest passio subijcibilitatis.

§. 48. Respondeo, ad prædicationem passionis absolutæ nil aliud exigi, quàm perseitatem ex idemtitate petitam, sed verò ad verificationem prædicati relatiui quantumuis idemtificati cum subiecto si fiat sub reduplicatione, petitur necessariò comparatio ad terminum in ordine ad quem habet suam perseitatem, & rationem formalem, reduplicatio enim (vt supra monui) rationem denotat formalem.

DISSERTATIO XX.

Num tertia Porphyrij definitio speciei: Quod prædicatur de multis differentibus numero, *conueniat naturis, quibus de absoluta Dei potentia repugnat multitudo indiuiduorum, qualis communiori Thomistarum opinione dicitur esse Angelica natura Michaelis? &c.*

§. 1. DIsputatio ex hypothesi procedit. Nam si Naturæ Michaelis v. g. non repugnat habere sub se plura indiuidua, proculdubio vniuersalis erit non secus, ac humana, Equina, &c. Supponitur ergo celebris Thomistarum opinio docentium, nec de absoluta Dei potentia posse essentiam Michaelis in multis eiusdem naturæ suppositis reperiri, & hoc impossibili admisso inquiritur, An cum ea indiuiduorum repugnantia cohærere possit vniuersalitas, adeòut Natura Michaelis non solum sit prædicabilis de vno prædicabilitate æqualis de æquali, sed prædicabilitate communitatis, & indifferentiæ ad multa? Et vt rem enucleatius Tyro capiat, hypothesis fundamenta breuiter aperiam disquirens, an omninò certùm sit in S. Thomæ schola speciei Angelicæ repugnare indiuiduorum multitudo?

THEOREMA I.

Multitudinem Indiuiduorum repugnare sub eadem Angeli specie tum affirmant; tum negant Thomistæ.

§. 2. SVb eadem Angeli specie nec de absoluta Dei potentia Angelos solo numero distinctos multiplicari posse plurimi Thomistarum constanter affirmant. Colliguntque ex D. Thoma 1. par. quæst. 75. artic. 7. ibi; *Manifestum est* (inquit) *quod necessè erit, in eis esse diuersitatem speciei. Non enim potest intelligi, quod aliqua forma separata sit, nisi vna vnius speciei: sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi vna tantùm.* Et quæst. de spiritualib. Creaturis articulo 8. *Si autem Angelus* (inquit) *est forma simplex abstracta à materia, impossibile est, etiam fingere, quod sint plures Angeli vnius speciei.*

§. 3. Probant primò ratione. Quia in Angelo iuxta D. Thomæ doctrinam differentia specifica non distinguitur adhuc virtualiter ab indiuiduali: Ergo implicat, multiplicari differentias indiuiduales Angelicas, non multiplicatis differentijs specificis.

§. 4. Probant secundò ex eodem Sancto Doctore 2. contra Gentes cap. 93. vbi inquit: *Quæcumque sunt idem specie, differentia autem, numero, habent materiam. Differentia autem quæ ex forma procedit, inducit diuersitatem speciei, quæ autem est ex materia, inducit diuersitatem secundum numerum.* Quorum rationem clariùs assignat in 2. distinct. 3. quæst. 1. artic. 4. *Oportet* (inquiens) *quod forma simplex, & immaterialis non recepta in aliqua materia sit vna tantùm. Vndè quidquid est extra eam, est alterius naturæ, eo quod distet ab eo secundum formam, non secundum materiale principium, quod ibi nullum est.* Ex quibus compingunt syllogismum, in Angelis non datur principium intrinsecum, & connaturale distinctionis indiuiduorum sub eadem specie atoma; Sed implicat tale principium à Deo suppleri: Ergo nec de absoluta eius potentia possunt multiplicari eiusmodi indiuidua. Maior est certa, cum sola Materia sit principium diuisionis numericæ, quæ si Angelis aptetur, contradictoriè erunt materiales, & non erunt. Minor probatur, nam huiusmodi principium respectu distinctionis indiuidualis habet se eo proportionali modo, quo causa formalis respectu sui effectus formalis, quia vtrobique est principium intrinsecum: Ergo cum Deus nequeat supplere defectum causæ formalis, vel intrinsecæ habentis se eo proportionali modo, ad suum effectum, quo causa formalis respectu sui, nec poterit supplere huiusmodi principium. Vtraque hac ratione se tuentur PP. Salmanticenses Carmelitani 1. par. tract. 7. de Angelis disput. 1. dubio 7. §. 1. & 2. citantque pro se Caietanum, Nazarium, Heruæum, Bergomensem, Ægidium, & Capreolum. Sed Capreolus contrarium docere videtur, & cum Thomistis §. sequenti citandis adnumerandus est.

§. 5. Contrariam sententiam tenent nobiles, nec pauci Thomistæ M. Franciscus Ferrariensis lib. 2. Contra gentes cap. 39. Mag. Bannes dub. 2. ad quæst. 50. art. 4. Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 5. in tertia solutione ad secundis argumentis Durandi. M. Mauritius de Gregorio in 2. distinct. 3. q. 1. f. 415. Paulus Soncinas in Epitome ibidem. M. Arauxo, M. Zumel, Ripa ad Commentar. qu. 50. art. 4. primæ partis. M. Caberus tract. 3 de prædicab. disput. 3. dub. 3. num. 3. & alij plures ex D. Thomæ sectatoribus, vt refert Molina 1. p. q. 50. art. 4. §. *Quidquid autem.* Ratio potissima: quia nulla apparet contradictio in ordi-

ordine ad potentiam Dei absolutam, quominus in eadem specie multiplicentur Angeli. D. Thomas explicatur de ordinaria, quod & à Capreolo accepit M. Ferrariensis, cuius verba in medium proferre non grauabor. *Non procedit hæc ratio* (inquit) ad probandum, non posse esse plures substantias intellectuales in eadem specie, tamquam scilicet implicet contradictionem; quia hoc non est de mente S. Thomæ, vt haberi potest..... Puto enim secundum mentem eius tenendum esse, per Diuinam potentiam absolutè posse esse plures Angelos eiusdem speciei, etiam stante hoc ordine vniuersi; & fortassis de facto sunt in vnà specie plures, licet nobis causa distinctionis eorum non sit manifesta. Quod autem aliquando (vt hic in aliquibus rationibus, & in prima parte q. 50. art. 4.) dicatur, quod hoc est impossibile: interpretari possumus, quod est impossibile, non simpliciter, sed quantum ad modos multiplicationis nobis notos, & quantum ad modum multiplicationis numeralis nobis ab Aristotele 7. & 12. Metaphysicæ traditum. Dicitur secundo, quod procedit hæc ratio ad probandum de facto non esse in substantijs abstractis plura indiuidua vnus speciei ex cōparatione ad corpora cœlestia: Quia sicut in illis propter eorum perfectionem non inuenitur nisi vnum indiuiduum in vna specie, vt patet in Sole, & Luna, quidquid sit depossibile: ita cum substantiæ separatæ sint perfectiores corporibus cœlestibus, probabile est, quo non sit nisi vna vnius speciei.

§. 6. Responderi secundo potest, tenendo quod hæc ratio etiam de impossibilitate procedat, quod non concludit, hoc esse simpliciter impossibile; sed quod est impossibile secundum opinionem Aristot. qui posuit, non posse corpora cœlestia propter eorum perfectionem secundum numerum in eadem specie multiplicari. Si enim hoc secundum eius opinionem in corporibus cœlestibus propter eorum perfectionem inuenitur, multo magis in substantijs separatis, quæ perfectiores *sunt inuenitur*. Hactenus Ferrariensis, qui cum Principe Thomistarum Capreolo, Soncinate, Bañesio, Mauritio, &c. hanc opinionem inter Thomistas satis probabilem reddit.

§. 7. Probant item eius Assertores ex D. Thomà quæst. de spiritualibus creaturis Artic. 8. ad 4. Vbi hæc ait: *Naturæ huius Angeli non prohibetur enim multis, ex hoc quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc quod pertinet ad rationem indiuidui.* Ergo non est de mente S. Thomæ repugnantia multiplicitatis numericæ in specie Angelicà, & falso asseritur à Thomistis, vnitatem specificam, & indiuidualem nec vel virtuali distinctione rationis distingui in Angelo. Patet hoc: quia si inter vnitatem specificam Angeli, & numericam non intercederet saltem virtualis distinctio, quidquid repugnaret Angelo ex eo, quod pertinet ad rationem vnius, repugnaret etiam ex eo quod pertinet ad rationem alterius.

§. 8. Sed hoc argumento nec multiplicabilitas numerica, nec vniuersalitas Angelicæ naturæ probatur vllo modo; cum vtramque citato loco expresè negarit S. Doctor, vt infra ostendam. Mitto alias rationes, quibus nititur hæc sententia: & vtra sic probabilior? Lectori dijudicandum relinquo: pro nunc enim supponimus primam, vt certam, eamque duplici fundamento nixam. Primum est: Differentiam specificam Angeli ned virtualiter distingui ab Indiuiduali. Alterum: Impossibile esse, duas naturas indiuidualiter tantum differre, deficiente materia, à quà talis differentia semper, & vbique prouenit. Hæc Thomistæ Caietanum sequaces, quibuscum disputamus.

THEOREMA II.

Speciem Angelicam suppositâ repugnantia Indiuiduorum de potentia Dei absoluta minimè esse prædicabilem de multis, aut vniuersalitatem secundum rationem ostenditur.

PROTASIS I.

§. 9. NAtura Angelica si de potentia Dei absoluta non potest esse in multis, nec potest esse vniuersalis, subindeque Definitio Porphyrij Speciei prædicabilis minimè ipsi conuenit. *Sic sentio cum non paucis Thomistis*: nec enim qui Caietanum hic non sequitur, ideo statim pro non Thomista habendus est, vt male criticatur Gallegus apud Complutenses q. 4. de Specie, aiens, non censendum Thomistam, qui huiusmodi vniuersalitatem negauerit: Cum domesticus testis, nempe Dominicanus Author fateatur, è sua familià multos, eosque doctissimos nostram sententiam vt probabiliorem elegisse. Sic M. Ortizius Logic. Tract. 3. Conferent. 4. §. 5. num. 455. *His fundamentis* (inquit) *consideratis, maxime inclinabar in sententiam negatiuam, quam vt probabiliorem aliqui doctissimi ex nostris Thomistis, qui nondum sua opera prælo mandarunt, elegerunt, quorum scripta vidi, quosque illam defendentes in publicis disputationibus vidi.* Et infra: *Illam iudico satis probabilem, vt ex eius fundamentis constabit.* Vide etiam, an sint Thomistæ hi: Soncinas libro 12. Metaphysicæ quæst. 51. ad primus. Curiel 1. q. 50. artic. 4. Illustrissimus M. Perez Laureæ Salmant. Certamine 3. M. Caberus Tract. 3 de Prædicab. disput. 3. D. Rubius quæst. 4. M. Zerna Disput. 3. Sect. 2. de Genere artic. 3. M. Onā q. 1. de Specie artic. 3. num. 8. M. Ortizius loco citato. M. Moneda Disput. 4. quæst. 2. §. 3. M. Io. Martines de Prado. lib. 1. quæst. 2. M. Dominicus Lynce lib. 2. q. 2. art. 2. n. 8. qui & n. 15. ait, plures eruditissimos D. Thomæ Discipulos huic sententiæ aperte suffragari. *Nec sunt audiendi illi*, quæ apud P. P. Complutenses in Logicà loco superius allegato asserunt: Non censendum esse verum Thomistam, qui senserit nostram assertionem, quæ tametsi inter recentiores Thomistas non sit ita communis, ac sententia opposita, videtur tamen magis consona principijs doctrinæ Thomisticæ, eique fauent rationes fundamentales maioris ponderis, & momenti, &c. Hæc ille. Perperàm ergo dicunt Aduersarij, omnes Thomistas pro se habere.

Nam

Nam præter supra citatos expungendi sunt omnes, ij qui docent, non repugnare de potentia Dei absolutâ sub eadem Specie multiplicari Indiuidua Angelica, vt Capreolus, Ferrariensis, Bañez, Mauritius de Begorio, &c. qui sicubi eas Angelorum species concedant vniuersales, ideo erit, quia ipsas existimant multiplicabiles, proindeque Caietanicis minimè fauent, qui cum repugnantia Indiuiduorum eiusmodi vniuersalitatem deffendunt.

§. 10. Probo primo assertum: Naturæ cui repugnat aptitudo ad essendum in multis, repugnat vniuersalitas; Naturæ Angelicæ repugnat per te aptitudo ad essendum in multis: ergo & vniuersalitas. Distinguis minorem: repugnat aptitudo Phisica, vel secundum *rem* concedis. Repugnat aptitudo Logica, vel secundum *rationem tantum* negas. Deinde aptitudinem Logicam seu secundum *rationem tantum* explicas ex Caietano, esse naturam fuisse abstractam à sua singularitate, qua propter *de multis dici potest, quia æqualiter abstrahit ab vno, & infinitis in esse obiectiuo respectu nostri intellectus*. Cap. de Specie. Contra primo: Aptitudo adhuc Logica essendi in multis consistit in quadam indifferentiâ respiciendi multa cum negatione determinationis ad vnum, nam indifferentia est vaga quædam tendentia disiunctiui respiciens hoc vel illud vt ex terminis patet; sed natura Angelica, vt cognita in adæquatè, id est sine expressâ singularitate non dicit eo ipso hanc indifferentiam negantem determinationem ad hoc indiuiduum: ergo nec aptitudinem secundum rationém, & Logicam. Maior est euidens: Minorem probo. Eatenus natura Michaelica esset indiferens in suo conceptu inadæquato ad Michaelem, quatenus respectus ille seu tendentia, quâ Michaelem respicit, non adæquaretur omnino cum indiuiduo Michaelis. Immò præter hoc quod est respicere Michaelem hunc existentem, restaret aliquid tendentiæ, seu respectus, quo exederet terminum determinationis, & contractus: sed præter hoc, quod est respicere Michaelem existentem, non remanet tendentia ad aliquem terminum, per cuius respicientiam exedat Natura terminum suæ contractionis, & determinationis, nempe hunc Michaelem: Ergo natura Michaelica non est indifferens adhuc ex modo cognoscendi ad Michaelem. Patet consequentia; Nam sicut ad contractionem, & determinationem ad vnum sufficit vnicus terminus: ita ad indifferentiam, seu indeterminationem petuntur duo saltem termini: ratione manifestâ, quia vt natura latiùs respiciat, quam vnum; debet saltem respicere duos.

§. 11. Dicis primo: eiusmodi indifferentiam Logicam non peti à terminis, sed ex eo solum quod natura abstracta ab hoc singulari taliter non est huius, quod ex se possit cuilibet applicari ex modo cognoscendi. Sed contra primo: Quia tunc natura sine singularitate cognita per vos non est, nisi natura secundum se, quę neque vniuersalis est, neque subijcibilis, neque habens in differentiam positiuam ad multa, in quâ sola consistit vniuersalitas per te. Contra secundo: Quia indifferentia vniuersalitatis est relatio ad multa, seu saltem ad præterquam vnum, Est que relatio prædicamentalis, quam impossibile est consurgere nisi positis extremis: sed etiam si millies abstrahas naturam, non ponis per abstractionem tum terminum qui essentialiter constituit indifferentiam positiuam naturæ scilicet inferius; nam æquale non est inferius, petiturque essentialiter terminus præterquam vnus ad specificandum superioritatem sui indifferentiam: ergo indifferentia non consistit in abstractione. Contra tertio: Vnica, & indiuisibilis relatio specietatis nequit conflari ex duabus tendentijs (vt ita dicam) specie vel plusquam specie distinctis: Nam vt vult M. Ioan. à Santo Thoma natura Michaelis dicit attingentiam positiuam respectu seu indiuidui, & negatiuam respectu aliorum, quæ respicit non repugnanter, vt ipse loquitur. Rursus hoc adhuc admisso, illa non erit vniuersalis: quia *positiua* tendentia per te tantum est ad vnum: *non repugnans* autem est ad nullum, quia est ad impossibile, & tandem ex vtràque nequit consurgere tertia, quæ homo gentè sit ad multa; ergo nullam præstas.

§. 12. Contra quarto: Quia sic destruis hypothesim, & doctrinam D. Thomæ negantis possibilitatem alteriùs Michaelis. Probo. Conceptus ille inadæquatus naturę Michaelicæ repræsentat illam ita, vt pro illo statu in qualibet differentia æternitatis possit verè intellectus hanc propositionam enunciare. *Natura Mithaelis quantum est de se est multiplicabilis*: Rogo nunc, an intellectus id enunciet verè? an falsò, chymericè, & absque fundamento? Si hoc secundum dicas: habeo intentum. Si primum: ergo absoluté posibilis est alter Michael. Probo consequentiam. Posibilitas rei non consistit in eo quod res ab omnipotentia Dei respiciatur Physicè, vel Metaphysicè; etenim antecedenter ad ipsam omnipotentiam posibilitas vel imposibilitas illius fundatur in comparatione, quam intellectus facit prædicati cum subiecto, ita vt si prædicatum repugnet subiecto, fundit imposibilitatem; si vero non repugnet, fundet posibilitatem. Quod fatentur Thomistæ, docuitque Angelicus Magister. 1. p. q. 25. art. 3. ibi: *Dicitur aliquid posibile vel imposibile absoluté ex habitudine terminorum: posibile quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto, vt Socratem sedere: imposibile verò absolutè, quia prædicatum repugnat subiecto*: sed per vos eiusmodi naturæ Angelicæ in statu Metaphysico abstractionis consideratæ non repugnat quantum est de se illud prædicatum *multiplicabile*. Ergo absoluté posibilis est multiplicatas talis naturæ. Ergo Deus poterit alterius Michaelem producere patet hæc cōsequentia. Nam semel positâ nō repugnantiâ prædicati cum subiecto, in quolibet signo statùs Metaphysicè, statim omnipotentia respicit rem vt factibilem: vel dicere teneberis, hanc propositionem. *Naturæ Michaelis ex se, & ex ratione essentiæ non repugnat multiplicari*, esse falsam, & chymericam.

§. 13. Dicis secundo, indifferentiam positiuam in qua consistit hæc Logicè aptitudo essendi

scendi in multis seu vniuersalitas secundum rationem tantum sufficienter saluari per hoc quod Natura Michaelica in adæquatè concepta, & à sua singularitate separata ita postea comparetur ad suum indiuiduum, quod quantum est de se non exhauriatur tota sua communicabilitas per illud; sed remaneat ex se adhuc indifferens, & comparabilis conditionatè ad indiuidua imposibilia id est: quod si illa non repugnarent, æquè, ac de hoc Michaele, prædicaretur de illis: Vnde illa natura verè est indifferens ad plura, non quidem absolutè, sed sub conditione. Vt ait M. Arauxo Metaph. lib. 3. q. 4. art. 4. ad finum. Sic & Sanchez, Complutenses, & alij?

§. 14. Contra primo. Conditio *si essent posibilia*. Rogo an aliquid fictum, vel reale ponat in Naturà Michaelicà, vel indiuiduis imposibilibus? Certè nihil; vt fatetur Sanchez inquiunt: *Conditionalis vero, quæ ponitur respectu indiuiduorum nihil ponit in esse: sicut hæc conditionalis est vera; Si Chymæra volat, habet alas.* Si autem nihil ponit conditio reale, quia non potest; nihilque fictum, quia non admittis Michaeles fictos ad eiusmodi indifferentiam: Ergo imposibilia remanent imposibilia sient antea, proindeque Natura, quę ante illam conditionalem non erat indifferens, quia non latiùs patebat, quam singulare, nec poterat comparari ad singularia imposibilia absolutè; neque etiam post conditionalem reddetur indifferens, aut comparabilis ad illa, quandoquidem conditionalis rem in pristino reliquit statu, & nec fecit accrescere capacitatem naturæ, nec sustulit repugnantiam indiuiduorum: positis autem indiuiduis sic imposibilibus, vt antea. Sic arguo. Ad imposibile cognitum vt imposibile nullus dabilis est respectus rationis positiuus, nec negatiuus, nisi sit Chymericus; sed aliter Michael (adhuc sub conditionali) est quid impossibile cognitum vt imposibile: Ergo ad alterum Michaelem (adhuc sub conditionali) nulla relatio, aut respectus positiuus, vel negatiuus terminari potest, nisi Chymæricus. Maior est euidens: Ideo enim ad Chymæram cognitam vt Chymæram nullus datur respectus rationis, quia est imposibile cognitum vt tale. Consequentia est perspicua: Minorem negare non poterunt, qui ficta Michaelis indiuidua respuunt; nam si negent, inferam contradictorium: Ergo est imposibile cognitum, vt posibilia: Ergo est Michael fictus, & in ordine ad indiuidua ficta constituis tuam vniuersalitatem, quod mordicùs negabas. Patet consequentia: Nam nihil est rem posibilem fingere: quam rem imposibilem non cognoscere vt talem; sed cognoscere vt possibilem. Exhibe ergo terminum indifferentiæ vt talis; nam ego id perpetuo exigamate.

§. 15. Contra secundo: Nam si communitas seu indifferentia *secundum rationem tantum* saluatur benè per eiusmodi inferiora conditionata, sequitur; Nunc naturam humanam Petri esse absolutè vniuersalem respectu Bucephali, quò nihil absurdius excogitari potest. Probo sequelam. Ad vniuersale *secundum rationem* per te solùm exigitur, quod natura cuiusuis indiuidui post abstractionem illius à tali indiuiduo ita consideretur non esse huius indiuidui, quòd ex se possit comparari etiam ad alia posibilia, vel imposibilia, si per posibile, vel imposibile illa haberent talem naturam in se: sed natura humana Petri ab illo abstracta taliter post abstractionem non est Petri; quod si per posibile, vel imposibile Bucephalus esset homo, ad Bucephalum compararetur, sicut comparatur ad Petrum: Ergo Natura humana Petri nunc de facto & absolutè est vniuersalis *secundum rationem tantum* respectu Bucephali. Maior est doctrina solutionis; Minor certissima; equidem natura semel abstracta à Petro comparari potest ad quodlibet indiuiduum hominis, & quamuis absolutè repugnet, Bucephalum esse hominem, si tamen per posibile, vel impossibile esset indiuiduum humanam, sicuti est Petrus, ad Bucephalum compararetur natura humana sicuti ad Petrum: Consequentia est manifesta tam imposibile enim est Bucecephalum esse hominem, quam alium Angelum esse Michaelem: sed sola conditionalis *si esset posibilis* non obstante repugnantià, reddit naturam Michaelicam comparabilem, Michaeli imposibili, & vniuersalem de facto, & absolutè respectu illius. Igitur sola conditionalis *si Bucephalus esset homo* non obstante hac imposibilitate, reddet naturam Petri speciem vniuersalem, & prædicabilem absolutè respectu Bucephali; vniuersalitate quidem *secundum rationem tantum*, etiamsi respectu Petri & Pauli sit species vniuersalis secundum *rem & rationem*.

§. 16. Contra tertio: Responsum hoc iam adstruit facilius vniuersalitatem speciei Angelicæ respectu indiuiduorum fictorum. Tum quia eodem modo posses dicere, Naturam Michaelicam respicere actu quam plures Michaeles fictos, at conditionatè veros, & reales: ita vt hi Michaeles, qui nunc sunt entia rationis ficta, atque chymerica; si per posibile, vel imposibile essent realia indiuidua Michaelis, natura Michaelica prædicatur de ipsis, non secus, ac de suo vero indiuiduo. Tum etiam: Quia tota vestra ratio negandi hanc vniuersalitatem respectu indiuiduorum fictorum in natura Angelica est: Quod ens reale non potest prædicari de ente rationis, seu de ente ficto *in quid*, seu essentialiter. Ast rogate, an prædicari possit de impossibili? Minime quidem sicut ergo respectu imposibilium potest illa natura vniuersalis esse, quin vnquam de illis actu prædicatur: Cur non similiter respectu indiuiduorum fictorum poterit esse vniuersalis? Maximè cum ab identificatione, & prædicatione talis naturæ plus distent indiuidua impossibilia; quam ficta: equidem ficta saltem analogicè in Ente conueniunt cum naturà. Igitur qui admittunt imposibilia conditionata ad terminandam eiusmodi vniuersalitatem; parùm consequenter excludunt indiuidua ficta cum illa conditionalis *si essent realia* æqui reddat capacia eiusmodi terminationis tam ficta, quam imposibilia.

§. 17. Contra quarto: quia cum vniuersale essentialiter sit *vnum in multis* (quomodolibet fingas vniuersale) & sit relatiuum ad multa vt

multa, qualis fuerit multitudo, quæ est terminus specificans hanc relationem vniuersalitatis, talis erit vniuersalitas. Ergo nequit natura Michaelica esse absolutè vniuersalis; cum multitudo quam respicit, tantum sit conditionata: consequenterque ipsa erit tantum conditionatè vniuersalis: id est quod si Natura Michaelica realiter esset in multis; tunc esset vniuersalis, quod negat nemo. Probo consecutionem. Sicut se habet Dualitas respectu suarum vnitatum, ad hoc vt sit absolutè dualites, ita proportionaliter se habet Multitudo respectu suarum partium, vt sit absolutè multitudo: Sed Dualitas nequit esse absolutè talis cum vnà vnitate existente, & alia conditionatè posibili; hoc est si alia esset posibilis: Ergo nec multitudo potest esse absolutè multitudo cum vnà parte, seu vnitate existente, & cæteris conditionatè posibilibus. Maior est per se nota. Sicut enim numerus dualis præter vnam seu primam vnitatem petit necessariò,& essentialiter alteram: ita multitudo præter vnam partem, vel vnitatem, essentialiter petit alias plures, non enim in vnà poterit consistere multitudo. Minorem ostendo.Si per posibile vel imposibile esset alius Deus præter existentem, proculdubio essent duo Dij, seu esset dualitas Deorum: sed etiam si tunc esset alter Deus admisså conditionali imposibili *si esset alius Deus* nunc absolutè non est dualitas Deorum igitur hoc quod est ponere conditionatè alteram vnitatem, præter vnam, non constituit dualitatem absolutam, sed vt plurimum conditionatam: Igitur nec dabilis est multitudo absolutè talis cum vnà parte existente, cæteris conditionatè posibilibus. Instantiam hoc Syllogismo instauro. Quod non est vnum in multis absolutè sed tantum conditionatè non est absolutè sed conditionatè vniuersale, Per te Species Michaelica non est vna in multis absolutè, sed conditionatè multis: ergo nec est absolutè vniuersalis.Consequentia est bona præmissæque probatæ manent.

§. 18. Ex quibus tandem deduc, indifferentiam quæ essentialiter petitur ad superioritatem specificam malè constitui in conditionatà posibilitate indiuiduorum, & M. Sanchezium futili, & in congruo vti exemplo. dum ait. *Natura Gabrielis* in quantum est ex parte suà re ferri ad plura indiuidua; si essent posibilia, sicut etiam Patris relatio refertur ad vnum filium, & ad plures filios si essent: *eàdem relatione refferretur.* Nihil ad Bacchum. Nam Paternitas essentialiter tantum est relatio ad Filium, non ad multos filios vt multos: quare & eorum multitudo ipsi per accidens est, per accidens est. At vero vniuersalitas essentialiter est relatio ad multa: Age ergo constitue hoc *vnum in multis* constitue hanc indifferentiam: Nam P.P. Complutenses, & Ioan. à S. Tho. quamuis passim dicant, natura in Angelicam vt abstractam ab vnicà indiduatione intelligi indifferentem ad illam, manere cum indifferentià ad ipsam; &c. sed me herclè dicunt solum, & meo videri non probant; nec aliquid aliud hic desideratur,nisi quod hæc indifferentia probetur.

THEOREMA III.

Alia argumenta pro confutanda specici Angelicæ. vniuersalitates.

§. 19. PRobo secundo idem assertum: Natura Angelica per vos est essentialiter singularis, & indiuidua, vt fatentur Caietanus 1.p. qu. 13. art. 9. Salmanticenses Carmelitani tract. de Angelis disput. 1. dub. 6. num. 83. M.Ortiz, M. Lerma, M. Parra, & quot quot omnes potentiæ Dei absolutę denegant multiplicationem indiuiduorum sub eadem specie Angelica. Vndè, & negant distinctionem rationis virtualem, seù ratiocinatam inter differentiam specificam, & indiuiduationem Michaelis, vt ex ipsis rętuli super §. 3. quare hæc tàm decantata abstractio Michaelitatis ab hoc Michaele non est præcisio obiectiua, sed tantùm formalis, nempè rationis ratiocinantis, seù mera exclusio ad eodem conceptu penès expressum, & non expressum, siquidem differentia essentialis Michaelis ideò abstrahi dicitur à sua indiuiduatione, quià in conceptu claro, expressoque eiusdem non explicatur hæc vitas Michaelica, quàm tamen dicunt essentialiter, & obiectiuè includi in essentia ipsius. Hæc, quæ alias intrepidè asseruntur à Thomistis in materia de Angelis; Video hic multùm dissimulari! Sic argumentor: Diuersus modus concipiendi tantùm non sufficit ad verificandum duo prædicata contradictoria de subiectis, quæ saltem virtualiter, seù ratione ratiocinata non distinguntur: sed per vos differentia essentialis Michaelica solo conceptu expresso, seù modo concipiendi; non verò virtualiter, seù obiectiuè distinguitur ab indiuiduatione eiusdem: ergo non possunt de illis verificari hæc prædicata omninò contradictoria, nempè: Differentia essentialis Michaelica *est communicabilis realiter ex se.* Indiuiduatio *non est communicabilis realiter ex se.* Differentia essentialis Michaelica *realiter est multiplicabilis numero.* Indiuiduatio Michaelica *realiter non est multiplicabilis numero.* Maior patet. Ideò enim Scotus coactus est quærere distinctionem formalem ex natura rei inter essentiam Diuinam, & Paternitatem, quia prædicata contradictoria *communicabile, & non communicabile* nequibant de eadem realitate enunciari: & Thomistæ ideò confugiunt ad distinctionem virtualem, quia saltem hæc illis videbatur necessaria ad eiusmodi contradictoria verificanda, sed si sola distinctio ex modo concipiendi per expressum, & implicitum sufficeret ad eiusmodi verificationem: nec Scotus quæreret distinctionem ex natura rei, nec Thomistæ confugerent ad virtualem; cum intra essentiam, & Paternitatem vtrique viderent distinctionem ex modò concipiendi intercedere, qua sola posita, possent eiusmodi prædicata contradictoria verificare de illis: ergo. Minor est vestra doctrina, consequentia bona.

§. 20. Roboro, & explico hanc rationem. Animal rationale, & homo, v.g. non distinguitur virtualiter, aut obiectiuè, quià rationale, v.g. est de essentia hominis, at solus concipiendi

di modus vnum ab altero secernit quatenùs scilicèt dùm concipitur homo expresè non simùl declaratur eò conceptu esse principium ratiocinandi; Ex vi autem huius præcisionis merè formalis, & ex solo concipiendi modo petitæ benè potest intellectus hominem expresè concipere sine *rationali*; non tamen cum contradictorio rationalis, v. g. hinibili: eò præcisè quòd rationale implicitè importatum est de essentia hominis expresè concepti: sed per vos ex parte rei conceptæ indiuiduatio, seù immultiplicabilitas numerica est de essentia naturæ spiritualis Michaelicæ, non minùs quàm rationale est de essentia hominis: ergo quantumuis intellectus præcindat per expressionem conceptus Michaelitatem ab hoc Michaele, tantùm poterit illam præcisiuè concipere idest non inuoluere in conceptu expresso naturæ hæccitatem Michaelicam: At verò non poterit illam concipere cum contradictorio hæccitatis Michaelicæ, nempè cum multiplicabilitate numerica. Patet hæc consequentia: quandocumque enim quodpiam prædicatum est essentiale subiecto ex parte rei significatæ, & implicitæ, non sufficit præcisio merè formalis, seù distinctio ex modo significandi expresso, ad hoc, vt de eiusmodi subiecto verificetur contradictorium prædicati essentialis, alioqui de homine ita præciso verificatur irrationale, quòd est contradictorium rationalis ex parte rei significatę importati.

§. 21. Benè olfecit M. Sanchez difficultatem huius rationis aculeatam esse, dùm post solutionem quarti argumenti de natura Michaelica hęc subdit: *Quia si essentialiter est singularis non potest concipi cum opposito suæ rationis ex parte obiecti, nec potest concipi sine singularitate, nisi supposito errore aliquo, & ignorantia: & hæc replica tangit totius difficultatis punctum*.

§. 22. Hinc apparet exempla aduersariorum nullius esse momenti. Primo ait Parra: Differentiam esentialem Michaelis licèt sit formaliter ipsamet sui indiuiduatio; posse tamen vt distincta à se ipsa concipi, qualiter esentia Diuina distinguitur à se ipsa vt natura Diuina. eò quod ex modo concipiendi esentia est principium essendi; Natura verò principium operandi. Item (inquit Parra) Etiam si albedo per eamdem formam sit disgregatiua, & similis alteri potest concipi vt disgregatiua pręcindendo à similitudine: ergo pari ratione in nostro casu. Nullius (inquam) sunt momenti istęc: Nàm in primo exemplo tamet si esentia Diuina, quę in purissimo, & actualissimo intelligere consistit concipiatur interdum vt natura, minimè tamen apprehenditur cum contradictorio eiusmodi prędicati esentialis, vt in Michaele contingit. In altero exemplo cęspitauit quidam vir doctus: nàm Albedo, & similitudo non sunt eadem forma, sed duo diuersa accidentium genera, albedo enim est qualitas, & similitudo relatio, quæ apud Thomistas realiter distinguntur, vt & ipse docuit sibimet contrarius. Tract. 3. de prędicam. disput. 3. dubio 4. quare si de albedine, & similitudine prędicata verificantur contradictoria, nihil mirum cum realiter distinguantur.

§. 23. Probo tertio euertendo Aduersariorum fundamenta. Dicunt enim, Angelicam naturam adęquatè posse concipi, & inadęquatè: conceptam autem adęquatè habere ex parte rei conceptę aliquid prohibens, eam esse in multis, at verò inadęquatè conceptam, idest secundùm id, quod exprimit, vt quodammodo ęquiualet ac correspondet rationi specificę rerum materialium, nihil pręseferre, quod prohibeat, eam esse in multis quià in eò conceptu inadęquato, & expreso nihil exprimit nisi nisi se ipsam comparatam ad suum genus, & differentiam, & hoc sensu S. Thomam dixisse, *Naturam huius Angeli non prohiberi esse in multis ex hoc quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc quod pertinet ad rationem indiuidui*. In quibus S. Doctor distinguit duo munera in adęquata illius formalitatis, quę in Angelo est simùl abque distinctione virtuali naturę specificę, & indiuidualis. Ità Salmanticenses Carmel. citati, & communiter alij.

§. 24. Contra primo: Tota hęc doctrina nixa est verbis D. Thomę: Verùm ex illis solùm colligitur, naturam specificam Angeli concipi posse conceptu expreso, in quo non exprimatur esentialis repugnantia indiuiduorum, quę implicitè inuoluitur; minimè tamen licèt inferre, naturam sic inadęquatè, & expresè conceptam fore vniuersalem: ergo perperam adducitur S. Doctor ad eiusmodi vniuersalitatem. Minorem probo: S. Doctor admiso eiusmodi conceptu inadęquato, expresoque, in quo nihil relucet, quòd prohibeat naturam ese in multis, tamen negat omninò, eiusmodi naturam fore vniuersalem: Ergo cohęret optimè naturam sic inadęquatè conceptam nihil eximere, quòd prohibeat, eam ese in multis, & tamen ipsam non esse vniuersalem ratione essentialis repugnantiæ implicitæ; ergo ex primo quod concessit S. Thomas, malè colligitis secundum, quod ipse negat. Antecedens est manifestum, produco verba S. Doctoris, quæ Aduersarij truncata refferunt, ac mutila, vt suæ sententiæ primò aspectu fauere videantur. Obijcit sibi, Angelus continetur sub aliqua natura speciei; sed naturæ speciei non derogat, quod possit habere plura supposita: Ergo possibile est, esse plures Angelos vnius speciei. Ad hoc argumentum respondet Angelicus Magister: *Quod sicut forma, quæ est in subiecto, vel materia indiuiduata per hoc, quod est esse in hoc, ita forma separata indiuiduatur per hoc quod Non est nata in aliquo esse. Sicut enim esse in hoc excludit communitatem vniuersalis, quod prædicatur de multis; ita non posse esse in aliquo. Sicut ergo hæc albedo non prohibetur habere sub se multa indiuidua, ex hoc quod est albedo, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui; ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est Natura in tali ardine rerum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo, quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui?* Quæst. de spiritualibus Creaturis artic. 8. ad 4.

§. 25. Hæc responsio non soluit argumentum, si S. Thomas concedat speciei Angelicæ competere Vniuersalitatem, & prædicabilitatem

de multis. Quia ipsi non prohibetur habere multa indiuidua ex eo quod pertinet ad rationem speciei; hoc enim est totum, quod intendit Arguens, qui minimè vult quod illa possit esse in multis ex eo, quòd pertinet ad rationem indiuidui, id enim est impertinens, nihilque refert ad scopum argumenti. Atqui S. Thomas negat speciei Angelici vniuersalitatem, & prædicabilitatem de multis ex eo solùm, quod non est nata recipi in aliquo, vt apparet ex ijs Verbis; *Sicut enim esse in hoc excludit communitatem Vniuersalis, quod prædicatur de multis, ita non posse esse in aliquo*; Ergo adhuc admisso quod natura Angelica ex eo, quod pertinet ad rationem speciei non prohibeatur esse in multis, negat illi prædicabilitatem de multis ratione irreceptibilitatis implicitæ. Alioqui argumentum concludit, quod (vt dixi) non contendit, speciem Angelicam posse esse in multis ex eo, quod pertinet ad rationem indiuidui.

§. 26. Rursus perperam dicunt, Naturam Angelicam ex conceptu inadæquato posse esse in multis, licet id sibi repugnat ex conceptu adæquato, per indè, ac si inter istos conceptus esset aliqua Virtualis, & obiectiua distinctio rationis. Porro nil est aliud concipere inadæquatè Differentiam essentialem Michaelis, quam considerare ipsam singularitatem Michaelicam pro vt exercet munus specificandi, seu faciendi Vnitatem formalem; non attendendo ad munus indiuiduandi, seu faciendi Vnitatem numericam; eo quòd hæ Vnitates, & munera solent Virtualiter distingui in rebus materialibus, ad quarum similitudinem cognoscimus naturas Angelicas. Concipere autem adæquatè Differentiam essentialem est ipsam singularitatem Michaelis considerare, vt explicitè singularitatem, cum tamen obiectiuè eiusmodi expressionibus non respondeat, nisi formalissimè vnica singularitas, per quam Michaele, Gabriele distinguitur essentialiter, quin vlla detur alia formalitas ad huc virtualiter distincta, per quam ille essentialiter constituatur, vel distinguatur. Enimverò nihil potest conuenire conceptui inadæquato Naturæ Michaelicæ, quod obiectiuè opponatur conceptui adæquato, & implicito, vt arguebam supra §. 19. & 20. Atque hic committitur ingens, Aduersariorum æquiuocatio, arguunt enim sic. In conceptu inadæquato Michaelitatis, seu differentiæ essentialis Michaelis, vt sic, non exprimitur singularitas, seu essentialis repugnantia essendi in multis (hæc enim pertinet ad rationem indiuidui explicitam): Ergo in conceptu in adæquato conuenit naturæ positiua aptitudo essendi in multis. Consequentia quidem tam mala, quam hæc. In conceptu expresso hominis, vt sic, non exprimitur *Ens*: Ergo homo ex vi huius conceptus expressi est *Nihil*, mala in quam consequentia. Nam præter id quod est non exprimere, petitur ampliùs non includere essentialiter contradictorium.

§. 27. Bene viderant Complutenses, actum esse de sua Angelicę naturę vniuersalitate, si semel admittatur, eiusmodi naturam esse singularem essentialiter: ideoque id negarunt nu. 37. aientes, quod singularitas non est de essentia alicuius creaturæ. item num. 43. quod sola natura diuina est essentialissimè singularis. Ast hoc videtur, hypothesim destruere, & inferre absurda, quę deuorare ipsi vix poterunt. In primis, Deū posse Michaelem in plura indiuidua multiplicare; siquidem id non est contra eius essentiam, nec erit vnde petatur implicatio contradictionis, vt potentię absolutę Dei denegetur eiusmodi multiplicatio, si indiuiduatio non est aliquod pręedicatum essentiale naturę essentialiter irreceptę, seu essentialiter immaterialis. Item tenebuntur admittere distinctionem virtualem inter singularitatem Michaelis, & eius naturam, qualem habent in materialibus Patreitas, & humanitas, & diruit videtur Thomistarum fundamentalis ratio negandi prędictam multiplicitatem numericam Angelorum sub vna specie; Negant enim, quia implicat contradictionem, naturam multiplicare numero, non multiplicata singularitate, aqua nec virtualiter illa distinguitur, vt ostendi §. 3. Ratio autem huius virtualis identitatis apud Thomistas est: quia quando distinctiuum indiuiduale prouenit adęquatè à forma, seu essentia omninò est essentiale, eo quod distingui per formas est distingui per essentias (Angelus enim nil est aliud, quam forma simplex per se subsistent) At verò quando distinctiuum indiuiduale prouenit à principio extrinseco formę, idest à materia realiter distincta, etiam distinctiuum indiuiduale est virtualiter extrinsecum essentię. Vnde admittere indiuiduationem virtualiter distinctam à natura spiritali non connotante materiam, obstat sententiæ Thomisticę, vt & ante me alij benè notarunt. Quare citati Salmaticenses plane videntes hanc Complutensium suorum positionem, eos benignè interpretantur, dum aiunt, loquutos fuisse non de qualicumque singularitate, sed de non mista cum vniuersalitate, quę sola competit Deo, nam essentialis singularitas, quę Angelis competit, est mista cum vniuersalitate. Porrò hęc videtur petitio principij; cum tota controuersia sit de eiusmodi vniuersalitate.

§. 28. Cęterum meo videri Complutenses nihil suam causam promouent, negando singularitatem esse essentialem Naturę Angelicę: nam si conceptus inadęquatus eiusdem ideo est communis secundum rationem, quia cognoscitur admodum rei corporeę, quatenus scilicet eius singularitas ęquiualet duobus gradibus, nempe specifico, & indiuiduali, quę in rebus materialibus distinguuntur virtualiter. Etiamsi singularitas Michaelica esset millies essentialis ipsi naturę (vt sic dicam) adhuc pro hoc statu cognoscendi per species rerum materialium cognosceremus eiusmodi singularitatem prius inadęquatè, & vt specificantem, & deinde vt indiuiduantem; quia singularitas quantumcumque essentialis pro hoc statu cognoscendi semper ęquiualeret vnitati formali, quę in rebus materialibus communis est, & vnitati indiuiduę, quę est immultiplicabilis. Immò in ipsa natura Diuina, quę essentialiter singularis est, hoc contingit:

cogno-

cognoſcitur enim pro hoc ſtatu vnitas inadęquatè, & prout æquiualet tantum vnitati ſpecificæ rerum materialium, & deinde vt indiuidua eſt. Ergo quantum ad hoc parum iuuat negare, ſingularitatem eſſe Angelo eſſentialem, cum eiuſmodi conceptus inadęquati etiam in ipſa eſſentiali Dei ſingularitate conſtitui poſſint; ita vt inconceptu quaſi ſpecifico Deitatis non exprimatur munus indiuiduādi reſpondens ſingularitati creatę, & materiali: quod eſt illam cognoſcere abſtractam à ſua ſingularitate.

Immò ex his tandem non contemnendum conficio argumentum: Natura Diuina eo quod cognoſcatur pro hoc ſtatu per ſpecies rerum materialium, ita concipitur inadęquatè, & abſtracta à ſua ſingularitate per non expreſſionem eiuſdem; vt ſi per impoſſibile daretur alius Deus, ad ipſum compararetur natura Diuina eadem indifferentia, qua nunc ad ſuum indiuiduum comparatur: ſed ex eiuſmodi abſtractione, & comparatione non conſurgit vlla multiplicabilitas, aut vniuerſalitas ſecundum rationem in natura Diuina: Ergo nec in Michaelice. Vulgaris reſponſio eſt, naturam Diuinam eſſe actum purum, cui repugnat omnis potentialitas, & contrahibilitas ad multa indiuidua: at Angelicæ cum ſit compoſita ex eſſentia, & exiſtentia, genere & differentia &c. non repugnare, quod concipiatur contrahibilis, determinabilis, vniuerſalis &c.

§. 29. Sed contra: nam licet naturę Michaelicę non repugnet omnis potentialitas, repugnat tamen potentialitas ad plura indiuidua; per vos enim tam repugnat, alium Michaelem exiſtere, quam alium Deum: ergo pręcisè quantum ad hanc repugnantiam pluralitatis indiuiduorum ęque inepta ad eſſendum in multis eſt natura Michaelica, ac Diuina: Atque non obſtante hac repugnantia importata ex eo, quod pertinet ad rationem indiuidui; Sufficit, quod in conceptu inadęquato naturæ non exprimatur eiuſmodi repugnantia obiectiua, ad hoc, vt natura Michaelica ſit realiter multiplicabilis numero quātum eſt de ſe. Ergo & ſat eſt, quod eſſentialis ſingularitas naturę Diuinę non exprimatur in conceptu inadęquato eiuſdem, adhoc, vt concipiatur realiter multiplicabilis numero: ſeu quod non prohibeatur illi pro illo conceptu, eſſe realiter in multis Diis, quod perinde eſt. Nec refert, quod dicat, naturam Diuinam non fore ſpeciem vniuerſalem, quia ex vi puriſſimę actualitatis non eſſet compoſita ex genere, & differentia, quod eſſentialiter exigitur ad fundamentum ſpecieitatis. Non inquam reſfert: quia ego non conteudo, Deitatem fore ſpeciem, ſed tantum fore multiplicabilem ex concepto inadęquato in plura indiuidua, ſeu quod ipſi non prohibeatur, eſſe realiter in multis Diis, de quibus eſto, non prædicaretur vt ſpecies Porphiniana; at poſſet quidem prędicari, vt prędicatum commune, & vniuerſale analogum eò ferè modo, quo Perſona verè prędicatur de tribus Perſonis Diuinis realiter diſtinctis: quod proculdubio ęque abſurdum eſt, ac ſi natura Diuina eſſet ſpecies.

§. 30. Hęc ita malè vexant aduerſarios, vt M. Lerma animum deſponderit, faſſus, ſe non capere diſcrimen inter has naturas quantum ad hanc aptitudinem eſſendi in multis, quam ob rem cum Caietano vniuerſalitatem Deo adſcribit, ſubiicio eius verba; *Ad argumentum omiſſa ſolutione ibi aſſignata (quia vt ingenuè fatear, non video facilè in eo diſcrimen inter naturam Diuinam, & Angelicam) reſpondetur quod etiam Natura Diuina, vt à nobis concipitur pro hoc ſtatu concipitur, vt natura, & non vt indiuidua, & ſingularis, ac pro indè, vt ſic concipitur, vt indifferens, & communis ad plura indiuidua naturæ Diuinæ ſi eſſent, & ita naturæ Diuinæ ſic conceptæ poteſt intellectus tribuere intentionem communitatis, immò & aliqualis vniuerſalitatis, &c.* Hæc ille, quæ prius docuerat Caietanus, & vi conſequentiæ coactus etiam Ortizius approbauit: *Qua ratione* (inquit ille) *motus Caietanus expreſsè hoc fatetur de natura Diuina, prout obiecta noſtro intellectui, ſicut de natura Angelica. Quæ doctrina mihi non diſplicet, ſi conſequenter ad ſupra dicta diſcurrendum eſt num. 458.* Sed quid (quæſo peius agi poteſt cum Aduerſarijs, quam illos cogere, vniuerſalitatem Deo attribuere? Id enim errorem vocauit Capreolus in 3. diſtinct. 3. quæſt. 1. concluſ. 5. alijque Theologi dum benignius ſe gerunt, id malè ſapere, & malè audire cenſent. Confer iſta obiter cum ijs, quæ Arriaga obijcit Caietano diſput. 7. Logicæ ſect. 3. num. 45. [Alioquin (inquit ille) etiam natura Diuina debebit eſſe vniuerſalis iuxta Caietanum, quod tamen ipſe negat, neſcio, qua conſequentia.] Sed verò Arriaga Caietanum non legerat, & ſæpè illum citare ſolet, atque impugnare non viſum, nec lectum, vt & alibi monuimus. Verba autem quibus Caietanus docuit expreſsè, Diuinam naturam eſſe vniuerſalem *ſecundum rationem* habes infra §. 57. Vndè ille non peccauit in conſequentia, vt falſo ſibi imponit Arriaga.

THEOREMA IV.

Sanctus Thomas ſpeciei Angelicæ vniuerſalitatem Logicam nuſquam docuit, ſed potiùs negauit expreſsè,

PROTASIS ALTERA.

§. 31. ANgelicus Doctor nuſquam docuit, Naturis Angelicis competere vniuerſalitatem *ſecundum rationem*, vt iactant Caietanici. Age videamus iam loca ab ipſis citata. Producitur in primis prima parte quæſt. tredecima articulo nono, vbi inquit: *Conſiderandum eſt, quod omnis forma in ſuppoſito ſingulari exiſtens per quod indiuiduatur, communis eſt, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem ſalte n, ſicut Natura humana communis eſt multis ſecundum rem, & rationem natura autem Solis non eſt communis multis ſecundum rem, ſed ſecundum rationem tantum. Poteſt nempè natura Solis intelligi, vt in pluribus ſuppoſitis exiſtens. Hæc ille.* Sed hic nihil de naturis Angelicis, nihil de Spiritualibus formis, quæ à ſe ipſis indiuiduantur: hæ enim potiùs excluduntur per illam vniuerſa-

uersalitatem: *Omnis forma in supposito singulari existens per quod indiuiduatur*. Quibus expressè ait S. Doctor, se diuidere naturas, quæ ab alio indiuiduautur in communicabiles re, & communicabiles ratione, quod & fatetur Caietanus in Commentario: *Prima regula est*, (inquit) *omne nomen significans naturam distinctam ab indiuiduo est communicabile propriè, secundum rem, vel secundum rationem tantum*. Ait ergo, communicabilitatem *secundum rationem* statui à D. Thoma in Sole, Phoenicè, &c. naturis nempè materialibus, quibus etsi naturaliter repugnat esse in multis, non tamen secundum potentiam Logicam Aduersariosque malè, transuehere doctrinam de natura Sotari ad Angelicam, cum illa sit materialis, indiuiduata per aliud abstrahibilis virtualiter, & cui non repugnat de potentia Dei absoluta, quod multiplicetur numero, & à quæ omnia longissimè absunt à natura Angelica, vt ipsimet supponunt.

§. 32. Patres Complutenses probant suam sententiam ratione D. Thomæ, quam inter duos asteriscos proponunt: *Intellectus noster intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari: ergo esse in vno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei: Ergo seruato intellectu naturæ speciei potest intelligi, vt in pluribus existens*. Omnia sunt verba D. Thomæ inquiunt Complutenses. Fateor, sed ne taceatis (rogo) contextum, loquitur enim Sanctus Doctor de Natura Solis, de qua prosequitur sic: *potest enim natura Solis intelligi, vt in pluribus existens, & hoc ideò, quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari, &c.* Vbi aduertè ly *cuiuslibet speciei* non sumi vniuersaliter, sed vagè: loquitur enim de formis, quæ indiuiduantur ab alio, & de quibus supra sermonem instituerat inquiens: *Omnis forma in supposito existens per quod indiuiduatur*. Quarum certùm est, quamlibet posse intelligi in vno, vel in pluribus existens, eo quod ipsis omninò sit accidentalis singularitas. Verùm nec Syllabam scribit de Naturis Angelicis toto articulo, nec enim diceret ille, præter intellectum naturæ spiritualis esse, quòd in pluribus, vel in vno indiuiduo sit, cum ipse perpetuò doceat, de ratione naturæ irreceptæ, seu immaterialis esse, quòd non possit numero diuidi, eo quod diuisio eiusmodi essentialiter proueniat à materia.

§. 33. Secundò proponi solet eiusdem articuli contextus: *Formæ quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per se ipsas, quia scilicet sunt formæ subsistentes si intelligerentur, secundum quod sunt in se ipsis, non possent communicari neque re, neque ratione. Sed quia formas simplices non possumus intelligre secundum quod sunt, sed intelligimus eas admodum rerum compositarum, ideò imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito*.

§. 34. Hæc nihilo magis facient Aduersarijs cum S. Thomas totus sit inprobando, nomen Dei esse concretum ex nostro modo concipiendi, sicut & cætera formarum immaterialium, & per se subsistentium nomina. At quia nomen concretum significat formam in materia, seu essentiam communicatam supposito distincto, ideò docet ille: *Quod si Formæ, quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, quia scilicet sunt per se subsistentes si intelligerentur secundum quod sunt in se ipsis, non possent communicari neque re, neque ratione*. Hoc est non possent communicari supposito distincto, communicabilitate scilicet, qua natura dicitur supposito communicari, quia eiusmodi formæ per se ipsas subsistentes etiam essent per se ipsas incommunicabiles. Attende Lector, S. Thomas his verbis insinuauit, neque in Deo, neque in Angelis naturam distingui à supposito. Nam eius sententia (quam pro nunc ille substinet) tota distinctio naturæ à supposito prouenit à conditionibus indiuidui materialis, quæ quia neque re, neque ratione reperiuntur in natura Diuina, neque in Angelis, ideò neque re, neque ratione possent tales naturæ concepi, vt in alio supposito, seu vt formæ in materia, si illæ intelligerentur, vt sunt in se, ac pro indè nec possent nominibus significari concretis, quæ naturam significant, quasi altero subiecto communicatam, & adiacentem. Vndè subiungit ille: *Sed quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere secundum quod sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materia; ideò vt dictum est imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito*. Ecce loquitur de communicatione naturæ ad suppositum, quæ sola conducit ad nomen concretum imponendum, non verò de communicabilitate ad plura indiuidua, quæ impertinens est ad talem impositionem.

§. 35. Quod autem Sanctissimus Aquinas in ea fuerit sententia, quæ astruit, naturam non distingui à supposito in Angelis ob defectum conditionum materialium indiuiduantium naturam, Sole clariùs est. Constat apertissimè ex prima parte, quæstione tertia, articulo tertio, & libro 4. contra Gentes cap. 55. ad 4. *In homine* (inquit) *aliud est natura, & aliud persona, cum sit ex materia, & forma compositus; non autem in Angelo, qui immaterialis est*. Testem ex ipsis Aduersarijs aduoco Illustrissimum M. Arauxo Metaph. lib. 7. quæst. 2. artic. 2. num. 6. vbi ait: *Reuera Sanctus Doctor fuit in hac sententia, vt suppositum à natura in solis substantijs materialibus distingui realiter existimaret: in quam opinationem potuit eum inducere testimonium Philosophi asserentis, in separatis substantijs, idem quod quid est, & cuius est: ...... sed postea re meliùs à D. Thoma inspectà sententiam mutauit 3. par. quæst. 2. artic. 1.* Et infra pro interpretibus Thomistis addit: *Neque quod isti addunt, nempè Sanctum Doctorem concessisse expresè distingui realiter suppositum à natura in Angelis 1. par. quæst. 50 artic. 2. ad 3. & quæst. 75. artic. 5. ad 4. & 2. contra Gentes cap. 52. ita constans res est, quia in his locis solum docet, Angelum compositum esse ex quo est, & quod est; hoc est ex essentia, & existentia. Compositionem autem ex essentia, & subsistentia neque concedit, neque negat vsque ad præfatum tertiæ partis articulum*. Hæc ille clarissimus Thomista. Certùm tamen est, negasse dicta quæstione tertia, & in

in hoc articulo quæst. 13. negatam supposuisse. Hinc deduco toto cœlo aberrare à mente D. Thomæ, qui sic argumentantur. Natura spiritalis, & per se subsistens si conciperetur secundum quod est in se, non communicaretur neque re, neque ratione ex D. Thoma. Igitur si cognoscatur ad modum rerum corporeatum communicabitur vel re, vel ratione: ergo saltem ratione natura Angelica erit pluribus communis. Consequentia nulla. Quia ex communicatione naturæ ad suppositum, per vnionem, seu adhærentiam, de qua dumtaxat loquitur S. Magister, infertur communitas ad multa per identitatem. Nam ibi (vt dixi) de nomine concreto imponendo agitur, cuius natura significata, si habeat formam in materia ex se, dicitur communicari *re* supposito suo. Si verò tantùm ex modò significandi natura videatur quasi alteri adiacere, dicitur communiri ratione, iuxta sensum à D. Thoma intentum. Vndè ly *ratione* non est sumendum pro distinctione rationis, sic enim adhuc in Deo suppositum à natura distinguitur, sed pro modo significandi, qui ex nostra imperfecta cognitione fit tum concretè, tum abstractè. In summa, comparatio naturæ Angelicæ cum re corporea non consistit in vniuersalitate, sed in eo, quòd formas subsistentes per se, & non in alio, concipimus quasi in supposito distincto, eo ipso, quod eas cognoscamus ad modum rei corporeæ, & significemus vtrasque nominibus concretis, idest significantibus, formam in materia, seu subiecto. Vndè subdit illa: *Ideòque vt dictum est imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Vndè* (attende Lector scopum comparationis) *quantum pertinet ad rationem nominum eadem ratio est de nominibus, quæ à nobis imponuntur ad significandam naturam rerum compositarum, & quæ ad significandum naturas simplices subsistentes.* Concipere autem naturam Angelicam nomine concreto nullatenus est ipsam cogitare vniuersalem, aut multiplicabilitatem numero, cum & Deus nomine concreto significetur, nec tamen concipiatur multiplicabilis numero. Hæc dixerim in sententia D. Thomæ aliquando negantis distinctionem realem suppositi à natura in spiritalibus, in qua (ni fallor) mentem ipsius puto me fœliciter assequutum.

§. 36. Tertiò profertur locus ille supra citatus quæstione de Spiritualibus Creaturis: *Sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa indiuidua ex hoc, quod est albedo: sed ex hoc, quod est in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui; ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multa ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quod non est nata recipi in alio subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui.* Quæ verba inquit M. Ioan. à S. Tho. clariora sunt, quam vlla ponderatione indigeant. Sed non adeò clara sunt pro aduersarijs, vt contra ipsos clariora esse non ostenderim §. 24. & 25. Sed miror, illa nobis obijci per indè, ac si ipsi ea non tenerentur soluere dum deffendunt Naturam Angelicam, nec de potentia Dei absoluta posse multiplicari solo numero. Nam prædicta authoritate impetuntur, vt concedant eiusmodi multiplicabilitatem. Germana igitur huius loci explicatio est ipsa Aduersariorum solutio, & sicut ipsi componunt ea verba: *Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis*, negando Naturæ possibilitatem essendi in multis; ita & nos negando vniuersalitatem. Immò nos iure potiori, quia ibidem D. Thomas adhuc denegat naturæ Angelicæ vniuersalitatem, & prædicabilitatem de multis, quod illi subticuerant, vt supra notaui §. 24. & 25.

§. 37. Sed quidquid illi dicant, D. Thomam optimè explicant nostrates Thomistæ, quorum M. Ortizij verba lubet in medium proferre. [Ad authoritatem D. Thomæ respondetur, solum docuisse, quò ex illa parte, qua natura concipitur in tali ordine rerum non dicit impedimentum ad plura, & hoc sufficit, vt lato modò dicitur species: at quia ex altera parte dicit repugnantiam, nempè ex irreceptibilitate, & hæc debet concipi saltem implicitè ex vi eiusdem conceptus, ideò absolutè ponimus repugnantiam in natura prout concepta. Itaque D. Thomas non negat, dari absolutè repugnantiam in natura, sed asserit, non oriri hanc repugnantiam ex conceptu explicito naturæ, sed ex altero pertinente ad indiuiduationem, & debet intelligi de conceptu illo radicis indiuidualis, qui est *irreceptibilitas, &c.*] Hactenus ille. Ferè eadem congerit M. Moneda §. 5. num. 34. & pridem ante ipsos Rubius quæstion. 4. de specie num. 37. in magnis Logicæ Commentarijs.

§. 38. Quartò adducit S. Doctor Opusculo de Ente, & Essentia cap. 6. vbi de substantijs creatis, spiritualibus hæc inquit: *Et quia in istis substantijs quidditas non est idem quod esse, ideò sunt ordinabiles in prædicamento, & propter hoc inuenitu, in eis genus, species, & differentia, &c.* Sed ex eo quod S. Thomas doceat, dari in Angelis speciem, tam malè colligitur esse vniuersalem, quam si ex eo quod aliquid sit Animal, inferas, necessariò esse hominem, Nam & nos in Angelis speciem concedimus, at subijcibilem. Dices illum loqui de vniuersali, quia loquitur de ea, quæ ponitur in prædicamento. Contra, quia intentio D. Thomæ totu eo capite est assignare discrimen inter essentiam, quæ est suum esse, qualis est Diuina, & eam, quæ non est suum esse, qualis est creata, docetque propterea diuinam non constare genere, & differentia, neque sub prædicamento collocari. Secus verò creatas, quæ etiamsi spirituales sint, genere tamen, atque differentia sunt compositæ, ob idque ad certum attinent prædicamentum. En species D. Thomæ ad hunc autem quid refert speciem esse, vel non esse vniuersalem? sola petitur compositio, immò hæc in subijcibili potius relucet, quam in vniuersali, & satis clarè se explicat Sanctus Doctor dum ait, *ideò sunt ordinabiles in prædicamento, quia in istis substantijs quidditas non est idem, ac esse*, expende causalem *ideò* quia compositæ, non quia vniuersalis: ergo in eo textu species atoma subijcibilis sufficit ad mentem S. Thomæ, Angelicæ enim spe-

cies nullæ ſunt vniuerſales, niſi ſubalternæ. De titulo poſitionis in prædicamento ampliùs dicam §. 52.

§. 39. Quintus locus Opuſculi 42. cap. 5. ibi hæc: *Quod non formamus intentiones Logicas in Angelis per aliquid conceptum à parte eorum, ſed per id, quod concipimus in rebus nobis notis propter communitatem, quam habent cum Angelis in hoc, quod omnia ſunt ab vno primo, & ideò formamus intentiones, quæ vniformiter eſt, & illis conueniunt.* Hæc verba (quæ non ita fideliter, vt nos, recitat M. Parra) efficacius (inquit ille) ſuadent ſententiam contrariam, citanturque à Meg. Sanchez, Complutenſibus, Mag. Ioanne à S.Tho. & alijs quaſi irrefragabile D. Thomæ teſtimonium.

§. 40. Sed verò iſti Caietani aſſeclæ non aduerterunt Ducem ſuum longè aliter de eo Opuſculo ſenſiſſe Tomo 3. Opuſcul. Tract. 3. *de ſubiecto Philoſophicæ* ad tertium. Vbi nolens admittere authoritatem prędicti Opuſculi rationem reddit: *Quia tractatum illum fortè nunquam vidit Sanctus Thomas, ſtylus enim eius non eſt, & multa ibi ſunt, quæ doctrinæ eius non conſonant.* Hæc Caietanus. Sequitur Mag. Ioannes Martinez de Prado 2. par. Metaphyſ. controuerſ. 4. §. 4. vbi Thomiſtas eiuſmodi authoritate glorioſos vellicat, inquiens: *Minùs vrget authoritas illius Opuſculi licet illa admodum exultent, quaſi ab ipſis ſolis adducta, & expreſſa pro mente D. Thomæ*, & paulò inferiùs: *Si autem reycitur authoritas, vt non conſona doctrinæ Sanctæ Thomæ, fit perſpicuum quod illius Opuſculi adhuc incognitus Author non eſt Thomiſta.* Hæc ille. Quid ergo mirum ſi & ego illud Opuſculum, vt Pſeudothomiſticum longè reiecero? & quidem amore veritatis, nil enim præmit authoritas, quippè quæ etiam gratis admiſſa nil aliud euincet, niſi in Angelis dari Genera, Differentias, Species ſubalternas vniuerſales, & atomas ſubiicibiles, vt ſupra dixi. Sed de apocryphis D. Thomæ ſcriptis alibi redibit ſermo plenior.

§. 41 Tandem Mag. Sanchez concluſione ſecunda ait, D. Thomam ſuam docere ſententiam 1. par. quæſt. 50. artic. 4. & ſecundo, contra Gentes cap. 33. quibus tamen in locis nihil tale ſcripſit Sanctus Doctor, nec verbulum quidem de ſpecifica Angelorum vniuerſalitate videbit yllus ibi, ſicuti neque ipſe vidit.

§. 42. Iam verò noſtram ſententiam clariùs, expreſſiuſque docuit Angelicus Magiſter primo Perihermenias Lectione decima. Vbi vniuerſale *ſecundum rationem* diſſertè explicuit: *Contingit autem* (inquit) *quod propria ratio alicuius formæ intellectæ non repugnat ei, quod eſt eſſe in pluribus, ſed hoc impeditur ab aliquo alio, ſiue ſit aliquid accidentaliter adueniens, puta, ſi omnibus hominibus morientibus, vnus ſolus remaneret: ſiue ſit propter conditionem naturæ, ſicut eſt vnus tantum Sol, non quòd repugnet rationi Solari eſſe in pluribus ſecundum conditionem formæ ipſius, ſed quia non eſt alia materia ſuſceptiua talis formæ, & ideò non dixit, quod vniuerſale eſt, quod prædicatur de pluribus, ſed quod aptum natum eſt prædicari de pluribus.* Attende Lector, & inſpice, S. Thomam producere exempla hominis, & Solis quorum tunc natura, & ſi non prædicaretur de multis, poſſet tamen, quia illis non repugnabat eſſe in multis ratione ſua, eo quod ſufficiat vniuerſale, quod ſit aptum natum eſſe in multis. Et continuò pergit ad nomina, quæ ſignificant aliquid, quòd non ſit aptum natum prædicari de multis proindèque cui repugnet eſſe vniuerſale: *Dupliciter, poteſt contingere* (inquit) *quod id, quod ſignificatur per nomen, non ſit aptum natum prædicari de multis. Vno modo quod nomen ſignificat formam ſecundum quòd terminata eſt ad hanc materiam, ſicut hoc nomen Sortes, vel Plato, quod ſignificat naturam humanam prout eſt in hac materia. Alio modo ſecundum quod nomen ſignificat formam, quæ non eſt nata in materiam recipi. Vndè oportet, quod per ſe remaneat vna, & ſingularis, ſicut albedo ſi eſſet forma non exiſtens in materia, eſſet vna ſola, vndè eſſet ſingularis, & propter hoc Philoſophus dicit in 7. Metaphyſicæ, quod ſi eſſent ſpecies rerum ſeparatæ, eſſent indiuidua.* In quibus, vel puer notabit, S. Doctorem non meminiſſe naturas Angelicas inter eas, quæ licèt habeant vnicum indiuiduum, tamen eis non repugnat eſſe in multis, & eſſe prædicabiles de multis, at verò facta mentione earum, quæ non poſſunt eſſe prædicabiles de multis ſtatim proponere naturas ſpirituales, & materiæ expertes. Quid ergo? docuit ne Sanctus Thomas, ſpecies Angelicas eſſe vniuerſales *ſecundum rationem*? Igitur malè, & inconſequenter eas doceret, eſſe ſingulares, vt Socrates, & vt Idæa Platonica nempè Albedo ſeparata, nam nec Socrates, nec Albedo ſeparata (ſi eſſet) vllo modo nec *ſecundùm rationem* eſſent vniuerſales.

§. 43. Nec vllius momenti eſt, quod reponit Parra aiens, hinc probari naturam Angelicam, nec negatiue eſſe vniuerſalem; ſicut non eſt hoc modo Socrates, nec Idæa Platonica, ſi daretur, quod eſt falſum, & contra mentem D.Thomæ, ait inſuper. Mentem illius ſolum eſſe negare formam ineptam recipi in materia eſſe vniuerſalem ſi concipiatur adæquatè, vt eſt in ſe. Non miror hos conceptus inadæquatos, quos iam à §. 23. ſupra impugnaui. Quod verò illa doctrina S.Thomæ, vt ipſe affirmat etiam deſtruat vniuerſalitatem negatiuam naturæ Angelicæ, Nihil ad nos, ipſi viderint quo modo hæc cum ſua vniuerſalitate poſitiua componant. Deindè falſum eſt, id eſſe contra mentem D.Thomæ.

§. 44. Alterum teſtimonium, quo S. Doctor ſuam aperuit mentem habet Quodlibeto 2. quæſt. 2. artic. 4. ad primum vbi manifeſtè contradicit his, qui naturam Angelicam dicunt ſecundum ſe, & inadæquatè conceptam eſſe multiplicabilem, & prædicabilem de multis, tametſi adæquatè concepta, ſeu ratione indiuiduationis id ſibi repugnat, quæ eſt eorum ſolutio familiaris. Audi D. Thomam. *Subſtantijs immaterialibus creatis* (inquit) *accidunt quidam aliqua propter rationem ſpeciei, quæ non ſunt determinatiua eſſentialium principiorum, vt dictum eſt, non tamen accidunt eis aliqua, quæ ſunt determinatiua eſſentiæ ſpeciei,*

speciei, quia ipsa natura speciei non indiuiduatur per materiam, sed per se ipsam ex hoc quod talis forma non est nata recipi in aliqua materia, vndè per se ipsam non est multiplicabilis, neque prædicabilis de pluribus, sed quia non est suum esse, accidit ei aliquid præter rationem speciei, scilicet ipsum esse, &c. En D. Thomas negat, naturam Angelicam quantum est de se esse prædicabilem de pluribus, idque ob rationem à nobis datam. Quia scilicet conceptus naturæ specificus non excludit virtualiter indiuidualem, quod est illam, per se ipsam indiuiduari, & hæc causabis significatur aperte his verbis: *Ipsa natura speciei non indiuiduatur per materiam, sed per se ipsam, vndè per se ipsam non est multiplicabilis, neque prædicabilis de pluribus.* Præme illud *per se* hac enim vocula comprehendit ille Naturam, vt inadæquatè conceptam, vt à singularitate abstractam, vt secundum se consideratam, vt solitariam, &c. cui tamen negat conuenire prædicabilitatem de multis: ergo Sanctus Doctor nusquam docuit eiusmodi naturis vniuersalitatem *secundum rationem*, sed potiùs illam expressè negauit, vt ex supra dictis facilè apparet.

THEOREMA V.

Argumenta Caietanistarum infringuntur.

§. 45. Obijcies primò. Natura Michaelis v.g. prout à nobis concipitur præcisa à sua singularitate, non intelligitur determinata adhoc indiuiduum, sed vt non appropriata illi: ergo prout sic est in tali statu, vt si non essent impossibilia plura indiuidua determinaretur ad illa omnia: Ergo ex modo cognoscendi nostro natura Michaelica sic præcissa apprehendi potest, vt vniuersalis, & prædicabilis de multis.

§. 46. Multa hoc argumento confunduntur tum falsa, tum contraria eismet, qui illud obijciunt. Primò ipsi negabant distinctionem virtualem inter essentiam, & indiuiduationem Michaelis, dicunt enim, hanc præcisionem non esse, nisi per expressionem diuersorum numerum, quin obiectiuè præscindi possit à singularitate essentiali, vel formali, vel radicali, id enim esset impossibile, vt ostendi §. 19. §. 20. & 26. Secundò falsum est, eiusmodi præcisionem sufficere adhoc, vt natura intelligatur indifferens, cum ex parte rei conceptæ inuoluat essentialem, determinationem ad vnum. Tertiò falsum est etiam, ac omninó futile, nos posse concipere eiusmodi indeterminationem ex eo solum, quòd si per impossibile eius naturæ essent multa indiuidua, determinaretur ad illa, vt late probaui Theoremate 2. à §. 14. Concedo igitur antecedens, subindè transeat prima consequentia, quæ nihil infert, nisi chimæricam, & conditionalem comparationem ad multa, & nego alteram consequentiam. Et quia Caietanus insistere videtur, in eo quod indifferentia sit in Natura inesse obiectiuo, seu prout *concepta*, aduerte Naturam prout *conceptam*. Duo dicere, modum concipiendi, & rem conceptam, ex modo concipiendi non apparet repugnantia, ex re verò concepta semper inuoluitur essentialis repugnantia ad multa. Vndè cum absolutè verùm sit, quòd natura Michaelica ex *re concepta* dicat talem repugnantiam absolutè, non est, indifferens adhuc, vt *concepta*.

§. 47. Secundum indeterminatum, & indifferens latius patet, determinante, & contrahente: Sed natura Michaelica à sua singularitate abstracta comparatur ad eam vt quid indifferens: ergo latius patebit, quàm Michaelitas indiuidua, ac proinde erit vniuersalis. Minor est certa: nam concipitur vt non huius Michaelis, maior est per se nota, & consequentia legitima.

§. 48. Minorem huius argumenti nec probant, nec probabunt vnquam aduersarij. Nam quid ineptius, quam ex eo quod Michael non sit expresse *hic*. collegere quod sit indifferens positiuè ad plures Michaeles: sic enim requiritur ad vniuersale positiuum) Ecce tuum argumentum illa natura Michaelis præcisiuè non est huius Michaelis: ergo positiuè est huius, & plurium Michaelium. Falsum antecedens, & mala consequentia: Nam vt illa natura non sit ex conceptu inadæquato *hic Michael*, sufficit, quod hæcceitas Michaelis ibi non exprimatur: at vero vt sit indifferens, necessario exigitur quod non solum sit huius Michaelis, sed etiam alterius saltem potestatiuè, recognosce §. 10. & 11.

§. 49. Tertio hæc prædicatio: *Hic Angelus est Michael* est prædicatio formalis; & non identica: ergo est prædicatio superioris de inferiori: ergo tunc ex parte prædicati concipitur Michael vt quid superius, & vniuersale.

§. 50. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nec enim sola prædicatio superioris de inferiori dicitur formalis, seu non identica. Nam etiam differentia non est vniuersalis respectu speciei, quam constituit, quia non latius illa patet in communi sententia; & tamen prædicatur formaliter de illa vt *homo est rationalis* prædicatione æqualis de æquali, vt fatentur Complutenses disput. 2. Log. q. 5. num. 46. & disput. 7. q. 3. num. 25. & M. Ioan. à S. Tho. q. 10. artic. 3. Addi, quod vt prædicatio non sit identica sufficit, vt prædicatum diuersimodè, & non eodem termino concipiatur, ac subiectum: Hæc enim prædicatio *hic homo est Petrus* identica non est; & tamen Petrus non ideo est vniuersalis.

§. 51. Quarto. Michael vt est res, quædam singularis à parte rei existens est verum indiuiduum quod directè ponitur in prædicamento substantiæ vt fundamentum aliorum prædicatorum: ergo supra illud apprehendimus gradum specificum, cui immediatè subijciatur. Item ipsa species Michaelica, vt species est, collocatur inter secundas substantias, quæ necessario sunt vniuersales in prædicamento substantiæ: Ergo.

§. 52. Dato antecedente; nego consequentiam: si intelligatur de immediato gradu speciei infimæ vniuersalis, non enim nisi subalternæ subijcietur tale indiuiduum, eo quod per vos sit simul species subijcibilis, & indiuiduum. Adde, quod multi negant, eiusmodi speciem in

in prædicamento collocari, quod pro certo supponebat arguens: Sic ex discipulis D. Thomæ Ægidius Romanus quodlibeto 1. q. 8. sequutus Plotinum, simplicium Nicostratum, & Boethium, quare alij facilè negabunt etiam antecedens. Immò plures Thomistæ illud ideo concedant, quia putabant, naturæ Angelicæ saltem de possibili non repugnare multiplicitatem indiuiduorum' quod inter Thomistas probabile ostendi Theor. 1. Nos vero D. Thomam sequenles de ente, & ess. cap. 6. eiusmodi species in prædicamento locari non inficiamur, primo quidem, & per se (vt benè notat Rubius) potius propter rationem speciei, quam propter rationem singularem; quia certum est, compositionem ex genere, & differentia illis ex ratione specifica, & non singulari competere; quare Deus à prædicamento excluditur vt omninò expers compositionis, hæc enim sola petitur ad collocationem substantiæ in prædicamento, vt prædicto loco docet S. Thomas.

§. 53. Quinto; Impossibile est dari à parte rei aliquod indiuiduum quod non contineatur sub aliqua specie infirma: ergo impossibile est, quod indiuiduum Michaelis non subijciatur alicui speciei infimæ, quæ sit formaliter vniuersalis, patet consequentia. Nam subijcibilitati indiuidui, vt talis respondet vniuersalitas specifica, quæ sola relatiuè opponitur indiuiduo.

§. 54. Haud diuersum est hoc argumentum à præcedenti, addit tamen æquiuocationem de *Continentia* speciei. Nam aliud est, indiuiduum idemtificari cum specie, & aliud, quod species cum qua idemtificatur indiuiduum, latius pateat illo: ad primum enim solum petitur quod sit compositum ex genere aliquo determinato, & differentia; siue hoc compositum, quod est species subijcibilis, excedat latitudine indiuiduum, siue non. At verò, vt tale compositum seu species, cum qua indiuiduum idemtificatur, sit quid continens, vt totum potentiale tale indiuiduum, latitudine, seu indifferentia illud excedendo, hoc prouenit omninò à pluralitate indiuiduorum; equidem sola natura respiciens multa comparatur ad vnum eorum, vt quid latius patens, vt totum ad partem, vt continens ad contentum &c. vt est euidens. Cum autem tot ponas in Angelis species, quot sunt indiuidua, nullaque species excedat suum indiuiduum, neque exedere possit adhuc de potentia Dei absoluta, sequitur necessario, quod hoc indiuiduum Angelicum adæquatè idemtificetur cum sua specie, non verò quod sub ea subijcibiliter contineatur, tanquam sub superiori. Vnde ad formam argumenti distinguo antecedens. Impossibile est, dari quod piam indiuiduum in rebus, quod non continetur sub aliqua specie infima: Quod non contineatur: idest quod non idemtificetur cum aliqua specie infima adæquatè vel inadæquatè concedo antecedens: semper inadæquatè, nego antecedens: eorum enim, quæ equè patent, vnum non continet alterum. Nego item Michaeli competere subijcibilitatem indiuidui secundo intentionaliter sumpti ob eamdem rationem. Nam vt plurimum habet subijcibilitatem prædicationis, idest, qua in propositione fit subiectum, eo modo quo in hac *Rationale est homo* dicitur rationale subijci homini prædicato; quamuis homo non sit vniuersalis ad rationale.

§. 55. Sexto, & vltimo. Semel admisso, quod Angeli sint essentialiter singulares; & non vniuersales, sequitur, quod non sint neque species subijcibiles; Quia genus non respicit immediatè singularia, sed species: ergo si naturæ Angelicæ Michaelis, & Gabrielis sunt essentialiter singulares, non erunt species subijcibiles respectu alicuius generis, sed indiuidua subijcibilia alicuius speciei.

§. 56. Sequelam argumenti nego. Nam (vt bene M. Serra) de ratione generis est, quod respiciat plures species, vel quod prædicetur de multis differentibus speciei: quod autem istæ species vniuersales sint, vel singulares, per accidens illis conuenit in quantum generi subijciuntur: & ideo quia Angeli differunt non solum numero; sed etiam essentialiter, & specificè immediatè contrahunt genus quantum ad rationem specificam, quæ ex genere constat, & differentia; non vero quantum ad rationem indiuidualem. Sed horum iam satis.

PARERGON.

§. 57. QVi Caietanum sequuntur adstruentes hanc vniuersalitatem speciei Angelicæ, præmissas Caietani negant; & consequentias defendunt, peccantque insigniter in consequentia doctrinæ: quamobrem quod Caietano non ita difficile, seu improbabile erat iuxta sua principia discurrenti, Thomistis sequacibus, & quidem sola conclusione sequacibus multas parit angustias, & sudores. In primis Caietanus ad hanc vniuersalitatem defendendam vtitur definitione Auicennæ 5. Metaph. cap. 1. *Id, quod in intellectu non est impossibile prædicari de pluribus*, quæ quidem solam requirit negatiuam aptitudinem, vt consideranti patebit. Secundo: docet, sola abstractione intellectus Agentis naturam fieri vniuersalem Logicè, quia eo ipso, quod natura non sit *hæc*, iam non est impossibile ipsi, quod de multis prædicetur. Tertio: minimè requiri comparationem naturæ ad inferiora; immo *non exigitur* (inquit ille) *actualis relatio naturæ obiectæ ad particularia*. Omnia habes opusculo de ente, & essent. cap. 4. quæst. non numerata post sextam, ante septimam. Quarto affirmat quæst. 9. §. *ad secundum* formam spiritualem licet sit indiuidua, non tamen repræsentari vt *Hæc* quia repræsentatur ad modum rerum compositarum, in quibus aliud est natura, aliud indiuiduum illius, ideoque esse vniuersalem vt obiectam tantum] Et hinc consequentissimè ad suam doctrinam subdit: *Quinimmo ipsa quidditas diuina hoc modo communis, & vniuersalis secundum rationem est*, falsum quidem consequens, sed bona consequentia. Quinto tandem *Cap. de specie* docet, aptitudinem Logicam speciei Angelicæ. Vt prædicetur de multis negatiue esse intelligendam. *Est aptitudo*

do hæc (inquit) negatiuè exponenda: *Ita, quod sensus est: Species est prædicabilis de pluribus: idest species vt sic non magis de vno quam de pluribus habet, quod dici possit vt de subiecto inferiori, quia æqualiter abstrahit ab vno, & infinitis inesse obiectiuo respectu intellectus nostri.* Hæc ille.

§. 58. Eregione autem Asseclę Caietani indefendenda eiusmodi vniuersalitate, illa omnia negant fundamenta. *Primo* non admittunt Auicennæ definitionem, sed Aristotelicam, in qua ly *aptum, natum esse in multis*, aptitudinem positiuam exigere dicunt. *Secundo* negant, Naturam fieri vniuersalem Logicè sola intellectus agentis abstractione. *Tertio* docent, necessario peti comparationem naturæ ad inferiora, immo & actualem, positiuam que relationem rationis ad illa, quam dicunt *Specieitatem*. *Quarto* mordicus negant, naturam Diuinam fore vniuersalem, quemadmodum Angelica. *Quinto* tandem aptitudinem Logicam speciei tatis necessario esse positiuam asseuerant, negatiuam que omnino reijciunt ad vniuersale Metaphysicum. Quomodo ergo ex contradictorijs præmissis, & consequentijs, benè colligi poterit vna, & eadem conclusio? Sanè Caietanus (quantum potuit) illam deduxit ex opportunis, reique accomodatis principijs, & tandem ægrè, & difficulter: ergo sequacibus omnia stridere necesse est. Immo dum Caietanum sequi putant, contraria, atque repugnante via ab euntes, nec ipsum assequuntur.

§. 59. Hinc prædicta opinio eas patitur angustias, quas notauit M. Caberus dub. 3. num. 6. ideoque doctorum hominum acri censuræ, obnoxia est à qua non benè eo videri purgatur à Iunioribus Thomistis, quorum quidem erat rem elimare, promouere, vindicare. Taceo alios, qui illam sententiam ab Scholis omninò relegandam duxerunt, quibus respondet M. Sanchez: *Angelici Doctoris opiniones non esse ab scholis reijciendas, idque non satis modestè dici*. At iam vidisti §. 41. quam benè probet, eam esse Angelici Magistri sententiam.

DISSERTATIO XXI.

De Indiuiduo.

THEOREMA I.

Rectè ne Porphyrius Indiuiduum definierit?

§. 1. INdiuiduum primo intentionaliter sumptum descripsit Porphyrius (vt in Synopsi literæ dedimus) ita, *Cuius proprietatum collectio nunquam in alio eadem erit*, non est definitio essentialis, traditur enim per proprietates, has ex Alberto Magno vulgus hoc versiculo circumfert. *Forma figura locus nomen stirps, patria, tempus* quarum quidem congeries eadem in alio indiuiduo reperiri nequit, Sed reuera indiuiduum non constituitur formaliter per eius modi proprietates, & accidentia non enim subiectum indiuiduatur per accidentia, sed potius è contra accidentia habent indiuiduationem à subiecto: in ordine tamen ad nos indiuiduum benè per proprietates, & accidentia definitur, quia per illa cognoscitur. Porrò Porphyrius non voluit indiuiduum definire essentialiter; Vt ex eiusdem verbis constat, ait enim: *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi quoniam ex propietatibus consistit vnum quodque, eorum, quorum collectio &c.* quibus ille satis declarat, se non ea exactè definire, sed potius etymon indicare, vel describere dum ait *dicuntur huiusmodi* nempè *indiuidua quoniam ex propietatibus &c.* Ratio: Quia indiuiduum primæ intentionis non spectabat ad principalem prædicabilia tractantis finem. Aduerte, eas, quas versiculus numerat propietates, non nisi indiuidui substantialibus animatis, completisque conuenire: his enim dumtaxat propie tribuas. *Patriam, Nomen, Stirpem*, &c. nam indiuiduum accidentis ea non habet, neque plura substantiæ indiuidua inanimata, vt duo partes aquæ, aut duo lapides.

§. 2. Cæterum D. Thomas ad decimum Metaphysicæ lect. vndecima indiuiduum definiuit clarius: *Indiuiduum est quod non diuiditur vlterius nec formali, nec materiali differentia.* Item opusculo 70. quæst. 14. ad 3. Hæc ait *Dicendum, quod de ratione indididui, est quod sit in se indiuisum, & ab alijs diuisum vltima diuisione* prior est clarissima; sed tamen in re non differt à secunda: in qua per ly *vltima diuisione* negatur indiuiduum per formales, aut materiales differentias dissecari posse, quemadmodum in prædicamentali arbore genera, & species diuiduntur, ad quam ille respexit: Explicat optimè S. Doctor quidditatem indiuidui (quantum fas est quidditatem non specificam explicare) per incommunicabilitatem eiusdem cum alijs per idemtitatem. Nam quod non diuiditur formali, nec materiali differentia in communicabile est per idemtitatem alijs, nec vllo modo ab illis participatur, quod essentia indiuidui est. Porphyrius autem hoc ipsum expressit per propietates indiuidui, quarum collectionem ait, in alio esse non posse eo ipso, quod diu d: illud in alia non potest quia si eiusdem proprietates in alio reperirentur iam illud esset diuisum, & communicatum illi, vt est euidens.

§. 3. Solent hic alij afferre S. Thomam. 1. p. q. 29. artic. 4. vbi ait *indiuiduum esse, quod in se indistinctum, ab alijs verò distinctum*, quibus dicunt definiri indiuiduum: sed vero falluntur. Id enim conuenit omni *vni*, omnis quippe vnitas siue transcendentalis sit, siue generica, aut specifica habet quod sit *indistinctio in se, &c.* Sanctus autem Doctor prædicauit de indiuiduo rationem communem dumtaxat, sicut qui de homine prædicat esse animal, non ideo hominem censetur dèfinire, rem ostendo. Quærit Angelicus præceptos *vtrum persona in diuinis significet relationem?* affirmat contra nonnullos, qui existimabant, significare essentiam ad cuius probatum hoc vtitur syllogismo. *Persona in communi significat substantiam indiuiduam rationalis naturæ. Indiuiduum autem est indistinctum in se, & ab alijs distinctum: Persona igitur in quacumque natura significat id quod est distinctum in illa.* Deinde subsumit: *Di-stin-*

ſtinctio autem i n Diuinis non fit niſi per relationes: igitur perſona ſignificat relationem ſubſiſtentem. En vides D. Thomam aſſumere rationem communem *diſtincti*, vt probet perſonam ſignificare relationem, à qua omnis diſtinctio prouenit in Diuinis, ſicut qui ad probandum hominem eſſe ſenſitiuum aſſumeret hominem eſſe animal nec enim reuera perſonæ Diuinæ ideo ſunt indiuidua, nec indiuidualiter diſtinctæ. Non igitur eſt de mente, nec ad ſcopum Sancti Doctoris, indiuiduum adęquatè definire, prædicta autem oratio eſt mera propoſitio, & nullo modo definitio, cùm carent differentia, per quam indiuiduum ab vno ſpecifico diſcriminetur &c.

§. 4. Obijcies. Porphyriana deſcriptio conuenit alij à definitio. Nam etiam de natura prout preſcindit ab indiuiduatione dici poteſt, eſſe id cuius collectio propietatum nequit in alio reperiri, neque enim extra ipſam naturam reperiri poteſt. Si dicas Porphyrium debere intelligi non de propietatibus ſpecificis, ſed de talibus. Contra: quia non poteſt explicari quænam ſint propietates vt tales; niſi in ordine ad indiuiduum, quo fit, vt definitio reddatur obſcura, & circulum committas rotundiſſimum.

§. 5. Reſpondeo negato antecedente, collectionem propietatem naturæ prout diſtinctæ ab indiuiduatione competere indiuiduo, quod eſt aliud à natura ſpecifica: ſic Porphyrius.

§. 6. Obijciès item. Nam propietates in hac definitione vel ſumuntur pro ſpecificis, & ſic falſum eſt eaſdem non reperiri in alio eiuſdem naturę indiuiduo. Vel ſumuntur pro numericis, & ſic non ſolum tota collectio, ſed neque aliqua ex illis poteſt eſſe in alio ſubiecto: quia idem accidens numero nequit eſſe in duobus ſubiectis.

§. 7. Hoc argumentum ſibi iam pridem obijcierant Conimbricenſes reſolueruntque quæſt. 3. de ſpecie artic. 2. quare non fuit, cur eo conuincerutur Arriaga. Reſpondeo per proprietates hic intelligi indiuiduales, quarum quędam ſunt extrinſecę, quæ multis conuenire poſſunt, vt locus, ſtirps, Patria, Tempus, quædam vero licet ſint intrinſecæ, vt forma, & figura, &c. atque in alio non ſint eædem numero; tamen ita ſimiles eſſe poſſunt, vt indiuiduum non dignoſcatur: at vero omnes ſimul nequeunt in alio confluere proindeque per omnium collectionem definitur, quia per illam eſt cognoſcibile.

§. 8. Obijcit tandem Lynceus tract. 4. cap. 1. Definitio hæc B. Thomæ *Indiuiduum in ſe, & diuiſum à quolibet alio*, proba non apparet. Nam ſpecies hominis v. g. non eſt indiuiduum, ſed vniuerſale quoddam, & tamen eſt indiuiſa in ſe, cum ſpecies hominis diuidi nequeat in plures ſpecies humanas. Dices addi debere particulam *vltima diuiſione*. Sed contra: Quia etiam Petrus non eſt indiuiſus vltima diuiſione; quamuis enim in plures Petros nequeat diuidi; tamen diuiditur in materiam, & formam, &c. Dices item: addendam particulam *metaphyſicè*. Contra nam Petrus diuiditur in hoc animal, & hoc rationale non phyſicè, ſed metaphyſicè; & tamen eſt indiuiduum: ergo, &c. Qua propter explicat ille, indiuiduum eſſe indiuiſum diuiſione vniuerſali, qua ratione omnia ſibi cohærebunt.

§. 9. Reſpondeo D. Thomam ibi non definiſſe indiuiduum, vt docui ſupra §. 3. ſed in decimo Metaphyſices lectione vndecima, vt indicaui §. 2. quam debuit Lynceus legiſſe, vt D. Thomæ definitionem diceret probam non eſſe quod ſi feciſſet, certè non obieciſſet, id ipſum argumentum, quod ipſe S. Doctor ibidem inculcat, & explicat. Dubitas ne? Audi explicantem illa verba Ariſtotelis: *Cum ſint indiuidua*. Lectione decima. *Ideſt* (inquit) *non vlterius diuiſa in ſpecies, ſicut ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ: quæ quidem dicuntur indiuidua in quantum vlterius non diuiduntur formaliter*: Ecce Lyncei argumentum. *Particularia verò dicuntur indiuidua in quantum nec materialiter, nec formaliter vlterius diuiduntur*. Ecce ſolutio: Dicitur indiuiduum eo quod nulla diuiſione vniuerſali, ideſt nec formaliter in ſpecies, nec materialiter in indiuidua diuiſibile ſit. Hinc euaneſcunt inſtantiæ. Nec video contra definitionem D. Thomæ quidpiam obijci poſſe reſponſione dignum.

THEOREMA II.

De indiuiduo ſecundo intencionaliter accepto.

§. 10. QVod prædicatur de vno ſolo particulari, Eſt bona indiuidui ſecundo intentionaliter accepti definitio. Conſtat ex *prædicabili*, tanquam ex genere in quo cum vniuerſalibus conuenit, differt que ab ipſis per ly *de quo*, quod vices obit differentiæ, & hoc quidem deſcriptione Metaphyſica. Nam Phyſica explicatione (vt ſupra agentes de genere diximus ex communi Thomiſtarum ſententia.) Subiectum aget partes generis, & forma prædicabilitatis *de vno*, quæ accidens rationis eſt, pro differentia ſubrogabitur, rogabis, quod nam ſit ſubiectum? Reſpondeo eſſe ipſum indiuiduum primæ intentionis, quod in entitate incommunicabili conſiſtit, vt ſupra docui.

§. 11. Porrò Auerroes in prædicam. Subſtanti. Cap. 3. Carpit hanc Porphyrij deſcriptionem, vt diminutam, ait enim eam non niſi indiuiduis accidentis conuenire, quæ de ſuis ſubiectis denominatiuè prædicantur, vt *Petrus eſt hoc album*. Indiuidua vero ſubſtantiæ de nullo poſſe prædicari, quod docuit Ariſtot. in Categor. cap. de ſubſtantia aiens. *Primam ſubſtantiam neque eſſe in ſubiecto, neque de ſubiecto aliquo dici*. Item à prima ſubſtantia (ideſt indiuiduo) *nullam eſſe prædicationem*. Vnde concludit, non Porphyrianam, ſed Ariſtotelem indiuidui definitionem eſſe amplectendam, quæ ſic habet primo. Perhiermenias cap. 5. *Singulare eſt, quod non eſt prædicabile de multis*. Dicunt Complutenſes, id ipſum, quod per negationem definiuit Ariſtoteles explicuiſſe poſitiuè Porphyrium dicendo. *Indiuiduum eſt quod de vno tantum prædicatur*. Non acquieſco: Nam vt ſubtiliter notat Caietanus. Multum reffert dicere *non de multis, & de vno*. Ex hoc enim quod dicitur indiuiduum non prædicari de multis, non ſequitur:

tur: ergo *de vno*; quia stat, quod de nullo prædicetur: Ex eo vero, quod dicitur *de vno solo* rectè sequitur: ergo non de multis, quare aliter Philosophus explicandus est, & cum Porphyrio componendus.

§. 12. Dico ergo: Indiuiduum prædicatur de vno tot modis proportionaliter, quot vniuersale de suis inferioribus est contra Toletum, Sotum, &c. qui indiuiduo solam tribuunt prædicationem identicam de se ipso. Probo manifesta, hæ prædicationes sunt formales, & directæ *Petrus est hoc animal,* quæ est quasi generica *Petrus est hoc rationale* (spectat ad differentiam) *Petrus est hoc visibile*(reducitur ad quartam prædicabilitatis classem)*Petrus est hoc album* (est quinti prædicabilis)superest prædicabilitatem completam,& specificam ostendere. Nam quando *ille homo* fuit confusè cognitus si quis viso Petro dicat *Petrus est ille homo* prædicationem certe nō efficit identicam, cum prædicatum diuersimodè fuerit apprehensum, ac subiectum: est igitur quasi specifica, & directa. Huic reuoco etiam prædicationem, qua Definitio ipsius indiuidui de suo definito enuntiatur. Tandem accedunt prædicationes identicæ, quarum scilicet prædicatum, & subiectum eodem concipiendi modo, ac termino efferuntur. Vt *Sortes est Sortes, Petrus est Petrus* excludo de earum classe hanc: *Petrus per se est Petrus,* eo quod per ly *per se* diuersificat conceptum prædicati, significat enim Petro non esse accidentale esse *Petrum* sicuti esse *Album,* quod notarunt Conimbricenses, à quibus accepere Hurtadus, Arriaga,&c.aiunt autem illi,quod id ostendit D.Thomas in primo dist.nona,quæst.quarta, artic. secundo adducens ex Arist. has propositiones. *Bonum est per se bonum : Homo est per se homo.*] Sed falluntur nam loco citato nihil tale docuit S. Thomas, immò nec quæstionem quartam prædictæ distinctionis nonæ scripsit vnquam.

§. 13. Cum igitur tot modis indiuiduum de vno prædicetur restat videre quo sensu id negarit Aristoteles? Caietanus docet, illum loqui de prædicatione artificiali, & doctrinali,quæ manifestatiua est ignoti; non de rationali, qualis est identica, *Scotus est Sortes*, quæ etsi omnium verissima sit (vt ait Boethius) non tamen notificat ignotum, nec fini scientiarum deseruit. Sequuntur Thomistæ. At Masius respondet, Aristotelem intelligendum de prædicatione propria,non de vera: Porphyrium vero loqui de vera non de propria Conimbricenses, Philosophum aiunt interpretandum de prædicatione vniuersali:Scotistæ vero de prædicatione formali, non de identica. Vt Poncius, Merinerus, &c. Tandem Ricardus Lynceus cap. de indiuiduo, ait, quod [Caietanus, Aristotelem de prædicatione directa exponit, de quo eius mente solum censet esse, fieri non posse, vt indiuiduum de aliquo prędicetur directè. Displicet hæc ratio, &c]Hæc ille, quare ipse respondet, Aristotelem explicari posse de prædicatione scientifica. Porrò Caietanus tale quid nec somniauit vnquam; Lynceus autem illum citat non visum, nec lectum, ad hoc dumtaxat,vt actat,sibi Caietanacim explicationem displicere, cum tamen solutio, quam pro sua venditat, non sit, nisi Caietani, qui Aristotelem de prædicatione doctrinali, & specifica explicuit.

§. 14. Solet etiam hic ex Porphyrij verbis deduci alia definitio indiuidui, vt subijcibilis. *Indiuiduum est, quod sub est speciei,* quæ etiam recta est. At que ea subijcibilitas indiuidui respectu speciei bifariam accipienda est responsura nempe ad actum essendi, & ad actum prædicandi, vt de specifica subiectione respectu generis supra dicebamus. Aduerte tandem,non solum intuitu speciei, sed etiam respectu sui ipsius quatenus scilicet est *prædicabile de vno* indiuiduum diuersa, ac peculiari pollere subijcibilitate, ea que in tot subijcibilitatis modos secanda venit, quot modis prædicabilitatis supra ostendimus indiduum de vno prædicari.

DISSERTATIO XXII.

Vtrum detur ratio communis indiuidui?

§. 1. **A**Ffirmat Sanctus Thomas 1.p. qu.30. artic.4. sequitur Caietanus,qui perpetuò affirmantem tenuit sententiam, tum in hoc cap.de specie, tum in prædicamentis cap.de substantia, tum denique in commentarij ad citatum D.Thomæ articulum: quare falsò imponit illi Hurtadus contrariam, aiens, *Negat Caietanus cap.de specie;affirmat S. Thomas 1.p.q.30.art.4. quem sequitur Caietanus parum consequenter.* Et quamuis res videatur leuis momenti affirmet, neget ve Caietanus; cum liberum sit cuique quam maluerit inire sententiam; tamen hic duplici pungitur calumnia Vir eximus nempe defectionis à D. Thoma, & in consequentiæ doctrinæ, quæ non sine famæ iactura,& contemptu iuuentutis sparguntur in Scolasticorum vulgus contra veritatem,vt alibi notaui; Nihil moror Arriagam, qui etiam hic in consequentiam Caietano exprobrauit, quin ipsum legisset: nihil moror inquam quia id sibi pro more, sed rarum Hurtado: Vnde in fide parentum citarunt Caietanum pro negatiua opinione Lynceus tract.6. de indiuiduo cap.3. Izquierdus Disput.17. Phari quæst. 12.&c.Caietanum sequuntur Masius sect.2. q.3. Rubius qu.6. M. Ioann. à S. Tho. qu.9. artic.2. & 1.p. q.29. artic.4.Disput.14.artic.1. à num.24. M.Martinez quæst.2. M.Parra dub.4.§.2. & plures alij Thomistæ, quibus adhærent vagæ professiones non pauci Scriptores: Scotistæ autem tum negant, vt Valera, Poncius, &c. tum affirmant, vt Rodriquezius, Merinerus, &c. citantque Scotum vtrique pro vtrisque.

§. 2. Aduerte non esse controuersiam de indiuiduo secundo intentionaliter sumpto, seu per nomina secundæ intentionis significatio, vt *indiuiduum, particulare, suppositum, singulare,* hæc enim prædicantur vniuersaliter, & vt quintum prædicabile de Sorte,& Platone,quibus quidem accidentale est eius modi intentionibus substerni, nec de indiuiduis primæ intentionis, quæ signatum indiuiduationis principium præseferunt vt *hic homo, Socrates.* &c. Sed quæstio est de indiuiduis primæ intentionis, quæ tam etsi naturam signi-

significent cum particulari modo existendi, non tamen singulare designatum, vt sunt *Persona Hypostatis, prima substantia, subsistens, distinctum numerice, indiuiduum*, pro realiter indiuiso, &c.

§. 3. Dico dari conceptum communem indiuidui, vt sic primo intentionaliter sumpti, quod quidem vnum est, non perfecta vnitate rei significatæ; sed vnitate conceptus confusi repræsentantis plura proportionata per modum vnius. Disco ex S. Thoma quæst. 9. de potentia, artic. 2. ad. 1. *Sicut ergo* (inquit) *nomen quod significat naturam, est commune, & difinibilis vt homo, vel animal, ita nomen quod significat naturam cum tali modo existendi, vt Hypostasis, vel persona: Illud vero nomen quod in sua significatione includit determinatum indiuiduationis principium non est commune, nec definibile, vt Socrates, & Plato*. Item clarius vbi supra §. 1. *Dicendum quod etiam in rebus humanis hoc nomen persona est commune communitate rationis non sicut genus, vel species; sed sicut indiuiduum vagum*. Probo rationem primam partem asserti: omne, quod prædicatur de pluribus suppositis alicuius naturæ est commune illis: Indiuiduum, seu persona prædicatur de multis suppositis naturæ, v.g. humanæ: ergo est illis commune. Maior, & consequentia liquent. Minorem probo hæ sunt prædicationes veræ; Petrus est indiuiduum, seu subsistens incommunicabiliter distinctum à Paulo, Paulus est indiuiduum, seu subsistens incommunicabiliter distinctum à Petro. Sed hic non prædicatur sola vox, nec nomen, vt in his. *Hoc animal est Canis, hoc Sydus est Canis*. Sed aliquid significatum per nomen, nempe subsistens incommunicabiliter, seu distinctum numericè: ergo indiuiduum (seu persona) quod constituitur per subsistens incommunicabiliter prædicatur de multis suppositis naturæ humanæ. Prior Syllogismus est D. Thomæ in 1. *distinct*. 25. artic. 3. in sententiarijs ad Anibaldum.

§. 4. Altera asserti pars probatur. Conceptus differentiæ simplicis, & irresolubilis in duas formalitates non potest reddi vno ab intellectu per abstractionem perfectam, qua separet formalitatem rationis conueniendi à formalitate rationis differendi; sed indiuiduatio, seu vnitas numerica indiuidui est differentia vltima, quia indiuiduum differt ab alio, nec est resolubilis in alias formalitates, alioqui esset vltima, & non vltima quod est impossibile: ergo conceptus indiuiduationis, vt sic non sit communis per vnitatem abstractionis perfectæ, sed per meram confusionem indiuiduorum, quæ per modum vnius cognoscantur, attenta sola proportionalitate eorum, idest secundum quod Petreitas tam facit differre Petrum à Paulo, quam Pauleitas facit differre Paulum à Ioanne. Maior est per se nota; Minor etiam patet: Nam vltima differentia nil habet in se, quod non sit vltima differentia; proindeque non habet aliam formalitatem, in qua cum alia conueniat perfecte alioqui differret per aliam differentiam, & sic in infinitum, nec essent primo diuersæ, vt docet Aristot. 10. Metaph.

§. 5. Merinerus Disput. 2. qu. 1. num. 12. inquit Sotum qu. vnica de specie, hoc vti argumento, & quidem eo probari intentum, quia Sotus desumpsit illud à Scoto in primo dist. 23. qu. vnica, quem si recognoscat, hæc ait ibi: *Dico quod ab vltimis distinctiuis, & constitutiuis personarum nihil potest abstrahi commune dictum de eis in quid, quia illa sunt primo diuersa, idest nihil idem realiter includentia: tunc enim esset querere de eis, per quid distinguerentur*? Hæc Scotus. Ast vnde sciuit, quæso Merinerus, Sotum hæc à Scoto assumpsisse? Anne quia hic prior scripsit? sed si hæc coniectura valet, dicet quispiam, Scotum illa à D. Thoma etiam desumsisse, qui Scoto longe prior scripsit eadem, & quidem clarius 1. p. qu. 3. artic. 3 ad 3. *simplicia* (inquit) *non differunt aliquibus alijs differentijs, hoc enim compositorum est: homo enim, & equus differunt rationali, & irrationali differentijs, quæ quidem differentiæ non differunt amplius ab inuicem alijs differentijs: vnde si fiat vis in verbo, non propriè dicuntur differre, sed diuersa esse*. Idem docet qu. 9. artic. 1. ad 3. & 1. contra gentes cap. 17. habeat ergo vnde Scotus ea ex proprio Magistro depromeret, sed reuera Sotus nec à D. Thoma, nec à Scoto sumpsit, quia nec tali argumento vsus est, nec id cogitauit quidem, vt falsò testatur Merinerus, vt vel hinc apparet, id inuidiosè dici à Scriptore, qui passim sugillat Thomistas, quod Scotum impugnent, quin legant, cum & ipse Thomistas non visos, & nihil tale scribentes impugnent; sed ad rem.

§. 6. Fit igitur hæc communitas non pro abstractionem perfectam, & obiectiuam, qua separetur vlla ratio simpliciter vna ab ijs, quæ in aliquo gradu perfecte conueniant, id enim non nisi contingit in vniuocis; Sed per præcisionem mexè formalem, quam dicimus abstractionem secundum quid; idest per actum confusum repræsentantem omnia indiuidua imperfectè, & secundum ea tantum, in quibus habent proportionem, nam omnia proportionantur in eo quod faciant vltimò differre, quin intellectus discernat, an id fiat per Petreitatem, an per Pauleitatem, &c. Vnde obiectum huius actus imperfectè abstrahentis est aggregatum omnium indiuiduorum, quod erit prædicabile de hoc indiuiduo, & de alio indiuiduo, vel indiuiduatione per *accommodam distributionem*, vt loquuntur nominalistæ, ita, vt dum dico *Petrus est indiuiduum*, prædicatum sit ipsemet Petrus antea confusè cognitus, qui dum post clarè dignoscitur, non addit vllam formalitatem supra rationem communem indiuidui, sed solam expressionem eiusdemmet, quæ dicuntur præcisio, & contractio secundum quid, idest per conceptum confusum, & expresse: vt bene M. Ioann. à S. Thoma in primam partem disput. 14. citata, & alij Thomistæ.

§. 7. Dices, Thomistas præcisionum obiectiuarum assertores esse, atque adeò cùm Indiuiduum per nos abstrahi nequeat obiectiuè, nec debere admitti rationem communem Indiuidui, nisi per præcisiones formales Nominalium, quas supra impugnatas à nobis, nunc tandem amplectimur. Respondeo. Thomistas scire, quænam abstrahi possint, ac debeant obiectiuè, & quænam secùs. Vniuoca, & ea quæ virtualiter findi possunt in duos conceptus obiectiuè præscindunt: Analoga verò, & quædam alia, quæ sunt

de

de intrinsecà ratione modi contractiuè, præcisione formali abstrahunt, nec equidem præcisio formalis est peculium Nominalistarum; cum pridem, & longe ante ipsos eàdem vsi fuerint Thomistæ disputantes cum Scoto de præcisione Entis, & de distinctione Essentiæ Diuinæ ab Attributis. Vt videre est apud Caietanum. Opusculo de nominum Analogia Cap.4.& 5.Capreolum in 1. dist. 2. q. 1. in solut.ad argum.contra 9.Conclus. Ferraram primo Contra Gentes cap. 34. Flandrensem 4. Metaph. quæst.1.artic.5. Nazarium 1. p. q.13. artic.5. &c. Mitto minus antiquos.

§. 8. Obijcies primo. Illa ratio communis Indiuidui esset, & non esset Indiuiduum, quod est absurdum: ergo. Probatur; illam non fore Indiuiduum. Tum, quia Indiuiduum est, quod, de vno solo prædicatur: at illa ratio communis non prædicaretur de vno solo, sed de pluribus: ergo non esset Indiuiduum. Tùm etiam quia Commune, & singulare opponuntur saltem respectu eiusdem. Deinde suadetur, rationem illam futuram esse Indiuiduum, primo quia de vno solo prædicaretur ergo esset Indiuiduum probatur antecedens. Quia cum definitur Indiuiduum. *Quod de vno solo prædicatur* ea definitio more cæterarum suo conuenit definito: sed définitum eius definitionis est illa ratio communis si daretur: Ergo debet necessario de vno prædicari. Secundo. Quia si ratio illa communis non esset Indiuiduum, sanè ratio Indiuidui abstracta non foret ratio communis Indiuidui; sed alia ratio longè diuersa, sicut si ratio à Petro, & Paulo abstracta non esset homo, abstrahi non posset ab eis ratio communis hominis.

§. 9. Respondeo hoc argumento nil aliud probari, nisi tationem Indiuidui in communi non esse Indiuiduum determinatum, & esse Indiuiduum in determinatum, quæ contradictoria non sunt. *Quod de vno prædicatur* est definitio, quæ exercitè competit Indiuiduo determinato. In actu vero signato competit Indiuiduo indeterminato, quod licet exercitè de multis diuisiuè, & accomodà distributione prædicetur: tamen nihil aliud illis communicat, nisi quod de vno solo prædicetur vnum quodque. Sic terminus æquiuocus vt sic apud idoneos Authores in actu signato vniuocus est. Omnia enim æquiuoca in eo conueniunt vniuocè, quod solo nomine conueniant: Et tamen ratio communis *æquiuoci* vt sic, nequit non esse æquiuoca saltem in actu signato. Sic ergo Indiuiduum vt sic est in multis exercitè, ast in vno signatè. Id est importat, & signat rationem prædicabilitatis de vno Vrgebis cum Lynceo. Hac solutione solum adstruitur, nomen Indiuidui esse commune; non rationem. Quia actus signatus pertinet ad nomen, & exercitus ad rem, proindeque similiter posset diù, *Canem* v. g. in actu signato esse vniuocum ad syderum, & latrabilem. Nego antecedens, & sequelam quia Indiuiduum præter nomen dicit aliquid aliud, scilicet modum incommunicabiliter existendi, qui communis est omnibus per nomen Indiuidui significatis. Quod in Cane non reperies. Vnde ad argumentum semper negabo definitionem *Quod prædicatur de vno* conuenire Indiuiduo in communi absolutè, sed sub prędicto glossemate. Ad id quod vltimò additur quod ratio abstracta ab indiuiduis debeat esse Indiuiduum. Similiter aio, debere esse Indiuiduum indeterminatum, non vero designatum; id enim essentialiter petit status abstractionis, nec eo quod homo vt sic abstrahatur à particularibus hominibus, inferre debet, hominem vt sic debere esse hominem particularem.

§. 10. Obijcies secundo. Si daretur ratio communis Indiuidui sequeretur processus in infinitum, quia illa ratio communis conueniret inesse indiuidui cum suis inferioribus: ergo ab eà, & inferioribus secunda ratio communis abstrahi posset. Ast hæc etiam esset indiuiduum, etiamque conueniret cum inferioribus: ergo tertia posset etiam abstrahi, & ex hàc quarta, & sic deinceps. Hæc Lynceus: Sed quid si processus ille in infinitum deuoraretur vt minimè inconueniens? Sanè plures id deglutire non timent. Vt Suarez Metaph.Disput.5.Sect.2.num. 18. Izquierdus in Pharo Disput. 17. q.12. num. 224. & alij; dicuntque in nostris conceptibus nonesse magnum inconueniens admittere huiusmodi processum, quia partitur intellectus, quæ reipsà indiuisibilia sunt, & ideò non mirum esse, si intellectus in his diuisionibus, seu conceptibus in infinitum procedere possit.

§. 11. Respondeo tamen, eodem argumento te posse probare, hominem non posse abstrahi à Petro, & Paulo. Quia etiam homo abstractus conueniret in esse hominis cum eisdem, ergo posset abstrahi secundus homo communis & hic cum esset homo conueniret etiam cum inferioribus, quare tertius etiam esset abstrahendus communis homo, & sic in infinitum. Quod ad hæc responderis; tibi responsum esto.

§. 12. Obijcies tertiò. Si daretur ratio communis Indiuidui superior Petro, & Paulo, Species v.g. homo non prædicaretur immediatè de Petro, & Paulo. Consequens est absurdum, & contra essentiam Speciei. Probatur antecedens Ratio illa communis Indiuidui mediaret inter hominem vt sic, & inter Petrum, & Paulum quippe esset inferior homine, & superior Petro, & Paulo: ergo Homo non prædicaretur immediatè de illis.

§. 13. Respondeo. Indiuiduum in communi nil esse nisi omnia Indiuidua confusè cognita, quædum clarè cognoscuntur, nullum gradum addunt virtualiter distinctum ab obiecto cognitionis confusè, quod opus erat, adhoc, vt esset prædicatum medians inter Species, & Indiuidua clarè cognita. Quare nego antecedens, & probationis distinguo consequens. Indiuiduum mediaret obiectiuè distinctum à Petro, & Paulo nego antecedens. Non dictinctum obiectiuè transeat, & nego consequentiam.

§. 14. Obijcies quarto. Per actum in quo exprimitur multitudo, & diuisio, non potest abstrahi ratio communis, & indiuisa Indiuidui. Sed per illum actum abstractionis exprimitur

caren-

carentia diuisionis, ac per Consequens ipsa Diuisio: at diuisio non nisi inter multa intelligi potest ergo per eum actum exprimitur multitudo, proindeque per illum non fit ratio communis Indiuidui.

§. 15. Respondeo hoc ratiocinio probari etiam, posse non dari rationem communem distinctionis vt sic, neque diuisionis, quæ abstrahat à Metaphysica, Physica, & integrali, neque rationem communem similitudinis, dissimilitudinis aut vllius Relationis, vnde argumentum, quod tam multa probet, necesse est nullius momento sic. Adde, quòd seipsum destruit, terminisque implicat. Nam si per illum actum exprimitur carentia diuisionis quo modo exprimitur diuisio? Sane Lynceus qui huiusmodi argumenta nos impetit otio ab vtitur.

§. 16. Obijcies quinto: Ab illis, quæ primo, & per se sunt diuersa, nulla abstrahi potest ratio communis sed Iodiuiduationis, sunt & quælibet infimæ differentiæ sunt primo, & per se diuersæ ergo ab illis nequit vlla ratio communis abstrahi. Maior est euidens nam ea sunt primo diuersa, quæ in nullo conueniunt; alioqui si conuenirent, deberent *alijs differentijs* inuicem differre, & sic vel abeundem esset in infinitum, quod est impossibile, cum in vnàquaque essentiâ creatâ sint finitæ perfectionis, & differentiæ, vel sistendum est in aliquibus differentijs, quæ seipsis diuersæ sint, in nulloque conueniant, cuiusmodi sunt maximè indiuiduales. Minor & consequentia sunt perspicuæ: quod sub alijs verbis obijci etiam solet sic: Formalis ratio differendi non potest esse ratio conueniendi sed Indiuiduatio est formalis ratio differendi: ergo in ea non potest esse conuenientia.

§. 17. *Dices*, à primo diuersis non posse abstrahi rationem communem conuenientiæ, at posse abstrahi rationem communem disconuenientiæ, id, quod respondet Parra. Sed contra: quia id nil aliud est, quam dicere primo diuersa conueniendo, seu quòd ipsa ratio differendi sit ratio conueniendi, quatenus Indiuidua conueniunt in hoc quòd est differre sed hoc est aperta contradictio: nam dicere indiuiduationes esse similes, quia sunt dissimiles, est dicere conueniunt, quod vt aduertit Arriaga, implicatorium est: *datur enim Contradictorium conclusionis pro ratione conclusionis*. Ergo.

§. 18. Respondeo: hoc argumento vexari qui Thomistica fundamenta non benè callentes, rationem communem Indiuidui obiectiuè abstracturiunt: Item eos, qui vniuocationem eius rationis admittunt; coguntur enim exhibere gradum, seu rationem conueniendi omninò eamdem. Atqui nequeunt hi præscindere aduersitate Indiuiduationum, cùm in ipsâ earum disconuenientiâ fundent conuenientiam: aiunt enim eas conuenire in eo, quod non conueniant: ergo eiusmodi conuenientia mixta est, prorsusque imbibita in ipsa disconuenientia ergo non est conceptus omnino idem in illis, sed partim diuersus; partimque idem quod propie Analogorum est. Sed ad rem: Distinguo Maiorem: à primo diuersis nequit abstrahi ratio communis: abstractione perfectâ, & obiectiua concedo maiorem; abstractione imperfectâ, & formali subdistinguo. A primo diuersis cognitis signatè, & clarè concedo; cognitis confusè, & indeterminatè nego. Sic v.g. à Petreitate, & Pauleitate nequit nec formaliter abstrahi ratio communis, quia sunt primo diuersa clarè, & signatè cognita: At verò ab eisdem prout efferuntur his conceptibus *Personalitas*, seu Indiuiduatio qui indeterminati sunt, nec signatum preseferunt indiuiduationis principiū, aptè poteris abstrahere præcisione formali Personalitatem in communi, & Indiuiduationem. Similiter nec à rationali, & *irrationali* sic cognitis clarè, sed à cognitis per nomen confusum *differentiæ* abstrahere poteris communem conceptum differentiæ primæ intentionis: vnde impossibilis est processio in infinitum: Nam cum conceptus confusus redditur clarus, dignoscunturque indiuiduationes secundū quòd sunt determinatum distinguens, nequit ampliùs ab ipsis vlla ratio communis præcindi: distinguitur enim ratio communis à differentiali, idest conceptus confusus ab expresso tantùm vt indeterminatum distinguens à determinato. Sic S. Thomas citata q. 30. *Quod indiuiduum vagum significat naturam communem cum determinato modo essendi qui competit singularibus* (attende rationem communem) *vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab alijs.* (nota nunc rationem contractiuam, seu quasi differentialem) *sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens*.

§. 19. Alia argumenta vide apud Neotericos soluta. Denique (quod valde notare iubeo) Nominalium sequaces, qui eàdem abstractione, & communitate Indiuiduum dicunt esse commune, ac cæteræ naturæ vniuersales (negant enim præcisiones obiectiuas) nescio quâ consequentiâ doceant indiuiduum vt sic, non esse vniuersale, non esse vniuocum, esse Analogum, &c. prementur enim suismet argumentis, quibus probabant, Obiectum vniuersalis vniuoci nil esse, nisi Indiuidua confusè cognita.

CAPVT TERTIVM

DE DIFFERENTIA

D. Seuerino Boethio interprete.

TEXTVS *Differentia vero, & communiter, & propriè, & proprijssimè dicitur: Communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocumque modo. &c.*

Synopis Literæ Porphyrij.

I. CAput hoc tertium de differentia bimembre est, in quo duo præstat Porphyrius in prima capitis parte quinquies diuidit differentiam, & in altera quinquies definit. Quo ad primum differentiam. *Primo* diuidi docet in communem, propriam, & proprijssimam. Communic

munis est, vt sedere currere: Propria vt glaucus oculorum color, aut risibile. Proprijssima, estper quã quidpiã ab alio essentialiter sequestratur vt ratione in Homine. *Secundo* diuidit differentiam in facientem differre per accidens, quales sunt communis, & propia, v.g. Sessio, & risibilitas, & in facientem differre per se, qualis est proprijssima, nempe Rationale. *Tertio* in separabilem: & non separabilem; separabilis est vt moueri; quiescere, ægrum esse; inseparabilis vt simum; aquilinum, rationale, &c. *Quarto*, differentiam inseparabilem secat in talem per se; & per accidens: Inseparabiles differentiæ per se sunt v.g. Rationale, mortale, disciplinæ susceptiuum, &c. Per accidens vero simum aquilinum, &c. quarum primæ ad reisubstantiam attinent omnino, nec crescere, aut imminui possunt, quod per suscipere magis, & minus explicat ille: non enim alter altero homine magis, aut minus est rationalis: sicut nec magis est animal. Cæteræ vero non rem essentialiter ab alia dirimunt; sed diuersam, seu disparem faciunt dumtaxat, itemque augmento, atque decrimento obnoxiæ sunt. *Quinto* tandem differentiam diuidit potius in duo eiusdem munera, quam membra. Eam enim partitur in diuisiuã generis; & constitutiuam speciei: Diuisiuæ sint, vt rationale, & irrationale, quæ animal dissecant: eametque simul sunt Hominis, atque Belluæ altero munere constitutiuæ differentiæ.

II. Ex tot diuisionibus primam censeo præcipuam, quippe in quam cæteræ recidunt ferè omnes. Communem differentiam dicimus, non quia actu communis vtrique discrepanti sit extremo, id enim est impossibile. Equidem sedens non à sedente; sed ab stante, vel currente dissidet per sessionem: at communis propterea vocatur, quoniam est accidens extremorum alterutri vicissim competere potens. Est latissimus hic, simul que imperfectissimus differendi modus: quippe quo (vt ait Porphyrius) alterum ab altero differre dicitur *quocumque modo, vel à se ipso, vel ab alio: differt enim Socrates à Platone alteritate, & ipse à se ipso, & puero existente, & viro facto*, &c. Huius modi alteritatem minitatur Ligurino Horatius Flaccus Carm. lib. 4.

Insperata tuæ cum veniet pluma superbiæ.
Et quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ
Nunc & qui colòr est punicæ flore prior rosæ
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit hispidam
Dices: heu, quoties te speculo videris alterum, &c.

III. Propria vero differentia naturam per accidentia sibi genuina, atque peculiaria dispescit ab alia. Sic malus Medica, seu Citrea discrepat à Lauro apud Maronem Georgic. 2. natiuo dumtaxat illius odore naturam prodente.

Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro.
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat. ——————

IV. Propijssima autem, quæ, & inseparabilis, & per se, & constitutiua, atque essentialis dicitur, non per accidentia, sed re absè natura rem ab alia secernit omnino, vt Rationale hominem à bellua: eo quidem interuallo, vt nec summa Dei potestas queat discrimine eiusdmodi turbato, essentias in vnam conflare naturam. Accinit Philosophicus Vates Lucretius lib. 5.

Nè fartè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credat Centauros posse, nec esse
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus scyllas. ——————
Non tamen inter se possunt complexa creari.
Sed sic quæ que suo ritu procedit: & omnes
Fædere naturæ certo discrimina seruant.

Discrimina vocat essentiales differentias.

V. Quod alterum in secunda Capitis parte, ex aliorum sententia (quod ostendit inquiens: *quas etiam determinates dicunt.*) Differentiæ quinque descriptiones enarrat; quarum prima est: *Differentia est, qua abundat species à genere.* Seu (vt clariùs vertit Argyropilus) *Differentia est id, quo species excedit genus.* Secunda definitio: *Differentia est, quæ de pluribus, & differentibus specie in eo, quod quale quid est prædicatur.* Tertia talis est: *Differentia est, quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub genere sunt.* Quarta sic: *Differentia est, qua differunt à se singula.* Quinta denique: *Differentiaa est, qua vna species ab alia separatur, cum sit ipsius natura, & speciei pars*, quam dicit, tradidisse Philosophos *exactiùs pertractantes ea, quæ ad Differentiam pertinent.* Hæc de textu, ex quibus multa, quę facilia quidem, atque omnibus obuia sunt, omittens; quę scitu digna fuerint dumtaxat, sequentibus explanàbo dissertationibus.

DISSERTATIO XXIII.

Rectè nè Porphyrius Differentiam secundo intentionaliter sumptam definierit?

§. 1. RAtionem dubitandi existat secundæ Differentiæ defin.tio, quam sub his Serbis tradidit Porphyrius (vt in Synopsi dedimus.) *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.* Nam cum alioqui admittantur differentiæ atomæ, seu infimæ, quas non prædicari de multis speciebus, sed tantum de indiuiduis certum sit, vt de *Rationali* communiter dicitur: meritò in controuersiam venit, an eiusmodi definitio differentijs conueniat atomis? seu quænam fuerit Porphyrij mens, eas excludendi, vel incongrua definitione describendi? qua in re multi multa.

THEOREMA I.

Varia Doctorum placita recenseo.

§. 2. PRima, & antiquissima sententia est Iamblici, Simplicij, & plurium Platonicorum, vt reffert Auicenna, & B. Albertus Magnus lib. de prædicab. Tract. 5. cap. 6. §. *Propter hoc dicunt alij*, quam postea grauissimi secuti sunt Viri, teste Masio, inter quos Illustrissimus Caietanus suo ingenio eam fecit illustrem, vt aiunt Coomplutenses, M. Sanchez, Toletus, & alij. Docet, Porphyrium ea definitione tam subalternam, quam infimam differentiam comprehendisse. Nam illa verba *de multi. differentibus specie* (in quibus est tota difficultas) et iam aptantur dif-

differentiæ infimæ, non quidem positiuè; sed negatiuè, seu per non repugnantiam, vt hic reddatur sensus: Differentia vt sic est, cui non repugnat prædicari de pluribus speciebus. Nam differentiæ infimæ non repugnat (inquiunt) quod prædicetur de multis speciebus, ex eo quod differentia est, alioquin id omni differentiæ repugnaret; quod falsum est; sed tantum ex eo quod infima est, quod est prȩter essentiam differentiæ, & quid ipsi accidentale. Explicatur hoc ex triplici habitudine differentiæ: Hæc enim habet, quod sit diuisiua generis, constitutiua speciei, & distinctiua essentiæ ab alia specie. Vnde Differentiæ, vt tali tam extrinsecum est genus, quod diuidit, quam species, quam constituit: vtrumque enim est præter essentiam Differentiæ, de cuius intrinseca ratione solum est prædicari in *quale quid*, seu per modum essentiæ qualificantis, quin attendatur quodnam subiectum diuidat, nec quodnam constituat. Considerandum est igitur Differentiam quamlibet in ratione prædicabilis de multis, non habere alia multa, nec alia inferiora, nisi ipsamet, quæ habet species per talem differentiam constituta: vnde de se nec dicit prædicari de pluribus specie, nec de pluribus numero differentibus; sed ad id determinatur ratione subiecti, quod constituit. Si enim quidditas quam constituit habet sub se multas species, de eisdem prædicabitur differentia: Sin vero tantum habeat indiuidua, non nisi de differentibus numero prædicabitur differentia: Et tunc repugnabit quidem Differentiæ prædicari de multis speciebus, non ratione sui; sed ratione speciei vltimæ, quam constituit. Quod quidem accidentaliter contigit Differentiæ, quæ de se sicut modificauit vltimã, potuit subalternam modificare. Porrò Porphyrius adhuc infimam differentiam descripsit, si eius verba intelligantur, ipsi negatiuè competere, quatenus (vt dixit) non ratione sui repugnat illi prædicari de multis speciebus; sed ratione subiecti specifici, in quo reperitur.

§. 3. Quod autem res ita per non repugnantiam definiri possit, ac debeat, patet primo in definitione Aristot. *Quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, &c.* 5. Metaph. quæ licet positiuè conueniat alijs; Cœlo tamen Empyreo non nisi negatiuè, & per non repugnantiam competere potest. Cœlo enim licet repugnet diuidi ratione formæ quam habet incorruptibilem, tamen eo quod corporeum, & quantum est, diuisibile est, patet item in ipsa quantitate, cui non repugnanter (inquit Caietanus) conuenit diuidi in infinitum, quod tamen non potest absolutè verificari de omni quanto, vt patet in quantis physicis, sed verificatur de omnibus, cum ista specificatione, *in eo quod quantum*: quantitas enim humana non est diuisibilis in infinitum, quia si in medio secaretur, statim desineret esse humana; sed quantitas humana in quantum quantitas est diuisibilis in infinitum. Hanc opinionem improbat Magnus Albertus, contempsit Hurtadus, errorem vocauit Mag. Sanchez, ridiculam M. Oña, communiterque reijcitur à Neotericis.

§. 4. Secunda opinio est Themistij 2. Posterior. cap. 20. Philiopponi ibidem 14. & aliorum etiam Platonicorum putantium, nullas esse differentias infimas, sed omnes esse subalternas, atque speciem constitui per aggregationem plurium subalternarum, proindeque Porphyrium non definijsse infimas, vtpote nullas. Vnde nec Rationale putauit, esse differentiam infimam, sicut nec tota antiquorum Philosophia: definiens enim hominem, ait esse *Animal rationale mortale.* Vbi duplici subalterna differentia speciem infimam costituit. *Nam rationale* (inquit) *etiam Dijs conuenit, & mortale Brutis,* & clarius cap. de Communitatibus: *Continet enim* (inquit) *& Differentia species, quamuis non omnes, quas genus continet: Rationale enim quamuis non expertia rationis, vt animal; Deum tamen, & Hominem, quæ sunt species continet.* Fides ex sententia Porphyrij, Rationale esse differentiam subalternam, ipseque perpetuo speciem definiens, differentias aggregat subalternas. Definit enim Animal per *substantiam animatam, sensitiuam*, & Plantam per *substantiam inanimatam insensitiuam*. Deum (puta Ethnicum, seu Angelum, vt in Synopsi ad cap. de specie adnotauimus) per *Animal rationale immortale.* Igitur cum & species infima non sit definienda per infimam differentiam; sed per congeriem subalternarum, ob id (inquiunt à Porphyrio infimam differentiam non fuisse definitam, quia non est in rebus, de quo in sequenti dissertatione plenè disputabimus. Hanc tamen solutionem Albertus Magnus multum deridendam ait vbi supra.

§. 5. Tertia sententia, quam etiam, vt antiquam recitat Auicenna, assertque. Albertus Magnus docet, ea verba *differentibus specie,* non sic intelligenda esse, quod inferiora de quibus differentia prædicatur, differant specificè inter se, seu quod sint multæ species, sed quod illa specificè differant ab alijs alterius speciei, v.g. Rationale prædicatur de Socrate, & Platone, qui ratione talis differentiæ à Bucephalo, & Alastore specificè discriminantur. Rationem exhibet M. Araujo: Quia prædicari de pluribus differentibus specie sumendum est pro effectu quodam formali, qui est facere differre specie vnum ab alio, & sic hoc etiam infimæ differentiæ congruit quæ indiuidua suæ speciei facit ab alijs specificè differre. Hanc expositionem vocauit Auicenna *extortam*, & Mag. Sanchez *subtilitatem nimis grossam.*

§. 6. Quarta sententia est Magni Alberti, & Arabum Philosophorum, Auicennæ, Alpharabij, Auerrois, &c. docentium, Porphyrium ea descriptione omnem differentiam explicuisse, quæ sit vera Differentia: infimas autem, seu atomas non esse verè, & propriè differentias, vnde non mirum, si ipsas non memorauerit. Ratio eorum: Quia differentia tria habet, scilicet quod sit simplex diuisiua, & per hoc est differentia; & quod est simpliciter constitutiua, & hoc habet ab eo quod est diuisiua: habet, & tertio quod est ad certam speciem determinatiua: & hoc non habet ex hoc, quod est diuisiua, nec ex hoc, quod est constitutiua; sed hoc habet ex hoc quod est certa rei specialis natura, & forma propria essentialis. Quod autem ex hoc, quod est diuisiua habeat quod sit differentia, probatur, ex eo quod

diui-

diuisio separatio est; Separatio autē causa est differentiæ separatorū. Et quod ex hoc, quod diuisiua, sit cōstitutiua ex hoc probatur, quod diuisio ex hoc, quod separat, separata contrahit, & coarctat ab ambitu generis diuisi, & hoc est cōstituere sub gere. Hoc autem quod est appropiare, & determinare, à neutro habet; sed a se, quatenus hæc natura in alijs non inuenitur, ac proinde differētia infima habet aliquid mixtum, ab extrinceco accidentaliter proueniens, quod est esse infimam, seu vltimò determinatiuam: quia de ratione differentiæ, vt sic, solum est diuidere, & constituere, non vero determinare, seu appropiare. Hæc Albertus loco citato, postquam refellisset quatuor solutiones, quas errores appellauit.

§. 7. Quinta opinio est Burlæi hoc loco asserentis, Porphyrium eodem more se gessisse hoc capite, ac in definienda specie supra. Nam sicut in cap. de specie quædam data est definitio, quæ soli speciei infimæ conuenit, vt *species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.* Atque insuper aliæ traditæ sunt definitiones, quæ infimis, & subalternis, æque conueniunt, vt *species quæ subest generi. Species est de qua genus prędicatur, &c.* Ita similiter hic differentiam tantum subalternam illa descriptione definijsse: infimas vero simul cum subalternis voluisse per cæteras definitiones explicare, vt Differentia est. *Quæ species superat genus.* Differentia est. *Quæ separat ea, quæ sub genere continentur, &c.*

§. 8. Sexta opinio est M. Flandrensis asserit, Differentiam vt sic esse analogum quid respectu subalternæ, & atomæ. Definitionem autem Analogi solum debere secundum se totam conuenire principaliori analogato, & secundum sui partem minus principali analogato. Exemplum exhibet è D. Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. Qui definiens Sacramentum, prout analogicè dictum de Sacramentis nouæ, & veteris legis, hanc tradidit definitionem: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius imaginē gerat, & causa existat.* Quæ definitio planè quoad vtrumque, scilicet quoad signi, & causæ rationem solum in Sacramentis Nouæ Legis saluatur: In Sacramentis autem Veteris Legis precisè quoad rationem signi reperitur. Haud secus Definitio differentiæ quoad prædicari de pluribus differentibus specie in sola differentia subalterna, vt in principali analogato; quoad prædicari autem de pluribus in quale quid, in differentia atoma saluatur. Primo Metaphysicæ. qu. 1. art. 8.

§. 9. Septima sententia est M. Ioannis à S. Thoma docentis; aduertendum esse quod Porhyrius non dixit, differentiam esse, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie*: sed sic: *de pluribus, & differentibus specie.* Vbi expendit, particulam *Et*, quam data opera arbitratur additam, vt notetur, quod differentia sit prædicabilis de pluribus, & prætetea etiam de differentibus specie. Et sic (inquit) illa particula *de pluribus*, omnes differentias tam atomas, quam subalternas inclusit. In illa vero additione, & *specie differentibus*, indicauit subalternas; quasi diceret: Differentia est, quæ de pluribus prædicatur in *Quale*, etiam si illa plura sint specie differentia, equidem ita particula *Et*, æquiualet particulæ *Etiam*, & hoc modo intellectam mentem Caietani ait, plurimum subtilitatis habere.

§. 10. Octaua opinio tenet, prædictam definitionem sub disiunctione esse accipiendam, sic: Differentia est, quæ de pluribus differentibus specie, vel numero, &c. qui definiendi modus per disiunctionem frequens est apud Arist. qui enunciationem per affirmationem, vel negationem, & accidens per adesse, vel abesse, definit. Sic anonimi quidam apud Valeram hic.

§. 11. Nona sententia est Hurtadi asserentis, in ea definitione turpiter, vt sæpius errasse Porphyrium, quia tradit definitionem differentiæ subalternæ, omittens differentiam infimam, cui Porphyriana definitio repugnat: atque non definisse Differentiam vt sic, vel quia (vt placet S. Thomæ) vltimas rerum differentias ignorauit (quod subdifficile videtur) vel quia eas non putauit esse differentias [Nec *ferre* possum (inquit ille) Caietanum, & Sotum tam esse solicitos de authoritate Porphyrij hominis quidem blasphemi, & apostata, qui noctuæ more veritatis lumine cæcutiuit. Afferunt ergo, eam definitionem conuenire differentiæ vltimę per non repugnantiam; Sed malæ causæ *peius patrocinium*.] Hactenus Hurtadus Disput. 6. sect. 1. §. 3.

§. 12. Decima sententia est Thomistarum communis, & Scoti asserentium, dari quidem differentias infimas, eas tamen nobis omnino ignotas; quare Porphyrium notas dumtaxat definiuisse dicunt, nempe subalternas, quæ solæ communiter deseruiunt demonstrationibus, & definitionibus, quin vnquam fuerit suæ intentionis, ea descriptione simul atomas, differentias complecti, quam sententiam tenet, approbatque Caietanus, quamuis alias duas supra explicuerit.

THEOREMA II.

Hurtadi censura refellitur, Sanctorum Patrum testimonijs Porphyrij authoritas illustratur, Caietanus defenditur.

§. 13. CVM noua Hurtadi sententia Caietanicam perstringat acerbè, vtramque hoc theoremate examinabo. Legisti, hunc Scriptorem in viros doctissimos, Caietanum videlicet, atque Sotum ob explicationem Porphyrij stomachari: Legisti erroris, & ignorantiæ Porphyriū insimulare; Sed vero qui fidei castra transfuga deseruit, non ideo in rebus merè philosophicis potuit illicò turpiter errasse. Errauit ille fateor, quia Apostata, errauit, quia blasphemus; quia instar Noctuæ veritatis lumine cæcutiuit. Hinc tamen inferre: Ergo in definienda differentia errauit: mala est consequentia, & qualis qualis difficultatis effugium haud honestum. Cæterum Hurtadi argumenta multominus persuadent, Porphyrium errasse, quia infirma, vulgaria, & à Thomistis, antequam ille suam protulisset censuram, iam pridem soluta, eneruata, protrita, vt infrà exibebo. Caietanus autem (vt virum decet modestum, ac fidum huius Philo-

ſophi interpretem) Porphyrium benigno explicuit gloſſemate, venerandamque antiquę ſapientiæ canitiem ſuſpiciens, primos Philoſophiæ Magiſtros interpretari maluit, eorum doctrinam æqui, bonique conſulens, quam multo ſe doctiores tumide contemnere: ſequutus quidem ſapientiſſimos, immo & ſanctiſſimos Catholicæ fidei Patres, & Doctores, qui Porphyrium non natò deſpexerunt pro apoſtaſia (quę nihil ad rem Dialecticam) ſed potius pro eximia eius eruditione ſatis obſeruarunt, atque de eius authoritate ſoliciti, præſentem etiam Differentiæ deſcriptionem ſuis ſcriptis comprobarunt, aſtruxerunt, recenſebo nonnullos.

§. 14. Sanctus Auguſtinus Logicorum apex, & gloria tom. 1. lib. Categor. Ariſtot. hæc ſcribit. *Differentia vero eſt, quæ ſecundum multa, & differentia non quidem ſit, ſed quale ſit ſpecie prædicatur: vt eſt animal griſſiuum, volatile, aquatile, &c. Species autem eſt, quam quidam, & formam vocant, quæ ſecundum multa differentia quid ſit numero prædicatur, atque cognoſcitur, vt eſt Homo*. Deinde paucis interiectis: *Sed vt genus nullum eſt, quod non habeat differentiam, ſic nec differentiam intelligere debemus, quæ ſpecies non habebit: vt nigrum, & album non habent differentiam propterea quod ex ſe ſpecies non emittunt, quæ enim alia ſpecies inueniri poteſt alibi?* Hæc ille.

§. 15. Sanctus Ioannes Damaſcenus lib. Dialecticæ, ſeu Logicæ cap. 5. *Genus eſt* (inquit) *quod de pluribus ſpecie differentibus in quid eſt prædicatur. Prædicari autem idem eſt, quod dici, ac nuncupari: ſpecies eſt, quæ de pluribus numero differentibus in quid eſt prædicatur. Differentia eſt, quæ de pluribus ſpecie differentibus in quale quid eſt prædicatur, atque in definitione, vt ſubſtantialis accipitur*. Et etiam Opuſc. primæ inſtitut. cap. 7. *De Genere, & Specie* morem Porphyrij in homine definiendo ſeruat per differentias ſubalternas rationale, & mortale (præciſis tamen Gentiliſſimi Deorum nugis) *Animal* (inquit) *Genus eſt eius, quod ratione vtitur, & eius, quod non vtitur. Rationis autem particeps in mortalem hominem, & immortalem Angelum: quorum particeps rationis genus eſt eius, quod immortale: mortale autem, & immortale ſpecies ſunt eius, quod ratione vtitur*. Ita ille rem, Dialecticam ex inſtituto verſans.

§. 16. S. Boethius Seuerinus Commentar. in Porphyrium lib. 4. hoc capite: *Differentia vero talis eſt, quæ ſubſtantiam demonſtret. Interroganti igitur qualis vnaquæque res ſit? ſi volumus reddere ſubſtantiæ qualitatem, differentiam prædicamus, quæ differentia nunquam de vna tantum ſpecie prædicatur, vt mortale, vel rationale, ſed de pluribus. Quod igitur de pluribus ſpeciebus inter ſe differentibus prædicatur ad eam interrogationem, quæ quale ſit id, de quo quæritur, interrogat, ea eſt differentia, cuius talem poſuit definitionem: differentia eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus in eo, quod quale quid ſit prædicatur*. De quo abundè lateque, toto differit capite.

§. 17. S. Albertus Magnus adeo diligens, atque ſolicitus eſt in verificanda Porphyrij definitione, vt libro de Prædicabilitate Tract. 5. totum caput ſextum in recenſendis, refutandiſque eiuſdem expoſitionibus inſumat: cuius lemma eſt: *De dubitationibus contra definitionem differentiæ, & erroribus malè ſoluentium, & de vera omnium ſolutione*. Vbi difficultatem communem propoſuit his verbis: *Concluditur enim de neceſſitate, quod differentia quædam non prædicatur de pluribus ſpecie differentibus. Scitur enim, & notum eſt omni Philoſopho, quod definitio debet conuenire omni, & ſoli. Ergo ſi differentia definitur per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, hoc debet omni differentia conuenire, & ſoli, quę magis propria eſt differentia, & ideo rediculoſa eſt iſta ſolutio. Propter quod dicunt alij, &c.* Pergit, & toto capite rectitudinem prædictæ definitionis oſtendere conatur.

§. 18. Sanctus Thomas Doctor Angelicus in ſumma Logicæ Ariſtot. cap. 4. prædictam definitionem ſuſcipit, ac ſuſcipit, eamque explanaturus. *Differentia* (inquit) *vt hic ſumitur, dupliciter deſcribitur, primò ſic: Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quale. Secundo ſic: Differentia eſt qua ſpecies abundat à genere. Ad videndum autem primam deſcriptionem, ſciendum eſt, &c.* Quod ſi hæc ex crepetò producta ſint Sancti Doctoris opuſculo 48. illuſtrior, & indubius extat locus Analyticorum poſterior 2. lect. 13. quæ inferius pro noſtra concluſione refero par. 49. Adde, quod tùm in Philoſophicis, tum in re Theologica perpetuo definitionem hominis non niſi, vt à Porphyrio traditam per differentias *Rationalis*, & *Mortalis* vſurpat. Et quod plus eſt in quarto diſtinct. 44. quæſt. 2. art. 1. ad 1. Cum ſibi obijceretur, poſt reſurrectionem Beatorum, hominem non fore impaſſibilem: Quia eſſe mortale eſt differentia definitionis hominis. Reſpondit, non quidem negans aſſumptum, quo facilius dilueret argumentum: ſed explicat, quo pacto mortale ſit hominis eſſentialis differentia. Igitur cum ex mente S. Thomæ differentia *rationalis* vlterius contrahenda ſit per differentiam mortalis ad ſpeciem hominis, quælibet earum eſt prædicabilis de multis differentibus ſpecie, quæ eſt liquidiſſima Porphyrij doctrina. Vide ſis quæſt. de verit. art. 12. item in 2. diſt. 19. quæſt. 1. art. 4. & diſt. 32. quæſt. 1. art. 3. ad 5. Quodlibeto 11. art. 6.

§. 19. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. Æthimologias de Iſogogis Porphyrij cap. 26. vbi ſic inquit: *Poſt Philoſophiæ definitiones, in quibus generaliter omnia continentur, nunc Iſagogas Porphyrij expediamus*. Et infra Porphyrij veſtigis inſiſtens, eiuſque doctrinam de homine duplici differentia ſubalterna definiendo amplexus, atque Tullio, & Ariſtotele eam comprobans, ait: *ſic perfecta eſt omni ex parte definitio ad hominem declarandum, cuius diſciplinæ definitionem plenam exiſtimarunt Ariſtoteles, & Tullius ex genere, & differentijs conſiſtere. Genus, vt animal, differentia, vt rationale, mortale. His enim duobus differt homo à ceteris. Cum enim dicitur rationale, diſcernitur ab irrationabilibus, & brutis, quæ non habent rationem: Cum mortale, diſcernitur ab Angelis, qui neſciunt mortem*.

§. 20. Sanctus Rupertus Abbas in illo Sacro, ac planè diuino opere de operibus Spiritus Sancti non dedignatur authoritatem Porphyrij in medium proferre docet lib. 7. cap. 13. Sacram Scripturam ordine prædicamentali in primo Geneſeos capite excurriſſe. *Multo melius* (inquit) *multo rectius ſecundum hanc ſcripturam digniſſimam gene-*

genera, ac species, siue differentiæ ordinantur, quam ordinauerit Porphyrius, qui cum subdiuidendo vsque ad constitutionem animalis deuenisset, continuo animal per differentias rationalis, itemque mortalis, & immortalis subdiuisit. Hęc autem Sacratissima series lectionis sic diuidit, &c. paucisque intercisis. *Deinde, Faciamus inquit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Illa est diuisio animalis, qua illud Porphyrius diuidit, terreni quippe animalis aliud est rationale, aliud irrationale, iuxta veritatem, seu efficientiam potentissimam huius dictionis Dei: Rationalitas quippe hominis in eo est, quod ait. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Cæterum sub diuisionem rationalis qua illud in mortale, & immortale diuidit scriptura ista non tradidit.* Vides lector, quam attentè, quam cicumspectè de hoc Philosopho loquatur Sanctus Abbas, equidem cum illum cum Moyse Propheta Diuino conferret in re purè Philosophica, non illi apostasiam exprobrauit, non blasphemiam, non cæcitatem; sed tantum dicit, Moysem nil tale tradidisse, & Moysem multo melius, rectiusque differentias ordinasse, ita quidem modestè, vt liceat inferre: ergo, & Porphyrius benè, recteque eas digessit, si Moyses melius, ac rectius.

§. 21. Taceo Ambrosium, & alios, quia prædicti satis, superque abundant, immo, & Hurtado intolerabiles erunt, quippè tam soliciti sunt de authoritate hominis apostatæ, habent igitur Caietanus, & Sotus duces prorsus inculpabiles, quos tuto sequantur. Hæc pro illis. Ast pro ipsomet Porphyrio, quem Hurtadus ait in definienda differentia turpiter errasse: sufficiat Sanctus Augustinus, qui eum *Philosophorum doctissimũ appellauit,* quo quidem elogio nil maius: accipe libro 19. de Ciuitate Dei cap. 22. *Postremo* (inquit) *ipse est Deus, quem doctissimus philosophorum, quamuis Christianorum acerrimus inimicus Deum magnum Porphyrius confitetur.* Cohærent ergo optimè (vel ex Augustino) hominem esse apostatam, Christianumque hostem, & simul esse doctissimum Philosophorum: Cæterum in definitione Porphyrij quispiam vel leuiter Logica instructus aduertere poterit, eam non conuenire differentijs infimis, nec ad hoc iudicandum magno opus est Philosopho: Igitur in re leui, qualis est definitio Logicalis, non potuit ille tam turpiter errare. Porro Hurtadus ait, Porphyrium esse erronem, ac Logicastrum: Augustinus verò è contra affirmat, eum esse Philosophorum doctissimum; bardus quidem, blennusque erit lector, qui nesciat, Hurtado an Augustino potius credat.

Argumenta Thomistarum iam pridem à Thomistis soluta Hurtadus obijcit Caietano.

§. 22. Agedum, & videamus argumenta, quibus Hurtadus sententiam Caietani §. 2. propositam impugnat. Obijcit ille primo. Quia homo posset definiri per animal irrationale, quia illi secundum rationem communem animalis non repugnat irrationalitas, licet illi repugnet secundum quod est homo. Secundo, quia proprium, & accidens possent definiri per prædicabile *in quid*, ob eamdem rationem. Tertio à priori: quia vni rei non possunt conuenire duæ rationes oppositæ contradictoriè, altera secundum rationem communem, altera secundum rationem particularem; vt homini non potest conuenire irrationalitas ratione animalis. Quarto, quia definitio debet explicare naturam rei, & quidditatem specificè vt talem, quod illa definitione non præstatur. His rationibus probat ille patrocinium Caietani peius esse errore Porphyrij. Sed vero argumenta sunt Thomistarum communia, & quæ inculcarant illi, iam pridem ante Hurtadum, qui quidem è sua penu nihil noui roboris, aut difficultatis vetustis argumentis adiecit. Proponuntur à M. Masio disput. de differentia sectione 1. quæst. 7. qui viginti duobus annis ante Hurtadum sua scripta prælo mandauerat. Item à M. Sanchez, qui quatuordecim annis ipsum præcessit. M. Oña, & alijs, quæ tamen ita facile soluunt Caietanici, vt M. Arauxo ea merito contempserit, aiens non esse ad rem, nec ad intellectum, & explicationem Caietani. Subijciam argumentum, in quo ille omnes Hurtadi difficultates ad summam redegit.

§. 23. *Definitio* prædicta non conuenit differentiæ atomæ, quin potius repugnat illi: Ergo non est exacta (Ecce ratio Hurtadi qua suadetur Porphyrium errasse) Nam Definitio debet explicare vltimum gradum positiuè conuenientem definito: sed illa tantum explicat id, quod conuenit per non repugnantiam: ergo (Ecce quartum Hurtadi argumentum, quo probat peius esse Caietani patrocinium) maior patet, quia aliàs etiam hæc esset bona definitio Leonis: Leo est animal rationale, eo quod rationale non repugnat Leoni in ratione animalis: ergo (Ecce primum, & secundum Hurtadi argumentum) confirm. 2. quia inferius non debet addere aliquid, ratione cuius repugnet ratio essentialiter superior; Sed differentia atoma addit tale aliquid ad prædicari de pluribus differentibus specie: ergo non est ratio superior differentiæ, vt sic (Ecce tertia eiusdem ratio à priori exemplo tantum variato) His tandem robustissimis, & (si Deo placet) insuperabilibus difficultatibus, ita intrepidè occurrit prædictus Magister. *Respondetur ad argumentum cum suis confirmationibus, quod nihil probant contra prædictam definitionem in sensu à nobis explicatam.* Hæc ille Metaph. lib. 3. quæst. 4. art. 5. Et me hercle benè. Nam Caietanici eum grano salis definitionem per non repugnantiam dicunt esse intelligendam; statuunt enim nonnullas conditiones necessarias, vt possit res per non repugnantiam ritè definiri.

§. 24. Est *Prima*. Quod definitum non sit merè absolutum, sed aliquo modo respectiuum, vt potentia ad actus, causa ad effectus, &c. *Altera*, quod in actibus, vel effectibus sit latitudo iuxta magis, & minus, vt sic definitio tradi possit per perfectissimum. *Tertia*: Quod definitio non detur per actum imperfectiorem. *Quarta*, & præcipua conditio, quod id, quod reduplicetur in ratione, cui non repugnat definitio, sit ipsum definitum secundum suam speciem, & non

non secundum rationem genericam, vel superiorem. *Quinta*: Quod alicui contento sub definito, conueniat positiuè talis ratio.

§. 25. Præterea valde notari iubent, essentiam positiuam differentiæ vt sic consistere *in prædicabilitate de pluribus in quale quid*, hoc tamen, quod hæc prædicabilitas inueniatur in subiecto habente plures species, vel habente tantum indiuidua esse per accidens, ita vt diuisio differentiæ in subalternam, & infimam, diuisio sit accidentis in subiecta, qualis est albi in niuem, & Cygnum. Vnde Aduersarios hallucinari dicunt, existimantes differentiam infimam in definitione Porphyrij solum explicari per rationem superiorem, seu genericam, non enim distinguuntur essentialiter, seu specificè differentia subalterna, & infima, ita vt in aliquo genere superiore conueniant: Sed solum distinguuntur materialiter, & ratione subiecti, in quo inuenitur prædicabilitas in quale quid, quæ quidem est ipsa positiua essentia differentiæ (vt dictum est) & cui acciduntduo actus, alter altero perfectior: nam in ratione faciendi differre perfectior actus existimatur, qui plus, idest specie facit differre, quam qui solum numero differre facit, quod est minus differre. Quoties autem potentia quæpiam habens actum perfectiorem, & imperfectiorem, definitur (vt quidem debet) per vltimum, & perfectiorem, quem habere potest: eo ipso manet definita in ordine ad imperfectiorem. Exemplo res liquet satis communi. Definiatur potentia iaculatoria (quę vtpotè talis per ordinem ad suos actus necessario describenda est) numerentur omnes passus, ad quos extendi potest perfectissime virtus motiua, & sint v.g. *Centum*. Tunc sic illa poterit describi: *Est facultas iaciendi corpus* (v. g. lapidem) *ad centum passus pertingens*. Ecce actus ille perfectissimus pertingendi ad centum passus positiuè conueniet perfectissimæ potentiæ, non vero potentiæ debili, & imbecilli, nisi tantum per non repugnantiam: nam ille actus ita validus non repugnat tali potentiæ ratione suæ speciei; sed ratione imbecillitatis, & debilitatis. Cum igitur hoc vniuersale nempè differentia potentia quædam sit prædicabilitatis respiciens actum perfectissimum prędicationis de inferioribus, quæ faciat differre specie; & etiam imperfectiorem prædicationis de ijs, quæ solo numero faciat differre: ergo eo ipso, quod definiatur per prædicari de pluribus differentibus specie; sufficienter explicatur, posse etiam prædicari de multis differentibus numero. Consequentia patet. Nam ideo qui definiret potentiam iaculatiuam per vltimum, & perfectissimum, quod potest, quod est posse lapidem ad centum passus iactare; satis etiam explicaret, posse extendi vsque ad viginti: Quia quod potest centum, quod est plus, poterit sanè viginti, quod minus est: ergo similiter explicata potentia per actum perfectiorem, scilicet prædicationis de differentibus specie, manebit etiam explicata in ordine ad imperfectiorem. Ita M. Arauxo lib. 3 Metaph. quæst. 4. art. 5. M. Ortizius tract. 3. conferent. 5. §. 2. num. 465. & sequun. M. Parra tract. 2. dub. 3. §. 2. num. 9. M. Petronius Logicæ quæst. 3. artic. 3. apud Ortizium, quos vide.

§. 26. Hinc facilè diruitur Hurtadi primum fundamentum. Respondent enim Caietanici, Definitioni illi Hominis per *animal irrationale* deficere omnes conditiones ad aptè definiendum rem per nō repugnantiam. Per quod etiam corruit secundum. Tertia ratio apriori eò peccat, quod prædicari de multis differentibus specie, & prædicari de multis differentibus numero supponit, esse rationes, & differentias contradictoriè oppositas in præsenti; cum non sint nisi actus perfectus, & imperfectus eiusdem potentiæ relatiuæ, quorum perfectus explicat imperfectum, sicut plus explicat minus, & centum passus explicant viginti. Exemplum autem hominis, cui ratione animalis non potest conuenire irrationalitas. Eodem pede claudicat, ac primum argumentum. Quarta ratio similiter euanescit. Non enim dicunt Caietanici, posse aliquid definiri tantum per illud, quod sibi non repugnat. Nam cum essentia rei sit quidpiam positiuum, non nisi per positiuum aptè explicabitur. Porrò essentia positiua Differentiæ infimæ, in eo consistit quod sit prædicabilis de multis in quale quid, & hæc est ratio illius specifica, cui positiuè conuenit prædicari de multis differentibus specie, quando est in subalterna, at vero dum est in infima, id sibi non repugnat ex se, sed ratione subiecti, in quo reperitur. Estque notandum valde, eiusmodi non repugantiam non verificari de Differentia infima secundum aliquam rationem genericam, sed secundum specificam: nan esse infimam prouenit tantum à subiecto in quo est. Et in hoc (inquit Ortizius) æquiuocantur qui hunc dicendi modum impugnant.

§. 27. Hæc est tota eorum doctrina, qua facile se expediunt ab argumento Hurtadi, si fortè Hurtadi dicendum est, quod tot annis ante ipsum obieceram Masius, Sanchez, Onã, &c. ex Scotistis Valera, & sua Societate Conimbricenses de Differentia quæst. 2. art. 1. Fonseca 5. Metaph. q. 17. sect. 3. Rubius quæst. 7. de Differ. num. 48. id tamen vnum, quod Porphyrius turpiter errauerit, id fateor nouum est, atque Hurtadi proprium. Restant adhuc duo scrupuli. Nan si admittitur definitio per non repugnantiam, etiam poterit Differentia definiri per prædicari de pluribus differentibus numero: hoc enim non repugnat Differentiæ vt tali, sed vt subalternæ. Negant antecedens: quia prædicari de multis solo numero differentibus est imperfectior actus eiusmodi potentiæ, quæ per perfectissimum definiri debet, vt tertiâ conditione præscribitur.

§. 28. Obijcies item: Porphyrius non definiuit cætera Prædicabilia hâc norma definiendi per non repugnantiam: ergo nec Differentiam: Reddit disparitatem Ortizius, aiens, alia prædicabilia non respicere plures actus, inter quos sit latitudo penes magis, & minus. Nam Genus solum respicit plura distincta specie, & Species plura distincta numero, &c. Ast si aliquod prædicabile respiciat plures actus inæquales in perfectio-

ctione, vt videtur *Proprium* respicere, non contradico (inquit ille) quòd etiam possit definiri modo dicto, licet de facto non ita sit definitum.

§. 29. Hæc sententia, quæ Iamblici, & aliorum est antiquissima, probabilis est, suàque gaudet securitate, censeo tamen, illam non multum sapere Porphyrianam mentem, si spectetur stylus, tenorque definiendi cætera Prædicabilia, quod & aduerterat Toletus, qui similem profert censuram. *Sed quamuis ista* (inquit) *sint probabilia, tamen existimo, esse præter mentem Porphyrij, qui vltimas differentias non definiuit,* &c. quod quidem adhuc ex assertoribus aliqui non diffitentur, vt mihi subolet Ortizius his verbis: *Sanè quidquid sit de mente Porphyrij, iste modus definiendi optimus est, &c.* propterea illam non amplector.

THEOREMA III.

Secunda sententia Platonicorum, Tertia Anonymi, quarta Magni Alberti, & quinta Burlei examinantur.

§. 30. SEcunda Themistij sententia magnum habet fundamentum in Aristotele. lib. de Demonstrat. cap. 14. item I. Topicorum cap. 7. & libro 1. de partibus animal. cap. 2. & maximè 7. Metaph. lect. 12. ibique D. Thomas illam amplectitur, fuit antiquis omnibus Philosophis adeo recepta, vt nihil magis. Sed & argumenta quæ contra illam objiciunt juniores, nihil vrgent, vt sequenti Differt. ostendam. Censeo igitur hac opinione solum probari non dari differentias infimas quoad nos, idest, nos illas omnino ignorare, quamuis reuerà dentur in rebus: idque satis fuisse, vt Porphyrius solas definiret subalternas. Prima pars huius nostræ censuræ probanda est sequenti Differtat. & secunda omnino consonat sententiæ Thomisticæ, quare nihil in ea falsum deprehendimus, nisi quod omnino negat dari differentias infimas, de quo infra.

§. 31. Tertiam sententiam præter antiquos apud Auicennam, & Albertum Magnum, nouissimè amplectuntur M. Ortiz. M. Lerma, M. Parra. M. Moneda, & alij nullo alio nixi fundamento præter id, quod indicauimus §. 5. quibus tria solent alicuius momenti objici argumenta. *Primum.* Quia Differentia hic definitur sicut vnum ex quinque Prædicabilibus: sed in definitionibus cæterorum diuersitas petita ex parte termini attenditur inter ipsa inferiora, & non in ordine ad alia, de quibus non prædicatur tale Prædicabile: Ergo ly *differentibus specie* verificari debet pro diuersitate inter ipsa inferiora, quæ Differentia respicit. *Alterum*: Hinc sequeretur Differentiam non solum prædicari de multis differentibus specie in quale, sed etiam de multis differentibus *genere*, nam si attendenda non est diuersitas inferiorem inter se; sed ab alijs; Certè non solum differunt Indiuidua, v. g. Sortes, & Plato specificè à Bucephalo, sed etiam genericè à planta, & Lapide. Ergo, &c. *Tertium.* Species prædicatur de ipsismet inferioribus, de quibus prædicatur Differentia ipsam constituens: Ergo sicut verificatur de Rationali v. g. quod dum prædicatur de Sorte, & Platone dicitur de multis differentibus specie; ita etiam de Homine: quod absurdum est.

§. 32. Ad primum negant consequentiam. Redditque disparitatem Ortizius (à quo Moneda, &c. transcripsere) Nam alia prædicabilia (inquit) dicunt rationes in quibus inferiora conueniunt inter se, & ideo ipsa inter se debent esse diuersa, vt possint terminare relationem vniuersalis. At hoc est peculiare differentiæ, scilicet facere differre ea ipsa, in quibus inuenitur, & consequenter relatio rationis terminatur ad ipsa inferiora, vt sunt distincta per ipsam differentiam, ac proinde non respicit ipsa vt inter se distincta sunt, sed vt distinguuntur ab alijs, licet materialiter exigat distinctionem illam numericam indiuiduorum. Ad secundum negant sequelam, quia licet indiuidua vnius speciei differant genere ab alijs; non tamen differunt genere, sicut specie per ipsam differentiam, cum ipsa solum sit ratio, vt specie differant. Ad tertium dicunt de eisdem indiuiduis diuersimodè prædicari speciem, & differentiam. Nan species respicit inferiora vt conuenientia in ratione specifica, eo quod dicat totam eorum quidditatem. At differentia respicit illa vt diuersa, & distincta per se, eo quod formalissimè dicat illam partem quidditatis, à qua prouenit distinctio.

§. 33. His, & similibus satis apparenter deffenditur hæc opinio à suis assertoribus; omninò tamen aberrant à mente Porphyrij, qui iugi tenore, ac eodem filo Genus, speciem, ac Differentiam descripsit quoad diuersitatem inferiorum in ly *de multis differentibus, &c.* quod si voluisset in definitione Differentiæ ly *differentibus specie* aliter debere intelligi, ac in Definitione Generis, id certè aliqua particulà, vel signo expressisset. Ast ita longè abest Porphyrius ab hoc discrimine, vt apertè fateatur Differentiam non distingui à Genere in prædicari de multis *differentibus specie*, immo in hoc ait cum ipso illam conuenire; sed in eo quod Genus prædicatur in *quid*; Differentia vero in *quale* sic ille Capit. 6. de Communitatibus. *Commune est autem* (inquit) *Generi, & Differentiæ continere species, &c.* vbi latè, atque diligenter exquirit, in quibus Genus, & Differentia conueniant, differantue, perpetuoque docet, ea minimè differre, sed potius conuenire in eo quod inferiora differant specie, quod & Cap. secundo satis explicuerat, inquiens: *Quare Genus de pluribus prædicari diuidit ipsum ab ijs, quæ de vno solo dicuntur, sicut Indiuidua, [de differentibus vero specie] separat ipsum ab ijs, quæ sicut species prædicantur, vel sicut propria: in eo autem [quod quid sit prædicari] diuidit ipsum à Differentijs.* Et paulo ante: *A Differentia vero, & ab ijs, quæ communiter sunt accidentia differt Genus, quoniam etsi de pluribus, & differentibus specie prædicentur Differentiæ, & communiter accidentia; non tamen in eo quod quid sit prædicantur, sed potius in eo quod quale:* Vide his locis Boethium. Vbi est ergo? vel vnde tibi apparet mens Porphyrij discriminantis infe-

inferiora Differentiæ ab inferioribus Generis per id, quod inferiora Generis differunt inter se; inferiora vero Differentiæ differunt specie ab alijs: Certè tale quid nec somniauit ille. Quare hanc sententiam, vt quæ Porphyrium non sapiat, merito reiecit Magnus Albertus, & extortam appellauit Auicenna. Immo, & eius Assertores fateri videntur, eam potius è suo cerebro, quam ex mente Porphyrij posse fulciri. Vt lego apud Ortizium: *Eligat vnusquisque* (inquit) *quã maluerit* (sententiam) *quicquid sit de mente Porphyrij. Nan in præsenti possumus disputare, an præfata definitio in aliquo sensu congruo, & accomodato possit venificari de Differentia infimà, seu atoma, & constat ex dictis, posse, & ideo sit quicquid sit de mente Porphyrij*. Quare illam vt Porphyrianæ doctrinę haud germanam ad alios missam facimus, qui Auicennæ extorsionem leniant, & Sanchezij crassam subtilitatem acuminent.

§. 34. Quarta Auicennæ, & B. Alberti Magni sententia (quam etiam Commentator amplexus fuit) optimè reffellitur à Caietano. Nam esto quod vltima Differentia habeat aliquid immixtum, seu (vt phrasi loquar Alberti) non sit simplicis virtutis, ac proinde afferat secum aliquid, quod non est Differentiæ secundum se; non tamen amittit ea, quæ sunt Differentiæ secundum se, siquidem diuidit Genus, & constituit Speciem: igitur non ideo erat excludenda à Porphyrio, sed potius definienda.

§. 35. Quinta Burlæi opinio non omnino reijcienda est, nam quà cum Thomistica consonat, vera est, scilicet, hac Definitione solas Differentias medias fuisse descriptas: peccat vero in eo quod non causam reddit pro causa. Nam id non fecit Porphyrius, vt morē seruaret definiendi speciei; sed quia non erat opus infimis Differentijs, quarum nec vsus erat, nec est cognitio.

THEOREMA IV.

Reliquæ sententiæ reffelluntur.

§. 36. Sexta Sententia M. Flandrensis valido nititur exemplo, si res benè succederet in Differentià, prorsus enim falsum est, vllam esse in Differentiæ conceptu analogiam, & subalternam Differentiam esse principale analogatum in eiusmodi analogià. Nam vel Differentia sumitur primo-intentionaliter? & sic potius Infima erit excellentior, atque perfectior differentia. Etenim si speciem constituere proprius est actus Differentiæ, sequitur planè, perfectiorem esse differentiam, quæ perfectiùs constituit: sed Infima differentia quatenus talis perfectissimam constituit speciem: igitur eo ipso perfectissima erit differentia. Item perficere genus est proprius etiam, atque alter actus Differentiæ, quia respectu illius gerit se, sicut forma respectu materiæ; atqui differentia atoma excellentiùs perficit genus, quippe deducit illud ad vltimam actualitatem in lineà essentiali: ergo differentia excellentior est. Vel sumitur Differentia à Flandrensi secundo-intentionaliter? & sic æquè falsum est etiam, illam principalius in subalternà residere. Nam secunda intentio prædicabilitatis in *quale quid* æqualiter inhæret tam subalternæ, quam infimæ naturæ secundum effectum formalem faciendi vtramque prædicto modo prædicari de pluribus: quod autem hæc plura numero, vel specie differant, est quid omninò extrinsecum, & accidentale, cum Diuisio illa Differentiæ in Subalternam, & Infimam sit accidentis in subiecta, vt suprà dixi, & communiter fatentur quotquot negant illas, constituere duo Prædicabilia distincta.

§. 37. Septima Opinio M. Ioannis à S.Thoma mihi videtur merum phantasiæ machinamentum. Et quamuis Ortizius dicat. *Iste modus explicandi hanc definitionem clarus, & facilis est, & contra ipsum nihil dificultatis occurrit.* Tamen infra ocurrent multa dificilia, quæ ipse non vidit. Nec placet quod hic Author suam laudarit expositionem, aiens, eam multum subtilitatis addere sententiæ Caietanicæ, quæ eo sensu intellecta, nihil asperitatis, aut difficultatis præsefert. Porrò subtilitas illa adeo tenuis, & parùm neruossa videtur viris doctis, vt sua se ipsa tenuitate disrumpat, nec video quamnan vtilitatem, quodue auxilium afferat Caietano eiusmodi commentum quod & ante me notarat M. Parra. Dub. 3. §. 2. ibi: *sed iste modus nullum subsidium affert sententiæ Caietani, quia Porphyrius eodem tenore verborum definit Genus, & Speciem, &c.*

§. 38. In primis falsum assumit, quod Porphyrius data operà addiderit illam vocalem *Et*, non enim consuluit hic Author Græcum exemplar, nec varias illius versiones. Nan etiamsi apud Argyropilum, & Boethium definitio Differentiæ illis legatur verbis tradita, quę ipse profert; at vero in exemplari Græco illa vocula, quæ Latinè vertitur *Et*, æquiualet huic particulæ *Autem*, & hoc sensu transtulit eam Perionius, cuius versio sic habet. *Differentia est, quæ de multis, specie autem differentibus in quæstione, quà quale sit indagatur, dicetur*. Item in ea versione, quam sequitur Thomas Antonius Martorrellius, Interprete, & Correctore Gruchio, viro Græcanici Idiomatis peritissimo, sic etiam lego. *Differentia est quæ de multis, specie autem differentibus in quæstione, quà quale quid sit indagatur, dicitur*. Alij aliàs vertunt in *& quidem*, & in *ijsque*. Alij tandem omninò omittunt illam, vt S.Damascenus. *Differentia est, quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale quid sit prædicatur*. Ex quibus Infero primo: Ergo in omnibus his versionibus non subsistit illa sententia, quandoquidem non potest confugere ad particulam *Et*, cum non sit nisi *autem*. Infero secundo: Ergo Porphyrius nullam adhibuit industriam statuendi eam particulam, etenim tantum mysterium in eà latens non ita facilè contemneretur à tot Interpretibus Græcæ Linguæ doctissimis. Infero tertio. Ergo ly *Et* non sonat *etiamsi*. Siquidem eius particula æquiualens nempe *Autem* non sonat *etiamsi*. Infero quarto. Ergo ly *Et* non ponitur pro *etiamsi*, quandoquidem inter tot versiones, & particulas, nulli Interpretum venit in mentem, transferre *etiamsi*.

§. 39. Secundo, falsò dicitur soli descriptioni

ni Differentiæ additam fuisse de industria illam particulam *Et* quod euidenter ostendo. Non in eodem textu iuxta versiones Boethij, Perionij, Gruchij, Democharis, &c. Porphyrius definit Genus his verbis: *Genus esse quod de multis Et differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, vt animal.* Similiter Speciem: *Amplius autem sic quoque: Species est, quæ de pluribus Et differentibus numero in eo quod quid est prædicatur.* Immo (quod & caput est) Aristoteles I. Topicorum cap. 4. ita Genus descripsit. *Genus autem est, quod de pluribus, Et differentibus specie in eo quod quid est prædicatur.* Sed Porphyrius, sicut nec Aristot. definiens Genus, & Speciem non voluit per illud duplex *Et* significare *etiamsi*. Ergo neque in definitione Differentiæ id voluit. Vnde ergo scis ly *Et* in definitione Differentiæ consultò positum, cum in cæteris eodem modo appareat scriptum? Redde disparitatem: & quæso, ex mente Porphyrij, vereor enim, ne etiam ad commata, vel puncta confugias Mallorethica.

§. 40. Dices cum Ioanne à S. Thoma illam particulam addi, vt innotescat, Differentias subalternas esse verè differentias, quod poterat dubitari, eo quod illæ habeant rationem potentialitatis, Differentia autem dicit rationem formæ actuantis.

§. 41. Contra primo, falleris manifestissimè: nullus enim sanæ mentis vnquam dubitauit, an differentiæ subalternæ sint verè differentiæ, sed potius è contra id de infimis dubitatum fuit satis. Academici negarunt eas esse in rebus: Albertus Magnus, Auicena, & omnes Arabes Philosophi negarunt esse propriè differentias: D. Thomas docuit, non fuisse cognitas, nec nunc cognosci; ast subalternæ apud omnes fuerunt notiores, celebriores, & indubitatæ differentiæ. Ergo gratis id tua confingit subtilitas. Contra secundo: quia eo ipso, quod Differentia dicatur prædicari de pluribus in *quale quid*, satis, superque innotescit, illam prædicari per modum formæ actuantis, qualificantis, seu alteri adiacentis: Ergo nemo dubitaret, sensitiuum v.g. habere rationem formæ actuantis, si semel apprehenderet, illud prædicari in *quale*. Contra Tertio. Possem etiam ego eodem iure dicere in definitione Animalis, nempe *viuens sensitiuum* debere addi: *Etiamsi si sit homo*. Quia de homine eo quod constat anima incorporea, & spiritali, poterat dubitari, an in vegetando, & sentiendo haberet vitam communem cum brutis? Atque ad declarandum, ab anima spiritali posse etiam eiusmodi effectus materiales prouenire, necessarium esse ly *Etiam si sit Homo*. Et tamen ista definitio *Animal est viuens sensibile etiam si sit homo*, esset Ludicra, & mala definitio: ergo & tua. Contra quarto: quia magis dubium est, An Mulus sit eiusdem Speciei infimæ, ac Equus vel Asinus; quam quod *sensibile* sit Differentia: Et tamen si in creatis definiretur *Pater*, hæc esset manifestè mala definitio: *Est animal producens aliud sibi simile in natura, Etiamsi producat Mulum.* Assumptum est euidens: sequela etiam liquet: Nam hæc esset falsa affirmatio definitionis de suo definito: Petrus in quantum Pater *est animal producens aliud simile in natura, etiamsi producat Mulum.* Nihil ab ista differt illa enuntiatio: *Rationale est quod prædicatur de multis in quale quid, etiamsi differant specie.* Quod falsum est.

§. 42. Contra tandem. Quia eiusmodi commentum videtur à Hieronymo Valera homine Scotista deriuatum, qui multis annis ante M. Ioan. à S. Thomà in suæ Logicæ lib. 1. Distinct. 5. de Different. Art. 2. quæst. 1. Conclus. 2. hæc scripsit. *Sic eam intelexisse Porphyrium constare videtur iuxta Argyropili expositionem, secundum quam sic traditur Differentiæ definitio: Est quæ prædicatur de pluribus, & differentibus specie. Vbi illa coniunctio (Et) in sola definitione Differentiæ collocata denotat, illam particulam De differentibus specie per parenthesim interclusam accipiendam esse, huncque reddat sensum: Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in eo, quod quale quid, immò & aliquando de differentibus specie.* Hæc ille, qui vt vides iampridem ly *&* putauit, à Porphyrio data opera adhibitum.

§. 43. Fallitur tamen Valera aiens, illam voculam *Et* in sola definitione Differentiæ fuisse collocatam, iuxta Argyropili versionem, cum non solum illi, sed etiam explicationi definitionis Genericæ, & Communis Accidentium eam apposuerit, vt constat ex codicibus Lugduni impressis anno 1549. apud Frellonium: vbi cap. 2. de Genere hæc habet. *Genus autem non de vna Specie, sed de pluribus, Et differentibus prædicatur: à Differentia quoque, Communibusque accidentibus hòc* (idest differt) *Etenim Differentiæ, Communiaque Accidentia quamquam de pluribus dicuntur, ac differentibus specie, non tamen hoc ipso quod est, &c.* Ecce in Genericæ Definitionis explicatione ly *Et differentibus specie* adhuc iuxta Argyropilum. Immò & in ipsa definitione Differentiæ margini studiosè adoptatū videbis Græcum archetypum καὶ διαφερόντων (id est) *Et differentibus*. Ergo Argyropilus fauet Valeræ. Et certè miror, viros doctos ly *Et differentibus specie* non animaduertisse saltem in Aristotele Genus definiente, quod satis erat, vt ab hac imaginatione desisterent, quapropter huiusmodi expositionem vt futilem, & sine vllo fundamento excogitatam Logicastris amplexandum relinquo.

§. 44. Octaua sententia rem bene expediret, si non planè diuinaret. Nam si ea definitio est disiunctiua, vbi est rogo, altera pars disiunctionis, nempe ly *vel numero*?

§. 45. Nona sententia Hurtadi supra manet ex Augustino, & rationibus confutata, dum sententiam Caietani expendimus. Superest Decima, de qua mox.

THEOREMA V.

Thomistica sententia præfertur, Porphyrius defenditur, & explicatur.

§. 46. **C**Onclusio. Porphyrius per secundam definitionem Differentiæ secundo intētionaliter acceptæ solas descripsit Differentias subal-

ſubalternas. Quia differentiæ vltimæ ſunt nobis ignotæ, eaſque differentias Peripatetici definiunt, quas habemus, & quibus vtimur in definitionibus: tales autem ſunt (vt in 2. Rector. dicitur). *Quæ in plus ſe habent, quam ſpecies*. Vnde non ideo definiendo differentiam dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, quia omnis differentia ſit talis, ſed quia omnis differentia nobis nota prædicatur de pluribus ſpecie differẽtibus: Hanc ipſis Caietani verbis profiteor cum Communi Thomiſtarum ſententia. Ita Boethius lib. 4. in Porphy. Iauellus, Maſius, Mercatus, Sanchezius, Arauxo, Gallego, Onã, Complutenſes, Martorrellius, Toletus, Fonſeca, Rubius, Conimbricenſes, Louanienſes, Burlæus, Villalpandus, Ægidius, Auerſa, Zacharias Paſqualigus. Accedit ſubtilis Scotus, quem tota ſua ſequitur ſchola. Tartaretus, Antonius Andreas, Valera, Poncius, Merinerus, &c.

§. 47. Probatur euidenter ex ipſomet Porphyrio ſuam mentem explicante Lib. de Interrogationibus, & reſponſionibus ad Categorias Ariſtot. cap. 38. vbi ſic interrogat: *Cum dixeris Differentiæ de pluribus ſpeciebus efferri, numquid rem, vt ſeſe habet explicaſti?* RESPONDET. *Non ita planè; ſed vt plerumque eſſe conſueuit, reperiuntur enim aliquæ, quæ ſpeciebus adæquantur, ſicuti eſt leuitas, & grauitas, quarum altera Ignis, altera Terra eſt*. Perpende Lector, Porphyrium negaſſe planè, Differentiam omnem prædicari de pluribus ſpeciebus. *Non ita planè*. Ratio ob quam negat, eſt: Quia reperiuntur aliquæ differentiæ, quæ ſunt infimæ, *& cum ſpeciebus adæquantur*. Ratio ob quam ſic eam definiuit: *Quia plerumque eſſe conſueuit*. Item Cap. 42. expreſsè affirmat, Non omnes Differentias dici de pluribus differentibus ſpecie, ſed eas tantum, quæ conſtituunt genera. Igitur res conſtans eſt, Porphyrium negaſſe ſuam Differentiæ deſcriptionem infimis conuenire: Id quod etiam in Iſagoge Cap. 12. de Communitatibus Proprii, & Differentiæ ſatis expreſſerat, ait enim iuxta Argyropilum: *Nam Differentia quidem perſæpe de ſpeciebus pluribus dicitur*. Et iuxta Perionium: *Differentiæ autem proprium eſt plerumque in multis formis contineri*. Collige ex ly *ſæpè*, & ly *plerumque*, illum non omnes, ſed vſitatiores dumtaxat deſcripſiſſe Differentias, minimè vero ignotas, & imperceptibiles, nempe infimas.

§. 48. Reddit noſtrã rationẽ Angelicus Doctor Libro 2. de Poſteriore Analyſi lect. 13. *Dicendũ eſt* (inquit) *quod ſi accipi poſſet Differentia, quę notificaret ipſam formam ſubſtantialem ſpeciei, nullo modo Differentia vltima eſſet in pluſquam ſpecies, vt rationes probant. Sed quia formæ eſſentiales non ſunt nobis per ſe notæ, oportet quòd manifeſtentur per aliqua accidentia, quæ ſunt ſigna illius formæ, vt patet in 8. Metaphyſ. non autem oportet accipere accidentia propria illius ſpeciei, quia talia oportet per definitionem ſpeciei demonſtrari; ſed oportet notificare formam ſpeciei per alia accidentia communiora, & ſecundum hoc differentiæ ſumptæ dicuntur quidem ſubſtantiales, in quantum inducuntur ad declarandam formam eſſentialem: Sunt autem communiores ſpecie, in quantum aſſumuntur ex aliquibus ſignis, quæ ſequuntur ſuperiora genera*. Hæc ille. Ex quibus *Primo* patet, Differentias eſſentiales, ſeu formas ſpecificas per ſe omnino eſſe ignotas. *Secundo*: Ideo Differentiam dici communiorem ſpecie, vel *in pluſquam ſpecies*, quia forma eſſentialis ignota eſt. *Tertio*, ſumi debere pro eſſentialibus differentijs accidentia quædam communia, quæ ſint ſigna formæ vtpotè effectus illius: proindeque neceſſario prædicanda erunt de multis differentibus ſpecie. Vnde liquet, quare Ariſtoteles differentias docuerit, latius patére ſpecie, quod idem eſt apud Porphyrium, ac Dici de multis ſpecie differentibus. Conſtat ergo de mente Porphyrij: nec hic locus, aut materia eſt vlla amplius diſputandi: Immo miror maximè, tot viros doctos, ac graues in tot abijſſe ſententias, quorum plures Porphyrium volentem, nolentem trahere conantur in hoc, quod etiam differentias infimas definierit; cum ipſe reclamet, id ſibi nunquam in mentem veniſſe. Nullum igitur hic myſterium, omniſque opera id inueſtigandi ſuperuacanea eſt, vt ante me benè notauit Maſius: *Ex quibus* (inquiens) *apertè conſtat ex mente Porphyrij, in hac definitione ſolas differentias inter medias fuiſſe definitas: atque ita ſuperuacaneum mihi videtur mentem eius velle inueſtigare, cum ipſe ſeipſum apertè, ſatis fuerit interpretatus*.

§. 49. Probatur ſecundo ratione. Quia Porphyrius debuit eas differentias definire, quibus opus erat Tyroni, quem inſtituebat ad Dialecticam Ariſtotelis, vt definitiones, & Demonſtrationes conſtrueret; Sed apud Ariſtotelis Dialecticam, immo & Metaphyſicam Differentia latius patet, quam ſpecies, vt infra oſtendam. Item Definitio optimè componitur ex genere, & multis differentijs ſubalternis, vt ipſe Ariſtoteles docet 7. Metaph. cap. 12. & 13. Immò cum non eſſet vtendum vlla differentia infima (quippe nulla etiam nunc cognoſcitur) totalis, & perpetuus vſus differentiarum erat ſubalternarum; vtpote nobis notarum: Ergo ſolas debuit has definire. Minor ſequenti diſſert. patebit.

§. 50. Confirmatur. Quia Porphyrius perpetuo ſequutus fuit Ariſtotelem, qui quoties de Differentia agit in ordine ad demonſtrationes, & argumenta probabilia, ſolùm meminit ſubalternas, vt patet ex 2. Poſterior. cap. 14. & 15. & 16. Et etiam ex I. Topicorum cap. 3. vbi & Proprium definiens, nonniſi Infimum definiuit, omiſſo ſubalterno, quod & Porphyrius fecit: Ergo nil mirum quod Porphyrius in negocio dialectico, & introductorio ad ipſam Ariſtotelis doctrinam ipſius Ariſtotelis mori ſe conformet.

§. 51. Obiicies primo. Porphyrius definiuit hoc Capite Tertium Prædicabile vt ſic; Sed non ſola Differentia ſubalterna, ſed etiam Infima conſtituit tertium prædicabile: ergo vel hac definitione amplexus fuit vtramque, vel diminutè ſe geſſit, Infimam omittendo.

§. 52. Hoc vulgari argumento poſt plures antiquiores vſi ſunt Fonſeca Metaph. lib. 5. cap. 8. q. 17. ſect. 1. & 2. Toletus hic, M. Sanchez q.

24. Conimbricenses hic quæst. 2. art. 1. Zacharias Pasqualigus Metaph. Disp. 59. sect. 4. num. 6. & alij. Maiorem tamen distinguo. Porphyrius definiuit tertium prædicabile vt tale: tertium prædicabile notum, & vsuale concedo maiorem; ignotum, & non vsuale, nego maiorem. Minorem sub eodem glossemate admitto, deinde nego consequentiam: non enim diminutus est, qui necessarias exibet, etiam si inutiles, & non vsuales differentias omittat. Et ratio est, quia hoc exigebat Tyronis practica institutio: idque similiter fecit ille in definiendo proprio tantum infimo, quod erat vsuale, nec ideo Porphyrium causaris, quod omiserit proprium subalternum. Quod si instes, differentias infimas quasdam nosci, vt rationale. &c. ad sequentem Dissertationem te prouoco.

§. 53. Obijcies secundo cum Sanchezio: Nam licet differentias infimas omnes in particulari cognoscere, & definire difficillimum sit, ast cognoscere rationem differentiæ atomæ in communi, & illam definire non est multum difficile, cum id possit fieri, vnius differentiæ atomæ natura cognita, ex qua ratio communis Logica ad omnes alias sumi potest: Ergo.

§. 54. Respondeo Porphyrium non ignorasse differentias atomas in communi, vt ex supradictis patet, & ex infra dicendis patebit, sed quia nullus cognoscit nec vnam in particulari, qua vtendum sit in definitione, tradere debuit vsum subalternarum, quarum aggregatione construeretur definitio speciei infimæ: vnde solas definiuit illas, quæ loco incognitarum subrogandæ erant. Insuper eo ipso quod definitio differentiæ atomæ in communi sit facillima (vt ais) ipsam reliquit lectori coniectandam ex doctrina à se supra tradita.

§. 55. Obijcies tandem cum Lynceo: Quia etiamsi differentias infimas, & simplices non cognouerit Porphyrius, omnesque existimauerit, esse compositas ex subalternis, non ideo non debuit definire infimas: Quia species etiam ex genere, & differentia coalescit, & tamen præter definitionem generis, & differentiæ aliam speciei propriam ille meritò tradidit: ergo similiter differentia infima quamtumlibet ex multis conflata subalternis, definiri tamen specialiter debuit.

§. 56. Respondeo: Porphyrium non negasse differentias simplices, & infimas: sed quia omninò erant ignotæ, docuit nos earum loco in definitione duas, vel plures coniungere subalternas, quæ vni infimæ æquiualerent. Et hinc elucet discrimen inter speciem, & differentiam infimam, quod illa ita componitur ex genere, & differentia, vt ex ijs resultet terminus incomplexus, vt homo, leo, constituatque distinctum prædicabile: At vero multę differentiæ subalternæ ita subrogantur pro infima, vt solum efficiant terminum complexum, vt *rationale mortale*: quæ nec illam componunt, nec sunt aliud prædicabile à differentia, sed ipsum bis repetitum.

DISSERTATIO XXIV.

An dentur differentiæ vltimæ, quæ cum speciebus reciprocentur?

THEOREMA I.

Aliorum sententias expendo.

§. 1. Platonici, quos Dissert. præcedenti §. 4. citauimus, & Auerroes 7. Metaph. textu 43. negarunt dari in rebus differentias simplices, quæ cum speciebus infimis conuertantur, existimantes, eas non componi nisi ex subalternis, seu differentijs, quæ latius pateant, quam species. Affirmant vero, aut supponunt recentiores, qui non solum dicunt dari in rebus eiusmodi infimas differentias conuertibiles cū speciebus; sed etiam debere poni in definitionibus vnicam, eamque vltimam speciei differentiam; proindeque non probant definitionem in qua plures congeruntur subalternæ: hoc secundum supponunt recentiores omnes, illud primum docent Masius sect. 1. de different. quæst. 6. Suarez disp. 15. Metaph. num. 23. Complutenses disp. 7. de differ. q. 3. & alij, qui.

§. 2. Probant primo hanc sententiam Ex Aristotele 7. Metaph. vbi docet, diuisionem debere *peruenire vsque ad non differentia*, idest ad vltimas differentias: ergo tunc species erunt æquales speciebus: ergo non latius patentes. Sic Suarez, & Complutens. ex Masio.

§. 3. Secundo. Quia differentia sumitur à forma; sed in quolibet composito est vna, & propria forma, à qua illud habet gradum essentialem sibi proprium, & non communem alijs, per quem in suo esse constituitur: ergo illi debet correspondere vna, & infima, & simplex differentia. Acceperunt ex Masio hoc argumentum Suarez, & Complutenses.

§. 4. Tertio. Quia ex Arist. 7. Metaph. possibile est, quod definitio ex duobus constituatur, quorum vnum sit genus, & aliud differentia: ergo tunc differentia esset vltima, & cum specie conuertibilis, sic Complut.

§. 5. Confirm. 1. Dantur differentiæ subalternæ quæ sint simplices: ergo, & infimæ, patet consequentia, quia si à gradu potentiali, & imperfecto sumitur vera, & simplex differentia, potiore id iure conueniet gradui actuali, & perfecto. Confirm. 2. proprietates, & passiones, quæ consequuntur gradus infimos sunt simplices: ergo, & differentiæ à quibus proficiscuntur. Sic Masius, & Complut.

§. 6. Verum enim vero fundamenta hæc debilia sunt, atque ruinosa primum ex Aristotele petitum potius est contra ipsos, vt infra ostendam, dum Aristotelis authoritates explicuero. Secundi argumenti etiam maior concessa nihil facit ad rem: Nam genus etiam sumitur à forma, & tamen non est quid proprium speciei: Animal enim v. g. dicit animatum, seu viuens, & sensibile, quæ omnia saltem in homine ab vna anima, quæ forma est, sumuntur: Immo apud Thomistas ab eodem animo rationali

nali proueniunt non modo gradus viuentis, & sensibilis, sed etiam gradus corporeitatis, vt docet Sanctus Doctor 1.p.q.76.art.3.& 3. p. q. 75. art.6. ad 3.&c. Ergo ex vna, & indiuisibili forma, nempe anima rationali desumi possunt omnes hæ differentiæ corporeum, vitale, sensibile, scilicet subalternæ, quarum corporeum conuenit lapidi, vitale plantæ, sensibile equo. Adde his intellectiuum prout abstrahit ab intelligere cum discursu, & sine discursu, idest secundum quod præcisè dicit posse cognoscere per intellectum, seu cognitione spirituali, quod quidem sine alio gradu subalterno conuenit æquè tam homini, quam Angelo, vltimo adde rationale quod dicit formalitatem contractiuam intellectiui ad discursum (in sententia D. Thomæ) & non modò poteris hominem apte definire per omnes illas differentias; sed (quod nunc est ad rem) videbis plures differentias multis speciebus conuenientes, seu subalternas ab vna, eademque forma desumi; & ex pluralitate differentiarum malè inferri multitudinem formarum: Vnde corruit argumentum quod pluribus annis ante Suarezium sibimet obiecerat Mag. Flandrensis 7. Metaph.q.24.art. 3. & soluerat sic: *Ad primum dicendum, quod licet differentia sumatur à forma, non tamen plures differentiæ vnius & eiusdem speciei significant diuersas formas, sed diuersos gradus perfectionis.* Hæc pro maiori illius syllogismi. Minor autem apud Scotistas falsa est, qui plures formas in eodem composito substantiales admittunt.

§.7. Tertium etiam languet. Tum quia hæc definitio: *Homo est animal intellectiuum*, ex duobus constat terminis, & tamen differentia non est infima, aut conuertibilis cum Homine. Tum etiam quia exemplum, quod exibet Aristoteles eiusmodi definitionis est *animal bipes*, quod minimè rem probat. Ad primam confirmat, respondebunt, consequentiam fore veram, si aliunde probaretur, dari differentias infimas, quod isti Authores negant. Ad secundam negabunt antecedens: quia æquè certum, vel incertum est, dari differentias infimas, ac dari passiones simplices, quare qui negant causam; etiam negabunt effectus: ergo aliunde, & non ex passionibus existentia simplicis differentiæ probanda erat.

THEOREMA II.

Propria sententia.

PROTASIS I.

§.8. MEdiam Viam ineo, & assero primo, dari in rebus differentias infimas, quæ secundum se reciprocentur cum speciebus, quas constituunt. At vero ita esse ignotas, & imperceptibiles vt Dialecticæ non suppeditent vsum, quod perinde est, ac si non essent in rebus absolutè. Primam partem huius asserti amplector contra Platonicos, quam solum probant argumenta supra facta, si quid probant: Secundam teneo contra Recentiores, quorum fundamenta dirui; non enim suadent, dari differentias simplices formaliter, seu respectu nostræ cognitionis, sed tantum realiter obiectiuè, seu materialiter, quod ad Dialecticam nihil refert. Dices cum Complutensibus, S. Thomam vtrumque docuisse argumentis supra factis. Sed contra; potius S. Doctor Complutensium argumenta refellit, & nostram sententiam probat.

§. 9. Accipe Diuinum Aquinatem lib. 2. posterior. lect. 13. *Sed videtur* (inquit) *quod non requiratur ad definitionem, quod qualibet particula sit in plus; quam definitum. Dicit enim Philosophus in 7. Metaph. quod quando peruenitur ad vltimas differentias erunt æquales differentiæ speciebus: non ergo oportet quod differentia sit in plus, quam species.* Ecce primum argumentum Complut. & vltimum Suar. Pergit ille. *Quod etiam rationabile videtur: dicit enim Philosophus in 8. Metaph. quod ratio quæ est ex differentiis videtur esse speciei, & actus idest formæ: quia sicut ibidem dicitur, differentia respondet formæ: cuiuslibet autem speciei est propria forma, quæ nulli alij conuenit: Videtur igitur, quod differentia vltima non excedat speciem.* Ecce alterum fundamentum à ratione petitum Suarezij, & Complutensium, quod supra secundo loco recensuimus. Audi nunc tertium: *Dicit enim Philosophus in 7. Metaph. quod nihil est aliud in definitione, quam genus, & differentiæ, & quod possibile est, definitionem ex duobus constitui, quorum vnum sit genus, aliud differentia. Differentia autem non inuenitur extrà proprium genus, alioquin non esset diuisiua generis per se, sed per accidens: videtur ergo quod differentia non excedat speciem.*

§.10. Ad hæc, quæ sibimet obiecerat S. Thomas, respondet, illa non probare, dandam esse differentiam infimam, quæ sit conuertibilis cum specie, nisi ex suppositione quod nobis notæ essent formæ essentiales, sed quia hæ sunt nobis omnino ignotæ, nullam etiam accipi posse eiusmodi differentiam conuertibilem cum specie, sed communiores, & latius patentes tantum deseruire definitionibus. *Sed dicendum est* (inquit) *quod si accipi posset differentia quæ notificaret ipsam formam substantialem speciei, nullo modo differintia vltima esset in plus, quam species, vt rationes probant: Sed quia formæ essentiales non sunt nobis perse notæ, oportet quod manifestentur per aliqua accidentia quæ sunt signa illius formæ.... Et secundum hoc differentiæ sumptæ dicuntur quidem substantiales, in quantum inducuntur ad declarandum formam essentialem, sunt autem communiores specie, in quantum assumuntur ex aliquibus signis, quæ sequuntur superiora genera.* Hæc ille, quæ mihi tam certa sunt, quam certum est, neminem hucusque dignouisse per quam differentiam atomæ distingui Pyrum à Malo, Vulpem à Cane, lapidem à ferro, id quod ex Porphyrio liquidè apparet libro Antecategor. citato cap. 38. qui cum fateretur, dari in rebus differentias atomas, voluissetque earum exemplum proferre, nullam inuenit, proprietatesque, & non differentias exhibuit. *Reperiuntur enim* (inquit) *aliquæ, quæ speciebus adæquantur, sicuti est leuitas, & grauitas, quarum altera ignis, altera terræ est.* Ast leuitas conuenit etiam Aeri; & grauitas Aquæ: non ergo potuit nec vnam differentiam noscere cum specie conuertibilem. Non solum

pro

pro me habeo D. Thomam, sed & Scotum clarè loquentem in Prædicamentis q.2. de quantitate. *Illa tamen* (inquit de differentia constitutiua Orationis) *non est nota; immò vix alicuius speciei specialissimæ est nobis nota, quia si esset, non posset esse verum quod dicitur 2. Posteriorum. quod quælibet pars definitionis debet esse in plus; omnes autem æquè; hoc autem non contingeret, si vltima differentia esset nota, &c. Igitur differentię vltimæ ferè omnium definiendorum ignotæ sunt.* Hæc ille.

§. 11. Dices cum Masio, nullas nos cognoscere differentias infimas, præter vnam, & alteram. Sed contra: nec vnam cognoscimus. Rogo enim qualis nam illa sit? an rationale? minimè: sed esto sit, de quo infra: quænam est altera? anne *hinnibile*? rugibile? sed istæ passiones quidem sunt, & proprietates, non differentiæ proprijssimæ, & simplices.

§. 12. Sed & *Rationale* esse conceptum simplicem, & irresolubilem constanter nego: & efficaciter probo. Nam rationale quod in definitione *personæ* à Boetio tradita, & vniuerso Theologorum calculo probata ponitur, non solum conuenit homini, sed etiam Deo, & Angelis: Est enim persona *Rationalis naturæ indiuidua substantia*. Vbi ly *Rationalis* non sumitur pro intelligente discursiuo, sed solum pro habente perfectionem intellectiui prout intellectiuum abstrahit à discursiuo, & non discursiuo, vt docet S. Thomas 1.p. q.29. art. 3. ad 4. *Dicendum, quod Deus potest dici rationalis naturæ secundum quod ratio non importat discursum, sed communiter intelligibilem naturam.* Vnde hac notione non solum homo est rationalis; sed etiam Deus, & Angelus. Ergo tametsi rationale in ea amplitudine analogum sit Deo, & creaturis, tamen rationale creatum commune Angelis, & hominibus vlterius determinatur per alium gradum perfectionis essentialis ad hominem: Ergo rationale hominis duos iam dicit inadæquatos conceptus, gradum scilicet intellectiui in communi, & gradum contractiuum, seu modum, vel determinationem intellectiuitatis per discursum: patet consequentia: Nam rationale humanum non solum dicit intellectiuum Angelis commune; nec discursiuum ab intellectiuo præcisum, quod est commune Brutis per æstimatiuam discurrentibus (vt docet S. Thomas infra citandus) ergo vtrumque dicit, seu ex vtroque coalescit, quæ licet realiter cum ipso, & inter se identificentur, tamen non obstat eiusmodi realis indiuisibilitas, quominus intellectus duas ibi formalitates discriminet. Probo sic. Nullum aliud fundamentum habet intellectus ad distinguendas duas formalitates animalis, & rationalis in homine, nisi quod videat, animal esse rationem conueniendi non operationibus similibus cum alijs; non vero rationale: sed hoc ipsum experitur in rationali, in quo gradus intelligendi vt sic est ratio conueniendi cum Angelo, ratio verò intelligendi discursiuè est ratio differendi ab ipso: Ergo sicut in vno homine reperit intellectus duas illas formalitates, seu gradus essentiales animalis, & rationalis, ita in vno rationali reperit duos etiam, nempe intellectiui, & discursiui.

§ 13. Quod autem discursiuum etiam abstrahat ab intellectiuo, & sensitiuo, cum per æstimatiuam Bruta aliquid participant rationis, idest cognitionis sensitiuæ docet S. Thomas de veritate quæst. 25. art. 2. *Sed vis æstimatiua* (inquit) *per quā animal apprehendit intentiones non acceptas per sensum vt amicitiam vel inimicitiā inest animæ sensitiuæ secundū quod participat aliquid rationionis, vnde ratione huius ęstimationis dicuntur animalia quamdam prudentiam habere, vt patet in principio Metaphysicorum.* Quod etiam tradit in 3. dist. 26. q. 12. & alibi sæpe concedit brutis *aliquid rationis*, nempe sensitiuæ. Vide etiam de discursu brutorum Naturales, & de Elephante, quē Emanuel Lusitaniæ Rex Leoni X. Pontifici Maximo misit, Lege Pierium Valerianum Hyeroglyphyc. lib. 2. cap. 18. Vbi adeo mira, atque vera de hac Bellua inuenies, vt iam Plinium, Plutarchum, Ælianum, &c. de brutorum intelligentia incredibilia scribentes ab omni mendacij suspicione absoluas: Igitur discursiuum, vt sic prout præcisum ab intellectiuo, potest esse alia differentia subalterna, quæ iuncta cum intellectiuo, vt sic abstrahente etiam ab humano, & Angelico possit constituere Rationale humanum.

§. 14. Insuper apud Scotistas rationale (si hoc termino precisè significas *intellectiuum discursiuum*) competit etiam Angelis, quas illi discurrere affirmant: adeo, vt necessum sit, aliam differentiam statuere ad hoc vt ad hominem contrahatur, scilicet, *dependens à phantasmatibus*. Vnde triplex apud eos relucebit formalitas in *Rationale* humano, nempe *intellectiuitas discursus*, & *dependentia à phantasmate*, quod apertè fassus est Scotus in primo distinct. 3. q. 3. num. 15. *Nulla talis differentia est infima* (inquit, & loquitur de Rationalitate,) *quia in tali continentur plures realitates aliquodo distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi in q. 1. de Trinitate 2. dist. esse inter essentiam, & proprietatem personalem, vel maiori, sicut alias explanabitur: & tunc talis natura potest cognoci secundum aliquid, hoc est secundum aliquam realitatem, & perfectionem; & secundum aliquam ignorari, & ideò talis naturę conceptus est simpliciter simplex.* Hactenus ille. Igitur Rationale humanum non est differentia infima, simplex, & irresolubilis, sed conflatum quid ex tot conceptibus, & formalitatibus subalternis. Et hic obiter notauero contradictionem Scoti, qui in Logica quæst. 7. de Differentia docuit, Angelos non intelligere cum discursu, ideoque non esse rationales, nisi æquiuoce: *Pręterea* (inquit) *ipsæ* (idest intelligentiæ) *intelligunt complexa sine discursu: nos vero cum discursu, vt dicitur tertio de Anima*, &c. Et postea id negauit sibi contrarius in 2. distinct. 7. q. 1. num. 8. quod ille sæpe facit.

PROTASIS ALTERA.

§. 15. Assero secundo: In definienda specie infima defectu differentiæ conuertibilis cum ipsa quæ cognoscibilis non est, eius loco possunt optimè duæ, vel plures differentiæ subalternæ coniungi, quæ constituentes speciem infimam æquiualeant differentiæ specialissimæ incognitæ. Est expressa doctrina Aristotelis, qui

libro

libro secundo Posteriorum cap.14. & iuxta diuisionem D.Thomæ lect.13.nihil aliud docet, nisi hunc modum definiendi, & inibi S. Doctor clarissimè. Exemplum affert Philosophus in definitione *Trinitatis*, in qua dicit, accipienda esse ista quatuor. *Numerus, impar, primus, vtroque modo.* Quorum vnumquodque latius patet Ternario, nam etiam binarius est numerus, & septenarius est impar, & etiam primus; sed non vtroquè modo. Nam dupliciter dicitur numerus esse primus (vt explicat Angelicus Magister) *Vno modo quia non mensuratur aliquo alio numero, sicut per oppositum patet, quod quaternarius non est numerus primus, quia mensuratur dualitate, Ternarius autem est numerus primus, quia non mensuratur aliquo numero; sed sola vnitate. Alio modo dicitur aliquis numerus primus quia non componitur ex pluribus numeris, sicut patet per oppositum de septenario, qui primo modo est primus, non enim mensuratur nisi vnitate; non autem est primus secundo modo, componitur enim ex ternario, & quaternario: sed Ternarius non componitur ex pluribus numeris, sed ex sola vnitate, & dualitate.* Ecce definitur Ternarius per genus quod est *numerus*, & per tres differentias subalternas, quarum prima est *impar*, secunda *primus*, tertia *vtroque modo*, quarum quodlibet latius patet specie infima Trinitatis, omnes vero simul æquiualent infimæ differentiæ illius. *Sic ergo patet* (subdit S.Thomas) *quod quodlibet prædictorum quatuor conuenit vniuersaliter Trinitati, quodlibet autem eorum conuenit etiam alijs in genere numeri. Nam hoc quod dicitur Numerus, & Impar, conuenit omnibus numeris imparibus, vltimum autem quod sit primus vtroque modo conuenit etiam dualitati, quæ nec mensuratur alio numero, nec componitur ex numeris: Vnde omnia ista simul iuncta significant quod quid est Ternarius.* Et ne tibi videatur vsque ad tertiam dumtaxat differentiam esse procedendum, subiungit Aristotel. *Talia eousque sumenda sunt quousque tot fuerint sumpta primo, & vnumquodque quidem illorum pluribus competat, cuncta autem simul non ad plura se extendunt.* Hæc ille.

§. 16. Dices cum Complutensibus Aristotelem loqui de differentijs accidentalibus, non de subalternis substantialibus.

§. 17. Contra 1. Nam imparitas, & primitas, idest numerum non esse compositum ex alijs numeris sunt differentiæ substantiales numerorũ: ergo Philosophus loquitur de differentijs substantialibus, quis enim mortalium probet, Ternarium accidentaliter esse imparem? & accidentaliter componi ex binario, & vnitate? Contra secundo. Quia impossibile est quod hæc oratio: *Homo est substantia, viuens sensibilis, & intellectiua*, non explicet hominem, vel quod non sit definitio Hominis; atqui nec viuens, nec sensibile, nec intellectiuum est differentia accidentalis: ergo doctrina Aristot. perperam coarctatur ad differentias dumtaxat accidentales.

§. 18. Probo item ratione. Non minus constituit differentia indiuidualis indiuiduum in ratione talis, ipsumque ab alio distinguit, quã differentia infima constituit, & distinguit speciem infimam; sed etiam si detur aliqua differentia indiuidualis, & simplex, nobis omnino ignota, & imperceptibilis, simpliciter constituens, & distinguens indiuiduum: nihilominus ipsum à nobis in definiendo, & cognoscendo constituitur, & distinguitur per concursum plurium proprietatum, & accidentium, vt patet ex definitione Porphyrij: *cuius collectio proprietatum numquam in alio fiet*: Ergo similiter poterit quæpiam infima species in conceptu vltimo constitui per collectionem multarum differentiarum, & per eamdem à qualibet alia specie distingui non minus quam per simplicem differentiam.

THEOREMA III.

Obiectiones depulsæ.

§. 19. Obijcies primò Aristot. 7. Metaph. text.43. docentem, quod debet fieri diuisio differentiarum in definiendo donec veniatur ad non differentia, vt si animal prius diuidatur in pedatum, & non pedatum, iterum pedatum in habentem pedes fissos, & solidos, & sic deinceps, & *tunc erunt tot species pedis, quot differentiæ, & pedes habentia animalia æqualia differentijs.* Producitur etiam à Masio ipsomet Philosophus eodem loco, & sequenti linea, vbi clarè ait, *Palam esse, quod vltima differentia substantia rei erit & definitio*: Ergo ponẽda est vltima differentia.

§. 20. Respondeo Aristotelem nobis nullatenus aduersari, immo in secundo loco pessimè ab aduersarijs intelligi. Nihil enim aliud vult ille, nisi quod iuxta ea quæ lib.2. Posterior. docuerat, tot ponantur differentiæ diuisiuæ, vt earum vltima posita, reddatur species æqualis illi: quod patet ex suomet exemplo *Animal habens pedes fissos*. Vbi vides duas differentias subalternas, nempe esse *pedatum*, & pedatum *fissè*. In secundo loco docet Aristoteles, multitudinem differentiarum non tollere vnitatem definitionis, nam vnitas illius sumitur ab vltima in ordine, quæ ab Aristotele dicitur *finalis differentia*. Idest per quam finitur definitio. Hinc tamen minimè infertur, vltimam differentiam fore infimam, vel conuertibilem cum specie secundum se, sed ratione coadunationis cum anterioribus. Vt patet in exemplo definitionis Ternarij, *est numerus impar primus.* Vbi ly primus est vltima differentia, quia finalis, non quia non sit subalterna, quod satis clarè docuit Sanctus Thomas citatus. *Quod si accipi posset differentia, quæ notificaret ipsam formam substantialem, nullo modo differentia vltima esset in plus quam species*: Ergo differentia vltima hic est in plus, quam species, idest latius patens. Delusus est vocis amphibolia Masius sumens *finalem* pro vltima, & *vltimam* pro infima. Dicitur autem illam esse substantiam, & definitionem, quia ab ipsa completur, & perficitur definitio, alioqui superflueret genus, si sola differentia esse tota definitio.

§. 21. Obijcies secundo. Si nulla est nota differentia infima: ergo nulla erit vera, & essentialis definitio. Concedit consequentiam cum multis M. Iauellus Tract.4. de Prædicab. cap.4. *Conceditur consequentia* (inquit) verum quia per multas differentias circumloquimur vnam specificã conuertibilem cum definito, vel accipimus

mus loco differentiæ proprium rei emanans à substantia, aut forma, aut materia rei, ideo dignamur dicere, tales definitiones esse veras, & essentiales. V. g. Quia secundum Porphyrium Rationale est commune Deo, & Homini; & mortale est commune omni animali, licet vtrũque sit magis commune, quam homo; tamen simul sumpta conuertuntur, & ideo per vtrumque simul sumptum circumloquimur differentiam propriam hominis, definientes enim dicimus *quod Homo est animal rationale mortale*, Hactenus ille, cui subscribo: Ast quo pacto definitiones dicantur essentiales, tametsi per accidentia cõmunia fiant, docuit supra S. Thomas §. 10.

§. 22. Obijcies tertio cum Suario. Non potest species vltima constitui sola coniunctione duarum differentiarum communium: quia quælibet earum differentiarum constituit speciem subalternam, & genericam: Species autem vltima non est aggregatum duarum specierum subalternarum; alioqui non esset vnum compositum Metaphysicum, vt v. g. Si Rationale, & Mortale sumerentur vt differentiæ subalternæ, nunquam ex aggregatione illarum constitueretur homo.

Confirmant Complutenses. Nam vel differentiæ illæ subalternę sunt diuersorum generum constitutiuæ, & sic sunt incomposibiles, vel sunt constitutiuæ duorum generum, quorum vnum sub altero continetur; & sic etiam si omnes iungantur in definitione alicuius speciei infimæ, adhuc conuenient alijs speciebus; ergo erit mala definitio.

§. 23. Respondeo argumentum petere principium, seu assumere quod probandum est. Sed vero in hac definitione *viuens sensibile intellectiuũ*, certum est tam sensibile commune brutis, quam intellectiuum commune Angelis constituere hominem, quod non est conflare hominem, vt monstrum ex bruto, & Angelo, sed dicere hominem esse similem in operationibus, & brutis & Angelis, quod luce meridiana clarius est. Nec obstat quod intellectiuum subalternum latius pateat rationali humano, quod est tale intellectiuum, nempe discursiuum: quia hæc determinatio prouenit ab altera differentia *sensibilis*, seu à genere *Animal*, si loco suæ definitionis ponatur. Genus enim, & Differentia se habent instar materiæ, & formæ, quarum quælibet alteram limitat, & determinat, vt dicitur in Physicis. Nec video cur non possit ex animali, & rationali mortali constitui homo, etiam si ille sint differentiæ subalternæ, id enim non putauit esse inconueniens Porphyrius *Philosophorũ doctissimus*, quamuis errauerit admittẽs Deos, idest animalia inmortalia cum Aristot. 4. Topicorum cap. 2. & aliàs sæpè. Quod autem species infima non possit esse aggregatum subalternarum etiam est falsum, nam corpus est species subalterna, & animal est species subalterna, & tamen homo est aggregatum ex corpore, & animali; sed peccat arguens identificationem appellando aggregationem: non enim datur aggregatio inter gradus qui se habent, vt potentia, & actus.

§. 24. Ad confirmationem Complutensium nego antecedens pro vtraque parte: Nam differentiæ diuersorum generum tunc tantum sunt incomposibiles, quando generum neque vnum sub altero, neque vtrumque sub tertio genere continetur. Vt sunt *Animal*, & *Scientia*, quæ ad prædicamenta diuersa pertinent, nec sub vllo tertio genere coeunt: Dum vero duo genera sub tertio alio conueniunt, differentiæ vtriusque sunt vtrique communes, vt *successiuum*, & *permanens*, quæ differentiæ sunt communes quantitatis continuæ, & discretæ, idest diuersorum generum sub quantitate tamen contentorum. Rursus *Spirituale*, & *Corporale* sunt differentiæ composibiles cum potentia apprehensiua, & appetitiua, quæ sunt genera diuersa sub potentia rationali contenta. Tandem *Practicum*, & *Speculatiuum* conueniunt scientiæ, & opinioni, generibus scilicet sub *Habitu intellectuali* comprehensis, & alia sexcenta. *Intellectuale* igitur Angelicum, & *sensibile* Animalis licet sint diuersorum generum differentiæ, continentur tamen sub genere tertio *Substantiæ completæ viuentis*, & hominem definiunt per *Animal intellectuale*. Et similiter differentiæ sub eodem genere ordinatæ, si omnes coniungantur, vltima non conueniet alijs à definito ratione complexionis cum antecedentibus, quamuis secundum se alijs conueniat. Patet hoc in exemplo Porphyrij: Nam mortale, & rationale sunt differentiæ vnius generis, nempe Animalis, vt docet Aristot. 4. Topicorum citatus: *Immortale genus Dei* (inquit) *nam differentia est Animalis immortale, eo quod animalium alia mortalia, alia immortalia*. Et tamen in hac definitione Hominis. *Est Animal rationale, mortale*. Ly *mortale*, quæ est vltima differentia non conuenit Brutis, quia iuncta est cum rationali.

§. 25. Obijcies quarto. Hinc sequitur, hanc definitionem: *Homo est animal rationale* non esse bonam: quia si rationale non est infima differentia, nulla enim talis cognoscitur, erit subalterna, proindeque alijs conueniet, quod est contra omnes Philosophos, atque Theologos. Si est infima: ergo noscitur aliqua, ac proinde non est suplenda per complexionem plurium subalternarum.

§. 26. Respondeo: quæro à te quid per Rationale intelligas? si gradum intellectiui cõmunem Angelis, vt sumitur à Boethio in definitione personæ, adhuc definitio hominis est bona, quia non damno definitionem, quæ vnica constat differentia, sed admito eas etiam, quæ ex pluribus subalternis coalescunt. Et tunc illa definitio æquiualebit huic: *Homo est viuens sensibile intellectiuum*. Deinde nego, conuenire eam alijs à definito. Sicut nec *animal intellectiuum* alijs conuenit, tametsi constet ex vna differentia subalterna. Si per Rationale intelligis non solum gradum *intellectiui*, sed etiam formalitátem contractiuam *discursiui*, & in sententia Scotica formalitatem *dependentis à phantasmate*. Iam Rationale non erit differentia simplex, sed coflata ex tribus formalitatibus, quarum quælibet est subalterna differentia. Nulla igitur nota nobis est simplex, & infima. Nam Rationale hoc modo vsurpatum saltem mentaliter erit terminus com-

ple-

plexus. Adde quod nec Aristoteles, nec Porphyrius, sed nec vllus Philosophorum antiquorum existimauit *Animal rationale* esse bonam definitionem hominis, nam alij vt Ethnici addebant *Mortale*, ad distinctionem Deorum: Deinde Patres Catholici eamdem differentiam *Mortalis* vsurparunt ad distinctionem Angelorum, vt liquet ex Patribus, quos attuli Dissert.præcedenti Theorem.2. Nam primis Ecclesiæ sæculis, vt certum supponebatur, Angelos esse Animalia, seu corporeos, vt monstraui in Synopsi ad cap.2. de specie.

§. 27. Dices, *Mortale* est differentia accidentalis, & non conueni & homini post resurrectionem redintegrato: ergo non est addendũ rationali. Non nego consequentiam, quia etiam ablato *Mortali* non remanet simplex differentia Rationalis. Ad cætera respondeat D.Thomas in 4.dist.44.quæst.2.art.1.ad 1. *Quod secundum Philosophum in 8. Metaphys. quia differentiæ essentiales sunt nobis incognitæ, vtimur quandoque differentiis accidentalibus ad significandum essentiales differentias, quæ sunt accidentalium causæ: Vnde mortale non ponitur in definitione hominis, quasi ipsa mortalitas ad essentiam hominis pertineat; sed quia illud, quod est causa mortalitatis secundum præsentem statum, scilicet compositio ex contrariis est de essentia hominis: sed tunc non erit causa eius propter victoriam animæ supra corpus.* Idest in resurrectione. Alia argumenta vide apud alios soluta, & illud, quo deducitur, intellectiuum si conuenires vni tantum speciei animalis, cum esset differentia subalterna Angelorum, fore speciem infimam, & non infimam, itemque subalternam, & non subalternam: non male soluitur à Poncio Disput.7. num.48. vide si lubet.

DISSERTATIO XXV.

An infima Differentia includat formaliter subalternas, vel Genus.

§. 1. Sermo est de inclusione formali, nam entitatiuè, & realiter includi in rationali, v.g. animal, cæterosque gradus Superiores, dubitat nemo.

Affirmat M.Soncinas 7.Metaphy.quæst.36. Vbi etsi dicat, negatiuam sententiam sibi placere, & non nisi exercitij gratia affirmantem defendere (quod ille præstat leuiculis argumentis ductus) Video tamen illum facile diruere fundamenta sententiæ negantis, quorum Patroni eam non instaurant, nec Soncinatis solutiones impugnant. Pro illo stant Themistius Iandunus, & alij apud Sanchez de differ.quæst.38.

§. 2. Negat communiter vtraque Peripateticorum Schola Thomistarum nempe, & Scoticorum, quorum hæc sunt præcipua argumenta. Primum, si genus, vel differentia superior formaliter includeretur in vltima, idem bis repeteretur in definitione, nam animal pro se poneretur vt genus, & deinde posito *rationali*, quod formaliter etiam esset animal, iterum efferretur animal, quare hæc definitio: *Homo est animal rationale*, hunc redderet sensum, & quidem nugacem: *Homo est animal sensibile rationale*. Quod est contra Aristotelem hinc negantem, genus esse de conceptu differentiarum 3.Metaph. text.10. Ita Scotus. M.Sanchez. M.Masius. M.Oña. Murcia, Complutenses, Merinerus, M.Parra. Thomas Comptonus, Caramuel infra citandus, & alij hoc loco.

§. 3. Respondet Soncinas negando committi nugationem si idem bis dicatur: sed prius in communi, & postea in speciali, vt si dicatur animal homo. Nam dicendo animal (inquit) dico sensibile, sed in communi: dicendo autem rationale, dico sensibile; sed magis specialiter, & determinatè. Id quod clarius explicat M. Flandrensis 7. Metaph. q.24. art.5. [Dicendum (inquit) quod quando magis commune includitur in minus communi dummodo magis cõmune præcedat, & minus commune sequatur, tunc ibi nulla est nugatio. Manifestum est enim quod animal includitur actu in homine; & tamen dicendo Animal homo currit, ibi non est nugatio. Similiter dato, quod rationale includat sensibile, dicendo sensibile rationale currit, ibi non erit nugatio: quia magis commune licet includatur in minus communi actu, non tamen è conuerso] Hactenus Flandrensis.

§. 4. Secundum Argumentum. Si Differentia includeret formaliter genus, non differret ab specie, seu esset species: species enim nihil dicit aliud, quam genus, & Differentiam. *Et hæc ratio* (inquit Caramuel) *est fortissima, & quo magis expendatur, melior*. Metalog. lib. de Prædicabil. Disput. 4. art.4. Ita argumentantur Mag. Oñã. Lic.Murcia, Hurtadus. Rodriguezius Scotista, Thomas Comptonus, Caramuel, & alii Neoterici.

§. 5. Negat sequelam Soncinas. Nam vt Differentia sit species, non sat est, quod de illa aliquid prædicetur in *Quid*, vt Genus, vel vt Differentia superior, cum de specie aliquid etiam prædicari debeat in *quale*. Ast de Differentia nihil prædicatur in *quale*: quia ipsa nihil habet sibi additum, per quod distinguatur à Differentia sibi opposita; sed distinguitur seipsa. Hæc ille, quibus corruit fortissima Caramuelis ratio.

§. 6. Tertium. Si rationale v.g. & irrationale includerent formaliter genus, vel aliquam differentiam superiorem, conuenirent in illa, ergo differrent per alias differentias, de quibus etiam quærendum esset, an conuenirent in alia ratione superiore, & per alias differentias differrent, & sic in infinitum. Ergo ne processus in infinitum admittatur, deueniendum est ad differentias, quæ in nullo conueniant, nullamque rationem superiorem includant. Sic M.Masius, Rubius, Murcia, Complutenses. Merinerus, Ioannes à S.Thoma, Caramuel, Parra, &c.

§. 7. Negat Consequentiam Sonzinas, aitque [quod non oportet ea, quæ conueniunt in aliquo, & inter se distinguuntur, distingui per differentias: si talia sint ipsæmet differentiæ: Et si illud in quo conueniunt, non diuidatur per differentias.]

§. 8. Quartum. Quæ sunt primo diuersa in nullo conueniunt; Differentiæ sunt primo diuer-

diuersa ex Arist. Io. Metaph. text. 12. Ergo in nullo conueniunt. Ita Complutenses, Merinerus, & alij.

§. 9. Distinguit ille maiorem. Si intelligatur, quod primo diuersa in nullo simpliciter conueniant, Sic est falsa: Decem enim genera sunt primo diuersa, vt dicitur Io. Metaph. text. 13. & tamen conueniunt in Ente; si autem intelligitur, quòd non conueniant in aliquo, quod diuidatur per differentias, sic conceditur, sed dicitur quod differentia superior, quam includunt formaliter differentiæ inferiores, non diuiditur; quia distingui per differentias conuenit tamen generibus. Ita ille, & quidem non insipidè.

§. 10. Sententia tamen negans omnino vera est, traditur ab Arist. Topicorum 4. cap. 2. illustri probata syllogismo. *Omne quod participat genus: vel species, vel indiuiduum est: Differentia autem neque indiuiduum, neque species: Manifestum igitur, quod non participat genus Differentia.* Producitur etiam D. Thomas Metaph. 5. lect. 12. Opusc. de Ente, & essent. cap. 7. & 1. contra Gentes cap. 17. sed clarissimè id docuit 3. Metaph. lect. 8. *Genus* (inquit) *per se sumptum non potest prædicari de differentia, quia Differentia non participat genus, vt dicitur in 4. Topicorum.*

§. 11. Probo eam ratione, quam ex ipsa Porphyrii definitione, & mente deduco. Species ex suo essentiali conceptu exedit totum genus, ex quo actualiter componitur: Ergo addit aliquid formaliter, & ratione distinctum supra genus: Atqui Differentia est præcisè ille conceptus, quem species addit supra totum genus: Ergo Differentia non imbibit formaliter genus. Vtrumque Antecedens est per se notum ex definitione ipsa Porphyrii docentis, *Differentiam esse Id, quo species exedit genus.* Prima consequentia liquet ex terminis: atque etiam altera. Nam impossibile est, quòd in eo præcisè, quod dicis, addi supra totum genus, etiam imbibatur genus; id enim esset addere simul, & non addere.

§. 12. Ratio à priori præsto est, Quoniam species est compositum Metaphysicum, seu Logicum, id est constans ex partibus Logicè, & ratione distinctis. Tum sic: qualis est compositio partium, talis est distinctio earum, sed per vos compositio ex genere, & differentia est compositio rationis: Ergo genus, & differentia sunt partes ratione distinctæ. Sed eo ipso quod genus esset de conceptu essentiali differentiæ in ipsa formaliter inclusum, non distingueretur ratione ab ipso, sicut non distinguitur Animal rationale ab Homine. Ergo simul essent partes ratione componentes, & non componentes, distinctæ ratione, & non distinctæ, quod repugnat. Maior inductione patet: In omni enim compositione Physica, Metaphysica, Integrali, & Continui eo modo, quo partes conpounnt, eo sunt vna extra aliam. Nam lumine naturæ apparet, rem compositam in eo distingui à simplici, quod composita supra entitatem, vel formalitatem simplicem aliam superaddat partem, constetque ex hac & alterà; at altera non est, vbi vna alteram formalissimè secum identificat: Alioqui etiam ex Animali rationali, & Homine posset aliquid aliud verè componi, quod absurdissimum est. Minor, & Consequentia probatù non indigent.

§. 13. Obijcies primo: Hinnibile v.g. est definibile per aliquod genus: non per aliud, quam per animal: Ergo animal est de conceptu hinnibilis, quod est Differentia Equi; siquidem omne genus est de conceptu definiti.

§. 14. Respondeo: nego, hinnibile esse Differentiam essentialem, & vltimam Equi: est enim proprietas in concreto significata, & supponens pro specie Equina. Nam formalissimus conceptus per quem Animal contrahitur in speciem Equi, prorsus ignoratur, vt latè ostendi præcedenti Dissertatione. Sed vero etsi sibi permitterem, Hinnibile esse differentiam, & definibile quid, tamen definiendum esset per aliud genus incompletum, atque innominatum, non vero per illud genus, quod contrahit in compositione Equi, id enim est eius compar, quod potius excludit, eo ipso, quod Differentia consistit in illa formalitate supra totum genus vltimo addita. Ad formam: Transeat Maior: nego minorem.

§. 15. Obijcies secundo. Rugibile includit sensibile, atque etiam viuens, aut vitale. Nam Rugitus est sensatio quædam, & actio vitalis, cum sit exercitium vitæ Leoninæ; Sed Rugibile, quod est principium rugitus, est vltima, & essentialis differentia Leonis: ergo vltima aliqua differentia includit subalternam, atque etiam genus.

§. 16. Multum negotij facessit Neotericis hoc argumentum, vt videre est apud Hurtadum, & Arriagam, qui ne concedant, rugitum esse actū vitalem, aiunt, illum esse motum quemdam localem, ore, gutturevè formatum. Ast ego faciliùs tibi persuasero, te ignorare vltimam differentiam Leonis, quam rugitum non esse actum uiuentis. Concedo ergo planè, rugitum, hinnitum, & latratum, ceterosque proprios actus animantum vitales esse, sicut visio, olfactio, & auditio sunt formaliter sensationes. Ast vero huiusmodi actus non sunt differentiæ contractiuæ viuentis, aut sensibilis ad Leonem, Equum, &c. sed completissimæ species, quæ componuntur ex actu vitali tanquam ex genere, & incognità differentia: quis enim dignoscat vltimam formalitatem, quà latratus discrepat essentialiter à rugitu? sic nec differentiam Leonis cognouit vllus: cur ergo tenebor defendere, Rugibile non includere vitale, perindè, ac si rugibile esset nota differentia Leonis? Hoc mihi exploratum est, nempe rugibile non esse differentiam essentialem Leonis; sed vt plurimùm proprietatem: at vero quod sit vitale, vel non sit, incertum est: imprudens ergo fuerit, qui relicto certo, pugnet pro incerto. Aio differentiam vltimam Leonis esse formalitatem quamdam omninò superadditam sensibili, & viuenti; proindeque omninò illa excludentem, quam nec tu cognoscis, nec

ergo. Ad formam: Transeat Maior, nego minorem.

§. 17. Obijcies tertio: Hæc est bona consequentia in DARAPTI. *Omnis homo essentialiter est animal, omnis homo est essentialiter rationalis; ergo rationale essentialiter est animal.*

§. 18. Respondent nonnulli primo, syllogismum concludere, quod Differentia infima includat superiorem, non tamen in sensu formali, sed solum identico, Quia ex vi formæ syllogisticæ solum sequitur, quod extremitates, quæ in præmissis vniuntur cum medio, vniantur in conclusione inter se, non temen semper in eodem sensu, & perseitate, quâ vniuntur cum medio. Quod est euidens in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal; Omnis homo est risibilis: Ergo risibile est animal.* Cuius præmissæ veræ sunt in sensu formali, Conclusio vero non nisi in sensu materiali vera esse potest. Sic M. Masius, M.Sanchez, Rubius, Complutenses, M. Ioannes à S. Thoma, Comptonus, Parra, & alij. Respondent alij secundo, nullam esse consequentiam, & syllogismum in nulla esse forma, & figura: Nan propositio in definita in materia necessaria est vniuersalis, sicque syllogismus ille tribus constabit propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, qualis nullus est in tertia figura. Sic Comptonus.

§. 19. Difficilior videtur syllogismus hic, quia concludit in prima figura: *Nullum rationale formaliter animal, omnis homo est formaliter rationalis: Ergo nullus homo est formaliter animal.* Ecce syllogismus in CELAREM, Cuius consequentia est falsa: Ergo alterutra præmissarum falsa est; sed non minor, quia est euidens: Ergo maior, quæ est nostra conclusio.

§. 20. Respondet Mag. Ioannes à S.Thoma, variari appellationem: quia ly *formaliter* dicit aliquam restrictionem. Contingit autem quod ea, quæ sub vna formalitate, & respectu non coniunguntur, neque conueniunt, sub alio conueniant, vnde à negatione sub alio, vel negationem absolutè non valet: Et sic ex eo quod rationale formaliter, idest sub conceptu, & formalitate rationalis nullo modo sit sensibile, non licet inferre, quòd sub conceptu, & formalitate hominis, homo qui est idem cum rationali non sit sensibilis. Hæc ille, & alia plura, quæ omitto.

§. 21. Faciliùs me expedio ex doctrinâ data supra Differt. 13. §. 56. nan concretum positum ex parte subiecti supponit pro subiecto, seu pro habente formam; & positum ex parte prædicati significat præcisè formam, vt est constans Dialecticorum regula. Maior ergo illius syllogismi falsa est. Nan ly *rationale* concretum est, supponitque pro homine, qui formaliter est animal. Patet etiam illam propositionem esse falsam, quandoquidem eius contradictoria est vera, nempe: *Aliquod rationale* (nempe Petrus) *est formaliter animal.* Et hoc modo etiam respondeo priori syllogismo in *Darapti*, cuius consequentia vera est ob eamdem rationem. Differentia ergo in concreto sumi potest interdùm pro specie, quæ quidem includit formaliter genus, &c. quare ne fallaris, sume semper illam per se, & in abstracto, & minus vrgeberis.

§. 22. Obijcies quarto. Id sine quo nequit intelligi Rationalitas v.g. est de conceptu illius; sed hæc nequit concipi sine sensibilitate, ergo sensibilitas est de conceptu Rationalitatis. Minor probatur. Nequit concipi rationalitas aliter, quam vt principium discursus, id est cognitionis dependentis à phantasmate, & à sensibus. Nan intellectiuitas præscindens à sensitiuo non est rationalitas humana, sed Angelica intellectualitas; ergo rationalitas nequit concipi nisi vt principium sensationis, ac proinde nequit sine sensitiuo.

§. 23. Respondeo. Rationale non posse concipi sine sensitiuo in obliquo, quia essentialiter illud respicit, non quidem tanquam rationem illius constitutiuam; sed tanquam terminam extrinsecè connotatum: Sic forma physica non potest concipi sine materia quam perficit, nec relatio sine termino. Quare nego maiorem, de iis quæ in obliquo, & de connotato attinguntur per conceptum Rationalitatis.

§. 24. Obijcies quinto. In nostra sententia non dantur Differentiæ simplices, quæ cum speciebus reciprocentur, adeo vt Rationale sit conceptus resolubilis in discursivum, & intellectiuum; sed hæ sunt differentiæ subalternæ: Ergo differentia inferior includit tanquam quid intrinsecè constitutiuum superiores differentias.

§. 25. Respondeo, me non dicere non esse differentias simplices, seu non cognosci, quare aio, Rationalitatem v. g. (& sic de cæteris) si restringenda est ad vltimam differentiam Hominis æquiualere duobus, vel tribus conceptibus, per quorum circumloquutionem explicamus simplicem differentiam, quam ignoramus, idest explicare nescimus simplici conceptu rem simplicem. At vltima, & formalissima differentia Hominis (siue vocetur Rationale, sine non) modificatio est simplicissima Animalis, &c.

§. 26. Obijcies sexto. Numerus in communi habet pro differentijs Binarium, Ternarium, &c. atqui huiusmodi differentiæ imbibunt formaliter rationem numeri: Nan quid est Binarius, seu dualitas, nisi Numerus? ergo.

§. 27. Respondeo Binarium, Ternarium, &c. esse species numeri, non differentias, quod si nominum penuriâ abuteris nominibus specificis ad significandas eorum differentias, aio dualitatem, Trinitatem, &c. vt differentias minimè esse numeros; sed numerum supponere, atque contrahere.

§. 28. Septimo obijcies. Non est medium inter substantiam, & Accidens; Rationale non est accidens: ergo substantia. Ergo aliquod genus nempe substantia prædicatur formaliter de rationali. Respondeo, dari medium inter esse substantiam, formaliter, & accidens formaliter, nempe esse substantiam, vel accidens identicè, entitatiuè. Addo tamen de Rationali non prædicari formaliter substantiam, idest genus completum, & prædicamentale, Sed substantia transcendentalis,

talis, quæ à completa abstrahit, & incompleta.

Tandem obijcies fundamenta Soncinatis, quæ (vt dixi) leuia sunt. *Primum* est, Aristotelem docuisse differentiam habendi pedes fissos, includere differentiam habendi pedes, id enim est animalis *fissionæ* esse aliquam peditatem. Sed Philosophus non loquitur de inclusione formali, sed de identica dumtaxat. Nan fissio pedum præsupponit peditatem. *Secundum*, quod si differentia infima non includeret genus, &c. esset conceptus simpliciter simplex quod est proprium actus puri. Nego antecedens. Quia illa esset simplicitas incompletionis; non simplicitas perfectionis. Sic punctus est simplex, & materia prima, attamen incompletè. *Tertium*. Quia Differentia esset de supremis prædicatis, quod falsum est, cum tantum sint decem. Patet sequela, nan Differentia nullam includeret rationem superiorem. Nego etiam sequelam; ad rationem enim prædicati supremi requiritur, vt nec directè, nec indirectè sub genere superiori, & latius patente contineatur.

DISSERTATIO XXVI.

Cuiusnam respectu Differentia sit tertium vniuersale? vbi & reliqua ad illud spectantia declarantur.

§. 1. DIfferentia dicit ordinem ad speciem, quam constituit, atque etiam ad Indiuidua eiusdem speciei. Dubium, cuiusnam respectu sit tertium vniuersale? Caietanus, atque alij docuere Differentiam esse vniuersalem respectu speciei. Probant *primò*. Differentia vt Differentia est Tertium prædicabile à Porphyrio recensitum; sed non nisi respectu speciei, quam constituit, & differre facit, est Differentia: Ergo non nisi respectu illius est vniuersalis. *Secundò*. Differentia debet esse vniuersalis respectu subiecti, de quo immediatè prædicatur; sed de soli specie prædicatur immediatè; Nan de indiuiduis non dicitur nisi mediante specie: ergo respectu speciei, & non Indiuiduorum est vniuersalis. Maior probatur. Ideo Genus quamuis prædicatur essentialiter de Indiuiduis non est vniuersale respectu illorum, quia prædicatur de ipsis mediante specie: Ergo quodlibet vniuersale debet esse tale respectu sui immediati subiecti, proindeque quamuis differentia prædicatur de Indiuiduis mediante specie, non respectu illorum, sed respectu huius debet esse vniuersalis. *Tertiò*. Hæc prædicatio: *Homo est rationalis* est formalis, & in quid; sed non est primi, nec secundi prædicabilis: Ergo Tertij.

§. 2. Communiter tamen Neoterici Thomistæ, & Scotici tenent, Differentiam respectu Indiuiduorum esse vniuersalem, probant: vniuersale est vnum in multis inferioribus; sed species nec est multa, nec est inferior specie, sed æqualis illi: Ergo Differentia non est vniuersalis respectu speciei; sed indiuiduorum.

§. 3. Negant Minorem contrariæ sententiæ Assertores. Dicuntque nonnulli speciem esse multa virtualiter, proindeque virtualiter inferiorem. Alij aiunt, ex eo ipso, quod Differentia sit æqualis speciei debere colligi eiusdem vniuersalitatem. Nan quod adæquatè, & conuertibiliter prædicatur de vniuersali vniuersale est.

§. 4. Sed contra primum instant Complutenses, & alij. Nan si sat esset multa virtualiter includi in aliqua ratione, nulla esset prædicatio æqualis de æquali, quia in quolibet vniuersali virtualiter sunt multa indiuidua: Consequens est contra Porphyrium admittentem prædicationes *Parium de paribus*. Immò & species posset dici vniuersalis respectu generis, in quo virtualiter respicit sua indiuidua. Contra secundum reponunt sic M. Parra, & alij. Quia & ipsa species habet naturam vniuersalis, quatenus est apta dici de pluribus: ergo quod differentia adæquet speciem, nihil aliud est, quam quod possit prædicari de tot inferioribus, de quot dici potest species: Ergo id formaliter non est esse vniuersalem respectu speciei, sed respectu inferiorum speciei.

§. 5. Mea sententia. Vtraque opinio defficit. Nan communis sententia non probat, Differentiam esse Tertium vniuersale respectu Indiuiduorum, sed duntaxat quod sit quid vniuersale, seu vnum in multis, quod & Generi, & Accidenti commune est. Opinio autem Caietanica magis ad rem accedit, quia adstruit differentiam vt talem, seu vt Tertium prædicabile est. Eo tamen peccat, quod velit respectum ad speciem esse formaliter vniuersalitatem Differentiæ, quod falsum est; nec necessarium, quod probaretur, vnde.

§. 6. Dico Differentiam formalissimè constitui in esse *Differentiæ*, idest Tertij prædicabilis per respectum ad speciem, quam constituit, hoc est tanquam per modum differentialem, & contractiuum rationis genericę, nempe vniuersalitatis, quæ supponi debet vt ordo ad multa inferiora: siue sint Species, siue Indiuidua. Nan species potest esse subalterna, vel infima. Probo. Differentia vt Tertium prædicabile est incomplexum quid constans ex genere, & Differentia ritu specifico. Nan in eius constitutione Prædicabile de multis est genus, & ly *in quale quid*, obit vices differentiæ. Ergo vt Differentia concipiatur vt vltimo, & formaliter constituta in esse Tertij Prædicabilis non sat est, quod sit vnum in multis, seu prædicabile de multis; sed amplius exigitur, quod concipiatur vt pars qualificans speciem, Patet hæc consequentia ex ipsa definitione Differentiæ. Nan etiam Genus, & Species possunt inesse Petro, & Paulo, & ideo præcisè non concipiuntur vt Tertium prædicabile, quia non insunt eis per modum partis essentialis determinatiuæ, & qualificantis; Atqui esse qualitatem essentialem non conuenit Differentiæ respectu Indiuiduorum, sed respectu naturæ eorum, nan illud est qualitas essentialis, quod essentiam qualificat: Ergo formalissimum constitutiuum, & distinctiuum differentiæ nempè ly *in quale quid*

non conuenit illi per respectum ad Indiuidua, sed per immediatum respectum ad speciem.

§. 7. Dixi, non fuisse necessarium Caietanicis probare respectum Differentiæ ad speciem esse vniuersalitatem Differentiæ. Quia vniuersalitas non debet prædicari de modo contractiuo vniuersalitatis. Genus enim semper est extra conceptum modorum, & differentiarum: Ergo tametsi respectus ad speciem esset vltima, & formalissima ratio constituendi tertium vniuersale in esse talis, non ideò ille respectus debebat esse vniuersalitas, seu respectus ad multa, sed potiùs non esse, sicut ratio determinatiua Animalis, debet non esse Animal: Ergo Complutenses non probant Differentiam non constitui formaliter in esse talis vniuersalis, nempè Tertij per respectum ad speciem, eo solum, quòd respectus ad speciem non sit respectus ad multa, patet: quia respectus ad multa solum petitur ad vniuersale vt sic: ergo ad taleitatem eius vniuersalis non petitur. Ex quibus sanè liquet Complutenses cum communi opinione solum probasse rationem genericam Tertij Prædicabilis: Caietanum verò pro vltima, & differentiali eiusdem pugnasse. At nos ex vtraque opinione medium tenemus:

§. 8. Dico insuper. Hæc prædicatio *Homo est rationale*, non est Tertij Prædicabilis formaliter, & adæquatè, sed reductiuè, & inadæquatè. Ratio præsto est, Nam Tertium Prædicabile, quod vocaliter per terminum complexum *Tertium Præditabile* significatur (terminorum penuria) debet mente concipi, vt concretum incomplexum, & vt totum specificum secundo intentionaliter coalescens ex vniuersalitate tanquam genere, & ex respectu ad speciem tanquam differentia. Quandocumque autem de subiecto prædicatur differentia tantum alicuius naturæ, vel essentiæ non ideò censetur prædicari Naturam de illo, nisi vt plurimum inadæquatè, diciturque eiusmodi prædicatum reductiuè pertinere ad talem Naturam. Exemplo res illucescet. In hac prædicatione *Petrus est sensibilis* non prædicatur Animal de Petro, quamuis de illo prædicetur vltimum, & formale constitutiuum Animalis; Atqui in hac prædicatione *Homo est rationale*, Rationali solum conuenit respectus ad speciem, qui tantum est ratio differentialis vltimaq; constitutiua Tertij Prędicabilis: Ergo de Homine non prædicatur Rationale, & Tertium Prędicabile adæquatè, sicut in priore prædicatione sensibile non prædicatur de Petro, vt Animal adæquatè.

§. 9. Obijcies, si Differentia constitueretur formaliter in esse Tertij Prædicabilis per respectum ad speciem, sequeretur, quod illi prius conueniret ratio differentialis, quam generica; sed hoc est absurdum, nam Genus prius est in definitione, quam differentia: Ergo. Probatur sequela Maioris. Differentia prius, & immediatius prædicatur de specie, quam de Indiuiduis, valet enim à subsistendi consequentia *Petrus est homo*: *ergo rationalis*; Sed vniuersalitas generica conueniret rationali ex respectu ad indiuidua, qui posterior est: ergo prius illi conueniret ratio differentialis, quam generica.

§. 10. Respondeo negando Maiorem. Ad probatum dico, rationale dupliciter respicere Hominem, primò respectu transcendentali tamquam pars componens totum Metaphysicum, & hic est prior; ante omne indiuiduum enim conuenit Homini, vt sic quod compleatur essentialiter per rationale, quod quidem concipitur actu directo per intellectum. Altero modo rationale respicit hominem in indiuiduis respectu quasi prædicamentali, & Logico totius ad partes, quia postquam comparatur ad indiuidua, reflexè concipitur, vt qualificans eorum essentiam, & quidditatem, quod patet ex ipsa Definitione Differentiæ, dicitur enim quod sit. *Id quod prædicatur de pluribus*. Ecce antecedit respectus ad multa indiuidua; deindè additur *in Quale quid*. Ecce per actum reflexum considerat intellectus Differentiam non esse in multis, nisi qualificando suam quidditatem, quod significat ly *in quale quid*. Vnde respectus ad speciem quasi differentialis constituens Tertium Prædicabile non est ille prior, qui transcendentalis, & Metaphysicus est, fitque actu directo, sed alter nempè resultans ex actu reflexo, per quem concipitur rationalitatem esse in natura indiuiduata.

§. 11. Obijcies rursus. Vt Differentia sit Tertium Prædicabile, debet etiam respicere plura vt plura de quibus prædicabilis sit: ergo in esse Tertij Prædicabilis non constituitur per merum respectum ad speciem. Antecedens ostenditur. Differentia differentiæ, quæ contrahit, & perficit genus vniuersalis non debet esse extra ipsum genus, sed potiùs perficit illud, quin ad contrariam naturam reducat: ergo si vniuersale respicit plura ex sua natura, debet differentia illud contrahens, & perficiens in esse Tertij Prædicabilis illud perficere in eo ipso, quod est multa respicere, ac per consequens eo ipso, quod Differentia vt Tertium Prædicabile est tale vniuersale, non solum vniuersalitas illius, sed etiam talitas illius debet multa respicere. Probatur consequentia. Sicut vniuersale vt sic contrahitur ad esse tale vniuersale, ita inferiora vt sic contrahuntur ad esse talia inferiora; Sed vt Tertium Prædicabile sit vniuersale, respicit multa: ergo vt sit tale vniuersale, hæc multa debent etiam esse talia: Ergo per respectum ad multa indiuidua vt talia, & non per respectum ad speciem constituitur in esse Tertij vniuersalis.

§. 12. Respondeo: taleitatem indiuiduorum quatenus sunt proprium subijcibile differentiæ, esse ipsum respectum ad speciem. Differentia enim respicit indiuidua, vt qualificans eorum naturam, quod (vt dixi) significatur per ly *prædicatur in quale quid*. Vnde concessis antecedentibus: *Ergo non solum vniuersalitas Tertij Prædicabilis, sed & taleitas debet multa respicere*. Nego consequentiam, & ad probationem nego suppositum vltimi consequentis, quòd taleitas indiuiduorum, seu hoc quod indiuidua sint talia inferiora, non fiat per ipsummet ordinem, & respectum ad speciem. Id quod ita verum existi-

mo,

mo, vt vel ex Aduersarijs fateantur PP. Complutenses disput. 7. quæst. 2. num. 24. per hæc verba: [*Quare sicut talitas vniuersalis* non includit in se vniuersale vt sic; ita talitas inferiorum non includit in se inferiora, vt sic. Ex quo tandem fit, quod sicut ratio propria differentiæ per quam contrahitur vniuersale vt sic, scilicet esse perfectiuam, seu constitutiuam, sumitur per ordinem ad speciem, quam constituit, ita etiam illa specialis ratio, per quam inferiora vt sic contrahuntur, vt sint propria inferiora Differentiæ attenditur respectu speciei, cuius *differentia est constitutiua*]. Hæc illi, quæ mea sunto.

§. 13. Quæres primo. An omnis differentia sit perfectior suo genere? Negauit M. Oña. quæst. 1. artic. 5. docens, solas eas differentias, quæ genus eleuant ad altiorem gradum naturæ esse genere perfectiores, vt *Animatum*, quod eleuat mixtum ad gradum vitæ, & *Rationale*, quod euehit animal ad gradum cognitionis spiritalis, nempè Intellectiui, &c. Probat primò. Quia Differentia potiùs limitat, & coarctat perfectionem generis: coarctatio autem, & limitatio imperfectionem sapit. Sed contra. Quia illimitatio in ratione potentiæ potius est imperfectio, próuenit quippè ex carentia actus, & formæ: ergo quandocumque forma accedit limitans, potius perficit genus, laxam eius potentialitatem determinando. Item probat. Quia actus liber est genus ad bonum, & ad malum; atqui malitia non addit perfectionem actui, cum potius peccatum maxima sit imperfectio. Contra, nihil hæc ratio probat, quia malitia peccati etiamsi moraliter sit mala, tamen Physicè, & in esse entis bona est, perficitque suum genus, consistit enim in positiuo, vt docuimus ad 1. 2. D. Thomæ. quæst. 71. cap. 1. disput. 2. Tertio probat. Sequeretur, quamlibet speciem habere distinctam operationem ab alijs speciebus eiusdem generis, eamque perfectiorem in vnaquaque earum, quod falsum est. Nam species Angelicæ omnes non habent nisi intelligere, & velle, nec aliæ operationes his perfectiores excogitari possunt pro perfectioribus Angelis. Similiter Bruta non habent distinctas, & perfectiores operationes, Quinimmò Talpa caret visu, Pisces olfactu, &c.

§. 14. Sed contra stat D. Thomas de spiritualibus Creaturis artic. 8. ad 9. *Illud* (inquit) *quod constituit in specie, est nobilius eo, quod constituit in genere, sicut determinatum indeterminato, habet enim se determinatum ad indeterminatum, vt actus ad potentiam. Non autem ita, quod semper illud, quod constituit in specie ad nobiliorem naturam pertineat, vt patet in speciebus animalium irrationalium. Non enim constituuntur huiusmodi species per additionem alicuius naturæ nobilioris supra naturam sensitiuam, quæ est nobilissima in eis; sed per determinationem ad diuersos gradus in illa natura, & similiter dicendum est de intellectuali, quod est commune in Angelis*. Hæc ille, quibus habes quid nobis asserendum sit, nempe, omnem differentiam esse suo genere perfectiorem. Rursus doceris, non omnem differentiam esse radicem distinctæ, & perfectioris operationis, nisi eas dumtaxat, quæ genus ad altiorem naturam euehunt. Tandem in Talpa, alijsque animantibus, quæ nonnullis operationibus cæterorum carent, hoc ipsum erat actus, & modus naturæ, qui confusse, & potentialiter conueniebat generi, & accedente forma, & differentia Talpæ, producitur genus ad diuersum gradum naturæ actualis, quæ confusè, & potentialiter (vt diximus) sub eodem genere continebatur, quæ determinatio actualis naturæ perfectior omninò est confusione illa, & potentialitate, qua genus ad formam Talpæ erat indifferens.

§. 15. Quæres item. An ratio Differentiæ vt sic sit vniuoca, aut Analoga respectu Communis, Propriæ, & Proprijssimæ? Respondeo, Analogam esse, quod haud importune infra expedio Differt. 30. Theorem. 2. à §. 19.

CAPVT QVARTVM.

DE PROPRIO.

Diuo Seuerino Boëthio interprete.

TEXTVS. *Proprium autem quadrifariam diuidunt, nam & id, quod soli alicui speciei accidit, etsi non omni, Proprium id dicitur, &c.*

Synopsis Literæ Porphyrianæ.

Breuiter hoc quarto capite Porphyrius quadruplicem proprij acceptionem enarrat. Et *Primò*, venit proprium quod speciei accidit soli, sed haud omnibus eiusdem indiuiduis genuinum est, vt esse Medicum, vel Geometram, quod Homini dumtaxat congruit. *Secundò*, quod conuenit omni, sed non soli, vt bipedem esse, quod & volucribus adnatum est. *Tertiò*, quod conuenit omni, & soli, non verò semper, vt canescere. *Quartò* denique, quod conuenit omni, & soli, & semper, vt risibile. Ex his omnibus hoc vltimum ait, esse *propriè* proprium, vt vertit Boethius, seu *verè*, vt vult Perionius, seu *maximè* proprium, vt habet Argyropilus. Nam primum, atque secundum communiter Accidentium classi amandantur, quamuis pro secundo steterit Fonseca Metaphys. 5. cap. 28. sect. 19. quæst. 1. pro tertio nonnulli certant etiam Neoterici, testante Rubio; sed reuera neque illa quidem, neque quod naturæ congenitum non est, nec diuturnum, sed temporarium, atque fugax, minimè proprium censeri debet, vt docuit Aristot. 1. Topicorum. *Nemo enim* (inquit) *proprium dicit, quod contingit alij inesse, neque forsitan, si per aliquod tempus inest soli, si autem forte dicatur aliquid talium proprium, non simpliciter*. Quid clarius? Porro vel Maro fluxam, & non perennem fælicitatem non propriam cecinit in sexto Operis Diuini.

—— *Nimium vobis Romana propago*
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

In hunc etiam sensum Terentius in Andria,

Ego Deorum vitam propterea sempiternam arbitror
Quod voluptates eorum propriæ sunt.

DISSERTATIO XXVII.

De proprio, seu quarto Prædicabili.

§. 1. PRoprium quarto modo sumptum (quod vnicè ad hanc Prædicabilium classem spectare probabimus) definitur à Porphyrio: *Quod speciei accidit omni, soli, & semper*, quę tametsi proprium primo intentionaliter acceptum describere videtur prima fronte (vt & reuera describit) etiam proprium explicat, vt secundo intentionaliter vsurpatum. Nam ly *accidit*, seu *conuenit accidentaliter* pro conuenientia intentionali accipienda est, nempe prædicabilitate accidentali, seu in *quale*, per quam excluduntur prædicata essentialia, nempe Genus, & species, per ly *omni*, quod distributiue accipitur, denotatur multitudo inferiorum, sonatque *de multis*. Item per *soli, & semper* significatur necessaria connexio inter proprium, & speciem, à cuius principijs formaliter profluit, qua ratione discrepat omninò proprium ab accidente quinto Prædicabili, quod quia eiusmodi connexionem cum essentia speciei non habet, adesse quidem potest, atque abesse subiecto incolumi.

§. 2. Aristoteles 1. Topicorum definiuit proprium sic: *Proprium est, quod non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur*. Hanc dicunt plerique Dialectici esse descriptionem proprij, non vt vniuersalis, sed vt prædicati Topici, seu Metaphysici, eo quod explicatur per prædicationem conuertibilem, quæ est æqualis de æquali: nequit enim vniuersale conuersim prædicari de inferiori, vt de se patet. Verum enim vero hæc descriptio in re non differt à Porphyriana (vt doctiores tradunt Dialectici) potestque facilè adaptari proprio in quantum vniuersale quartum est, vt fatetur Mag. Sanchez, cuius verba pro mea sententia proferam infra. Nam *quod non indicat esse rei* sonat quod non prædicat quidditatem; sed est *prædicabile in quale*, per quod secernitur à Genere, Specie, & Differentia, quæ dicunt *quid*, vt dixi. *Soli autem inest* ponitur ad distinctionem proprij secundo modo sumpti, & Accidentis, quæ non soli insunt, & ly *conuersim prædicatur* statuitur ad distinctionem proprij primo, & tertio modo accepti, quorum neutrum prædicatur conuersim. Ita Caietanus.

§. 3. Inquires primò. An hæc definitio proprij secundo intentionaliter sumpti bona sit: *Prædicabile de multis in quale necessariò, idest conuertibiliter*? Affirmo. Et quod mens Porphyrij fuerit proprium definire etiam per prædicabilitatem, & non solum per conuenientiam formę primæ intentionis, patet ex ipso Philosopho cap. 6. de Communitatibus, ibi: *Commune autem est etiam vniuocè prædicari Genus de proprijs speciebus, & proprium de ijs, quorum est proprium, &c.* Ergo Porphyrius etiam intendebat explicare proprium per pręedicabilitatem vniuocam communem tum Generi, tum ipsi proprio, &c. Iam vero genus quasi proximum in quo proprium conuenit cum Accidente est *Prædicabile de multis in quale*, per ly *necessariò, seu conuertibiliter* differt ab ipso. Nam quod Porphyrius dicit *Omni, soli, & semper* expresserat Aristoteles per *conuersim prædicatur*. Quibus vterque significauit necessariam cum essentia connexionem, quæ omninò causat conuersionem prædicationis. Impossibile est enim, quod aliquod attributum enuntietur de quopiam subiecto tali necessitate, vt illi conueniat omni, soli, atque semper, & quod subiectum non reciprocetur, seu non conuertatur cum prædicato.

§. 4. Merinerus quæst. 2. num. 3. & 5. ait, decipi illos, qui in definitione proprij vt vniuersalis ponunt loco particulæ *necessario* particulam *conuertibiliter*, ductus vulgari argumento, quod superius nequit conuersim de suo inferiore prædicari. Sed contra primo. Quia hoc est dicere suum Scotum decipi, qui nihil aliud vspiam clarius videtur docuisse, quam quod ly *conuertibiliter* sit differentia proprij vt vniuersalis quarti, ita ille quæst. 1. de Proprio. *Alio modo* (inquit) *proprium est nomen secundæ intentionis, significans intentionem secundam, scilicet prædicatum conuertibile, non prædicans essentiam. Vt definitur* 1. *Topicorum, & sic est species vniuersalis. Quia vniuersale descendit in ipsum per differentias, per se diuisiuas eius, scilicet prædicari conuertibiliter in quale accidentale*. Item quæst. 2. ad quæst., & in responsione ad primum, & aliàs sæpe docet, differentiam proprij vt vniuersalis esse conuertibilitatem, atque adeò apertè id professus est, vt quamuis Valera egregius Scotista Doctorem suum explicet, dicens: Eum ex conuertibilitate proprij cum specie modum specialem prædicabilitatis proprij voluisse deprehendere. Tamen hæc vacua sunt verba, & Scotica sunt liquidissima.

§. 5. Contra secundò. Quia nec Merinerus ipse poterit explicare ly *necessario*, seu (quod ait Porphyrius) *omni soli, & semper* respectu Indiuiduorum, nisi recurrat ad conuertibilitatem in actu primo cum sua specie. Nam ideò Risibile dicitur necessario de Petro, quia conuersim prædicari potest de sua essentia, quod si neges, accomoda quæso Risibili particulas definitionis Porphyrij respectu Petri. Sanè Risibile non conuenit omni Petro, & soli Petro: Ergo sicut aptanda sunt hæc verba indiuiduo per respectum ad speciem, ita etiam conuertibilitas. Contra tertiò. Quia potest optimè concipi vniuersalitas proprij respectu indiuiduorum, & conuertibilitas respectu speciei: Ergo ex eo quod in definitione ponatur *Conuertibiliter*, non benè colligit Merinerus Risibile debere conuerti cum Petro. Sed de his infra.

§. 6. Contra quartò. In definitione proprij pro *omni, soli, & semper* ponis *necessario*. Vnde ly *omni, soli, & semper*, idem est ac *Necessario* per te; Atqui conuertibiliter non est nisi idem, ac ly *omni, soli, & semper* apud Scotum: ergo conuertibiliter idem est, ac *necessario*, vel aberras à tuo Scoto, cuius hæc sunt verba: *Per omni soli, & semper habetur conuertibiliter, & per has differentias descendit vniuersale in pro-*

primi:

prium: Ergo homo Scotista perperam dixit, decipi eos qui pro *necessario* ponunt *conuertibiliter*.

§. 7. Inquires secundò. An cætera propria præter quartum pertineant ad hoc Prædicabile? Nego, cum Aristotele docente, solum quarto modo proprium esse simpliciter, & absolutè proprium. Cætera vero non nisi *quando*, vel *Ad aliud* esse propria, idest non simpliciter, sed cum additione temporis, vel relationis. Proprium enim tertio modo est proprium *Quando*, idest secundum tempus; proprium autem tum primo, tum secundo modo sumptum est proprium *Ad aliud*, quia non est proprium respectu speciei absolutè; sed respectu eorum, quæ illo carent, vt esse bipedem est proprium Homini respectu quadrupedum, & esse Geometram respectu eorum qui Geometræ non sunt. Pertinent igitur hæc ad quintum Accidentis prædicabile. Accidenti equidem vt tali, non repugnat, quod proprium denominetur *quando*, vel *ad aliud*, idest temporarium, & respectiuum. Nam cum aliquis sedet v. g. solus, sedere illi proprium est respectu non sedentis, vt optimè hoc loco notauit Caietanus.

§. 8. Probo ratione. Id solum pertinet ad hoc quartum Prædicabile, quod cum prædicetur in quale accidentale, habet tamen modum specialem essendi in multis, & prædicandi de illis distinctum omninò ab Accidente communi; Atqui solum proprium in quarta acceptione habet hunc modum essendi, & prædicandi specialem, & distinctum ab Accidente communi: Ergo illud solum spectat ad hoc Prædicabile. Maior, & consequentia sunt euidentes Minor probatur. Nam proprium quarto modo prædicatur necessariò necessitate sequelæ, & conuertibilitatis cum essentia, ita vt non modo valeat *est rationale, ergo est homo*, & è conuerso, Sed etiam à corruptione, seu destructione vnius destructio alterius necessariò infertur, vt *corrumpitur risibile, ergo corrumpitur homo*: at cætera propria possunt esse, & abesse præter subiecti corruptionem, nec etiam valet. Est Homo: ergo Geometra, nec *Est bipes*: *ergo homo*, nec *est homo*: *ergo canus*, *&c.* Ergo prædicari in quale necessariò huiusmodi necessitate specialis modus est prædicabilitatis, quo carent cætera propria. Porro quod illa conueniant alicui speciei soli, id adhuc non extrahit illa à prædicabilitate quinti Accidentis, quod adesse, & abesse potest illi omninò contingenter, siue soli, siue non soli, quod per accidens est. Vnde hæc quæstio non est solum de nomine, vt perperam putat Arriaga; sed de speciali modo prędicabilitatis, quæ in conuertibilitate consistit. Id quod clarissimè docuit Porphyrius cap. 6. *Proprium* (inquit), *conuersim prædicatur de eo, cuius est proprium, & æqualiter est. Inseparabile vero Accidens conuersim non prædicatur.*

§. 9. Inquires tertiò. Cuiusnam respectu proprium sit quartum vniuersale? Respondeo proprium esse. *Proprium*, idest tale vniuersale per respectum ad speciem, tametsi genericè sit vniuersale respectu indiuiduorum, vt in simili diximus de Differentia Dissert. 26. Nam aptitudo illa prædicabilis *in quale* modificatur per connexionem cum eorum essentia, vt ex vtroque respectu constituatur hæc species vniuersalitatis, nempè *Proprietalitas*, vt sic dicam, quam communem Thomistarum, ait esse sententiam Mag. Sanchezius: [*Non enim* possunt (inquit) non coincidere huiusmodi duæ intentiones in eodem materiali, quamuis sint diuersę, quia ex necessitate quod conuenit vni Indiuiduo, & soli, & semper, debet conuerti cum specie. Et hęc est communis *doctrina Thomistarum*.] Hæc ille. Coherent autem hęc duo benè. Quod scilicet respectus ad speciem non sit vniuersalitas, & quod per illum constituatur proprium in esse quarti vniuersalis, idest talis. Vide quę pro Differentia diximus citata Dissert. 26.

§. 10. Dices. Risibile debet esse vniuersale conuertibile; sed non est conuertibile cum Petro, cuius respectu est vniuersale: ergo respectu Petri non est vniuersale conuertibile: ergo nec proprium. Sed contra. Quia nec respectu Petri est prędicabile *necessariò*: ergo non effugis difficultatem, subrogando ly *necessariò* pro *conuersim*. Probo antecedens. Illa vocula *necessariò* significat connexionem cum essentia, seu emanationem risibilis ab Humanitate vt sic; sed nec connexio essentialis, nec emanatio saluatur per respectum ad Petrum, vt indiuiduum formaliter, sed per respectum ad eius speciem: ergo nec ly *necessario*, in quo statuis differentiam constitutiuam quarti prędicabilis saluatur respectu indiuidui, vt talis: Ergo sicut illa necessaria connexio per ly *necessariò* significata referenda est ad speciem adhuc in hac prędicatione, *Petrus est risibilis*, vt sit prędicatio quarti vniuersalis: ita & conuertibilitas; nihil enim est essentiale in Petro, nec necessarium, nisi quod suę speciei est.

§. 11. Firmum sit igitur, Risibile prędicari, vt proprium adhuc de Petro (quod malè negauit Arriaga) ratione connexionis, & necessitatis cum sua specie; tametsi prędicetur etiam de Paulo, non enim volumus, quod sit proprium indiuiduale, sed specificum dumtaxat, id quippè adeò necessariò conuenit Petro, vt valeat inferri. Petrus est homo: ergo risibilis, est risibilis: ergo homo. Valet etiam, quia Petrus est, homo est risibilis, & quia est risibilis est homo. Quo pacto etiam conuertibilitatem proprij deffendes, adhuc respectu indiuiduorum. Plura ad hoc prędicabile spectantia vide Dissertatione 29. de Accidente, Theorem. prima, & tertia.

PARERGON,

seu

DISSERTATIO XXVIII.

An possit quartum Prædicabile negari?

§. 1. D. Ioannes Caramuel Metalog. lib. 6. de Prædicabilibus, Disput. 5. Dub. 1. Quæ-

Quærit, *An possimus Prædicabile quartum negare?* nulla ratione alia nixus, nisi, quod exempla Porphyrij non subsistunt. Nam proprium primo modo dicunt (inquit ille) quod accidit soli speciei; sed non omni indiuiduo, vt esse Grammaticum Homini. At Angeli Grammaticas Idiomatum nostrorum sciunt, cur ergo non sint Grammatici? Immò dantur linguæ cælestes, & Angelicæ, & Paulus supponit, dicens: *Si linguis Angelorum loquar*. Et si asseras, linguas Angelorum esse intellectuales, & non Grammaticas, non te expedies, quia probabile est, non per conceptus Angelos; sed per signa cogitationes suas manifestare.

§. 2. Proprium secundo modo dicunt. Quod omni, & non soli accidit, vt esse bipedem Homini. Ast hoc exemplum non subsistit. Nam reperti sunt Sciapodes, qui vnico, eoque magno pede instructi velocissimè currunt. Plinius lib. 7. cap. 2. *Hominum genus est, qui Monosceli vocantur singulis cruribus miræ pernicitatis ad saltum, qui & Sciapodes vocantur, quòd in maiori æstu iacentes resupini, vmbra se pedum protegant. Non longè à Trogloditis adsunt.*

§. 3. Proprium tertiò modo omni, solique speciei conuenire docet Porphyrius: sed nō semper, vt canescere Homini. At experientia docet, Equos, Coruos, & alias animantes Canescere.

§. 4. Proprium quartò modo. Quod conuenit omni, soli, vbique, & semper, vt Risibile Homini. At Viennæ Austriæ Angelus Brogolius me præsente (inquit Caramuel) conatus est ostendere, Equos, Elephantes, Canes, & alias animantes etiam esse risibiles. Ex quibus infert, quod si velit subtiliter rem meditari Logicus, poterit pace Porphyrij totum illud Prædicabile quartum expungere, & quatuor relinquere Genus, Speciem, Differentiam, & Accidens. Hactenus Caramuel.

§. 5. Quid nos ad hæc? Porro dum videmus argumentulis tam vanis, futilibusque viros magnos, ac scientiarum prima capita impeti, non stomachamur, vt multi merito faciunt; sed ridemus. In primis Caramuel literam non viderat Porphyrij, quam si vidisset, non tam languidum; sed paulò robustius efformasset argumentum contra primam acceptionem Proprij: cuius exemplum non dixit Porphyrius esse Grammaticum; sed esse Geometram, & Medicum: Id quod facilius probasset Caramuel, conuenire Angelis. Nam de Cacodæmone (Vt cum alijs interpretatur Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus) cecinit Habacuc cap. 3. quod *stetit, & mensus est terram*. Ecce geometra. Item Raphaelem Angelum fuisse medicatum Thobiæ ignorat nemo: Ecce Medicum: Ergo esse Geometram, & Medicum conuenit Angelis. Hoc sanè esset contra exemplum Porphyrij; non Grammatica Angelica, cum ille Grammaticam non meminisset: Iam ergo Porphyrium non legerat scriptor ille.

§. 6. Sed verò eo quod Angeli habeant signa, quibus suas manifestent cogitationes, & eo quod Apostolus dixerit; Angelos habere linguas, inferre, Angelos esse Grammaticos, tam mala consequentia est, quam quod rusticus homo, & alphabeti ignarus etiam sit Grammaticus, eo præcisè quia per signa suos exprimit cogitatus, & quia habet linguam aut suum idioma. Sed ne rebus immoremur responsione indignis: Dic, solum hominem habitu artis acquisito esse Grammaticū, Medicum, aio vel ignorare, quid sit esse grammaticum qui secus dicat.

§. 7. Quod autem non omni homini conueniat esse bipedem, cum Monosceli vnico saltitent pede: argumentum est adeo obsoletum, vetustumque, vt sæculo integro ante Caramuelem id sibi obiecerit M. Iauellus, atque soluerit. Audi. *Dixi verus homo* (inquit) *vt excludam quædam animalia habentia effigiem humanam, vt dicitur, quod in India inueniuntur homines, qui tantum vnum habent pedem, & vnum oculum in fronte, qui gradiuntur saltando. Isti non sunt magis homines, quam Simia, ideo de eis non est sermo* tract. de prædicab. 4. cap. 5. Et hæc quidem Iauelli responsio est, accipe nunc meam.

§. 8. Dico, Caramuelem suo se gladio confodere. Nam dum quartum prædicabile expungere conatur, ipsum constituit. Probo manifestè. Hoc ipsum est proprium eiusmodi animalibus, nempe vno dumtaxat pede integrari: ergo his Monoscelis iam conuenit omnibus, solis, & semper esse vnipedes, aut (si mauis Græcè) monopedes, saltem quoad exigentiam suæ naturalis deorganizationis.

§. 9. Tertio adhuc, & facilius respondeo, negando, vsquam fuisse monstra eiusmodi monopodia. Aio, monoscelos Plinij mera esse figmenta, Plinioque nullam de his adhibendam fidem. Rationem responsi accepi à magno illo Alberto, & arcanorum naturæ symmista maximo, qui libro 1. de animal. tract. 1. cap. 7. hæc habet: *Sed hoc obseruat natura, quod in omni animali pedes pares constituit, vnum contra vnum in vtroque latere, vt æqualiter portetur pondus corporis: vno autem pede nullum animal continuè moueri potest, quia non ambularet nisi leuato, & posito pede, & cum leuaretur pes, nihil portaret corpus, & ideo tunc caderet* (Attende Caramuel) *Et ideo falsum esse conuincitur quod dicitur de monopedibus, & quod dicunt, quod vadunt saltando, nihil est, quia talis motus continuè esse non potest propter suam inordinationem, & difficultatem.* Cęterum lib. 23. de auibus ridet Ardeas etiam monoculas, & confert paritatem oculorum cum paritate pedum, & alarum: *Sicut enim* (inquit) *alæ duæ, & duo pedes crescunt à lateribus, ita duo oculi: Plinius enim iste multa dicit falsissima, & ideo in talibus non sunt curanda dicta ipsius.* Hæc sapienter Albertus, cui lubens subscribo.

§. 10. Exemplum etiam proprii tertio modo accepti haud melius impugnatur. Nam Porphyrius in his omninò sequitur Aristotelem qui lib. 5. de generat. animalium cap. 5. tradidit, inter cætera animalia equum maximè canescere, idque non absolutè, sed quodammodo: Nam initio capitis docuerat, solum hominem manifestè, & toto capite canescere, quod etiam docuerat in problematis sect. 10. in hoc ergo quod speciale est homini, & significatur ab Aristotele per ly *solum* constituit Porphyrius paradygma

pro-

proprietatis. Adde quod plura alia suppetunt exempla, vt pubescere, ridere actu, intelligere actu &c. quæ non semper; at omni solique conueniunt homini.

§. 11. Iam vero quod Proprium quarta notione acceptum explodendum sit, eo quod Brogolius fuisset conatus Viennæ ostendere Equos, Elephantes, & Canes esse risibiles, res est digna, quam ipsi Canes rideant, atque Elephantes. Et iterum obiter hic nota, Caramuelem non vidisse litteram Porphyrij in cuius definitione non est vocula *Vbique*, quam Caramuel intrudit. Profectò nihil est hic ad quod respondere opus sit; non enim exibet Caramuel rationes, & argumenta, quibus Brogolius suadebat risum eiusmodi brutorum; sed solum ait, illum fuisse conatum ostendere eorum risibilitatem: Ast conatus non est argumentum, nec ista est bona consequentia: Brogolius conatur ostendere: ergo bellua est risibilis: ergo negari deuet quartum Prædicabile. Verum enim vero gratis etiam permisso, quod exemplum *Risibilis* non subsistat; nondum tamen bellum confectum est, nec parta victoria. Nam Porphyrius alterum etiam proposuerat exemplum *Hinnibilis*, quod quidem omni equo, soli, semperque conuenire docet. Restat ergo nunc probare, non solum Equos, sed simul Muscas, vultures, & Cancros etiam hinnire.

§. 12. Igitur si Caramuele suadente Logicus rem subtiliter meditando debeat quartum prædicabile expungere, vt solum relinquat quatuor, genus videlicet, speciem, differentiam, & accidens, Aio, debere etiam totum tertium prædicabile delere, immo & secundum. Probo. Tertium prędicabile est differentia, differentia autem secatur in communem, vt *nigrum*, propriam, vt *Risibile*, & proprijssimam, vt *Rationale*. Communis pertinet directè ad accidentium classem, propria non est in rebus, Caramuele extinguente, proprijssima non subsistit in suo exemplo; nam rationale ipsomet Caramuele passim docente, conuenit etiam Angelis: ergo non est vlla differentia specifica; at qui sublata differentia, interimitur species: ergo non supersunt nisi genera, & accidentia.

CAPVT QVINTVM

DE ACCIDENTE

D. Seuerino Boethio Interprete.

TEXTVS. *Accidens vero est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo: hoc enim ipsum separabile est, illud vero inseparabile, &c.*

Synopsis Literæ Porphyrij.

TRes hoc capite Accidentis descriptiones exibet Porphyrius. Prima est. *Quod adest, & abest præter subiecti corruptionem*. Altera: *Quod contingit eidem inesse, & non inesse*. Tertia tandem. *Quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem est in subiecto*. Diuidit illud in separabile, vt dormire, & inseparabile, vt nigrum in Coruo, aut Æthiope. Vltima definitio explicatu non indiget. Secunda autem recidit in primam: quamobrem prima dumtaxat discutienda est. Et quidem ab ipso nominis ætymo accidentis clarescit natura, quod *Euentum* appellauit Philosophicus vates Lucretius Carus, lib. 1. de natura.

> *Seruitium contra, libertas, diuitiæque*
> *Paupertas, bellum, concordia, cætera, quorum*
> *Aduentu manet incolumis natura; abituque*
> *Hæc soliti sumus, vt par est, Euenta vocare.*

Quibus Porphyrianum adesse, & abesse expressit per *aduentum*, & *abitum*, & per *incolumem naturam* quod ille significarat per *præter subiecti corruptionem*. Iam verò accidentis vt quinti prædicabilis ita ex prêstitutis compingitur descriptio: *Est prædicabile de multis, quibus adesse potest, & abesse præter subiecti destructionem*. Vel sic. *Est prædicabile de multis in quale contingenter*. Vel tandem cum Caietano. *Prædicabile, cuius nec affirmatio, nec negatio subiecti rationem tollit*. Videndus omnino doctissimus Cardinalis, adeo enim eruditè, subtiliter, atque neruosè rem hanc de accidente versat, vt nihil desiderari amplius queat.

DISSERTATIO XXIX.

De Accidente quinto prædicabili.

§. 1. ACcidentis nomen æquiuocum est. Significat enim formam realem, vt est Albedo, Tum etiam secundam intentionem, quæ hac quinti vniuersalis classe collocatur, diciturque prædicabile accidentale, seu contingens. Nec sermo est de accidente, quod contra substantiam diuiditur, atque in nouem generum prædicamenta secatur, de cuius ratione est realis inhærentia, cum sit ens in alio, sed de prædicato non essentiali, & non conuertibili, idest in *quale* non constituente, nec sequente essentiam. Equidem de prædicato essentiali, vt genus, & differentia, & de consequente essentiam, vt proprium, nullus dubitat, quin possit esse, & abesse citra subiecti detrimentum. Loquitur ergo Porphyrius de accidente prædicabili, quod scilicet pollet modo prędicandi contingēter, tametsi materialiter sit substantia, quæ enuntietur, qua notione hę prædicationes. *Calix est aureus, Cathedra est lignea*, sunt accidentis prædicabilis, nam etsi nec aurum, nec lignum sint accidentia, tamen conceptui Calicis, & Cathedræ vt sic, accidit quidem extrinsecè, quod ex auro, vel ligno sint, & ex modo prædicandi *Aureum* erit accidens prædicabile, ast non prædicamentale.

THEOREMA I.

Definitio accidentis explicatur, & defenditur.

§. 2. HAnc definitionem. *Quod potest esse, & abesse præter subiecti corruptionem* aptari posse etiam accidenti reali, atque singulari, nemo non videt. Albedo enim v. g. adesse potest

parieti, atque item abesse absque parietis euersione, sed eiusmodi accomodatio fieri non potest, nisi in sensu à Porphyriana mente longè diuerso, quare.

§. 3. Dico primo. Porphyrius hac definitione descripsit accidens secundo intentionaliter acceptum, idest vt vniuersale est, non vt formam realem: contra Rubium, Caberum, Ioannem à S. Thoma, Arriagam, &c. Est tamen vtrique Scholæ communis D. Thomæ, & Scoticæ. Probo non solum ex ipso Porphyrij scopo, qui hac Isagoge quinque vniuersalia voluit describere, & explicare, sed etiam ex doctrina, & verbis eius, quibus supponit, prædicabilitatem tanquam rationem communem in qua accidens à se definitum conueniat cum genere, cæterisque prædicabilibus, ita ille expresse cap. 6. *Commune quidem* (inquit) *est omnibus de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est. Sed genus quidem de omnibus sub se speciebus, & indiuiduis &c. Accidens autem & de speciebus, & de indiuiduis*. Item infra text. 5. *generi vero, & accidenti commune quidem est de pluribus dici.* Et inferius Text. 10. *Speciei vero, & accidentis commune quidem est de pluribus prædicari, &c.* Ergo hæc explicatio accidentis est, quod in prædicabilitate de multis supponebatur à Porphyrio vniuocè conueniens cum genere, & cæteris vniuersalibus: ergo non est definitio formæ accidentalis, prædicamentalis, aut singularis. Tum etiam quamuis ly *abesse*, & *adesse* indifferens sit ad significandum inhærentiam realem, vel inexistentiam vniuersalis, tamen verborum significatio quandocumque erit æquiuoca, trahenda est, determinandaque ad mentem, & institutum Authoris, si alioqui constet de eius mente, vt hic vsuuenit: ergo ly *adesse*, & *abesse* pro notione prædicabilitatis capiendum est. Antecedens patet ex Aristotele, qui definiuit vniuersale per *vnum aptum inesse multis*, quod tamen accipitur pro esse per intellectum, quamuis verba etiam æquè sonent existentiam realem in multis, qualis est Corporis Christi, quod Eucharisticè est vnum in multis Hostijs: Ergo sicut ly *esse*, vel inesse Aristotelicum sumitur Logicè, ita, & Porphyrianum esse, & abesse.

§. 4. Dico secundo: Definitio accidentis optima est, constat ex genere, atque differentia. Genus est *prædicabile de multis,* quod iam relatiuè supponitur per ly *Quod*. Differentiæ loco ponitur *in quale contingenter*, quod significant cętera, nempè, *adest, & abest præter subiecti corruptionem*. Scotus autem rem aliter meditatur, putat ly *adest* esse genus accidentis, nempe prædicabile, quia esse, & inesse secundo intentionaliter sumpta significant prædicationem: Differentiam verò ait esse residuum, nempe *abest præter subiecti corruptionem,* idest non necessario inest subiecto. Porrò licet in re non dissideat à nobis ille, tamen videtur genus eius definitionis non consistere in ly *adest*. Quia Porphyrius per vtramque vocem, scilicet *adest, & abest* disiunctiuè intellectam voluit significare contingentiam accidentis, quæ formalissima differentia est huius prædicabilis; at qui differentia debet esse extra genus: ergo vtraque vox *adest, & abest* disiunctiue sumpta est extra genus huius definitionis.

§. 5. Per *adesse ergo, & abesse* non significatur inhærentia realis accidentium, quandoquidem hoc prædicabile patet amplius omni accidente prędicamentali. Nam præter illud conuenit etiam prædicatis entis rationis, vt *homo est species,* & denominatiuis, vt *Leo est cognitus, paries est dexter.* Priuatiuis, vt *homo est mortuus*, vel *cæcus*. Substantialibus, vt *annulus est aureus, materia est informata, &c.* Quæ omnia non inhærent realiter suis subiectis, & tamen sunt prædicata ad quintum prædicabile spectantia, de cuius ratione tantum est, quod enuntietur vt attributum non essentiale, & contingens, seu non conuertibile: quo pacto etiam substātia prædicatur accidentaliter, hoc est enunciatione quinti vniuersalis, quod est illam non esse de essentia subiecti, nec connexam essentialiter cum ipso, nec ad huiusmodi vniuersalitatem accidentariam ex modo prædicandi vsurpatam exigitur, vt prædicatum inuoluat vllam inhærentiam realem, aut dependentiam à subiecto.

§. 6. Quare *adesse*, & *abesse* sumenda sunt pro adesse, & abesse intentionaliter, seù per intellectum, quod idem est, ac affirmari, vel negari præter subiecti corruptionem. Vbi ly *subiecti* non pro inhæsionis, sed pro prædicationis subiecto est etiam accipiendum. Quia hìc agitur de Quinto vniuersali respectu sui subijcibilis. *Corruptio* tandem sonat destructionem essentiæ, seù dissolutionem connexionis prædicatorum essentialiū, proindeque hæc metaphysicè capienda sunt, vt sensus sit: Accidens esse prædicatum, quod siue affirmetur, siue negetur de subiecto, neutrum destruit definitionem, nec essentiam metaphysicam subiecti: Colligitur apertè ex Porphyrio hanc absentiam, & inexistentiam debere esse per intellectum. Quoniam ipse dum exibuisset exemplum accidentis inseparabilis in nigro Corui, & Æthiopis, quibus abesse quidem non potest nigredo: ne videretur suam definitionem subuertere, qua priùs docuerat, Accidens adesse, & abesse, docet quomodo etiam nigrum absit à Coruo. *Potest enim* (inquit) *intelligi & Coruus albus, & Æthiops nitens candore præter subiecti corruptionem*. Igitur ex mente Porphyrij *adesse, & abesse* non significant *inhærere, & non inhærere realiter*; sed intelligi, & non intelligi, affirmari, & negari, absque subiecti exitio.

§. 7. Dices: si ly abesse sumendum est pro abesse intentionali, & per intellectum, sequitur, Porphyrium errasse diuidendo Accidens in separabile, & non separabile: quia per intellectum non est vllum Accidens, quod separari non potest: ergo loquitur de eo, quod realiter separari, & non separari potest.

§. 8. Sed contra: Tibi eadem difficultas denoranda est. Nam si abesse sumendum est pro separari realiter: ergo errauit ille in eadem diuisione, admittendo accidens inseparabile, vt nigredinem Corui, quia hæc non potest realiter separari à Coruo: ergo non loquitur de adesse, & abesse realiter.

§. 9. Placet explicatus Complutensium: defini-

finiuit Porphyrius Accidens per esse, & abesse intelligibiliter, & statim illud diuisit in varia subiecta, quæ à tali intentione denominari possunt: nullum tamen est inconueniens, illud *esse* accepisse difformiter in definitione, & in diuisione, vt ostenderet, quod à secunda intentione Quinti prædicabilis denominatur quodcumque Accidens non profluens ab essentia, siue sit realiter separabile, siue non.

§. 10. Obijcies primò: si *adesse*, & *abesse* sumenda sunt intentionaliter: ergo definitio Accidentis conuenit proprio. Consequentia est perspicua. Nam cum homo v.g. sit prior natura risibili, concipi potest sine ipso, citra vllam corruptionem metaphysicam suæ essentiæ.

§. 11. Respondet S. Doctor quæst. de spiritual. creat. art. vlt. ad 7. *Quod duplex est operatio intellectus: alia qua intelligit quod quid est, & tali operatione potest intelligi essentia rei & sine proprio, & sine accidente, cum neutrum eorum ingrediatur rei essentiam. Alia est operatio intellectus diuidentis, & componentis, & sic potest intelligi substantia sine accidentali prædicato, etiam si secundùm rem sit inseparabile, sicut potest intelligi Coruus albus, non enim est ibi repugnantia intellectus, cum oppositum prædicati non dependeat ex principijs speciei, quæ significatur nomine in subiecto posito. Hac verò operatione intellectus non potest intelligi substantia sine proprio: non enim potest intelligi, quod homo non sit risibilis, aut triangulus non habeat tres angulos æquales duobus rectis: hic enim est repugnantia intellectuum, quia oppositum prædicati dependet ex natura subiecti*: Ita ille. Id quod Subtilis Scotus vel sequutus, vel imitatus respondet etiam quæst. 2. de Accidente: *Dicitur quod Accidens abest secundum intellectum per positionem sui oppositi præter subiecti corruptionem; non sic proprium: idest est prædicatum non essentiale subiecto, sub cuius opposito potest subiectum intelligi sine repugnantia intellectus, non sic proprium abest*. Igitur nec cum hinnibili quod est oppositum *Risibilis* potest intelligi Homo, nec de ipso negari potest, quod sit risibilis. Quia etsi non ideò destrueretur homo à priori, sicut destruitur negato animali, vel rationali; destrueretur tamen à posteriori. Etenim natura humana de facto exigit necessariò esse principium risus, seù capacitatis disciplinæ, proindeque natura, cui hoc repugnaret, humana non esset, seù distincta esset ab ea, quæ nunc de facto humana est.

§. 12. Sed contra instat Arriaga: Hæc solutio est improbabilis, quia licèt vera sit de proprio logico, ac realiter indistincto, vt est risibile: omnia tamen prædicata propria realiter distincta, vt frigus in summo, quod est proprium aquæ possunt negari positiuè de subiecto, de aqua enim calida etiam affirmatur positiuè quod non sit frigida, & sic de cæteris. Deinde tu fateris, canitiem esse hominis proprium, saltem pro senectute: Rogo (inquit) si aliquis naturæ robustioris etiam senex non canesceret, eritne homo, etiamsi de illo positiuè dicatur non esse canum? nulli dubium.

§. 13. Occurrit Ouiedus respondens ex Bellarmino, quod in eo differt proprium ab accidente communi, quia hoc absque vlla violentia potest à subiecto separari, at verò aqua calida, dum de ea affirmatur, non esse frigidam, patitur violentiam. Quam solutionem (ait ille) præ omnibus rem dirimere si aliquo modo sustinenda est definitio tradita à Porphyrio. Porrò Hurtadus multò facilius (si Deo placet) liberaliusque difficultates tollit omnes: ait Porphyrius in hoc tàm ineptè errasse, quàm in tertio prædicabili definiendo.

§. 14. Ratio vnica Hurtadi: nam actu videre, & esse Poetam sunt propria hominis, & tamen possunt abesse multò meliùs, quā Accidens commune: ergo hæc definitio conuenit quarto prædicabili.

§. 15. Respondeo S. Thomam, & Scotum optimè respondisse; cæteros verò prorsus fuisse hallucinatos. Nam ad quartum prædicabile non spectat, nisi accidens conuertibile, & quod ex vi perseitatis tum concretè, tum abstractè reciprocari potest cum specie. Cætera autem omninò pertinent ad quintam accidentium classem. Hoc docuit Porphyrius aiens de quarto, *Hoc solùm esse verè proprium*. Hoc tradidere Aristoteles Topicor. 1. cap. 4. S. Thomas, Scotus, atque eorum Scholæ. Quare nescio vnde, vel ex quibus præmissis inferant isti Scriptores contra nos definitionem accidentis conuenire quarto prædicabili, eo quod conueniat Canitiei, Poesi &c. Cum nos doceamus, Canitiem, & Poesim non pertinere ad quartum prædicabile, sed ad quintum. Probent quæso Canum, Poetam, &c. esse prędicata conuertibilia cum homine (quod essentialiter exigitur ad accidens quarti prædicabilis) quæ si tunc possint esse, & abesse homini positiuè, seù sub opposito, fœnum porrigam.

§. 16. Hoc ipsum affirmo de frigiditate aquę, quam esse accidens reale prædicamentale fatemur omnes. Pertinet enim ad quintam accidentium classem, quamuis physicè sit proprietas aquæ: numerantur autem sex ipsius proprietates à D. Thoma 3. par. quæst. 66. art. 3. Sed non sermo nobis de huiusmodi accidentibus Physicis, quantumlibet proprijs, quia non sunt prædicata conuertibilia cum specie, & quia intentioni, atque remissioni obnoxia sunt, seu (vt loquitur Philosophus) suscipiunt magis, & minus, quæ omnia denegat Porphyrius Quarto prædicabili Logico, seu Metaphysico, vt constat ex cap. 6. de Communitat. Licet enim frigus conueniat omni aquæ, sed non semper, nec soli, cum conueniat etiam terræ, vel aeri. Dices, frigus in summo soli aquæ conuenire. Respono: te id pro libito dicere: nihil enim magis incertum, quam designare vnicuique elemento suam qualitatum combinationem distinctam, cum multi dicant, eamdem duobus elementis congruere posse, Deinde possunt duæ qualitates in summo eidem elemento competere, vt nonnulli existimant apud Poncium disput. 56. quæst. 4. Tandem potest aquæ conuenire humiditas in summo, & frigiditas citra summum, proindeque humiditas erit magis propria aquæ, quam frigus. Etenim cum in hac re experientiæ potius habenda sit fides, humiditas ita genuina

est aquæ, vt neque per violentiam ab illa separari queat. Ergo iam ex hac parte corruet argumentum Arriagæ. Nam etiam si ipsi gratis detur, huiusmodi accidentia esse propria quarto modo logicè, id non impugnaretur exemplo calentis aquæ. Dicet enim quispiam, frigiditatem non esse proprietatem quarto modo aquæ, sed humiditatem, quæ cum opposita siccitate coire nequit: frigiditatem autem esse de numero cœterarum proprietatum, quales sunt esse diaphanam esse generatiuam &c.

§.17. Aio igitur, huiusmodi elementis nihil esse proprium quarto modo logicè, nisi exigentiam proximam primarum qualitatem, quæ quidem conuertibilis est cum ipsis, & cum opposito reperiri nequit. Tametsi enim aqua concipiatur sine frigiditate, & cum opposito calore, non tamen concipi potest sine exigentia frigiditatis, nec cum exigentia caloris.

§.18. Venio iam ad Ouiedi solutionem, quam ille à Bellarmino acceptam laudat, sed reuerà illius Author D.Thomas est; non Bellarminus. Nam in quarto dist.47. quæst.2. artic.2. quæst.2. Contra eos, qui dicebant, quod in renouatione Mundi omnia elementa manebunt secundum substantiam, sed qualitates actiuæ,& passiuæ ab eis remouebuntur, hæc scribit S. Doctor. *Sed istud non videtur probabile, cum qualitates propriæ elementorum sint effectus formarum substantialium, quod formis substantialibus manentibus, qualitates prædictæ possint mutari, nisi per actionem violentam ad tempus: sicut in aqua calefacta videmus, quod ex vi suæ speciei frigiditatem recuperat, quam per actionem ignis amisit &c.* Hæc ille, quibus defendi potest discrimen inter accidens proprium physicè, & accidens commune: sed id ad physicum spectat. Hinc contra Lynceum affirmo, has prædicationes *aqua est calida, aqua est frigida*, non distingui prædicabilitate logica, sed vtramque ad quintum prædicabile spectare: nisi frigidum sumatur pro exigentia frigoris.

§.19. Hurtadum autem, qui conuictus leuiculo argumento de visu, & Poesi, censuit, Porphyrium ineptè errasse, prouoco ad Dissert.23. Adde quod Porphyrius non è suo cerebro eiusmodi definitionem commentus est, sed excerpsit ab Arist. 1. Topicor. cap.4. Vter ergo errauit?

THEOREMA II.

Difficultas de morte, & combustione, eiusque solutiones expenduntur.

§.20. OBijcies secundo. Mors de homine, & combustio de domo prædicantur vt quintum accidens, sed non sine subiecti corruptione: ergo definitio accidentis non est bona.

§. 21. Respondent Arriaga, & Ouiedus, mortem non esse accidens hominis, quia non est in homine; est enim mors non esse hominis (inquit Ouiedus) quod non illum supponit vt subiectum; sed destruit, vt priuatio proprium habitum.

§.22. Sed hoc responsum nec argumentum soluit; nec est ad rem. Scilicet hoc ignorabamus, nempè mortem destruere hominem, seu esse priuationem hominis, de hoc difficultas non est; sed de modo prędicandi accidentali. Nam hæ prædicationes: *Homo est mortuus, domus est combusta* sunt alicuius prædicabilis: Non generis, nec speciei, differentię, nec proprij: ergo quinti accidentis; Atqui hoc prædicatum accidentale non dicitur de subiecto absque sui corruptione, cum mors, & combustio sint corruptio, priuatio, & non esse inbiectorum: ergo non est de essentia quinti prædicabilis, quod enuntietur de subiecto citra sui corruptionem. Ecce difficultas, in qua potius supponitur responsio Arriagæ. Ad hoc autem quid refert dicere, mortem esse priuationem, non formam accidentalem? Nihil profectò. Nam ipsa corruptio, ipsum non esse prædicatur vt quintum vniuersale de subiecto suo, seu subiicibili. Debetis ergo (si pro definitione respondere lubet) ostendere, quomodo saluetur prædicatio accidentalis *mortui, & combusti* sine destructione subiecti prædicationis, à quo longè aberrat vestra solutio. Quare.

§.23. Scotus quæst.2. de accidente, & cum eo Discipuli distinguunt duplex subiectum, videlicet inhæsionis, & denominationis. Dicunt, corruptionem inhærere materię primæ, sed denominare terminum resultantem, nempè hominem, & domum. Sic locus est accidens inhærens corpori locanti, sed denominat locatum; Sic actio est in passo, & denominat agens. Vndè volunt dicere, mortem, seu corruptionem esse in materia prima sine eius corruptione, quamuis denominet hominem, in quo non est. Ita Valera quæst.4. de accidente, Mauritius, Sarnanus, apud eumdem Merinerus quæst.2.

§.24. Sed contra. Ex Scoto ly *adesse* definitionis non significat inhærentiam realem; sed prædicationem; ita vt hoc quintum vniuersale non comparetur ad subiectum inhæsionis, & primæ intentionis; sed ad subiectum prædicationis, & secundæ intentionis: ergo malè nunc confugitis ad subiectum inhæsionis. Probo consequentiam. Contingentia prædicati accidentalis respectu subiecti, de quo prædicatur, consistit in eo, quod de hoc subiecto signato, de quo hic, & nunc illud affirmatur, possit etiam negari, præter corruptionem talis subiecti; Sed in hac propositione homo est mortuus, *homo* est subiectum, de quo affirmatur *mortuus*: Ergo de homine, & non de alio subiecto debet contingenter affirmari, vel negari esse mortuum præter corruptionem hominis, quod est impossibile: ergo vt saluetis, hanc prædicationem esse accidentis, idest prædicati, quod contingenter potest affirmari, vel negari de suo subiecto prædicationis, frustra confugitis ad hoc quod tale prædicatum inest materiæ primæ absque materiæ corruptione, non enim prædicabatur de materia prima contingenter, sed de homine.

§.25. Tertio Caietanus respondet *mortuum*, & *combustum* non pertinere ad quintum vniuersale, sed esse prædicatum repugnans. Ait enim prædicata, vel esse in materia necessaria, & sic per-

pertinent ad genus, speciem, differentiam, & proprium, vel in materia contingente, & sic pertinent ad accidens, vel in materia remota, seu impossibili, & sic ad nullum prædicabile pertinent per se; sed reductiue ad prædicabile, cuius oppositum enuntiatur. Nam prædicatur interdum oppositum generis, *vt homo est planta*, vel speciei, *vt homo est leo*. Differentiæ, *vt homo est irrationalis*, &c. Manifestum est autem *mortuum* repugnare conceptui hominis. Nam si aliquid homo est, corpus animatum est, etsi corpus animatum est, iam mortuum non est, & è conuerso. Si mortuum est, corpus animatum non est, etsi corpus animatum non est, homo non est. Et eadem est ratio in combusto, & domo.

§.26. Sed contra instabis. Nam regula pro huiusmodi prædicationibus in materia remota, & impossibili est, quod negatiua semper sit vera: sed hæ prædicationes *homo est mortuus*, & homo *non est mortuus* ambæ sunt veræ. Ergo solutio nulla est. Respondet: Regulam esse certam, si non varietur subiectum, vt hic contingit: Nam affirmatiua ly *mortuus* non denominat hominem, sed ratione ampliationis, quam habet, quia est participium præteriti temporis, verificatur de eo, qui fuit homo: & in negatiua verificatur de eo, qui est homo, ampliat enim ad eos, qui sunt, vel fuerunt homines. Ita ferme Caietanus. Hæc solutio subtilis est, eiusque probabilitas infra clarius elucebit, postquam communes, ac celebriores expendero.

§.27. Quarto M. Sotus respondet, *mortuum* esse accidens quinti prædicabilis, sed respectu *corporis*, & sic potest esse, & abesse à corpore, præter illius corruptionem. Nam modo corpus Petri viuit, & eo defuncto corpus idem erit mortuum. Idem (inquit) vt loquuntur omnes communiter; licet habeat nouam formam cadaueris. Attamen respectu hominis, in quo sensu procedit argumentum propositio est in materia disparata.

§.28. Sed contra: Hæc responsio eamdem patitur instantiam, ac Scotica, vel recidit in Caietanicam. Patet primum; nam nullus dubitat, hanc prædicationem *Corpus est mortuum* esse accidentalem, corpori enim accidit esse animatum, vel non animatum: Sed vero in hac *homo est mortuus* non de corpore; sed de homine dicitur mortuus: ergo contingentia prædicati, quæ verificanda est de homine, qui subiectum est eiusmodi prædicationis perperam trahitur ad corpus, de quo *mortuum* non prædicatur, hic, & nunc. Patet alterum. Nam ipse fatetur, respectu hominis prædicationem esse disparatam, quod Caietanus docebat.

§. 29. Quinto Mag. Sanchez respondet, mortem, & combustionem pertinere ad quintum prædicabile, non in facto esse, sed prout sunt in fieri. Nam *Homo moritur, Domus comburitur* enuntiatur sine subiecti corruptione. At vero termini horum motuum (inquit) non sunt huius prædicabilis in se; sed in vijs suis.

§.30. Contra. Quia debet explicare, cuiusnam prædicabilis sit hæc propositio: *Homo est mortuus* sumendo prædicatum in facto esse, de quo est specialis difficultas.

§.31. Sexto M. Caberus dicit, se proponere solutionem satis acutam, qua omnis hæc obiectionis difficultas euanescit facilè. Concedit, *Mortuum* esse prædicatum accidentale; aitque, non esse de ratione accidentis, quod non corrumpat subiectum, quando illi adest; sed quod non corrumpat, quando abest: sensum autem definitionis hunc esse: *Accidens est, quod potest adesse*, (& hic paulisper sistendum esse monet, & deindè dicendum:) *Et abesse absque subiecti corruptione*. Consistit igitur (iuxta Caberum) accidentis essentia in eo, quod licet adesse possit cum subiecti corruptione, vt adesse dicitur mors, quæ non potest adesse sine corruptione subiecti, potest tamen quodlibet accidens abesse absque subiecti corruptione. Appellent quæso (inquit ille) verba illa *absque subiecti corruptione* supra verbum illud *abesse*; non vero supra verbum illud *adesse*.

§.32. Sed contra. Hæc solutio definitionem accidentis corrumpit, & à mente Porphyrij toto exulat Cœlo. Nam si semel admittatur, accidens posse corrumpere essentiam subiecti, nullatenus erit accidens; sed prædicatum repugnans essentiæ. Ergo iam prædicatum repugnans erit accidentale. Probo. Perte tametsi prædicatum corrumpat essentiam subiecti, dum illi adest; habet tamen rationem accidentis ex eo, quod non corrumpat subiectum, quando abest; sed in hac prædicatione: *Homo est irrationalis* ita enuntiatur *Irrationale*, quod tametsi corrumpat essentiam hominis quando illi adest; non tamen corrumpit quando abest: Ergo irrationale est accidens hominis, quod est ridiculum. Mitto alias solutiones à M. Sanchezio impugnatas.

§.33. Septima, & vltima solutio est communis, & celebrior quamplurium Doctorum affirmantium, prædicatum *Mortuus* esse purè accidentale, ac de ipso verificari traditam definitionem. Distinguit minorem: Mors non prædicatur de homine sine corruptione subiecti, sine corruptione Physica concedunt: sine corruptione Metaphysica, seu intellectuali, negant. Nam cum esse, & abesse non sumantur secundum rem, (alioqui accidens inseparabile non esset accidens) sed secundum intellectum, qui affirmare, & negare potest prædicatum, salua manente substantia; seu essentia subiecti: sanè essentia hominis cum suis prædicatis quidditatiuis integra manet; etiam si homo physicè sit mortuus; siue viuus. Essentiæ enim abstrahunt à corruptione, & ab existentia. Ita communiter recentes dialectici, quæ solutio etiam arrisit Scotistis nonnullis, qui sui Doctoris responsionem deserentes, hanc amplexi sunt, vt Poncius, Rodriguezius, Merinerus, & alij.

§.34. Sed contra: Essentia hominis adhuc Metaphysicè sumpta dicit corpus animatum, dicit

dicit enim animal, quod ex corpore animato constituitur tanquam ex genere, & ex sensibili tanquam differentia: Atqui mortuum essentialiter negat corpus animatum, ergo essentialiter destruit quidditatem hominis, adhuc metaphysicè considerati. Ergo non solum enuntiatur de illo cum corruptione physica; sed cum destructione metaphysica, & negatione prædicati essentialis. Minorem ostendo: forma cadauerica metaphysicè, & essentialiter est opposita animæ, non minus quam forma lapidis; sed mortuum vt tale constituitur per formam cadauericam: ergo mortuum vt tale metaphysicè, & essentialiter negat corpus animatum, non minus quam lapis. Patet consequentia. Nam quantumuis hominem abstrahas essentialiter, & metaphysicè; hæc propositio: *Homo essentialiter, & secundum sua prædicata essentialia consideratus est cadauer.* Est tam impossibilis quan hæc: *Homo quatenus animal rationale est lapis.*

§. 35. Quare mihi Caietanica solutio magis probatur: proindeque *mortuum, corruptum, &c.* ab accidentium quinti prædicabilis serie expungo: esse prædicata repugnantia affirmo. Tamen ex vi ampliationis subiecti ad quartum prædicabile reduco. Quatenus *Mortuus* prædicatur per se de homine, qui fuit, seu de olim homine: *Per se* inquam in secundo, & quarto modo perseitatis. In secundo modo, quia sicut risibile sequitur necessariò hominem, ita mortuus necessariò sequitur fuisse hominem, seu hominem præteritum: in quarto item modo: quia prædicatur propria causa de suo effectu, vt cum dico *Ædificator ædificat.* Ita subtilissimè Caietanus.

§. 36. Alias obiectiones vide si vis apud Sanchezium solutas, qui vberem tibi segetem suppeditat argumentorum.

THEOREMA III.

Cætera adhoc prædicabile pertinentia expediuntur.

§. 37. Inquires primo. In quibus differat hoc quintum prædicabile à quarto? Respondeo, duplex assignari discrimen à dialecticis. Primum, quod propria passio oritur ab essentia ratione formæ, seu ex principijs formalibus: Accidens vero commune ratione materiæ, seu alicuius causæ extrinsecæ. Sic admiratiuum, vel capax disciplinę oritur in homine à rationalitate. Nigredo vero Corui à calore nimis seminis, esse Poetam à Solis influxu, &c. Alterum, & quidem consectaneum est: quod propria passio prius, atque immediatius conuenit speciei; posterius vero, & interuentu speciei conuenit indiuiduis. Nam ideo Plato est risibilis, quia homo risibilis est. At vero accidens commune è conuerso prius conuenit indiuiduis: at posteriùs, & ratione indiuiduorum competit speciei. (Vtrumque docuit Porphyrius capit. 6.) Nam vt tradit Aristot. 10. Metaph. text. 25. *Homo enim est albus, quia Callias est albus.* Vide Complutenses vtrumque discrimen accuratè expedientes q. 11. a. 2.

§. 38. Sed contra: Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Comptonus, & alij contendunt, proprium, & accidens logicè considerata pertinere ad eamdem speciem: Probant: quia eodem modo prædicantur, scilicet vt conceptus non quidditatiuus: quod verò naturaliter connectatur, vel non differentia est accidentalis logico instituto, & in ordine ad prædicationem, in qua non explicatur illa connexio, nec ratione illius vnum alio modo prædicatur, quam aliud: ergo.

§. 39. Viderint quid respondeant Merinerus, & quotquot à definitione proprij explodunt voculam *Conuertibiliter*. Equidem ego facilè me expedio, aiens, Dialecticum cum primis considerare prædicationes conuertibiles, tùm ad conuersionem propositionum, tùm ad structuram demonstrationum à priori, a posteriori, &c. Quare nego, connexionem proprij non explicari per prędicationem conuertibilem: nego etiam, vnum non prædicari alio modo, quàm alterum, nam proprium prædicatur conuertibiliter; accidens verò minime.

§. 40. Ex quibus infero, discrimina, quæ Thomistæ, & Scotici communiter assignant inter proprium, & accidens potiùs esse Metaphysica, nec proprium ab accidente logicè dirimere: quare lubet magis Dialecticè cum ipso Porphyrio eorum discrepantiam exhibere. *Differunt autem* (inquit ille cap. 6. de Communitat. text. vltimo) *quoniam proprium vni soli speciei adest quemadmodum risibile homini: Inseparabile verò accidens, vt nigrum non solum Æthiopi; sed etiam Coruo adest, & Carboni, & Ebeno, &c. Amplius proprium conuersim prædicatur de eo, cuius est proprium, & æqualiter est: Inseparabile verò accidens conuersim non prædicatur, & propriorum quidem æqualis est participatio: Accidentium verò, vel magis, vel minùs,* Duæ priores differentiæ pertinent ad logicum, scilicèt prædicari de solo numero differentibus, & prædicari conuersim: Tertia non pertinet.

§. 41. Inquires secundò. Cuiusnam respectu accidens sit vniuersale? Respondeo, respectu subiectorum, quibus contingenter adest, vt respectu Petri Album, Musicum, &c Nam respectu accidentium inferiorum non accidens erit, sed Genus, vel species, vt cum dico. Album est coloratum, vbi *Coloratum* est genus, quia de albo, atro, viridi, &c. essentialiter enunciatur. Et in hac: *Hoc album est album*, album prędicatur vt species, si enuncietur de subiecto formaliter sumpto. Nam si ratione suppositionis, & situs subiecti enuncietur de habente hanc albedinem, prædicabitur vt accidens, iuxta ea, quæ docuimus Dissert. 13. de Genere §. 56. obiterque hic valdè notandum, quod id, quod adest, & abest secundum physicam inhærentiam non est album, sed albedo: quod verò adest, & abest vniuersaliter est album, idest denominatiuum, seù concretum, de quo videndus Mag. Ioannes à S. Thoma q. 12. art. 2.

§. 42. Cęterum non indiuidua dumtaxat, sed etiam species, genera, & incompletæ substantiæ possunt esse subiecta, seù subijcibilia quintæ

præ-

prædicabilitatis, vt non solum dici valeat *Plato est Musicus*, sed etiam *Homo est Musicus*, *Animal currit*, *Materia prima est transmutata*, *&c.*

§. 43. Obijcies D. Thomam 2. contra Gentes cap. 81. *Vbi accidens* (inquit) *describitur quod potest adesse vel abesse præter corruptionem subiecti compositi ex materia, & forma, si autem referatur ad principia compositi subiecti verum non inuenitur, &c.* Quibus docet per subiectum non posse intelligi materiam primam, quia est principium subiecti compositi; Ergo solum compositum Physicum potest esse subiectum accidentis prædicabilis, proindeque hæc prædicatio: *Materia est informata*, & hæc: *Forma est vnita*, & similes non sunt quinti prædicabilis. Respondeo S. Doctorem loqui de accidente prædicamentali, quod realiter inhærere non potest, nisi toti composito vt in Physicis doceo.

§. 44. Inquires Tertio: An accidens, seù quintum vniuersale deposcat subiecta realiter existentia, de quibus prædicetur: an verò possibilia, & non existentia sibi sufficiant inferiora? Respondeo ad vniuersalitatem non exigi necessario, vt res prædicetur actu de multis: sed sat esse, quod posibilia sint multa, de quibus valeat prædicari. Vndè tametsi non existentibus albis, nequeat actu album de illis prædicari, At verò sat, superque est, quod alba posibilia respiciat, de quibus saltem remotè prædicari possit, vt vniuersale sit. Porrò certum est etiam, quod alij adnotarunt Authores, videlicet accidens non posse actu prędicari, nisi de existente subiecto: Quia prędicatio accidentalis est contingens, & non sempiternę veritatis, & sunt essentiales, quarum copula *Est* absoluitur à tempore: Hęc enim *Antichristus est homo* est actualis, & vera prędicatio, etiam Antichristo non existente: At verò hęc: *Antichristus est Musicus* neque verificari; nisi subiecto actualiter existente, quia eius copupula à tempore non absoluitur.

DISSERTATIO XXX.

Vtrum vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?

§. 1. QVæstio hæc magna ex parte explicata manet] supra Dissert. 14. dum examinauimus, quid loco generis fuerit statutum à Porphyrio in definitione generis? quæ omninò recolenda est, nec hìc actum agamus, & quamquam alij ante disputationem prædicabilium in particulari hanc difficultatem, discutiant; nos eam hùc reiecimus magis tempestiuè: Tùm quia cognitâ ratione generis, & cæterorum prędicabilium, commodius tyro rationem eorum communem, ac genericam dignoscet, Tùm vt hæc Dissertatio obtineat locum capitis sexti Porphyrij, in quo communitates prædicabilium explicuit ille.

THEOREMA I.

Aliorum sententias pono; propriam expono.

§. 2. SEntentia negans probat hoc precipuè argumento. Vniuersale est analogum; non vniuocum ad quinque vniuersalia: ergo non est genus illorum respectu. Antecedens probatur *primo*; Nam vniuersale non participatur æqualiter ab illis; genus enim est magis vniuersale, quàm species. Probatur *secundo* idem antecedens: Priora vniuersalia prædicantur substantialiter; & posteriora accidentaliter; sed substantię, & accidenti non datur nisi conceptus analogus: Ergo. *Tertio*: Proprium, & accidens dependent ab specie. *Quarto*: Vniuersalitas transcendit differentias. Tum quia differentia vt sic formaliter est vniuersalis: Tùm etiam quia differentia constitutiua cuiuslibet vniuersalis est vniuersalis, & hoc patet, eo quod non est singularis, non enim potest vniuersale constitui in esse talis per quid singulare, sed tàm dependentia, quàm transcendentia constituunt analogiam: ergo vniuersale est analogum, & non genus vniuocum ad quinque prædicabilia.

§. 3. Affirmans sententia est recentiorum Thomistarum ferè communis, adstipulatur Scotus cum tota Schola. Primum fundamentum est vulgare argumentum à deffinitione: Vniuersale prædicatur in *quid* de genere, differentia, specie, &c. quæ æqualiter participant esse vnum in multis, seù prædicabile de multis: Ergo, &c.

§. 4. Alterum fundamentum est solutio argumentorum aduersæ opinionis, quare ad primum negant antecedens, & ad primam probationem dicunt, maiorem vniuersalitatem generis esse extensiuam, eo, quod habeat latiorem ambitum inferiorum: non secundum se, & intensiuè. Sic Gigas erit maior homo, non magis homo.

§. 5. Ad secundum aiunt, non dari conceptum vniuocum substantiæ, & accidenti primo intentionaliter sumptis; at non repugnare, quod in secunda intentione vniuocè conueniant. Tertia probatio habet nonnihil difficultatis, quæ infra §. 12. examinanda est. Ad quartum negant vniuersale transcendere differentiam, eo quod differentia vt sic sit vniuersalis: Nam quælibet differentia est denominatiuè, & accidentaliter vniuersalis; non essentialiter, sicut requiritur ad transcendentiam. Dicunt item, differentiam constitutiuam vniuersalis non esse vniuersalem; nec singularem; sed naturam secundum se incompletam, idest modum, seù contractionem vniuersalitatis. Vndè hæc propositio falsa est: *Differentia constitutiua genereitatis est formaliter vniuersalitas*. Hæc, & similia communiter Dialectici.

§. 6. Dico primo: Vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia Porphyrij, nec Porphyrius ea definiens, statuit vniuersale pro genere eorum; sed aliquid aliud abstrahens ab vniuersali, & non vniuersali. Hæc conclusio manifestè probata est citata Dissert. 14. de Genere §. 2. & 8. & sequentibus.

§. 7. Dico secundo: Etiamsi prædicabile vt sic commune ad indiuiduum, & vniuersale contrahatur per primam differenriam *De multis* ad sola vniuersalia; adhuc non est genus formaliter ad quinque vniuersalia. Hæc conclusio statuitur immediatè contra Scotum aientem: Hic de-

definitionem vniuerſalis, ſcilicèt *Prædicabile de multis* poni loco definiti in definitione primi, & cæterorum prędicabilium. Probatur clariſſimè Tum ex dictis Diſſertatione citata §. 12. Tum quia definitio excluditur à Scoto, & ab omnibus è numero prędicabilium, quia eſt terminus complexus, prędicaturque *in quid*, & in *quale* ſimul: in quid ratione generis, & in quale ratione differentiæ; ſed perte *Prædicabile de multis* eſt integra deffinitio vniuerſalis: ergo non eſt formaliter genus. Immò eo ipſo, quod dicas, eſſe definitionem vniuerſalis, fateris in ea reperiri aliud genus vniuerſalis, quod non ſit vniuerſale. Patet; quia genus ad animal v. g. non eſt animal.

§. 8. Hìc aduerte nonnullorum incogitantiam Thomiſtarum, qui putant, Porphyrium definiſſe quinque prædicabilia per vniuerſale, tamquam per genus eo præciſè, quod ea explicuerit per *Prædicabile de multis*, quod Scotus dicit. Sed Scotus quidem conſequenter ad ſuam opinionem: Cenſet enim, vniuerſalis eſſentiam eſſe prædicabilitatem de multis, non aptitudinem ad eſſendum illis. At verò Thomiſta, qui prædicabilitatem de multis affirmat, eſſe proprietatem, & non eſſentiam, cur id dicat?

§. 9. Dico *tertio: Diuiſio vniuerſalis in quinque prędicabilia eſt diuiſio ſubiecti in accidentia; & verſa vice.*

§. 10. Dico quarto: Diuiſio prædicabilis de multis in quinque vniuerſalia eſt diuiſio accidentis in ſubiecta. Vtramque aſſertionem eodem medio faciliìmè probo. Perte (Thomiſta) vniuerſale eſt eſſentia, & prædicabile eſt quartum accidens, ſeù proprium illius: ergo diuiſio eſſentiæ in paſſiones, ideſt vniuerſalis in prædicabilia, qualis eſt rationalis in riſibilia, diuiſio eſt ſubiecti in accidentia, & è contra diuiſio prædicabilis in vniuerſale erit diuiſio proprietatis in eſſentias, qualis eſt riſibilis in rationalia, ideſt accidentis in ſubiecta.

§. 11. Dico quinto: Prædicabile reſpectu prædicabilium, & vniuerſale reſpectu vniuerſalium eſſe poteſt genus. De prædicabili probatur ex communi doctrina, qua dicitur proprium, & accidens reſpectu inferiorum ſuæ rationis prędicari inquid: vt coloratum reſpectu coloratorum eſt genus, & riſibile reſpectu huius, & illius riſibilis dicitur ſpecies. Deinde vniuerſale pro formali ſumptum de inferioribus eiuſdem rationis genericè prædicari poſſe oſtendi iam dicta Differ. 14. verumtamen Porphyrius (vt ſępè monui) non poſuit definitionem vniuerſalis pro genere primi, nec cæterorum prædicabilium, ſed definitionem prædicabilis communis, quod paſſio vniuerſalis non eſt: & hoc dicit primum aſſertum, nec pugnat cum quinta, & vltima aſſertione; vt rem attentè conſideranti patebit.

Quid de mente Sancti Doctoris.

§. 12. DE mente autem Doctoris Angelici non acquieſcō Rubio, & alijs dicentibus S.Thomæ ſententiā eſſe, vniuerſale eſſe genus ad quinque prædicabilia. Nihil enim de hoc expreſsè docuit ille, nec de eius mente tale quid nobis apertè conſtat. Tum quia non ignobiles Diui Thomæ Diſcipuli vniuerſale eſſe genus ad quinque prædicabilia conſtantiſſimè negarunt, vt Mag. Petrus Niger, Mag. Oña, & alij apud Maſium. Tum etiam, quia, & antiqui Thomiſtæ illud aſſerentes nullum pro ſe producunt S. Doctoris teſtimonium, vt M. Iauelius, M. Maſius, M. Sanchez, &c. Tum denique, quia Complutenſes, id colligi dumtaxat dicunt ex Opuſculo 56. (Quod tamen ipſi, vt Spurium cum alijs reijciunt Diſp. 14. de Relatione quæſt. 5. §. 3.) Item ex cap. 32. libri primi contra Gentes. Verum enim vero nihil ex prædicto Opuſculo, quod rem confirmet, colligi video; eſto non ſit ſuppoſitum. In libro autem contra Gentes. Hæc tantum ſcribit Sanctus Migiſter: *Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur, vel eſt genus, vel eſt ſpecies, vel differentia, vel accidens, aut proprium.* Ex quibus ſic infert Mag. Dominicus Lynceus: Ergo conueniunt vniuocè in ratione prædicabilis vniuoci, ac proinde ratio vniuerſalis genus eſt ad quinque prædicabilia. Verùm hanc conſequentiam poſſet quis negare, & meritò. Ex verbis enim D. Thomæ non colligitur per immediatam ſequelam: Ergo vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia vniuoca: ſicut ſi dicas: *Omne quod prædicatur vniuocè, vt genus ſupremum vel eſt ſubſtantia, vel aliquod ex nouem accidentibus prædicamentorum.* Inde non benè colliges; ergo conueniunt in ratione vniuoca, & ſupremo genere. Ens enim in quo ea genera ſuprema conueniunt, nec ſupremum genus; nec vlla ratio vniuoca eſt.

THEOREMA II.

Argumenta contraria refello.

§. 13. OBijcies aduerſus vltimam Aſſertionem: Ratio vniuerſalis magis propriè generi, & ſpeciei conuenit, quam cæteris, quæ eatenus videntur eſſe vniuerſalia, quatenus generis, vel ſpeciei rationem aliquam participant: ergo conceptus vniuerſalis non eſt vniuocus omnibus quinque prædicabilibus. Antecedens probatur: differentia ideo eſt quid vniuerſale, vel quia de multis differentijs dici poteſt, & hoc modo habet rationem generis, vel ſpeciei: vel quia eſſentialiter conuenit ſpeciei, quæ de multis prædicatur: vt quia *Rationale* conuenit homini, qui de multis prædicatur, hinc eſt vt eadem differentia de eiſdem quoque multis prædicetur. Idem dici poteſt de proprio, quod vniuerſale eſt, vel quatenus de inferioribus proprijs dici poteſt, vt *Riſibile* de hoc & illo riſibili, & hoc modo habet rationem generis, vel ſpeciei: vel quatenus ſpeciei per ſe competit, quo fit, vt de eiſdem dicatur, de quibus dicitur ſpecies: ergo non per ſe, & ſimpliciter; ſed cum dependentia ab ſpecie participant vniuerſalitatem, proindeque analogicè. Ita Mag. Euſtachius á S. Paulo Summæ Philoſoph. Tract. 12. de vniuerſalibus, quæſt. 4.

§. 14. Denique de accidente idipſum probat M. Oña.

M. Cña. Nam album v.g. de indiuiduis accidentalibus; vt Petrus, & Paulus dicitur medijs proprijs indiuiduis, scilicet hoc, & illo albo: & ita relatio, & prædicatio accidentis supponit intrinsecè prædicationem speciei de proprijs indiuiduis: Nam ratione huius albedinis Petrus dicitur albus, & inter hanc *Petrus est albus* mediat *Petrus est hoc album*, & *hoc album est album*.

§. 15. Dices, differentiam, proprium, & accidens dependere à genere, & specie Physicè, vel Metaphysicè secundum entitates materiales, non Logicè, & secundum prædicabilitatem, quę est forma vniuersalitatis.

§. 16. Contra: Quia dependere secundum formalem rationem essendi in multis, seu prædicandi de multis non est solum dependere secundum entitatem Physicam, vel Metaphysicam, sed secundum formam vniuersalitatis; Sed differentia, & proprium dependent ab specie secundum ipsam rationem essendi in multis, & prædicandi de illis: ergo. minor probatur: differentia, & proprium non essent formaliter in multis indiuiduis per se, nisi essent in specie respiciente indiuidua: Et hoc est formalissima dependentia negans vniuocationem iuxta Complutenses, qui affirmant, ideo ista prædicabilia non dependere analogicè à prioribus, quia vnũquodque eorum esset vniuersale; etiam si cætera vniuersalia essent impossibilia; atqui si esset impossibilis species, non esset possibilis ordo ad indiuidua, in quibus essent, & de quibus prædicarentur differentiæ, proprium, & accidens: ergo hæc dependentia non solum est Metaphysica, sed Logica, & in formalissimo ordine essendi in multis, & prædicandi de illis.

§. 17. Dices secundo cum Mag. Serna, differentiam, & proprium vt sic per accidens esse in multis, in quibus est species infima, quia illis accidit esse in multis, in quibus est species infima, quia illis accidit esse in specie infima. Nam differentia subalterna, & proprium genericum immediatè dicuntur de pluribus, non medio alio prædicabili.

§. 18. Contra: Quia differentia subalterna vt *sensibile* vel est per se in multis, quia est in sensibilibus eiusdem rationis, vel quia est in multis speciebus, vt in homine, & leone; sed quod sit in multis sensibilibus, non constituit illud in esse differentiæ, sed in esse generis: in homine autem, & leone non est, nisi quatenus est in animali, aut quia constituit animal: ergo formaliter quatenus differentia adhuc subalterna nequit esse in multis, nisi dependeat à genere, seu specie subalterna, & similiter argumentor contra proprium genericum.

§. 19. Respondeo igitur ad argumentum: Nego antecedens: ad probatum concesso antecedente; nego consequentiam. Quia vniuersale vt sic est *vnum in multis* abstrahendo ab eo, quod est esse in multis mediatè, vel immediatè: hi enim modi pertinent ad differentias, inter quas quidem esse in multis immediatè perfectior differentia est; quam esse in multis mediatè. Verùm hæc inæqualitas non inducit analogiam, quia prouenit à differentijs, qualiter Animal perfectiùs in homine est, quam in Mure differentiæ meritò. Id quod in mea sententia liquidiùs apparet, nam (vt supra docui.) Respectus ad speciem est modus differentialis contrahens aptitudinem essendi in multis in differentia, & in proprio, eaque in esse tertij, & quarti prædicabilis constituens. Hoc ipsum de accidente proportionabiliter respondeo: Nam accidens est in multis per identitatem accidentalem: ideo enim Petrus v.g. est Musicus, quia per accidens identificatur cum habente Musicam, sicut album cum dulci, cum dico; *Album est dulce*: Igitur quod Album, vel Musicum sit mediatè, & per accidens in Petro, hoc ipsum est differentia constituens illud vniuersale in esse talis, nempe quinti, & accidentalis.

§. 20. Obijcies secundo: Ideo conceptus differentiæ vt sic, quæ à Porphyrio diuiditur in communem, propriam, & proprijssimam, non est vniuocus sed Analogus illis per te, quia differentia proprijssima vt *Rationale* est substantia, & prædicatur in *Quid*: Communis vero est accidens, & prædicatur in *quale contingenter*: Ergo nec conceptus vniuersalis est vniuocus ad genus, & speciem, quæ sunt substantia, & prædicantur in *Quid*, & ad accidens, quod prædicatur in *Quale contingenter*. Probo consequentiam. Ratio, ob quam dicis, vniuersalitatem posse conuenire vniuocè quinque prædicabilibus est, quia licet substantiæ, & accidenti nequeat dari conceptus vniuocus primo intentionaliter; tamen in secunda intentione possunt vniuocè conuenire: Atqui ratio differentiæ, seu tertij prædicabilis etiam est secunda intentio, & tamen ideo non est vniuoca ad differentiam communem, vt *nigrum*, & ad proprijssimam, vt *Rationale*, quia sunt substantia, & accidens: Ergo vel debes concedere, quod nec secundo intentionaliter dabilis est ratio vniuoca substantiæ, & accidenti; vel fateri, quod differentia, vt sic saltim secundo intentionaliter est communis vniuocè communi, & proprijssimæ, quod vtraque negat Schola.

§. 21. Merinerus Disput. 1. de differentia, quæst. 1. reddit disparitatem: aiens, quod prædicari essentialiter, & prædicari accidentaliter non variant formã prædicabilitatis, quæ significatur per ly *Prædicabile de multis*; Sed illam inuariatam contrahunt, & perficiunt: At facere differre accidentaliter variant rationem formalem faciendi differre, quæ significatur per ly *Differentia*. Nam solum dicitur facere differre, verè, & formaliter quod facit aliud, vt est differentia essentialis; nam differentia accidentalis solum facit alterum, quod est facere differre analogicè, & similitudinariè,

§. 22. Sed contra: Merinerus non nisi vacua verba protrudit: Nam conceptus communis differentiæ nihil aliud dicit, quam *facere differre*: Quod autem essentialis differentia faciat differre simpliciter, & faciendo aliud; accidentalis verò faciat differre secundum quid, & faciendo alterum, hoc prouenit ex ratione specifica earumdem, & ex modis contractiuis huius, & illius differentiæ: nec addere modum contractiuum, perfectionem, vel imperfectionem in membris diui-

diuidentibus est variare rationem formalem diuisi: alioqui etiam prædicari *essentialiter*, & prædicari *accidentaliter* variarent rationem formalem prædicabilitatis. Manet igitur argumentum in suo robore intactum, nec illud soluit Merinerus.

§.23. Alij verò Scotistæ cōsequentius dicunt, quod quamuis conceptus differentię vt sic sumptæ primo intentionaliter sit Analogus, in secundo æquiuocationis modo (vt loquitur Scotus) & vt loquuntur Thomistæ, Analogia attributionis: At verò si illa sumatur secundo intentionaliter erit vniuoca differentiæ communi, propriæ, & proprijssimæ. Ita Poncius, Io: Lalemandet, Rodriguezius, & alij.

§.24. Sed contra: In vtroque deficiunt Scotistæ. Nam quoad primam partem distinctionis ideò differentia proprijssima, vt *Rationale*, & communis, vt *Album* conueniunt solum analogicè, quia substantia, & Accidens, Essentia, & contingentia, idest differentia simplicitèr, & differentia secundum quid non possunt conuenire nisi analogicè, idest conuenientia proportionis (vt clarè fassus est Rodriguezius) atqui hoc non sufficit ad constituendam analogiā in ente communi ad substantiam, & Accidens: ergo nec ad ponendum analogiam in differentia communi ad substantiam, & accidens. Vel à contrario sensu; Atqui differentia ideò est analogum quid, quia est communis substantiæ, & accidenti: Ergo ens etiam erit quid analognm, vt commune ad substantiam, & accidens. Certè ipse Scotus, qui in Dialectica docuit, ens esse Analogum substantiæ, & accidenti concederet vltrò hanc vltimam consequentiam: Sed quia postea in Theologia deserta priore sententia, tenuit ens non esse Analogum, sed vniuocum, ansam dedit Discipulis, vt hac in re varij sint, & in concordantia vtriusque doctrinæ frustra laborent: Etenim conceptum differentiæ primò intentionaliter sumptæ prout precisum à differentia substantiali, & accidentali non esse analogum attributionis respectu *Rationalis*, & *Albi* probari potest contra Scotistas omnibus ijs argumentis, quibus ipsi probant, conceptum entis non esse Analogum attributionis, neque proportionis respectu substantiæ, & accidentis: vt volenti rem experiri manifestum erit.

§.25. Quoad secundam partem distinctionis falsum est etiam differentiam secundo intentionaliter sumptam esse quid vniuocum suis membris: si pro differentia secundo intentionaliter sumpta intelligant illam, quæ ad institutum Logicale deffinitur sic a Porphyrio: *Quod prædicatur de pluribus differentibus in quale quid*. Quia hoc solum conuenit proprijssimæ, siquidem propria prædicatur in quale *necessario*, & Communis in quale *contingenter*: Ergo neque secundo intentionaliter sumpta potest differentia illis esse quid commune vniuocum, sed potius semel decurata analogia attributionis differentiæ realitèr sumptæ, debent Scotistæ illam etiam secundo intentionalitèr sumptam non admittere vniuocam, sed vtramque analogam asserere: Probo: secunda intentio vt applicabilis primis sequitur naturam primarum intentionum, quibus applicabilis est; differentia secundo intentionalitèr, seu Logicè sumpta est secunda intentio formaliter applicabilis primis intentionibus differentiarum, seu differentijs primo intentionaliter sumptis: ergo formaliter sequitur naturam primarum intentionum differentiarum. Atqui differentijs primò intentionaliter sumptis nihil datur per vos commune vniuocum: Ergo neque differentijs secundo intentionaliter sumptis datur vlla ratio vniuoca. Discursus est bonus, & eo quidem conuictus est Rodriguezius. Quæst. 1. de differentia. Artic. 2.

§.26. Respondeo igitur: inter rationem communem vniuersalis, & rationem communem differentiæ in ea latitudine, latum versari discrimen: Nam ratio vniuersalis, nempe esse in multis æqualiter participatur a quinque Prædicabilibus: Quod enim Genus v. g. sit in multis essentialiter, & accidens sit in multis contingenter, hæc diuersitas non affertur ex ipsa ratione communi essendi in multis; sed ex differentijs illius contractiuis, nempe *essentialiter*, & *contingenter*. At verò in differentia primo intentionaliter sumpta, seu in ipso facere differre affertur diuersitas ex ipsa ratione communi coniungit enim conuenientiam cum diuersitate, vt sit in omni ratione analoga, quæ essentialiter debet esse partim eadem, & partim diuersa: & hæc quidem proprie loquendo non est conuenientia simpliciter, sed mera proportionalitas, quia ex eo quod Rationale faciat differre, & etiam Album suo modo faciat differre, non sequitur, quod vniuocè conueniant in ratione faciendi differre, fit enim transitus de secundum quid ad simpliciter (vt loquuntur Dialectici) iuxta ea, quæ tradidi supra de ratione communi indiuidui Differt. 12. quæ hic recolenda sunt. Adde, quod quamuis Album faceret etiam differre simpliciter sicut Rationale, adhuc non conueniret vniuocè cum illo, sicut non conuenit Petreitas cum Pauleitate, nec rationale cum irrationali; multo minus igitur conueniet rationale cum Albo, substantia cum accidente &c. Igitur quamuis nulla esset attributio albi ad rationale constituent illam Analogiam, quæ asseritur à Scotistis: Sola tamen proportionalitas, seu dissimilium proportio hic faceret rigorosissimam Analogiam, vt inter indiuiduationes substantiales facit. Iam verò differentia secundo intentionaliter sumpta, eo ipso, quod constituatur essentialiter per *Prædicari de multis in quale quid* nequit vniuocè conuenire cum alijs, quarum propria prædicatur in quale *necessario*, & Communis in quale *contingenter*, vt supra dicebamus. Dices: ergo etiam si non conueniant in ly *quid*, conueniunt tamen, & quidem vniuocè in eo, *quod prædicantur de multis in quale*. Concedo consequentiam: sed nego suppositum, quod ille foret conceptus differentiæ vt sic: Nam eiusmodi conuenientia non est nisi Prædicabilis adiectiui, seu denominatiui, quam si illis volueris vniuocam, per me tibi liberum esto.

§.27. Objicies tertio. Quandocumque species aliqua prędicatur accidentaliter de aliquo, etiam

etiam genus eius prædicatur accidentaliter de illo. v. g. eo ipso quod album prædicatur accidentaliter de Petro, coloratum etiam, quod genus est ad album, prædicabitur accidentaliter de Petro, tam enim accidentalis est hæc: *Petrus est albus*; quam ista: *Petrus est coloratus*, sed species prædicatur accidentaliter de Genere cum dicimus *Genus est species*: Ergo & vniuersale ipsum, quod perte est genus ad speciem, & ad cœtera prædicabilia prædicabitur accidentaliter de Genere primo prædicabili: Ergo hæc: *Genus est vniuersale* est prædicatio accidentis, & non Generis de specie, & sic de cæteris.

§. 28. Respondeo, Vniuersalitatem, Genereitatem, ceterasque secundas intentiones bifariam accipi posse, atque debere: idest formaliter, & vt *quod*, vel denominatiuè, & vt *quo*. Tunc accipitur formaliter, & vt quæ secunda intentio, quando se gerit ad modum primæ intentionis denominatæ; denominat enim vna secunda intentio aliam, non secus ac si esset prima intentio. v. g. vniuersale non modo denominat humanitatem dum dico: Humanitas est vniuersalis, sed etiam specieitatem, dum dico specietas est vniuersalis. Alio modo vsurpatur denominatiuè, & vt *quo*, idest prout est forma secundo intentionaliter denominans subiectum, siue hoc reipsa sit prima intentio, siue secunda primæ intentionis Vicesgerens: Horum ratio est: Quia intellectus virtute pollet reflexiua, & pro varietate considerationis potest in infinitum supra suos actus reflectere: Vnde licet primæ intentioni adfigat formam secundæ intentionis, rursus alio actu reflexo potest aliam secundam intentionem appingere præcedenti, quæ iam primæ intentionis vicem obiuit, dicturque secunda intentio formaliter, & vt quod sumpta: idest vt quod concipitur: Posterior verò intentio denominatiua, & vt quo, idest vt attributum accidentale, quo res concipitur. Quæ Scotus breuioribus, at obscuris terminis indicauit, aiens, secundam intentionem summi posse vel vt *quid*, vel vt *Modus*, quorum explicatio recidit in nostram.

§. 29. Vniuersale igitur non est genus ad quinque prædicabilia sumpta formaliter, & vt quod, nam sub ea notione sunt illa quasi primæ intentiones, v. g. Homo, animal &c. quibus quidem accidentale est esse vniuersalia per intellectum: Conueniunt enim ens reale, & ens rationis vniuocè in eo quod æqualiter possint substerni secundis intentionibus. At verò si tam vniuersale, quam quinque prædicabilia sumantur denominatiuè, & vt sunt formæ accidentales, vniuersale erit genus ad vniuersalia, sicut coloratum, quod licèt respectu Hominis, & parietis non sit genus; tamen respectu coloratorum formaliter talium genus est. Hinc toto argumento concesso: Distinguo vltimum consequens: Ergo hæc prædicatio: *Genus est vniuersale* est accidentalis: sumpto ly genus formaliter, & vt quod, concedo: sumpto denominatiuè, & vt quo, nego. Et sic reseratur *Arcanum* illud secundarum intentionum, quod celebrant Rubius in cursu magno quæst. 7. & Valera Distinct. 8. q. 2. quodqui non benè callucrit, tenebras offendet plusquam Cimmerias: & nos reliqua argumenta communi hac vtriusque scholæ doctrina enodabimus.

§. 30. Obijcies quarto: si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, hæc prædicatio *vniuersale est genus*, esset directa non minus quam hæc *Animal est genus*: atqui eo ipso eiusmodi prædicatio etiam esset simul indirecta, quod est impossibile: ergo vniuersale non prædicatur vt genus de quinque prædicabilibus. Minor probatur: nam ideò hæc propositio *Animal est homo* est indirecta, quia de subiecto Superiori prædicatur inferius: atqui per te genus est inferius vniuersali vt sic: ergo in ea prædicatione *Vniuersale est genus* prædicatur inferius de superiori: Ergo est indirecta, & simul directa.

§. Respondeo, eam prædicationem esse directam, sed denominatiuam, & quinti prædicabilis: Quod si etiam indirecta est, eo quod de Genere prædicetur directè vniuersale dum dico *Genus est vniuersale*, iam hæc est prædicatio alterius ordinis, nempe generica, & essentialis, quod minimè repugnat: Nam hæc propositio *Animal est homo* est directa ex vi prædicationis accidentalis: Animali etenim reuera, & directè accidit esse hominem: Et simul est indirecta ex vi prædicationis genericæ, nam species de suo genere indirectè enuntiatur.

§. 32. Obijcies quinto: ex nostra sententia sequi absurda ea omnia, quæ Logicorum vulgus hic solet comminisci, videlicet genus contineretur sub sua specie: nam si vniuersale est genus ad quinque vniuersalia, genus erit species vniuersalis; atqui vniuersale esset quoddam particulare, genus, vt Animal, color &c. ergo continebitur, sub genere in communi, quod cum sit species, eiusdem vniuersalis, iam vniuersale continebitur sub contento à se, quod repugnat.

§. 33. Sexto: Immò vniuersale esset indiuiduum: Inferiora enim speciei infimæ sunt indiuidua; Sed primum prædicabile esset species infima, sub qua contineretur hoc genus, quod est vniuersale vt sic: Ergo esset simul genus superius & simul indiuiduum inferius speciei à se contentæ.

§. 34. Septimò: Oppositum prædicaretur de opposito formaliter, nempe species de condistincta specie. Nam hæ prædicationes sunt veræ: Genus est species, differentia est species &c.

§. 35. Tandem, prædicationes identicæ simul essent formales: Nam hæc esset formalis. Species est species vniuersalitatis, &c.

§. 36. Respondeo. Hæc omnia (vt benè notarunt Complutenses) potius homullam confusionem, quam difficultatem facessere, ea enim omnia non modò absurda non sunt; sed necessaria sunt, vt & ipsi testantur. Vndè ad quintum concedo, vniuersale vt genus posse contineri sub sua specie, quatenus denominatiuè de illo prædicari potest secunda intentio Genereitatis, non secùs ac de animali dicitur: *Animal est genus*, quia per actum reflexum concipitur vniuersale formaliter, & vt *quod*. Et hæc mutua continentia est in diuerso genere vniuersalitatis, pro-

proindeque non est impossibilis. Nam Genus essentialiter, & vt *quod* continetur sub vniuersali tamquam sub primo prædicabili. Ast vniuersale sub Genere continetur Denominatiuè, & vt *quo* tamquam sub quinto. Ad sextum concedo etiam, vniuersale per alium actum reflexè id considerantem posse etiam esse indiuiduum denominatiuè.

§. 37. Ad septimum dico, secundas intentiones non esse oppositas, nisi sumantur formaliter, & vt *quod*. Ast in hac prædicatione: *Genus est species* subiectum sumitur vt *quod* formaliter, & prædicatum vt *quo* denominatiuè. Vndè etiam soluitur octauum. Nam cum in hac prædicatione, *Species est species* subiectũ sumatur, vt *quod* formaliter, & prędicatum denominatiuè, enunciatio non est identica, sed formalis, sicut & hæc vniuersale est vniuersale, quæ etiam ob diuersum modum vsurpandi subiectum à prædicato formalis est, esset autem identica, si tam subiectum, quam prædicatum sumerentur formaliter, sed vtrumque denominatiuè. Volui in huiusmodi Mæandris enodandis ex antiqua Thomistarum (quibus accinit Scotus nihil discrepans) doctrina respondere, quia secura est. Equidem neoterici, qui vetera aspernantes à proprio cerebro rem versant, multo sudore cum tenebris pugnant, & nedum illas diffiant; sed interdum nouas offundunt. Et hæc de Porphyriana Isagoge.

LIBER TERTIVS

In Aristotelis Stagiritæ Peripateticorum Principis decem Categorias dialecticæ Dissertationes.

PROLVSIO PRIMA.

I. PErcursa iam Porphyriana Isagogè, quæ ad Categorias Aristotelis vestibulum erat, ad Philosophorum Principis Lycæum accedimus, librum videlicet Categoriarum inchoantes. Et hic quidem prò Dialecticorum more de Aristotelis patria, genesi, professione, fama, scientiarum splendore, librorum vbertate, deque cæteris tanti viri monumentis erat proludendum: Sed verò ea vulgo nota sunt omnia: Macedonem enim fuisse, siuè (vt apud S. Epiphanium) genere thracem, patria stagiritem, Socratis, & Platonis discipulum, Magni Alexandri Magistrum, Orbis vniuersi Philosophiæ & quidem defæcatioris, atque politissimæ Doctorem; immo oraculum; Nicomacho, & Phæstide parentibus natum, ante Virginei partus annum 329. ætatis autem suæ 63. climacterico veri numinis ope sub ijs verbis *Causa causarum miserere mei* implorata, extremum halasse spiritum ignorat nemo.

II. Accipe nunc quæ vulgus nondum detriuit. Is quippe Homeri Sententiam ex Odyssea vehementer dicitur approbasse, qua pronunciatur, non esse indecorum immortalibus Dijs hominis naturam induere, quo ab erroribus seruocentur mortales, qua in re Christi Domini Aduentum, seù Deum humana fore natura corporandum præsagijsse augurantur nonnulli Cœlio teste lectionum Antiquar. *lib.* 17. *cap.* 36. Sed ne curiosis licet, inutilibus tamen rebus teramus tempus, errores eiusdem, qui orthodoxa cum Religione apprimè pugnant libet attexere, eo quidem conatu, ne tanti Philosophi placitis plus nimio addicti Catholici Tyrones venenum imbibant doctrinæ lautitijs occultatum: Nec commemorabo dogmata de æternitate Mundi, & de numero Animarum præfinito, quæ omnibus sunt patula, sed ea dumtaxat, quæ vel studiosis subterfugere possint.

Errores Aristotelis notantur.

III. PRimus quidem habetur de somno, & vigilia, seù in libello de *Diuinatione per somnum*. Vbi Deum negat, immittere somnia, eo nixus argumento, quod si Deus eorum author esset, optimis quidem, eisdemque prudentissimis immitterentur, & non quibuscumque despicatæ fortunæ homuncionibus.

Alter primo consimilis, etiam prò sapientibus statim in Tractatu de Bona Fortuna, vt citat M. Melchior Cano, res fortuitas ait, Diuinam Prouidentiam, & gubernationem subterfugere, eo quod prauis hominibus res obueniant secundæ; non vero Sapientibus; quinimmo insipientissimos quosque videmus esse apprime fortunatos, neque fas esse, *Deum curam malorum habere*.

IV. Tertius in 1. libro de Cœlo: vbi disserte docet, omne quod est incorruptibile necessario esse debere ingenitum, ac perpetuum: idest nullo modo incæpisse existere (hoc enim sensu explicuerat ille quod vocat ingenitum, & perpetuum) vnde fiet, vt rationalis animus, aut sit corruptibilis, aut arte ingenitus, sempiternusque notione supra explicata, idest numquam incæpisse.

V. Quartus est in Metaphysicæ libro quinto, item, & duodecimo, vbi Deum definit animal esse perpetuum, & optimum; & rursus cum cælestes substantias moueri per mentes quasdã doceat, easque Deos etiam cum antiquis appellare non abnuat, Deum tamen ait, illum vnum cęterorum Principem extremo Cœlo affixum per se mouere illud, non secus, ac cæteræ Cœlorum mentes suos rotant Orbes.

VI. Quintus eodem etiam libro eiusmodi mentibus Cœlorum motricibus Virtutem appingit infinitam, eo quod illos tempore moueant ifinito.

VII. Sextus eodem libro Deo prouidentiam adi-

adimit, nam premia, atque supplicia, quę in futura vita bonos, atque sontes maneat, fabulas esse existimat ad vulgum coercendum confictas. Immo quod prouidentiam de medio sustulerit, grauissimi, simul & Sanctissimi tradidere Theologi, inter quos Clemens Alexandrinus Stromatcon 5. Epiphanius lib.3. aduersus hęres. cap. vltimo. Nazianzenus Orat. 2. de Theol. Ambrosius què libro 1. de Offic. cap.13.

VIII. Septimus consectaneus quidem est ad errorem de æternitate Mundi, nam semel admissa infinita animarum multitudine, quam admittat necesse est, ne Pithagoræ *Metempsichosin* idest in corpora transmigrationem deuoret, cum alioqui infinita corpora esse non posse existimet, consequenter mortuorum resurrectionem negabit.

IX. Octauus idemque etiam consectaneus creationem idest productionem entis ex nihilo inficiatur, cum etenim Deum, & materiam duo rerum eaque coæternas constituat principia, nihil nisi de præiacente materia produci posse arbitratur, quia ex non ente nihil fieri pronunciauit libro 1. Physicorum.

Antonij Posseuini ficulnum auxilium prò Aristotele ressellitur.

PROLVSIO ALTERA.

X. Magnum illum virum ingenio, doctrina, aurea que admirandum eloquentia Theologum (Melchiorem Canum dico) qui prædictorum plerosque errorum Aristotelis obelo etiam notarat lib. decimo de locis Theologicis cap. 5. sugillare ausus est Antonius Posseuinus Bibliothecæ lib. 12. tract. 3. cap. 2. Et Patronum Stagiritæ agens hosce errores eluere conatur. Nos vero istius Scriptoris subsidia breuiter disflabimus, idque nobis dum Aristotelem percellimus, honestamenti accesserit, quod pro veritate Fidei orthodoxa pugnamus: non de rebus Dialecticæ leuiculis summum Philosophum criminamur, id, quod in Porphyrium fecit Hurtadus cap. de Differentia.

De primo errore.

XI. Primum Aristotelis errorem conatur ex alijs Authoribus defendere Posseuinus, & duo dicit: *Primo* illum loqui vniuersaliter de omni somno, scilicet negando omnia somnia immitti à Deo, quod patere ait ex duobus, quę producit argumentis. Tum quia etiam pessimi homines somniant. Tum item quia nonnulla Brutorum etiam somniant, quibus credendum non est, Deum suppeditare somnia, id quod minimè aduersatur sacris litteris, sed potius consonat, cum pluribus in locis prohibent, fidem somnijs adhibere. *Secundo* dicit, M. Canum in libro quoque citando minus fidelem fuisse: ea enim non scripsit Aristoteles in libro de *Somno, & Vigilia*, sed in libro de *Diuinatione per somnium*.

XII. Quoad primum dico, Scriptorem hunc dum Aristoteleum ab impietate purgare vult, illum facere artis Syllogisticæ ignarum. Nam ex hoc antecedente *Si Deus somnia infundit, & suppeditat, insulsum est, vt non optimis, eisdemque prudentissimis, sed de populo quibuscumque despicata fortuna hominibus* Non bene colligitur hæc consequentia; ergo non omnia somnia immittit Deus. Hic enim discursus legitimus non est: *Si Deus omnia somnia causaret soli optimi, & sapientissimi somniarent; sed non soli optimi, & sapientissimi somniant: ergo Deus non causat vniuerse omnia somnia*: qualis rogo est consequentia? Maior est falsa, & potius eius contradictoria debuit reponi, vt propositio Posseuini bona posset deduci consequentia, hoc modo: *si Deus omnia somnia causaret, non soli sapientissimi, & optimi, sed etiam pessimi somniarent*: quod est euidens; non enim sola optimorum somnia sunt omnia somnia. Item si hoc alio modo arguatur sic: *si Deus omnia somnia causaret, pessimorum etiam somnia causaret; Sed pessimorum somnia non causat: ergo non omnia causat* Melior esset forma, sed minor est falsa, & petit principium; assumit enim quod probandum est: Item maior est contradictoria propositionis Aristotelis, qui affirmat, solum optimos esse somniaturos.

XIII. Iam vero ex eo, quod Deus prohibeat nos omnibus somnijs fidem adhibere, non sequitur, quod ipse non causet omnia somnia: Etenim etiam prohibet, quod dæmonibus fidem adhibeamus, & tamen dęmones causauit, & conseruando causat. Denique ratio Aristotelis erronea est, & contra sacras litteras, quidquid negotietur Posseuinus: Nam Pharao, Nabucodonosor, Pincerna, gregarius miles Madianita, & alij non fuerunt optimi, neque sapientissimi, & tamen somniarunt Deo somnia suggerente: ergo non tantum optimis, & sapientissimis Deus somnia immittit.

XIV. Quoad alterum, quod Cano de infidelitate obijcit Posseuinus, dico, sub eo titulo *de Somno, & Vigilia* contineri tres Disputationes, in quibus omnia, quæ spectant ad somnium tractauit Aristoteles, quare etiam illa, quæ *de Diuinatione per Somnium* dicitur, pertinet vt pars ad tractatum *de Somno, & Vigilia*, quod patet tum ex ipso exordio libelli *de Somno, & Vigilia*, vbi Philosophus hanc difficultatem dicit, se tractaturum: *Rerum consequentium* (inquit) *habeatur præsentia vlla, necne*? Ecce diuinatio per somnium: *Et si habetur, qua ratione habeatur, & vtrum futura dumtaxat ab hominibus peragantur, an Dei alicuius numine, & natura, aut temeritate fortuita.* Quid clarius? Tum etiam vel maximè quia hunc locum citauit sub eo titulo *de Somno, & Vigilia* Angelicus Doctor S. Thomas 2. 2. quæst. 172. artic. 4. *Philosophus dicit* (inquit ille) *in libro de Somno, & Vigilia, quod si diuinatio somniorum est à Deo, inconueniens est, eam immittere quibuslibet, & non optimis Viris.* Non ergo infidelis erat Canus incitando prædictum locum, cum illum citet eadem fidelitate, qua Sanctus Doctor, qui quidem in Operibus Aristotelis Posseuino, & quibusuis alijs longè versatior est.

De

De secundo errore.

XV. Ad alterum Aristotelis errorem pergit Posseuinus, aitque, iustissimam esse Cani accusationem, si Aristoteles alicubi illa pronuntiauit: Verum tamen non extare tractatum istū de bona fortuna. Et certe (inquit) quæ in Physicis de Fortuna disputauit, nihil eiusmodi habent. Hinc Posseuinus colligi vult, Canum Aristoteli hunc errorem imposuisse, quando quidem inter opera eius tale quid non haberi docet.

XVI. Sed vero fallitur Author iste. Nam si legisset tomo secundo librum secundum Magnorum Moralium cap. 8. protius inuenisset tractatum *de Bona, seu Prospera Fortuna*. Vbi prędicti erroris Sententia cuilibet oculato, atque legenti est in propatulo.

De tertio errore.

XVII. Tertium errorem excusat Posseuinus contra Canum, aiens, quod quando Aristoteles loco citato dixit, *omne genitum esse corruptibile* loquebatur de generatione, non de creatione, quam nullam agnoscit. Non ergo inde Canus (inquit ille) timere debuit animę nostræ corruptionem, quoniam etiamsi incæperit esse, non tamen est genita, sed creata, quem productionis modum licet non cognouerit] Aristoteles, nouit tamen, illam esse immaterialem &c.

XVIII. Sed contra: Posseuinus non attigit mentem, neque quidem verba Cani videtur legisse. Canus enim non colligit, animam rationalem esse corruptibilem apud Aristotelem ex eo quod ille doceat, *Omne genitum esse corruptibile*, sed quoniam versa vice dixit, *omne incorruptibile esse ingenitum*. Et hoc quod est esse ingenitum explicuit esse æternum à parte ante (vt aiunt) idest nunquam incæpisse existere: Hinc infert Canus, animum rationalem, aut fore improductum, id enim sonat ingenitum: aut si genitus admittitur ab Aristotele, censebitur corruptibilis, & in hoc Posseuinus volens Aristotelem defendere; potius damnat, dum ait, illum non cognouisse creationem, vt re vera non agnouit. Canus autem clarissimè scripserat docuit (inquiens de Aristotele) *Quidquid incorruptibile esset, id ingenitum esse, ac perpetuum oportere, hoc est nullo vnquam modo incæpisse, sic enim vocem illam interpretatur*. Hæc ille, neque Posseuinus negare poterit, æquè impium, & erroneum esse dicere, animam rationalem nunquam incæpisse, ac affirmare, illam esse corruptibilem: iure ergo alterutrum timere debuit Canus.

De quarto errore Aristotelis.

XIX. Quartum errorem sic etiam excusat contra Canum [*In hac quarta* accusatione (inquit) iustius Aristotelem accusasset, quod in 8. Physicorum Deum fecisset immediatum motorem primi mobilis; hoc enim graue fuit illius peccatum: Nam quod Deum appellauerit animal non adeò graue est, si certe intelligitur, vel quod Cœlum simul cum intelligentia sumptū substantia est animata, vel si solus Deus intelligatur, animal dici potest, *hoc est viuens*] Hæc Posseuinus.

XX. Contra: in hoc quarto errore excusando, nescit Posseuinus, quid taxet in Cano, illum enim volens reffellere, potius probat. Duo obijcit: *Primum*: quod iustius accusasset Aristotelem, eo quod Deum fecit immediatum motorem primi mobilis. Sed ecce id fecit Canus, ecce iustius accusauit *Itaque arbitratur* (inquit Canus) *Deum illum vnum Principem cæterorum extremo Cœlo affixum per se mouere ipsum, quomodo cæteræ mentes suum Orbem mouent, suntque Aristoteli ipsorum Orbium animæ*. Ergo accusauit Aristotelem de peccato graui, de quo Posseuinus voluit, vt ipsum Canus iustius accusaret. *Alterum* quod obijcit, est, non esse adeo graue peccatum, quod Deum animal appellauerit, vel quia Cœlos simul cum intelligentia animatos voluit, vel Deū quia viuens est, animal nuncupauit. Sed vero hoc etiam præstitit egregie Canus, id non esse graue peccatum docuit, Aristotelem que excusauit ijs verbis: *Sed nequis admiratus* (inquit) *quod Cælestes substantias animalia hic Aristoteles nuncupet: nam veterum more substantiam animatam (siuè anima sensitiua, siuè intellectiua)* vocat animal, &c. totum ergo quod Posseuinus ad rectam de Aristotelis errore censuram expetebat, optimè exhibuit Canus: quid ergo reffellit?

De quinto errore Aristotelis.

XXI. Quintum errorem sic eluit: negat; Aristotelem concessisse virtutem infinitam intelligentijs Cœlorum motricibus, neque hoc aptè colligi dicit ex discursu Aristotelis, qui solum voluit, intelligentias esse à materia abstractas [*Probatio erat* (inquit) Si essent formæ in materia, vel essent in materia finita, vel infinita; infinita non datur; Si ergo sint in ea, quæ finita sit; vel essent virtutis finitæ, vel infinitæ: Si finitam haberent virtutem, non mouerent æterno tempore, si infinitam: mouerent in non tempore: ergo nullo modo sunt formæ in materia. Ex hac demonstratione vndenam habetur virtus infinita? potius habetur finita &c. Mitto plurima loca (pergit Posseuinus) ex quibus non reliquas modo intelligentias, sed Deum quoque colligitur, cum fecisse *Virtutis finitæ*] Hæc ille.

XXII. Sed ò egregia Aristotelis defensio? Vt illum liberet ab errore admittendi intelligentias virtutis infinitæ, fatetur, illum admisisse Deum Virtutis finitæ, quod citra dubium peior error est, sicuti & maior impietas est, Deum facere non omnipotentem. Sed esto: Do Posseuino, Aristotelem prædicto discursu solum voluisse probare, intelligentias esse à materia abstractas, seu immateriales, idque solum esse suam conclusionem: At verò præmissę supponuntur ab ipso, vt omninò certæ atque illa Propositio *Si haberent finitam virtutem non mouerent æterno tempore* statuitur vt principium euidens huiusce Demon-

monstrationis, ex quo optima consequentia colligere licet: *Ergo intelligentia mouens æterno tempore, habet Virtutem infinitam*. Quid ergo rogo iuuat Aristotelem dicere, hunc errorem non deduci in sua ipsius conclusione, si apertè supponitur in præmissis? Turpiter ergo errauit Aristoteles adhuc in his, quæ Posseuinus emaculare contendit. Canus autem clementius quidem suam protulerat crisim. Audi: *Si quis verò* (inquit) *pro Aristotelis sensu Apologiam adornet, cum hoc ego magnopere non contenderim, tantum à lectore postulo, vt mihi concedat si potest, Aristotelem in his locis errasse, sin hoc nō licet per D. Thomam: at illud certè dabit, vel cautè eum vt varium, & lubricum esse legendum, vel certè esse in nonnullis placitis reprobandum*.

De sexto Aristotelis errore.

XXIII. Circa sextum errorem nihil habet Posseuinus, quod Cano obijciat, sed potius illum laudat, aitque, eum in hoc non iniuria inuehi in Aristotelem. De septimo, & octauo nihil vterque: Nos illos supra proposuimus cum cæteris, quoniam alibi fortasse non erit locus ista simul tractandi oportunior: atque iuuentuti ad amæna Aristotelis vireta nudo pede properanti aspidem florido, immò fruticanti iacentem latibulo cōmonstrare, quam in Philosophi laudibus immorari maluimus. Nunc ad Categorias accedamus, qui liber omnino innocuus est, quinimmò Dialecticis per quam vtilis, omnique ætate celebris.

Ante prædicamenta Aristotelis.

D. Seuerino Boethio interprete.

TEXTVS. *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est secundum nomen substantiæ, ratio diuersa, vt Animal, & Homo, eo quod pictum est, &c.* cap. 1. 2. 3. & 4.

Synopsis literæ.

I. QVatuor priora capita libelli Categoriarum Aristotelis ante prædicamenta dicuntur, quoniam ante ipsum Prædicamentorum explicationem in eis præmissit Philosophus tres Definitiones, duas Diuisiones, atque duas Regulas, vt his bene perceptis tyro facilius cætera calleret, quæ ad artem rectè prædicandi spectant. Principio exponit Vniuersim ea omnia, quæ prædicari possunt, videlicet *Aequiuoca, Vniuoca, & Denominatiua*, in quorum tribus definitionibus mox explicandis primum caput absoluit.

II. Capite secundo duas exibet Prædicatorum diuisiones, quarum Prior est: Eorum, quæ dicuntur, alia sunt *Complexa*, vt propositiones, alia verò *Incomplexa*, vt sunt termini simplices, ex quibus illæ constant. Hanc diuisiunem præmisit Arist. vt Complexa à Categoriarum serie propelleret. Posterior Diuisio: Eorum, quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, nec tamen subiecto cuipiam inhærent, vt solent Accidentia; eiuscemodi sunt Vniuersales substantiæ, vt Animal, Homo (Nota hìc lector, duplex esse subiectum: inhæsionis scilicet, vt est paries respectu coloris, & subiectum Attributionis, vt homo respectu animalis: nam ex hac gemina subiecti notione tota hæc Diuisionis intelligentia pendet) Alia sunt in subiecto, sed tamen de subiecto non dicuntur, vt sunt accidentia particularia: nam hæc: Grammatica v.g. inest homini, vt subiecto; nec tamen de vllo inferiore prædicatur Accidente. Alia dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto, vt sunt Accidentia Vniuersalia: Color enim v. g. & rebus inest coloratis, & de albedine, atque nigredine enuntiatur. Postremo alia nec sunt in subiecto, nec de illo dicuntur, eiusmodi sunt particulares substantiæ: Plato enim, & hic homo nec alteri in sunt, nec de alio prædicantur subiecto.

III. Capite tertio duas tradit Regulas prædicationis, quarum prima est: *Quando vnum de altero prædicatur, quodcumque dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto*. V. g. Quia de homine dicitur per se Animal, quæcumque de animali dicuntur per se, debent etiam de homine prædicari. Vnde à nonnullis hoc Aristotelis præceptum ad solam prædicationem per se, vel essentialem coercetur: Alij verò illud omnimodæ aiunt enunciationi aptari posse, dummodo eadem seruetur suppositio, ob cuius defectum hęc claudicat enunciatio *Homo est genus*, quando quidem Animal dictum de homine genus est, primum tenet S. Thomas de potentia quæst. 8. artic. 2. ad 6.

IV. Altera Regula: *Diuersorum Generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & Differentiæ; Subalternorum verò Generum nil prohibet, easdem esse differentias*, V. g. Quia *Animal, & scientia* non sunt genera subalternatim posita, idest vnum non sub alio constitutum, equidem Animal sub genere substantiæ, scientia verò sub qualitatis genere collocatur, eorum differentiæ in eamdem speciem confluere, aut alterutrum genus diuidere nequibunt. At verò rationale, & irrationale, quæ differentiæ Animalis sunt, sanè poterunt diuidere *viuens*, atque *Corpus* quoniam *viuens, Corpus, & Animal* genera sunt subalternè ordinata. Vtrum verò differentiæ duorum generum, quæ tametsi mutuò non sese contineant, continentur tamen sub alio tertio genere superiore, valeant promiscuè vtrumque genus diuidere? An re eiusmodi Genera pro subalternatis Aristotelis censenda sint? Res est digna disputatu: Negant Complutenses, affirmant Caietanus, Masius. & Scotistæ communiter, Merinerus, Pontius, &c. hoc in loco. Vtrumque probabile: nobis quid arriserit, breuiter indicabimus Dissert. 24. à §. 24.

V. Præter hos Aristotelis, alios etiam duos grauissimi Authores addicere Dialecticos Canones. Primus ab Arabibus Philosophis subditur Auicenna, Algazele, &c. *Quando quodpiam prædicatum negatur per se, & essentialiter de aliquo: negari debet etiam de ijs, quæ sub eo subiecto sunt comprehensa*. Sic negatur lapis de homine, quoniam de Animali per se negatur.

VI. Al-

VI. Alter Canon traditur à Latinis Interpretibus (teste Masio) *Quando aliquod attributum enunciatur accidentaliter de subiecto quopiam, quæcumque dicuntur essentialiter de eiusmodi attributo, dicuntur etiam de subiecto; accidentaria tamen ratione*. Sic quoniam Albedo dicitur accidentario de Platone, & color, & Disgregatiuum visus de ipso accidentaliter veniunt enuntianda.

VII. Quartò demùm Capite Philosophus prædicatum incomplexum in decem secat Prædicamenta: Nam id (inquit) vel significat *substantiam* vt homo, aut *Quantitatem* vt bicubitum, aut *Qualitatem* vt Album, aut *Relationem*, vt Duplum, aut *Vbi* vt in foro, aut *Quando* vt cras, aut *Situm* vt iacere, aut *Habitum*, vt Armatum esse, aut *Actionem*, vt secare, aut *Passionem*, vt secari. Has decem Categorias in vnum distichon eleganter congessit Murmellius.

Arbor, sex seruos feruore refrigerat Vstos
Ruri Cras stabo, nec tunicatus ero.

Quorum *Arbor* indicat substantiam; *sex* quantitatem: *seruus* relationem, *Feruor*, qualitatem, *Refrigerat* actionem, *Vstus* passionem, *Rus* vbicationem, *Cras* quando, *stabo* situm, *Funicatus* tandem habitum. Prorsa verò oratione apud S. Isidorum Hispalensem lib. 2. Aetymolog. cap. 26. eadem Prędicamenta in hanc colligantur sententiam.

Augustinus Magnus Orator Filius illius stans in Templo hodie insulatus disputando fatigatur. Ecce decem genera ordine digesta Aristotelico, de quorum numero, distinctione, &c. infra disseremus, & quidem logicali stylo: non enim ex ijs sum, qui Antepraedicamenta Categorias, &c. in Metaphysicam longè euentilant, cum tamen *Prędicabilia*, idest Introductionem ad Categorias scripserint, quod perinde est, ac ianuam construere Domui non exædificandæ, seu mensam nulli cibo sternere; nec rursus ex ijs ero, qui totam in Antepraedicamenta Metaphysicam immaturè transportant. Inter vtrosque ferar.

DISSERTATIO XXXI.

De Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis.

THEOREMA I.

Definitiones termini æquiuoci, & vniuoci.

§. 1. Æquiuoca (definitore Aristotele) dicuntur *Quorum nomen solum commune est; secundum nomen substantiæ ratio diuersa*. Seu, vt vertit Argyropilus *ratio verò substantiæ nomini accomodata diuersa*: Sic Animal est æquiuocum respectu animalis veri, & picti, & hoc nomen *Canis* nedum terrestre animal significat; sed & piscem, ac Sydus complectitur æquiuocè, quos omnes pulchrè expressit Ausonius Epigram. 14. de lepore capto à Cane marino.

Trinacrij quondam currentem in littoris ora
Ante Canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ, pelagique rapina est,
Forsitan & Cæli, si Canis astra tenet.

§. 2. Nomen plura huiusce modi significans dicitur æquiuocum æquiuocans, res vero ipsæ diuersę per illud significatæ dicuntur æquiuoca æquiuocata, quæ hanc secundam intentionem æquiuocationis induunt media voce, seu nomine, vnde & Aristoteles hic ipsas res, seu æquiuocata describens, ait: ęquiuoca *dicuntur*, non *sunt* nec etenim secundum se nec ęquiuocè, nec vniuocæ sunt: Hinc paruipendenda est argutia Arriagæ, & aliorum, qui in formali conceptu, & in cognitionibus Diuinis Æquiuocationem comminiscuntur, quos impugnat Ouiedus opera non minùs contemnenda.

§. 3. *Ratio substantię* intelligenda est pro rei essentia, etiamsi Accidentis sit, nam & Gręcum exemplar pro substantia *Vsiam* habet, quę propriè essentiam sonat.

§. 4. Vniuoca dicuntur *Quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio*, vt animal, & homo, quę ab Æquiuocis hoc potissimè discrepant, quod nomen Vniuocum per se, & immediatè significat rationem vnam, quę Vniuocatis est eadem, & communis; At verò Aequiuocum immediatè ipsasmet res diuersas significat. Et quidem secundùm quod significantur per nomen, diuersas: quod addo, vt aduertam, ęquiuocata si non spectentur secundùm quod significantur per nomen ęquiuocās, benè posse Vniuoca esse: vt canis latrans, ac piscis secundum quod Animal sunt, Vniuoca sunt quidem, non tamen secundùm quod nomine *Canis* nuncupantur, id, quod Philosophus indicauit, dicens: *Secundum nomen ratio*.

§. 5. Obijcies contra definitionem Æquiuocorum: nam si solum nomen est commune: ergo nihil aliud; patet consequentia ex legibus exclusiuarum: ergo superfluè additur ly *ratio substantiæ est diuersa*. Respondo per ly *solùm* excludi omnem rationem communem, quam significet nomen æquiuocans: at per ly *ratio substantiæ diuersa* indicari diuersitatem ęquiuocatorum, quatenùs æquiuocantur in illo; vnde non superfluit; denotatur enim, quod habeant diuersas essentias in quantùm eo nomine significantur.

§. 6. Obijcies secundò contra exemplum Arist. si animal æquiuocè conuenit homini vero, atque picto; ergo eadem ratione quodlibet nomen erit æquiuocum veræ naturæ, & eius similitudini, proindeque omnis propositio æquiuoca erit, & omninò distinguenda, consequenterque nulla erit simpliciter vera.

§. 7. Respondeo, æquiuocationem consurgere ex comparatione intellectus, proindeque etiamsi animal ita comparatum ad pictum sit æquiuocum, non inde sequi, omnem propositionem fore distinguendam: nam terminus absolutè, & simpliciter prolatus, pro suo capiendus est proprio significato.

§. 8. Obijcies tandem contra vniuocorum definitionem: vniuocorum definitio competit æquiuocis: ergo non est recta. Probatur antecedens, omnia æquiuoca habent hoc nomen commune, nempè *Æquiuocum*. Item habent eamdem rationem essentialem secundùm nomen, scilicet habere rationes diuersas: ergo æqui-

æquiuoca sunt vniuoca, ac oppositum de opposito prædicabitur, quod est impossibile.

§. 9. Respondeo, in argumento committi fallaciam de secundùm quid ad simpliciter. Nam æquiuoca habere eamdem rationem, eo quòd habeant diuersas, potiùs est differre simpliciter, & tantùm conuenire secundùm quid. Eodem sophismate dicitur, differentias conuenire in differendo, cùm tamen id sit secundùm quid conuenire, & simpliciter differre. Vniuoca autem debent simpliciter conuenire in ratione per nomen significata.

THEOREMA II.

Denominatiuorum definitio explicatur, & defenditur.

§. 10. DEnominatiua ex Arist. dicuntur *quæcũque ab aliquo differẽtia casu secundũ nomen habent appellationem, vt à Grammatica Grammaticus, & à Fortitudine Fortis*, vel vt Argyropilus vertit: *quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu*, vt à Grammatica Grammaticus, &c. differre solo casu, est discrepare cadentia, seù terminatione vocis dumtaxat: qualiter *album*, & *albedo* differunt, cum tamen album ab albedine appelletur, tanquam à forma accidentali. Hanc definitionem ait Hurtadus, se non percipere, ne eam damnet: Arriaga damnat, etiamsi non percipiat. Contra illam sic arguũt. Primò.

§. 11. Quia album differt realiter ab albedine: ergo non solo casu: hi Scriptores fortè sunt obliti, Scotum, eiusque vniuersam Scholam negare antecedens, atq; etiam Thomistas. Vtrique videndi hoc loco: nam quidquid ad probationem negati antecedentis reposuerint illi, abũdè soluit Scotus Anteprædicamentorum qu. 8. Valera lib. 2. distinct. 1. qu. 4. &c. Quid autem opponent, nisi quod album significat, vel importat subiectum præter albedinem? id quod totum denegat vtraque Schola.

§. 12. Obijciunt item: quia si distinctio in casu debet esse in formali significato; non datur distinctio inter album, & albedinem: quia albedo, quæ est formale significatum neque casu differt à seipsa: ergo. Respondeo album, & albedinem non differre in eo, quod sint forma disgregandi visum, quod est formale significatum, non enim fit comparatio inter albedinem, & albedinem, sed inter album, & albedinem penès terminationes.

§. 13. Tertiò tandem obijcit Arriaga obsoletum, & antiquissimum argumentum. Nam multa denominatiua terminantur eadem vocis cadentia, ac forma denominans: vt *Mulier Grammatica*, ac *Grammatica*, à qua denominatur. Hactenus ille.

§. 14. Respondet Rubius, quòd licet omnimoda vocis identitas appareat; verè tamen ista casu differre, cum Grammatica in ablatiuo cõstituatur, non secùs, ac cum dicimus, album ab albedine denominari.

§. 15. Sed contra arguo: nam etsi extra rem dialecticam, & extra propositionem liberè possis dicere, Mulierem dici Grammaticam ab Arte, ibique Grammaticam in auferendi casu constituas (quod non est ad rem) At verò in ipsa propositione, in qua attendi debet prædicatum denominatiuum, v. g. in hac prædicatione *Berta est Grammatica* prædicatum est in recto, siue sit accidens *Grammatici*, siue ipsa Ars Grammaticæ: ergo illud non poteris distinguere per ablatiuum: nam vbi quæso est ablatiuus intra categoricam propositionem?

§. 16. Secundò respondent Complutenses, definitionem esse intelligendam per se loquendo. Nam per accidens potest contingere, quod vtrumque nomen eàdem finiatur cadentia; cum hæc prædicatio *Maria est Musica* sit quinti prædicabilis; quia dum ex nomine deriuatiuo masculino formatur fœmeninum, casu accidit, vt coincideret cum nomine formæ denominantis. Hanc solutionem desumpsere ex Caietano hoc capite.

§. 17. Sed contra argumentor: definitio rei nec per accidens debet admitti, quæ non conueniat definito: nam si inueniretur homo, qui per accidens non esset Animal rationale: id non satis esset, quominus definitio hominis esset mala: ergo etiamsi per accidens detur denominatiuum, cui definitio denominatiuorum non conueniat, definitio mala est.

§. 18. Tertiò respondet Poncius, quòd denominatiuum, vtpotè concretum significat formam vt adiacentem, at terminus abstractus significat eamdem vt per se stantem, quæ est differentia casualis, seù accidentalis.

§. 19. Contra primò: non potuit excogitari absurdior interpretatio, quam quod ea, quæ Aristot. dicit, *solo casu differre à Grammatica Grammaticus*: dicatur, differre accidentaliter differentia casuali. Casuale enim pro accidentali distat à casu, seù cadentia Aristotelica, quantùm ortus ab Occidente. Contra secundo. Permitto tibi tuam differentiam casualem; atqui in hac prædicatione *Mulier est Musica* nulla est differentia casualis, aut accidentalis, per quam distinguas, ibi prædicari attributum Musici, & non Artem Musicem, vtrumque enim potuit de ipsa enunciari: ergo nihil iuuat differentia casualis. Consequentia est euidens. Nam eiusmodi prædicatio *Mulier est Musica* potest esse in materia contingente, vel in materia impossibili, qua affirmetur, Mulierem esse ipsam Artem, sicut dicitur, Hominem esse lapidem, quod differentia casualis non secernit.

§. 20. Respondeo igitur, peruetusti argumenti solutionem nonnisi apud antiquos Dialecticos præstare. Nego prædicatum *Musica*, vel *Grammatica* esse denominatiuum respectu Mulieris, eo quod casu non differat ab ipsa forma. Aio insuper, esse terminum æquiuocum: id, quod eleganter docuit D. Boethius hoc cap. *Rursùs* (inquit) *si transfiguratio nominis non sit, vt (quædam Mulier Musica) participat quidem ipsa Musicæ disciplinam, & dicitur Musica. Hæc igitur appellatio non est denominatiua, sed æquiuoca; vno enim nomine, & disciplina ipsa, & mulier Musica dicitur: quoniam ergo similis terminus syllabarum est, & nomen simile,*

mile, & nulla transfiguratio, denominatiua esse non poterunt. Eadem etiam disco à S. Damasceno Dialecticæ cap. 51. *Quæ qualitate prædita sunt* (inquit) *maxima ex parte à qualitatibus denominatiuè dicuntur vt à caliditate calidum : quædam etiam æquiuocè, vt Musica scientia, & Musica mulier, quæ Musicas scientiam tenet.* Vide quot sæculis ante Arriagam hoc argumentum fuerat solutum, qui huiusmodi nugas reijcere se ait. Sed qui dicis, Boethium, S. Damascenum, & Scotum nugari in hisce, tutè ipse nugaris. Cætera apud alios vide Sotum, vel Masium, vel Complutenses, &c. Nolo enim actum agere.

DISSERTATIO XXXII.

Vtrum Denominatiuum ita solo casu differat à forma denominante, vt formam, & non subiectum per se, & præcipuè significet?

§. 1. Avicenna ad cap. 7. lib. 5. Metaph. Arist. docuit, Nomen Denominatiuum, seù Concretum, vt Album primò, & per se, ac præcipuè significare subiectum, & consequenti, & secundariò formã: Negat Auerroes ad eumdem locum Aristotelis, aitq; per eiusmodi terminos primò, & per se formam; & secundariò, & consequenter subiectum significari. Auicennam sequuntur Nominales argumentis destituti. Auerroi adhærent S. Thomas loco Metaphys. indicato, Scotus Antepraedicamentorum quæst. octaua, quos vniuersa sequitur Dialecticorum phalanx.

§. 2. Nominales vnico nituntur argumento: quia concretum de concreto potest prædicari, vt cum dicitur *Album est dulce*; sed non posset prædicari, nisi subiectum significaretur in recto: ergo. maior patet, nam *Architectus* dicitur *Musicus*. Minor etiam patet: nam veritas propositionis requirit identitatem subiecti cum prędicato, nempè quæ significentur in recto: v. g. hæc: *Petrus est calefaciens* requirit identitatem nõ inter calefactionem, & Petrum, sed inter calefacientem, & Petrum. Sic Hurtadus Metaphys. disput. 9. §. 33.

§. 3. Confirmatur. Quia si Album significaret id tantùm, quod Albedo, sed vt connotans subiectum: Ergo de quo dicitur album, dicitur etiam eius interpretatio: scilicet albedo connotans subiectum; Atqui hæc est falsa: *Homo est Albedo connotans subiectum*: Ergo album non est idem, ac albedo connotans subiectum.

§. 4. Contraria, & communis Sententia his fulcitur fundamentis. Primo: Aristoteles in prædicamento substantię aperte docet album solam qualitatem significare. Tum hoc cap. Grammaticum à Grammatica solo casu differre putat: ergo non significatu.

§. 5. Secundo arguit Auerroes: si album significat subiectum, & accidens, sicut homo albus: Ergo est ens per accidens, & indefinibile, nec in prædicamento collocabitur, quod est contra Arist. 5. Metaph.

§. 6. Tertio: nomen significans res diuersorum generum non potest esse vniuocum, sed potius æquiuocum; sed substantia, & accidens, idest subiectum, & forma denominans sunt res diuersorum generum: ergo nomen ea significans, non esset denominatiuum, sed potius ęquiuocum.

§. 7. Quarto probant Scotici: si album per se significaret subiectum, seù habens formam, hæc propositio esset nugatoria: *Lignum est album*: redderet enim hunc sensum: *Lignum est lignum album*.

§. 8. Quinto: hæc prædicatio *Homo est albus* est accidentalis, & in materia contingente: Ergo res per se, & in recto significata per prædicatum est id, quod abesse, & adesse potest subiecto; sed hoc est sola qualitas, & minimè subiectum, vt patet: ergo. Mitto alia.

§. 9. Oppositas hasce opiniones in concordiam nonnulli redigere conantur, vt Mag. Masius, & alij affirmant, hoc interesse inter denominatiuum, & formam denominantem; seù inter concretum, & abstractum, quod quamuis quo ad rem significatam vtrumque significet formam, tamen quoad modum significandi abstractum formam significat; concretum vero, e conuerso prius significat subiectum denominatum. Vnde Auerroes, & Auicenna fœderantur amici. Nam Auerroes loquutus dicetur de re significata per nomen concretum, quæ primo, & per se est ipsa forma, Auicenna vero de modo significandi nominis concreti, qua ratione subiectum præcipuè significatur.

§. 10. Sed contra: nec ex modo significandi videtur subiectum per se primo significari per terminum concretum: nam per album v. g. nihil significatur nisi albedo per modum alteri adiacentis: ergo adiacens pręcipuè significatur, & non cui adiacetur, quamuis id per consequens connotetur.

§. 11. Præstabilior est igitur media quam inimus via. Dissertat. 13. per quam non solum Auicennæ, & Commentatoris dissidium sedatur, sed & vtriusque oppositæ sententiæ argumenta facillime diluuntur.

§. 12. Aio, prædicatum denominatiuum primo, & per se atque præcipuè significare formam denominantem, & hoc, & nihil aliud voluisse Aristotelem hoc loco. Dixi *Prædicatum Denominatiuum*. Nam si denominatiuum statuatur loco subiecti, primo, & per se importabit subiectum: Aristotelem autem hic dum ante prædicamenta, & prędicamenta tradebat, de prædicatis omninò fuisse loquutum, res est clarior, quam vlla indigeat probatione. Tradit nostram Sententiam aperte Angelicus Magister sexentis in locis, aiens generatim, quod termini positi in prędicato tenentur formaliter in subiecto vero materialiter, ita prima parte quæst. 13. art. 12. *Intellectus* (inquit) *id quod ponit ex parte subiecti trahit ad partem suppositi, quod vero ponit ex parte prædicati, trahit ad naturam formæ in supposito existentis; secundum quod dicitur, quod prædicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter.* Et 3. p. qu. 16. artic. 7. ad 4. *Dicendum quod terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est prò supposito; positus verò in prædicato, tenetur formaliter, id est prò natu-*

ra,

ra, &c. Idem docet artic. 9. in corp. & ad 3. & artic. 10. in corp. Item in primo distinct. 44. q. 2. artic. 2. & etiam in 3. qu. 1. art. 5. ad 5. necnon distinct. 6. quæst. 1. art. 3. ad 3. & alias passim.

§. 13. Ex his argumenta vtriusque Sententiæ soluo facile, ad primum Nominalisticæ nego minorem, & ad probatum etiam nego veritatem propositionis accidentalis, & denominatiuæ exigere identitatem eorum, quæ in recto important prædicatum, & subiectum: id enim solum conuenit prædicationi essentiali: sat enim est, quod prædicatum accidentale identificetur cum eo, quod in obliquo, & per accidens importatur, idest ratione suppositi connotati, per accidens enim est, quod lignum sit idem quod habens albedinem, enuntiatur autem sola forma in recto per modum denominantis, & veritas propositionis non fundatur in identitate extremorum ratione formæ, sed ratione suppositi: est enim de ratione prædicati accidentalis, quod adesse possit, & abesse à subiecto, v. g. Petro, à quo *habens calefactionem*, si importaretur in recto, non posset abesse, quia esset cum ipso Petro realiter identificatum, vt bene colligit quintum Scoti argumentum. Igitur veritas huius propositionis *Petrus est Calefaciens*. Vt vera sit solum exigit veram inhærentiam formæ; non identitatem nisi cum obliquo, vt iam dixi.

§. 14. Ad confirmationem dico, Scotum hoc sibi argumentum obiecisseq. dicta, respondet autem, illam non esse veram interpretationem *albi*, quia album tantum significat formam sub vno modo significandi: sed verò hoc totum *Albedo connotans subiectum* significat formam sub duobus modis oppositis, quia albedo significat formam sub vno modo, & ly *vt connotans* dicit alium oppositum modum: Hæc ille.

§. 15. Ad primum alterius sententiæ respondeo, Aristotelem, (vt iam dixi) nihil aliud docuisse, nisi quod prædicatum albi solam dicat qualitatem, quod non negamus. Sed nolo lectorem fraudare notatione M. Soti, qui optimè animaduertit. Hæc verba Arist. *Album nihil aliud, quàm qualitatem significat*. Non esse adeo efficacia ad probandum, album, solum significare albedinem: tametsi adhoc propositum passim atentur etiam à Philosophis superioris notæ: Primo. quia grçè non habetur *solam qualitatem significat*; sed *solum quale significat*, vt transfert Argyropilus: Est enim *poion*; non *poietera*. Et prætereà quia hic (id est cap. de substantia) non est quæstio apud Arist. de significatione nominis denominatiui, videlicet, an significat subiectum materiale, vel formam accidentalem: sed solum vult explicare, quod secunda substantia non significat quale simpliciter, sicut album: quia album (in quit) non nisi quale significat; substantia verò significat quale quid, id est *quale substantiale*] Hactenus Sotus ad cap. 1. de substantia q. 2.

§. 16. Ad secundum dico album importare simul subiectum, & qualitatem, quatenus supponit pro subiecto, & significat formam: nec ideo non debet statui in prædicamento, quando quidem vt prædicatum est, solam enunciat qualitatem connotando subiectum.

§. 17. Ad tertium dico, album non significare æquè res diuersorum generum, sed supponere pro subiecto, & significare formam, quod longè aliud est.

§. 18. Ad quartum respondeo, hanc prædicationem *lignum est album* minimè esse nugacem: quia album ex parte prædicati sumitur adiectiuè, id est pro solo accidente connotante subiectum. Vndè si qui hoc argumento premuntur, Nominalistæ sunt, qui in prædicato *album* per se, & in recto lignum dicunt importari, & similiter respondeo ad quintum.

De Analogia, & diuisione entis.

§. 1. Analoga, quæ inter vniuoca, & æquiuoca medium obtinent locum definitore Aristotele sunt: *Quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ per nomen significata est partim eadem, & partim diuersa inferioribus*, de quibus hoc loco solent agere Thomistæ Iuniores, expendentes analogiam entis respectu inferiorum; sed impestiuè quidem; cum hoc sit negotij omninó Metaphysici; non Dialectici, vt & ipsi fatentur PP. Complutenses, M. Parra, & alij. Sanè veteres nullatenus Analogiæ in ante prædicamentis mentionem fecere. Vt D. Thomas. D. Beothius Seuerinus, Caietanus, & alij Dialecticorum proceres, & prima capita, quorum nos vestigia sequimur. Verum enim verò, iam de conceptu entis communi disputaturi interdum eius Analogiam proferemus.

§. 2. Analoga (vt ex Arist. & D. Thoma sumitur, notantque Capreolus in 1. dist. 2. qu. 1. contra quartam conclusionem, M. Iauellus. 4. Metaphys. quæst. 1. & alij) sunt in triplici differentia. Prima est, quando Analogum dicit plures rationes, & eius significatum reperitur in primo analogato solum. Et hoc dicitur à Thomistis Analogum multiplicis conceptus. Exemplum D. Thomę est *sanum* quod quidem alia ratione prædicatur de animali, alia de vrina, alia de diæta, ratio tamen significata solum est in animali: Consurgit que Analogia, quoniam conseruatiuum, Causatiuum, & indicatiuum sanitatis respiciunt animal, ad illud que referuntur: & hoc genus Analogi maximè accedit ad Æquiuocum, ideoque propositionem facit multiplicem, & tollit contradictionem de eodem: Harum enim propositionum *Animal est sanum, Medicina non est sana*. Vtraque est vera, nec altera contradicit alteri; etenim Medicina non est sana, scilicèt sanitate, quæ subiectiuè est in animali.

§. 3. Secunda est quando per nomen significatur quidem vna ratio ęqualiter participata, quæ tamen non habet vniforme esse in Analogatis, vt *Corpus* dum dicitur de cælesti, & de inferiori: licet enim in ratione corporeitatis vtrique ęquè conueniat, tamen non conueniunt in *esse vniformiter*: Quia cœlum habet esse incorruptibile, & corpus inferius *esse* corruptibile: Et hoc genus Analogi non tollit Contradictionem: Nam hæc propositio semper est vera: *Cœlum est Corpus*, Et hæc semper falsa: *Elementum non est*

Corpus quippè quia vtrique ratio corporis æquè conuenit; tametsi differant in *esse*. Tertia est quando Analogum dicit tantum vnam rationem Communem, in qua analogata non sunt æqualia, nec in *esse* importato per illam rationem; eo quod in vno analogato illa ratio reperitur, & illius esse, vt connexionem, seù proportionem habet cum alio analogato: Sic accidens est ens quatenus habet connexionem, & proportionem cum substantia, & creatura est ens non ex se, sed vt participat esse à Deo, cui primo, & per se competit *esse*. Et hoc tertio modo Analogum contradictionem statuit, est que medium efficax in syllogismo. Nam si probare velim, quod eidem subiecto non insunt calor, & frigus, optimè assumam *ens* pro medio, & sic arguam: *Nulla entia contraria insunt eidem; Frigus, & calor sunt entia opposita: non gitur insunt eidem.* maior est absolute vera, & sub ea fieri potest descensus distributiuè tùm in substantijs, tùm in accidentibus.

§. 4. Celebriores autem entis diuisiones nobis erunt memorandæ, quarum prima, est in ens increatum, & creatum: Altera in decem prædicamenta, seù in substantiam, & accidens: tertia in ens reale, & ens rationis. Mitto alias, quæ præsentis instituti non sunt. Horum respectu inquiri solet de ente, an sit Æquiuocum, aut vniuocum? Et quidem illud respectu Dei, & Creaturarum, item & respectu substantiæ, & accidentis non esse purè æquiuocum manifestius est, quàm, vt disputatione indigeat: contemnimus enim recutitorum nugas Rabinorum, qui teste D. Thoma. Quæst 7. de Potentia art. 7. id nonnumquam somniarunt. Dixi ens non esse *purè æquiuocum* quia cum Analoga ad æquiuocorum classem spectent ex doctrina Porphyrij, æquiuocum saltem erit de Analogorum genere, vt alibi ostendemus: non verò *purè*, id est quemadmodum Canis dicitur de Domestico atque marino; qui nisi nomine, nulla ratione conueniunt.

§. 5. Restat igitur disquirere, an sit æquiuocum ad ens reale, & rationis? Affirmauit Soncinas cum nonnullis antiquioribus Thomistis, eò ductus, quod ens reale, & rationis plus dissimilia sunt, plusque distant inter se quam Deus, & Creatura, qui tamen infinitè distant. Rursus Ens dicitur de reali, & ficto, quemadmodum oculus dicitur de habente visum, & de non habente; sed oculus de his dicitur æquiuocè, teste Aristot. 2. de Anima, text. 9. Ergo, & Ens de reali, & rationis æquiuocè efferetur.

§. 6. Sed vero Ens in latissima significatione vsurpatum, & prout à nihilo distinguitur proculdubio conuenit enti rationis, quod quidem aliquid fictum est, & à nihilo aliquo modo distinguitur, tametsi nihil reale sit, fitque, atque cognoscitur ad modum, & proportionem Entis realis, & à Logico, & Metaphysico. Immò & à Theologis scientificè consideratur non minus, ac Ens reale, vt dum de distinctione attributorum Dei, & Relationum ab Essentia Diuina disputant, quod minimè Æquiuocis conuenit; non enim canis æquoreus ad proportionem, similitudinemque Cælestis fit, nec consideratur, nec de vtroque secundum quod nomine Canis significantur, vlla datur scientia.

§. 7. Iam vero quod de distantia obijciunt, futile est, tum quia infinita maiorem nullus excogitare potest. Tum etiam quia si maior quam infinita distantia dari nequit, Ens reale ab ente rationis, vt plurimum distabit infinitè. Distantia autem infinita si cum proportione, & connexione cohæreat, non tollit Analogiam, vt contingit respectu Dei, & Creaturæ: prædicabitur ergo Ens de reali, & ficto sicut risus de homine ridente, & prato vernante, non sicut oculus de vidente, & cæco, nisi velis dicere, oculum tunc dici æquiuocè, id est Analogicè quemadmodum omnes communiter Porphyrium interpretantur dum ait, *Ens dici æquiuocè* de suis inferioribus.

§. 8. Maior difficultas est circa vniuocationem Entis respectu Dei, & Creaturæ, substantiæ, & accidentis, & quia nobis de prædicamentis agendum est, sermo erit de Ente reali Creato, quod quidem in decem eiusmodi genera suprema diuiditur: Et interdum in ampliore latitudine, scilicet prout commune est Deo, & Creaturis, illud vsurpabimus, acturi primum de vnitate conceptus Entis, quæ omninò exigitur ad rationem prædicati vniuoci, deindè de Entis transcendentia, tandemque de ipsius vniuocatione in sequentibus pro more differemus.

DISSERTATIO XXXIII.

Vtrum Ens dicat vnum conceptum communem, & præcisum à suis inferioribus?

THEOREMA I.

Disputationis statum præmonstro, & Doctores, quibuscum pugnandum designo.

§. 1. Sermo est de Ente in amplissima sui latitudine sumpto, & prout à Chymera condistinguitur: Id enim omne, quod purè nihilum non est, procsus erit Ens, quod communiter sic describitur: *Cuius actus est esse*. Vel sic; *Cui non repugnat existere*; quod cum primò nostræ apprehensioni obuersetur, meritò dubitamus, an per intellectum concipiatur, tanquam quid vnum simpliciter, vno scilicet conceptu obiectiuo perfectè simpliciter, & adæquatè præscindente à modis contractiuis, quemadmodum Animal, v. g. à rationali, & irrationali abstrahendo cognoscitur obiectiuè vnum, consideraturque, vt gradus quidam medius, seu *natura secundum se* à Differentijs ex parte rei significatæ distincta virtualiter, ita quod per nomen *Ens* ex parte rei significatæ, & intellectæ, non immediatè intelligantur substantia, & accidens, *perseitas*, & *alietas*; sed gradus ille medius, qui per aptitudinem ad existendum explicatur.

§. 2. Affirmat Scotus cum vniuersa schola, admit-

admittitque eiusmodi conceptum vnum à modis contrahentibus distinctum non solum distinctione virtuali rationis adæquatæ, & simpliciter, sed etiam secluso omni Opere intellectus formaliter ex natura rei segregatum, vt fatetur Ioan. Lalemandet Scotistarum Clypeator diligentissimus disput. 1. Metaphys. part. 2. Clypeo 4. Thomistæ autem communiter (paucis admodum exceptis) negant Entis posse dari conceptum obiectiuè vnum virtualiter, seu ratione ratiocinata ab inferioribus præcisum, docentque eiusmodi conceptum esse imperfectè, & secundum quid præcisum à modis contrahentibus; hoc est per cognitionem actu confundentem substantiam, & accidens. Deum, & Creaturas, quæ quia non clare, & distincte percipiuntur nomine Entis mentali, seu vocali significantur per modum vnius confusi actu inuoluentis omnia inferiora, eo modo, quo indiuiduum vagum seu ratio communis Indiuidui vt sic, dicitur vna per confusionem omnium indiuiduorum; quando vero Ens clare cognoscitur, dicitur contrahi etiam secundũ quid ad substantiam, & accidens per solam expressionem eorum, ita, vt in Ente nulla sit abstractio, aut contractio, nisi confusio, & expressio inferiorum, vnde substantiam, & accidens concipi nomine confuso Entis: est illud abstrahi, & fieri vnum secundum quid, concipi vero nominibus claris substantiæ, & accidentis, est illud contrahi per modos; negant enim omninò distinctionem virtualem ex parte obiecti inter *Ens*, & *perseitatem*, qualis reperitur inter Animal, & rationale, quam solam dicunt esse perfectam, & adæquatam præcisionem. Hinc vides, totam controuersiam esse inter Thomistas, & Scoticos dumtaxat, excludendosque à Disputatione Societatis Scriptores Nominalium sectatores, vt Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, &c. qui dum Entis conceptum esse vnum, & præcisum defendunt, id fieri contendunt per actum, & cognitionem confundentem omnia ex parte intellectus præcisione formali tantum, non verò obiectiua: id quod Thomistæ illis damus libenter, & quidquid illi pro hac præcisione posuerint, de nostra, & pro nostra sententia agnoscimus, atque admittimus; quod si dicant, nullam aliam esse præcisionem obiectiuam, & perfectam adhuc in gradibus genericis, & inter Animal, & rationale, nisi illam formalem, hancque esse perfectam, adæquatam, &c. id certè erit quæstio de nomine, & non præsentis instituti; sed disputanda in materia de vniuersalibus. Desinant igitur eiusmodi Nominalistæ citare pro sua sententia Scotum, qui non solum respuit suam præcisionem formalem Entis; sed & Thomisticam, id est obiectiuam, & virtualem, defenditque eiusmodi vnitatem per distinctionem formalem ex natura rei inter Ens, ac modos illius, quod illi nunquam deuorabunt. Contra quam in hac disputatione agunt Thomistæ; & etiam contra nonnullos nostræ Scholæ Authores, vt Mag. Iauellum, Zumelem, Sotum, Didacum à Iesu, & Ortizium, qui à nostratibus discrepant, non quia admittunt conceptum illum vnum, & per confusionem præcisum, quem defendunt Iesuitæ, & Thomistarum negauit nullus; sed quia virtuali distinctione inter Ens, & inferiora defendunt vnitatem obiectiuam, & ex parte rei significatæ ab ipsis præcisam. Sequuntur S. Antoninum 1. Metaphys. quæst. 1. Buridanistas, & Magnum Albertum 1. par. summæ quæst. 341. & Metaphysic. text. 1. cap. 3. qui olim eiusmodi sententiam docuere, teste Illustriss. Mag. Arauxo Metaphys. lib. 4. quæst. 3. artic. 4. Consultò nihil agimus de conceptu Entis formali; sed de obiectiuo dumtaxat, de quo est maior difficultas, de formali, qui volet plura, adeat M. Ioan. Martinez de Prado Metaphys. 1. par. controuers. 6. artic. 3. & 4. qui rem optimè versat.

THEOREMA II.

Theses Thomisticas propono, earumque fundamenta stabilio.

§. 3. Dico primò. Entis aliquis conceptus imperfectus, & confusus, in quo explicite non repræsentantur modi, seu differentiæ contractiuæ substantiæ, & Accidentis, in quo quidem consistit imperfecta præcisio Entis à suis inferioribus. Hæc conclusio communiter admittitur ab omnibus, & facilè probatur. Nam omnia Entis inferiora habent aliquam proportionem, seu imperfectam similitudinem in modo essendi: ergo intellectus potest aliquo expreso conceptu formali repræsentare eiusmodi conuenientiam, non repræsentatis explicitè eorum differentijs: esto, quod implicitè, & obiectiuè omnia simul, semelque repræsententur; Atqui conceptus repręsentans explicitè conuenientiam, aliqualiter, & imperfectè, pręscindit à differentijs, & modis contractiuis: Ergo Entis datur nonnullus conceptus imperfectè vnus, qui explicitè pręscindat ab illis. Hanc thesin probant vulgaria Aduersariorum Argumenta. Vt quod audito nomine Entis Intellectus non distrahitur ad substantiam, & accidens: Item potest sciri, quod aliquid est Ens, & dubitari, an sit substantia, vel accidens, &c.

§. 4. Dico secundò. Entis non datur conceptus obiectiuè, & perfectè pręcisus à modis contractiuis Decem pręedicamentorum, nec Dei, & Creaturarum. Est communis Thomistarum sententia, quam ab Aristotele accepere decimo Metaphys. Textu 8. Vbi aperte docuit, Ens, & vnum non significare aliquem gradum super pręedicamenta; sed immediatè ipsa pręedicamenta. Id quod explicuit etiam Commentator Auerroes per clarissima verba: *Sine medio, & non mediantè aliquo communi*: docuit perpetuò Angelicus Magister pluribus in locis, quos vide apud Flandrensem Metaphys. 4. quęst. 2. artic. 5. Magist. Parram Logicę tract. 3. dubio 5. §. 3. aliosque Thomistas.

§. 5. Probatur ratione Thomistica. Nullum pręedicatum essentialiter, & adęquatè inclusum in subiecto potest obiectiuè pręscindi ab illo; Sed Ens adęquatè, & essentialiter includitur

ditur in substantia: Ergo obiectiuè non potest præscindi à substantia. Discursus bonus, cuius maior propositio est euidens, ideò enim Animal rationale non potest præscindi obiectiuè, & ex parte rei significatę ab homine, quia prędicatur de illo essentialiter, & adęquatè, ita quod nihil hominis restet prεter Animal rationale. Quod si dicas, etiam Animal pręscindi ab homine, quod est prędicatum essentiale illius, inepte respondes. Quia Animal non adęquatè prędicatur de homine proindèque non prescindit, nisi à rationali, quod remanet in homine, est enim rationale extra essentiam Animalis, & vice versa. Rursus illa Maior est propositio per se nota, cui innititur tota Nominalium Schola: Quoniam si apud illos impossibile est, quod eorum, quæ realiter identificantur, vnum cognoscatur realiter obiectiuè, alio non cognito, vt vidimus supra Differt. 3. Theorem. 3. §. 24. multò magis impossibile erit, si vnum non solum identificetur cum alio, sed etiam sit de essentiali, & formali conceptu illius. Minorem probo. Prędicatum transcendens includitur essentialiter adhuc in vltima differentia, aut modo contractiuo subiecti; Ens est prędicatum transcendens: igitur adęquatè, & essentialiter includitur in substantia.

§. 6. Vim consequentię sensit Scotus, vndè negauit minorem, & quidem consequenter id fecit, vt Entis precisionem defendat, nam semel deuorata Entis transcendentia, nequit bona consequentia eius perfecta pręcisio sustineri: Vndè nostrum argumentum directè vrget Thomistas aduersarios, infra autem Scotistas impugnabimus. Tum sic: Ergo Ens non potest pręscindi à subiecto, cuius respectu est transcendens: Probo consequentiam. Contradictionem implicat, quod pręscindatur per rationem, & obiectiuè vnum ab alio, in quo per rationem, & obiectiuè est essentialiter imbibitum; sed prędicatum transcendens per rationem, & obiectiuè est essentialiter imbibitum in modis contractiuis, & differentijs: ergo contradictorium est, quod obiectiuè pręscindatur ab ipsis, vel aliter eadem consequentia probatur. Pręcisio obiectiua Entis à modis est distinctio virtualis, & obiectiua Entis à modis, vel saltem est fundamentum distinctionis obiectiuę, & virtualis eorum; sed impossibile est, quod virtualis identitas prędicati transcendentis cum subiecto sit simul distinctio virtualis, & obiectiua, vel quod simul fundet distinctionem obiectiuam, & non fundet: ergo contradictionem inuoluit, quod Ens simul transcendat modos, & Differentias, & pręscindatur ab illis. Maior est per se nota Thomistis in materia de pręcisionibus. Minor etiam explicatis terminis est euidens. Nam virtualis, & obiectiua identitas, quam Thomistę defendere tenentur inter Ens, & modos consistit, in eo quod Ens obiectiuè non possit pręscindi à modis transcessis; alioquin Ens virtualiter, & obiectiuè erit simul distinctum, & non distinctum à modis. Consequentia est bona.

§. 5. Arriaga adhoc argumentum ait primo aspectu esse difficillimum; sed illud nullo negotio solui. Quia præcisio hæc non est intelligenda, vt distinctio realis; non enim (inquit ille) Ens relinquit differentias solas, vt Petrus Ioannem deserit, & nil aliud est Ens præscindi, quam Ens cognosci, quin Differentiæ cognoscantur, quod non repugnat, licet repugnet, Differentias concipi sine Ente, quia hæc separatio debet esse non mutua.

§. 8. Ouiedus similiter ait, hoc argumentum luce meridiana clariorem habere solutionem, & multis verbis id ipsum inculcat, quod Arriaga dixerat de non mutua separatione: sed ego potiùs fido Doctori Francisco Suarez, qui disput. 2. Metaphys. sect. 2. num. 34. affirmat, hoc argumentum obscuram habere difficultatem. Vndè Mag. Martinez de Prado rectè miratur, hos recentiores nullam vidisse difficultatem, vbi Suarez nodum agnoscit, in quo soluendo ferè insumit totam sectionem tertiam, & sextam, & vix (inquit ille) vllam dat solutionem. Et isti promittunt solutionem luce clariorem. Hæc Pradus, qui pergit ostendere plures deffectus, quibus prædicta peccat solutio. Cæterùm quod attinet ad Suarezium, nihil ille respondet, nisi id ipsum, quod Thomistæ volumus, vt nobis concedatur. Cui enim, quod [*hoc modo* saluatur difficultas sæpè inculcata, & quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices, & nihilominus possit ab eis abstrahi conceptus Entis per solam præcisionem intellectus, quæ non consistat, quasi in separatione vnius ab alio, scilicet formalis à materiali, vel materialis à formali, vt fit in abstractione generis à differentijs, (attende nunc Lector amabo) sed quæ consistat in cognitione aliquo modo confusa, qua considerantur obiectum non distinctè, & determinate prout est in re, sed secundum aliquam similitudinem, vel conuenientiam, quam cum alijs habet, quæ conuenientia in ordine ad conceptus Entis est in rebus secundum totas entitates, & modos earum: Et ideò confusio, seu præcisio talis conceptus non est per separationem præcisiuam vnius gradus ab alio; *sed solum per cognitionem præcisiuam conceptus confusi à distincto, & determinato*]. Hæc Suarez, sect. 6. num. 10.

§. 9. Sed nulla harum solutionum est ad rem, nec argumenti difficultatem vllatenus attingit, omnes enim citati Scriptores ad imperfectam, & formalem præcisionem actus confusi confugiunt; cum difficultas tota sit de perfecta, & obiectiua præcisione, quæ vel fundamentum est, vel ratio constitutiua distinctionis obiectiuæ, & virtualis inter Ens, & modos contractiuos, quam Thomista prorsus negat. Vndè meritò supra edixi, nobis non esse disputandum cum Nominalistis, & alijs, qui nihil aliud volunt, nisi eiusmodi imperfectam præcisionem, quam nos in prima conclusione statuimus: quare.

§. 10. Dices cum Ortizio, argumentum conuincere pro pręcisione positiua Entis à modis, non vero pro negatiua. Negatiuam pręcisio-

cisionem ait esse, qua intellectus considerat Ens actu sine differentijs, nihil cogitando de differentijs. Positiuam verò, qua non solum concipit Ens sine differentijs; sed etiam ipsas differentias sine Ente, vocarique positiuam, quasi intellectus extrahat rationem Entis, quę intimè est clausa in differentijs.

§. 11. Sed hæc solutio non differt à Iesuitica præcisionis mutuæ, & non mutuæ, licet alijs verbis explicetur: positiua enim pręcisio mutua est iuxta explicatum Ortizij, & negatiua est non mutua. Contra: Præcisio ista negatiua, vel est imperfecta, ex solo modo concipiendi separans ens à differentijs: vel est perfecta, & obiectiua, ita vt ex parte rei significatæ ens concipiatur sine illis? Si primum dicas, habeo intentum: Si alterum affirmes; admittis distinctionem virtualem inter ens, & differentias, & in omnibus prædicatis transcendentibus, quod in Schola Thomistica prorsus est intolerabile: Quinimmo inde colligo, talem præcisionem non esse perfectam, nec ens remanere simpliciter vnum. Probo: Per te præcisio illa negatiua est conceptus, quo intellectus considerat rationem entis, nihil cogitans de differentijs, (ita enim explicas id quod est, negatiuè se habere ad illas) ergo non est conceptus perfectè pręcindens omne ens. Probo consequentiam: Ratio differentiarum adhuc formaliter prout differentiæ sunt, est etiam formaliter, & essentialiter ens; sed conceptus non cognoscens omne, quod essentialiter, & formaliter est ens, non præscindit simpliciter, & perfectè omne ens: Ergo conceptus ille negatiuus cognoscens ens, non cognoscens differentias, seu nihil cogitans de differentijs, non præscindit simpliciter, & perfectè omnem rationem entis. Consequentia est euidens: conceptus enim nihil cogitans de differentijs per te non solum non explicat differentias (vt nos volumus) sed etiam non cognoscit aliquod ens, quod obiectiue, & virtuali distinctione est diuersum ab obiecto præcisionis negatiuæ, quod quidem Thomistam valdè vexat negantem distinctionem virtualem inter prædicatum transcendens, & subiectum transcesum: quandoquidem præcisio eiusmodi perfecta ponit, vel supponit distinctionem virtualem inter res obiectiuè præcisas, vt in nostra sententia manifestum est.

§. 12. Exemplum autem quo fetuetur Ortizius, videlicet etiam animal præscindi ab Homine, quamuis sit de essentia, & conceptu hominis, non est ad rem: Animal enim distinguitur obiectiuè ab homine, tanquam pars à toto includente aliam compartem, à qua simpliciter, & adęquate distinguitur animal, nempè rationale, nec animal vllatenus præscinderetur ab homine, si homo nihil aliud esset, quam animal, seu adęquate identificaretur cum animali, vt contingit in substantia, quæ nihil habet præter ens, cum etiam perseitas formalissimè sit ens. Ratio horum est, quia perfecta pręcisio non datur nisi inter ea, quæ obiectiuè, & ex parte rei significatæ distinguuntur, quapropter genus præscinditur à differentia, vt pars à comparte: genus ab specie, vt pars à toto, quia cum in toto sit alia pars simpliciter, & obiectiuè distincta à comparte, ideo pars speciei præscinditur à toto inadæquatè sumpto; neque enim animal prescinditur adæquatè ab homine, quia ab eo adę quate non distinguitur, cum includat etiã ipsum animal, si sumatur adæquatè. Apparet igitur in consequentia Thomistarum, quibus cũ pugnamus, cum ex vna parte obiectiuè non distinguãt ens à perseitate ratione transcendentiæ & ex alia prescindãt perfectè ens à perseitate, quod est illud obiectiuè ab ipsa distinguere notarunt in consequentiam PP. Complutenses, Merinerus, M. Parra. M. Lynceus. Izquierdus disput. 17. Phar. q. 21. n. 433. & plures, & quidem ex Scotistis hæc subuinxit Merinerus. *Nescio quid possint respondere Thomistæ qui ex vna parte nobiscum fatentur, ens dicere conceptum obiectiuum vnicũ, & præcisum, & ex alia renuunt nobiscũ sustinere ens quid nõ includi formaliter in modis, vltimis differentijs, &c. Nec mirum quod ad has angustias deducantur, qui spretis aliorũ principiis volunt aliorum etsi verissimas defendere conclusiones.*

§. 13. Alterum nostræ sententiæ fundamentum desumi solet ab Analogia entis, quam constanter defendit Scola Thomistica, & quidem Analogum, vt supra monui, medium quoddam est inter vniuocum, & æquiuocum, nam vniuocum est, cuius ratio significata per nomen est omnino eadem, & vna. Æquiuocum vero, cuius ratio significata per nomen est omnino diuersa. Analogum igitur est, cuius ratio significata per nomen, est partim eadem, & partim diuersa, ita quidem, vt in ratione Analogi constituatur per hanc vnitatem mixtam cum diuersitate, & per diuersitatem vnitate temperatam: Ergo contra rationem Analogiæ, quam defenditis nunc datis vnitatem simpliciter talem conceptus obiectiui entis ab inferioribus perfectè præcisi. Hæc consequentia premit Thomistas supra memoratos M. Alberti sequaces. Illam sic probo. Ratio significata per nomen commune excludens formaliter omnem diuersitatem, excludit rationem constitutiuam Analogi; Conceptus entis obiectiuus perfectè præcisus, & simpliciter vnus est ratio significata per nomen excludens formaliter omnem diuersitatem: ergo conceptus entis obiectiuus excludit omnem rationem constitutiuam Analogi, ac proinde vniuocus est omninò. Discursus est legitimus. Maior est euidens ex definitione Analogi, quod essentialiter petit diuersitatem in re significata per nomen, non enim debet esse omninò eadem, vt vult Aristoteles; Minor est conclusio aduersariorum, & consequentia in prima figura concludens.

§. 14. Respondent Aduersarij cum Suarezio. disput. 28, sect. 3. num. 20. Conceptum Analogum etiam si actu non includat principia distinguentia videlicet perseitatem, & in alietatem tamen ex se postulare descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, & subordinatione non solum ex parte ipsorum inferiorum, sed etiam, (vt alij loquuntur) *ex intimis visceribus* conceptus Analogi. Et (vt loquitur Ortizius) *ex propriis meritis conceptus analogi*, id quod non con-

conuenit vniuocis: Animal enim non petit ex se hanc inæqualitatem ex ratione generica; sed tota inæqualitas perfectionis prouenit illi ex differentijs specierum.

§. 15. Sed contra primo. Hæc responsio gratis excogitata est, & ad difficultatis effugium conficta, vt etiam vel ipsi Scotistæ (quibus aduersarij volunt fieri gratiosi) iudicarunt, quorum Merinerus hæc merito scripsit: *Quis non videat, voluntariè hæc esse dicta, & solum ad fugiendam difficultatem excogitata?* Igitur Authores hi infeliciter Scotizant.

§. 16. Contra secundo insurgunt nostrates Thomistæ: Postulatio illa inæqualitatis in conceptu entis analogo non est actualis: alioqui actualiter in ipso reluceret eiusmodi inæqualitas, & distinctio: proindeque non esset perfectè, & simpliciter vnus; ergo solum est potentialis, siue radicalis: quatenus conceptus analogus, & præcisus est ex se radix inæqualitatis, quam habent inferiora, eamque continet in potentia; At qui hoc etiam competit vniuocis, quia conceptus genericus etiam est radix inæqualitatis repertæ in speciebus: Animal enim in potentia, & in radice continet rationale, & irrationale, ac proinde radicaliter etiam postulat descendere cum inæqualitate ad Hominem, & Belluam, vt radix eiusmodi inæqualitatis: ergo vnitas, & perfecta præcisio entis Analogiam destruit, & vniuocationem potius statuit. Consequentia liquet: & antecedens est certo certius, docetur que ab Aristotele 7. Physic. textu 31. & 10. Metaph. text. 36. & Angelico Doctore in primo distinct. 19. q. 5. art. 2. ad primum.

§. 17. Hoc argumentum vidit Suarèz, eiusque difficultatem agnouit, sicut, & imbecillitatem suæ solutionis, iuxta quam vitari non potest vniuocatio entis: quare ingenue fassus est, illam esse insufficientem per hæc verba: *Est ergo hæc responsio probabilis; nimium tamen fauet vniuocationi entis.* Vnde reiecta hac responsione; tandem tradit nostram, & Thomistarum communem: scilicet, ens esse transcendens, quia intime inclusum in omnibus modis, & differentijs non esse, nisi vnum per confusionem, ac proinde eius rationem non esse omninò eamdem &c. Vnde miror aduersarios pro sua sententia citare Suarezium cum ex modo dictis, & ex supra relatis §. 8. eiusdem verbis liquidò appareat, illum à nostra sententia nec latum vnguem discrepare.

§. 18. Quod si scripsit: *Non rectè propter defendendam Analogiam negari vnitatem conceptus: Sed si alterum negandum esset, potius Analogia, quæ incerta est, quam vnitas conceptus (quæ certis rationibus videtur demonstrari) esset neganda.* Hæc nihil fauent Aduersarijs: Vnitas enim quā Suarezius asserit & demonstrare se putat ea met ipsissima est quā nos prima conclusione statuimus: nempè imperfecta, & secundum quid, quam ille conceptum *aliquo modo vnum* vocat, id est confusum prout à distincto secernitur, vt patet ex verbis eiusdem ante §. 8. supra exhibitis, loquitur item sub conditione. *Si alterum negandum esset.* Et quidem rectè: Analogia enim subobscurior quidem est, & non ita clarè percipitur, sicut vnitas confusionis huius nominis *ens*, quod primo quidem auditu statim eiusmodi imperfectam vnitatem repræsentat intellectui; Analogia vero difficilis est, nec ita per se nota: Re vera tamen nec vnitas illa, nec Analogia neganda est, si res penetretur: Cum vtraque essentiali connexione cohæreat optimè, & sese mutuo inferat, adeo, vt nec analogia existere nisi cum tali vnitate valeat; neque eiusmodi vnitas possit non inducere, & constituere Analogiam, Cum sit conceptus *aliquo modo* tantum vnus, id quod minimè vniuocis, sed potius Analogis necessario competit: Quamobrem & ipse Suarez hæc subiunxit: *Re tamen vera neutrum negari necesse est, quia ad vniuocationem non sufficit, quod conceptus sit aliquo modo vnus, sed necesse est, quod æquali habitudine multa respiciat, quod non habet conceptus entis, &c.* Hæc ille: quibus satis monstrat, se nostratibus Thomistis subscribere, & totum esse contra Flandrensem, Soncinatem, & alios, qui eiusmodi vnitatem conceptui entis negarunt: quæ ille rursus apertissimè profitetur citata disput. 2. sect. 6. num. 10. *Rursus* (inquit) *Præcisio quasi formalis per exclusionem vnius gradus ab alio non habet locum in ente propter illimitationem suam, & transcendentiam: & quia continentia, in qua fundatur eius conceptus æque est in tota entitate secundum se totam: ergo solum potest in ente habere locum altera præcisio per confusionem conceptus: Ergo etiam è contrario modificatio, seu determinatio ad inferiora genera solum esse potest per simplicem conceptum magis expressum, & determinatum, &c.* quid clarius pro Thomistis. Ad quod sect. 2. num. 21. pro sua assertione citauit D. Thomam, & Caietanum opusculo de ente, & essentia: ergo vel eorum tenet sententiam; vel anceps, ambiguus variusque sibi contradicit. Sed quidquid sit de Suarezio, cuius mentem non moror.

§. 18. Contra tertio: quid est, rogo, conceptum analogum entis ex intimis ipsius visceribus petere descensum inæqualem ad inferiora? quæ nam sunt hæc intima entis viscera? an prædicata illius essentialia, & actualia? Sed hæc minime talem descensum postulant. Nam aptitudo ad existendum ex se nihil tale petit; si præscinditur à modis: An vero inferiora actu inclusa? sed neque hæc: Tum quia perfectè, & simpliciter ens per vos præscinditur ab illis: Tum etiam quia nihil potest præscindi à suis visceribus & quod eius viscera hoc, vel illud postulent. Fortasse conceptus entis erit porcus Troianus, quem intus varijs animantium generibus faciebant antiqui Gulones: hic enim ex intimis visceribus postulabat varias animalium differentias, quorum species vtero tegebat. Denique quid sibi vult Ortizius dum similiter ait, conceptum entis, licet sit vnus simpliciter, & perfectè præcisus ab inferioribus tamen ex proprijs meritis postulare diuersitatem, & inæqualitatem Analogiæ? quænam rogo sunt hæc entis merita? de congruo, an de condigno, vt loquuntur Theologi? Et vt iocis abstineam: Hæc entis merita vel sunt aliquid reale actuale in ente, vel non? Si non: Ergo ex nullis meritis postulat contrahi cum diuersitate, & inæquali-

ta-

tate requisita ad Analogiam. Si sunt aliquid reale actuale in ente: Ergo iam conceptus entis non est simpliciter vnus. Probo. Conceptus entis abstrahens ab omni diuersitate, & à meritis ad diuersitatem, est magis vnus, quam qui non abstrahit ab actualibus meritis, sed actu inuoluit eiusmodi merita; sed per te conceptus entis vt præcisus à modis actualiter inuoluit adhuc merita ad diuersitatem: ergo non est perfectè, & simpliciter vnus, sicut qui eiusmodi merita non inuolueret: Scio, tibi nullum restare effugium, nisi dicere, eiusmodi merita nihil aliud esse, quam exigentiam radicalem, ad hoc, vt inæqualiter ens participetur ab inferioribus. Sed hoc præterquam quod sit gratis confictum ad eludendum argumentum, vt bene notauit Merinerus, non satis est ad anologiam. Cum etiam genera vniuoca similiter gaudeant eiusmodi radicali exigentia inæqualitatis, vt supra exhibuimus. Tum etiam quia talis exigentia inferiorum inæqualium in conceptu simpliciter vno est simpliciter indifferens ad illa pro illo signo comparationis ad illa: ergo non magis petit determinari ad vnum, quam ad alium. Consequentia est euidens: Nam respectus indifferens ad vtrumlibet ex suo conceptu neutrum sibi debet determinare; alioqui non indifferens, sed determinatus erit ad alterutrum terminum; Sed per te illa merita entis non sunt, nisi quædam exigentia indifferens ad modos entis: ergo neutrum sibi determinant, vel non sunt indifferentia: ergo conceptus entis simpliciter vnus non petit ex proprijs meritis inæqualiter descendere ad inferiora, seu magis vnum, quam aliud.

§. 20. Nunc cum Scotistis manus conferendæ. Eos triplici argumento impugno. *Primum* desumo ex transcendentia entis, quam illi malè negant, & quam si extorsero, vnitatem conceptus entis optimâ illatione exterminabo, vt etiam ipsimet fatentur, aientes, concessa transcendentia entis, non posse illud à modis perfectè præcindi: in quo eorum doctrinæ consequentiam laudo. *Secundum* argumentum ex eorumdem principijs instauro. Nam vt transcendentiam fugiant, duplex distingunnt ens. Videlicet ens *Quid*, & ens *Quale*, quorum apud illos ens *Quid*, non transcendit modos modiantem non eo quod non sint formaliter ens *Quid* sunt nihil: datur enim medium, scilicet, quod sint ens *quale*, id est qualificans, contrahens, & modificans ens *quid*. Tum sic: Non minor similitudo datur inter ens *quid*, & ens *quale* in ordine ad existendum, quam inter Deum, & creaturas, substantiam, & accidens; Atqui ea similitudo reperta inter ens *quid*, & ens *quale* non sufficit ad hoc vt ex illis abstrahatur conceptus obiectiuus simpliciter vnus: Ergo nec similitudo reperta inter Deum, & creaturas, substantiam, & accidens sufficit ad hoc, vt ex illis præscindatur conceptus obiectiuus simpliciter vnus. Discursus, ni fallor bonus est à paritate rationis: Sed vtrumque argumentum infra, entis transcendentiam versans vberius prosequar Dissertatione sequenti: nunc abstineo, ne actum repetam. *Tertium* erit planissima Scoti argumentorum solutio, quam iam exhibeo, exordiorque à maximo illo, & celeberrimo huius scholæ argumento.

THEOREMA III.

Achilles Scotistarum occubiturus in arenam prodit.

§. 21. OBijciunt primo. Conceptus obiectiuus, de quo intellectus est certus, distinctus est à conceptu, de quo est dubius; Sed potest intellectus esse certus de aliqua re, quod sit ens, & dubitare, an sit substantia, vel accidens? vt patet in quantitate, de qua nemo dubitat, esse ens, cum tamen plures dubitauerint, an sit substantia? ergo conceptus obiectiuus entis distinctus est à conceptibus substantiæ, & accidentis. Similiter probatur entis conceptum distinctum esse à conceptibus Dei, & creaturarum. Quoniam antiqui Philosophi, cum omnes censerent, primum principium rerum esse ens, tamen dubitabant, esset ne creatum, an increatum? quare nonnulli dixerunt, esse infinitum, alij esse aquam, ignem &c. Ita Scotus in 1. distinct. 3. q. 1. & q. 3. & distinct. 8. quæst. 3. quibus in locis hac ratione vniuocationem entis probare conatur.

§. 22. Hoc argumentum pro suo Achille habent Scotistæ, quo satis gloriatur Rodriguezius, aiens: *Huic rationi variè respondent Aduersarij; est enim Achilles Scotistarum*. Sed verò Achilles hic non venit à Græcia, sed ex Arabia, est enim argumentum Auicennæ, & Algazelis Arabum Philosophorum in primo Metaphys. quo vsus tandem Scotus multa post sæcula; illud etiam vsurparunt ex antiquis Thomistis. S. Antoninus Archiepiscopus 1. Metaphys. quæst. 1 teste Flandrensi, ex nominalibus Gabriel Biel in primo dist. 3. qu. 8. Iam verò Achillem hunc Scotisticum, Aureolus nonnullis instantijs exagitauit, & nullius esse roboris monstrare conatus est: Sed primus inter Thomistas illum contempsit M. Flandrensis, aiens non esse demonstrationem, vt quidam perperam putarunt: *Quia non demonstrat* (inquit ille 4. Metaph. q. 1. art. 5.) *sed est quædam fribola ratio pluribus fallaciis corrupta*. quod rectè ne, an superbè dixerit, aliorum esto iudicium.

§. 23. Prima igitur solutio sit Flandrensis, qui maiorem negat, & eius falsitatem duabus probat rationibus. Tum primo: Quia intellectus est certus de relatione (Similiter de numero, & tempore) quod sit ens, & dubitat, an sit reale, vel rationis: ergo si hæc regula est certa, ens quod est commune ad ens reale, & rationis dicet conceptum præcisum, & vniuocum ad ens reale, & rationis, quod Scotista prorsus negat. Secundo. Aliquis intellectus est certus, quod ens dicat conceptum tertium præcisum; & tamen multi dubitant, an sit analogus, an vniuocus? Ergo si eiusmodi regula vera esset, conceptus entis esset vniuocus ad conceptum vniuocum, & analogum, ac proinde conceptus analogus esset vniuocus: ergo falsa est illa regula. Flandrensem sequitur M. Lynceus.

§. 24. Caietanus totum argumentum gratis

tis concedit, aiens, quod si aliquid probat, alietatem conceptus, non vniuocationem probat, vt et Scotus dicit. Nam & Auicenna, cuius est argumentum, adhuc negabat ens esse vniuocum. Ita ille opusculo de ente, & essentia quæst. 1. ad 1.

§. 25. M. Soncinas, qui conceptum entis in toto actuali, & disiunctiuo constituit, similiter concedit, quod conceptus entis est alius à conceptibus substantiæ, & accidentis: negat verò vlteriorem consequentiam: *Ergo conceptus entis est præcisus*. Est enim alius (inquit ille) non alietate præcisionis; sed eo modo, quo disiunctum est aliud à qualibet sui parte. Ita ille 4. Metaph. quæst. 3. Sequitur Soncinas M. Heruæū. qui quodlibeto 2. hoc argumentum sic enodarat. [*Quando dicitur*(inquit ille) quod de aliquo potest esse certum, quod sit ens, & dubium, vtrum sit determinatè quantitas, hoc non est, Quia ens dicat vnam rationem simpliciter vniuocam essentialem istis prædicamentis; sed hoc est, quia conceptus disiunctus potest esse certus, dubia veritate cuiuslibet partis per se acceptæ. Vnde possum esse certus, quod sortes stat, vel sedet, & ignorare, quæ illarum partium sit vera: Et tamen stare, vel sedere non dicit aliquem conceptum simplicem essentialem *alicui rei conuenientem*] Hæc ille, & hic dicendi modus de toto disiuncto multos habuit Thomistas sua ætate Scotatores, teste Flandrensi citata quæst. artic. 6. nunc habet neminem.

§. 26. M. Masius negat maiorem: ait que sat esse, quod illi conceptus ratione differant, vt possimus de eadem re; diuersa tamen ratione habere certitudinem, & dubitationem sect. 1. ad cap. 6. Ante categ. quæst. 6.

§. 27. M. Ioannes à S. Thoma nihil discrepat, aitque posse respectu diuersorum cognitionem eadem esse certam, & dubiam, quod exemplis ostendit: Sed vero hoc habere locum in dubio negatiuo, id est in non certificatione: Nam actus attingens plura sub aliqua ratione, non pari claritate omnia attingit, sed de vno potest plene certificari, non de alio. Vnde fatetur, non posse intellectum certum de conceptu entis esse dubium positiuè de inferioribus. Quia si positiuè incipiat dubitare, (inquit) tolletur conceptus confusus entis, & transibit ad expediendum conceptus inferiorum dubitando de illis. quæst. 14. artic. 2.

§. 28. Patres Carmelitæ Complutenses distinguunt maiorem; aiunt que quod si sensus est, conceptum, de quo intellectus est certus, debere esse distinctum simpliciter à conceptu, de quo est dubius, neganda est: concedenda vero, si sensus est, debere esse distinctum secundum quid, seu penes maiorem, & minorem expressionem. Quia de eodem conceptu, vt est alteri similis, & imperfectè, & confusè significatur, potest intellectus esse certus, alicui conuenire; cum tamen dubitet, an illi conueniat idem conceptus absolutè sumptus, vel vt perfectè, & distinctè significatur. Hæc ille:

§. 29. Sed contra insurgit Merinerus ex Rodriguezio: Hæc solutio non est ad rem (inquit) Quia argumentum Scoti non procedit de cognitione distincta, vt opponitur confusæ: certum est enim, quod intellectus viatoris concipiens ens distinctè, cognoscit etiam inferiora eius confusè; sed procedit de cognitione certa, vt opponitur cognitioni dubiæ: & de conceptu obiectiuo prioris affirmat debere esse alium à conceptibus obiectiuis posterioris, quod absque implicatione negari nequit.

§. 30. Sed hæc Merineri impugnatio ipsa non est ad rem, nec ad mentem sui Doctoris: non est ad rem: Quia Complutenses non volunt confundere cognitionem distinctam, & confusam cum certa, & dubia; neque dicunt, Scotum procedere de cognitione distincta, & confusa, & non de certa prout opponitur cognitioni dubiæ: Sed dicunt, quod non exigitur distinctio simpliciter perfecta inter obiecta cognita, ad hoc, vt intellectus sit certus de vno, & dubius de alio; sed sat esse, quod ens, & substantia distinguantur imperfectè secundum confusum, & explicitum, ad hoc, vt sit certus de ente, & dubius de substantia, quod Merinerus minimè impugnat.

§. 31. Rursus non est ad mentem Scoti, qui hanc solutionem vidit in 1. distinct. 8. quæst. 3. num. 6. vbi dum sibi respondetur, sufficere distinctionem imperfectam inter aliquem hominem, & Socratem (id est penes explicitum, & implicitum) adhoc, vt intellectus sit certus de aliquo homine, & dubius de Socrate. Apertè fassus est, sufficere eam distinctionem, vt de eodem verificentur certitudo, & incertitudo, veritas, & falsitas, congruitas, & incongruitas; Atqui Merinerus hoc non concedit Complutensibus: ergo non respondet ad mentem sui Scoti. Audi Scotum admittentem diuersos modos Grammaticales, & Logicales. *Vt penes modos considerandi diuersos* (innuit ille) *sicut vniuersale, & particulare*, *vel penes explicitè, & implicitè; explicitè sicut Definitio exprimit; implicitè sicut definitum exprimit Et per istas differentias* (attende nunc Lector) *possunt poni non tantùm certitudo, & incertitudo; sed etiam veritas, & falsitas, congruitas, & incongruitas*. Igitur certum esse, & dubium de eodem realiter, diuerso tamen secundum expressum, & confusum non est implicare contradictionem; nisi idem sit, eodemque modo conceptum, quod etiam subiunxit Scotus aiens: *Tamen quod idem conceptus eodem modo conceptus quantùm ad istos modos sit certus, & dubius, hoc est omninò affirmare, & negare*. At vero Thomista nunquam docuit, de Ente, & substantia eodem modo cognitis intellectum posse simul esse certum, atque dubium. Vndè nego consequentiam Scoti. Altera instantia, quam subtexuit Merinerus, futilis est, nec digna responso.

§. 32. Censeo igitur, solutionem Complutensium, (quæ Thomistica est, & antiqua) esse inexpugnabilem, atque in illam, vt in radicem superiùs allatas solutiones facilè reduci; non enim variæ sunt substantialiter, vt iactabat Rodriguezius. Nam exempla Flandrensis sunt clarissima in conceptibus indiuidui vagi, & de-

ter-

terminati. Vt sunt aliquis homo, & Socrates. Item Cathecumenus potest certus esse, quòd Persona Diuina carnem assumpsit, & dubitare, Filius nè, an Spiritus Sanctus? & tamen Persona non est prædicatum vniuocum personæ incarnatæ, & non incarnatæ per te: sufficit ergo distinctio conceptus confusi, & clari inter Personam vt sic, & Filium, vt de illis certus sit intellectus, & dubius, quin Persona sit vniuoca Diuinis. Deindè Caietanus licet non explicet, quam alietatem conceptus probet hoc argumentum, intelligendus est de alietate imperfecta, & secundum quid, non de perfecta, quæ ad vniuocationem exigi solet, & quam ille tota illa quæstione explodit, fauetque omninò Auicenna, cuius est hoc argumentum, 1. Metaphys. cap. 5. Nam cum alioqui negaret vniuocationem Entis, benè vidit illud ad hanc probandam efficax non esse, eo enim solùm voluit probare, omnia prædicamenta conuenire in vna intentione Entis, vt cap. 1. dixerat, nec illi vnquam venit in mentem vniuocationem Entis suadere. Sonzinas, atque Masius similiter, sunt intelligendi de toto confuso, & partibus clarè cognitis. Mag. Ioannes à Sancto Thoma id ipsum vult, & præclarè addidit aduertentiam de dubio negatiuo, quæ valde notanda est.

§. 33. Denique in gratiam Scotistarum, & pro celebritate huius Achillis adnecto formam argumentandi Gabrielis Bielis, quæ Tyronibus ingrata non erit, cùm liber sit iam præ vetustate rarus in hoc, vbi degimus nouo Orbe: [*Nam de quantitate* (inquit ille) substantiæ extensæ multi dubitant, an sit substantia quanta, vel accidens inhærens, & tamen non dubitant, an sit *Ens*? Gratia exempli. Formentur illæ tres propositiones: *Quantitas est substantia*, *quantitas est accidens*, *quantitas est Ens*: Primæ duæ sunt dubiæ. Tertia non est dubia. Cum autem nemo possit eamdem propositionem dubitare, & non dubitare, Tertia propositio, quæ non est dubia, non erit eadem cum prima, neque cum secunda, quoniam ambæ sunt dubiæ. Si ergo non est eadem: ergo distinguitur ratione subiecti, copulæ, vel prædicati, non prima duo quia illa sunt eadem: ergo distinguitur ratione prædicati: Ergo prædicatum, quod est conceptus Entis, aliud erit à conceptu prædicati primarum duarum, quæ sunt *Substantia*, *Accidens*. Est ergo conceptus Entis, alius à conceptu substantiæ. Quæro verò prius, an superior, vel inferior? non inferior: ergo superior, & per consequens genus, quoniam cum sit absolutus, non potest esse superior, *nisi quidditatiuè*.] Hactenus ille.

§. 34. Priusquam respondeam, aduerto, Gabrielem esse vnum ex Proceribus Scholę Nominalium, apud quos nulla est præcisio obiectiua, ita, vt nec genus, nec species præscindant à Differentijs præcisione perfecta, & obiectiua; sed tantùm per cognitionem confusam, vt vidimus in materia de vniuersalibus. Hanc igitur, & non Scoticam voluit Gabriel cum Nominalibus. Nos autem libenter eis concedimus, Ens præcisione Nominalistica à suis inferioribus abstrahi; id est per imperfectam vnitatem confusionis, hac enim sola illi insanabile bellum inferunt Scotistis, & omnia illorum argumenta pro vnitate communi ex natura rei facile dissoluunt. Vnde vel in hoc argumento vltimum consequens intulit Gabriel contra Scotum, qui prorsus negat, Ens esse genus, immo hoc fugit, *Cane peius, & angue*. Vide ergo quàm longe absit hic Author à ponenda præcisione obiectiua, siue separatione formali ex natura rei inter Ens, & inferiora, quam ponit Scotus. Igitur Gabriel hoc argumento nec id probat, nec probare voluit; sed verò, quia potest eo vti Scotista pro se.

§. 35. Respondeo, & illam propositionem: Nemo potest eamdem propositionem dubitare, & non dubitare. Distinguo, eamdem eodem modo tam obiectiuè, quàm formaliter cognitam, concedo. Eamdem solum obiectiuè, & diuersam ex modo cognoscendi claro, & confuso, nego: Ergo conceptus Entis alius est à conceptu substantiæ, & accidentis, iterum distinguo, alietate obiectiua, vel formali ex natura rei, nego, alietate secundum quid, seu penes expressum, & implicitum concedo: *heu tandem fato concessit Achilles*.

THEOREMA IV.

Cætera Scotistarum argumenta diluuntur.

§. 36. Obijcies secundò. Cognitione abstractiua benè potest præscindi ratio ab eo, quod non est de eius essentia; sed substantia, & accidens, Deus, & Creatura non sunt de essentia Entis: ergo ratio Entis potest benè præscindi à substantia, & accidenti, Deo, & Creaturis. Maior, & consequentia liquent. Minor ostenditur: Nam quodlibet inferius Entis includit totum Ens: ergo si substantia, & accidens, Deus, & Creatura essent de conceptu essentiali Entis, accidens includeret essentialiter substantiam, & è contra. Deus creaturam, & è contra, quod est absurdissimum.

§. 37. Respondeo, negando minorem. Nam cùm Ens ex sui primæua impossitione confusè repræsentet omnia, quæ existunt eo ipso partes actuales, quæ confunduntur, sunt etiam de essentia totius confusi, quod non debet includi totum absolute in vnoquoque inferiorum, nec de illo totum prædicari, sed in adæquatè, & proportionaliter, vt mox ostendam §. 40. & sequent.

§. 38. Obijcies tertiò. Si Ens non diceret aliquem conceptum obiectiuum simpliciter vnum non prædicaretur prædicatione formali de suis inferioribus, proindèque hæ propositiones *Substantia est Ens*, *Accidens est Ens*, essent falsæ in sensu formali, quod dici non potest, cum sint enunciationes superioris formaliter de inferiori. Sequela est liquida. Nam in prædictis propositionibus *Ens*, vel significat immediatè, & in rectò substantiam, vel accidens, vel vtrumque simul. Si substantiam, hæc propositio erit

falsa. *Accidens est Ens*; facit enim sensum: *Accidens est Substantia*: si significat Accidens, hæc propositio erit similiter falsa: *Substantia est Ens*; reddit enim hunc sensum: *Substantia est accidens*, si vtrumque simul significet, rursus quæro an coniunctim, & copulatiuè, an vero disiunctim? & neutro modo possunt esse veræ, quia est impossibile, quòd substantia sola sit hoc coniunctum. *Substantia, & accidens*, vel quod sit hoc disiunctum *Substantia, vel accidens*. Idem dic de Accidente.

§. 39. Dices cum Complutensibus, Ens non significare immediatè solam substantiam, nec solum accidens, sed vtrumque simul secundùm suas proprias rationes; sed non absolutè sumptas, vt exprimuntur nominibus *Substantiæ*, & *accidentis* (qua ratione videtur procedere, & habere vim argumentum) sed vt proportionaliter inter se sunt similes. Sed contra insurgit Merinerus. Hæc expositio non vitat, prædictas propositiones esse falsas, quod est intentum argumenti. Nam iuxta hanc expositionem propositiones istæ reddunt hunc sensum: *Substantia est Ens*, id est substantia est substantia, & accidens, vt proportionabiliter inter se sunt similia: *Accidens est Ens*, id est Accidens est accidens, & substantia, vt proportionaliter inter se sunt similia: Patet sequela. Nam iuxtà hos Authores hoc est significatum, quod immediatè, & in rectò significat hoc nomen *Ens*; propositiones autem istæ manifestæ falsæ sunt. Nam in rectò neque substantia est accidens, neque Accidens est substantia non solum absolutè; sed neque, vt proportionaliter sunt similia.

§. 40. Nullum est argumentum, cui minùs fidere debeant Aduersarij, quàm huic, manifestam enim, & vulgarem habet solutionem in omni Schola. In primis Nominales, & qui præcisiones non admittunt obiectiuas, non solum in Ente, in indiuiduo vago, &c. sed etiam in omnibus vniuersalibus Generis, Speciei, &c. ad nostram confugiunt solutionem. Nam in eorum sententia, cum Genus Animal nihil aliud significet obiectiuè, quã omnia indiuidua animalis, vt sunt Petrus, & Bucephalus, similiterque species Homo, nihil aliud quam Petrum, Paulum, Socratem, &c. immediatè significet, tenentur respondere ad has consequentias: Ergo cum dicitur, *Homo est animal*, sensus est, *Homo est Bucephalus, & Petrus, & hic Leo*, collectiuè, vel disiunctiuè: Ergo dum homo prædicatur de Petro, immediatè de illo prædicantur omnia hominis indiuidua collectiuè, vel disiunctiuè, & sensus est, *Petrus est Paulus, Martinus Franciscus, &c.* Quidquid igitur illi responderint de significatione illius prædicati Animal, vel Homo, nos etiam dicimus de significatione illius prædicati *Ens*, nec enim illis vlla superest euasio, nisi actus confusus; dicunt enim, intellectum ea omnia sine discrimine confundere, & per modum vnius appræhendere, vel collectiuè, vt volunt Arriaga Logicæ disput. 6. sect. 6. subsect. 3. Ouiedus Logicæ controuer. 3. puncto 5. §. 3. vel disiunctiuè, vt ait Hurtadus Metaphys. disput. 5. sectione 10. §. 157. & §. 179. & hanc confusionem per actum prædicationis tolli dicunt, in qua ex ea congerie indiuiduorum accommoda quadam distributione vnum quodque indiuiduum coaptatur ad suum subiectum, ita quòd ex actu confundente Petrum, Paulum, & Franciscum, dum dico *Paulus est homo*, de Paulo clarè cognito, non nisi ipsemet Paulus confusè cognitus prædicetur. Hæc illi, & quidem consequenter ad doctrinam, iuxta quam præcisionem obiectiuam negant adhuc in vniuersalibus, & vniuocis, quod illi malè faciunt. Nos vero cum eamdem præcisionem negemus inter Analoga, vt inter Ens, & sua inferiora hac ipsamet doctrina respondemus, quæ nostra est, & priùs nostra fuit, quam Ochamus, eiusque discipuli in rebus extitissent. Vndè cum Pater Suarez hanc vnitatem Entis per confusionem, & contractionem illius per expressionem amplectatur, vt late explicat dicta disput. 2. sect. 6. dum nobis hoc argumentum obijcit sect. 2. nu. 8. & 9. peccauit in consequentia, vt & benè notauit, M. Martinez de Prado controuers. 6. artic. 5. num. 75.

§. 41. Iam verò in Schola Thomistica, & etiam in Scotica (vt retuli cap. 1. de specie) Ratio communis admittitur indiuidui vt sic, & Personæ, & indiuidui vagi, quorum formales prædicationes similiter defenduntur: hæ enim *Petrus est Persona*, *Paulus est quidam homo, &c.* non sonant Petrus est Paulus, & Petrus, & Ioannes, &c. Cum tamen *Persona* vt sic, & quidam homo non significent vllum conceptum præcisum; nec gradum simpliciter vnum, nisi immediatè ipsos Petrum, Ioannem, Socratem, &c. Igitur hoc argumentum in omni Schola obijci potest, ab omnibusque soluendum est, vt & reuera soluitur; sed illo non debent vti, si consequenter procedere volunt Nominalistæ, qui falsò nobis aduersari se putant, cum ipsos potiùs vrgeat.

§. 42. Respondeo igitur, solutionem Complutensem esse idoneam, hoc tantum addiderim: nempè Ens significare confusè rationes substantiæ, & accidentis, non solum vt proportionaliter similes, vt illi dicunt; sed vt sunt proportionaliter idem, seu vnum, stat enim (vt Caietanus ait Tract. de Analogia cap. decimo) *pro vtràque ratione non coniunctim, vel disiunctim; sed in quantùm sunt indiuisæ proportionaliter, & ambæ vnam proportionaliter constituunt rationem, significantur enim Analogo nomine in quantùm eædem sunt, &c.* Nam cum sint similia simul, & dissimilia in ratione Entis, similitudo fundat identitatem, & dissimilitudo diuersitatem, est enim illa ratio partim eadem, & partim diuersa, qualis est Analogorum omnium ex Aristotele.

§. 43. Ad instantiam Merineri nego antecedens, & sequelam assumpti. Nam significatio explicita, seu interpretatio, vel explicatio huius nominis *Ens* importat diuersos modos significandi, ac proindè nequit prædicari sicut ipsum Ens, quod tantùm dicit vnum significandi modum, scilicet confusum, & communem, quando enunciatur de substantia, vel de accidente,

vt

vt in Merineri, & Scotistarum sententia per *Album*, v.g. non significatur, nisi Albedo, *vt inhærens subiecto*; & tamen hæc propositio est falsa: *Paries est albedo, vt inhærens, subiecto* ex eo præcise, quòd in illa importantur diuersi, & oppositi modi significandi, quos non importat *Album*, vt explicat Scotus in Ante prædicament., quæst. octaua, quem laudaui supra dissert. 32.

§. 44. Obijciunt quartó. Ab omni conuenientia, & similitudine essentiali plurium potest abstrahi vnicus conceptus obiectiuus, communis, & superior illis; sed omnia Entis inferiora essentialiter conueniunt in ratione Entis; illud enim essentialiter includunt non secùs, ac inferiora Animalis includunt Animal: ergo ab omnibus inferioribus Entis abstrahi potest vnus conceptus obiectiuus Entis communis, & superior illis.

§. 45. Hoc argumentum in ipsos Scotistas validius infra retorquebo Dissertat. 34. Theor. 2. §. 13. vbi (ni fallor) non vorabunt maiorem sui syllogismi, quam nunc pro certissima supponunt: interim illam distinguo. Ab omni similitudine, & conuenientia essentiali plurium perfecta, & simpliciter, concedo maiorem, ab imperfecta, & secundum quid nego maiorem. Nam inferiora Entis non solum conueniunt in Ente, sed etiam differunt per *Ens*; cum modi contrahentes vt tales sint etiam ens formalissime, ac proinde cum *Perseitas*, v.g nihil addat virtualiter distinctum supra Ens, nec cum illo compositionem faciat, vt facit Differentia cum Genere, sequitur, quod Ens, & modus contractiuus sint vnus, & simplicissimus conceptus obiectiuè in substantia, quam si comparet cum Accidente, in quo proportionali modo ratio Entis, & *Inalietas* faciunt etiam vnicum, & simplicissimum conceptum, similitudo, quæ inter vtrumque resultabit in ratione Entis, nullatenus potest esse perfecta, cum in illamet ratione simplicissima etiam differant inter se substantia, & accidens, quemadmodum duæ Indiuiduationes simplicissimæ differunt se totis, & conueniunt in munere indiuiduandi naturam. Est igitur eiusmodi conuenientia seu similitudo mixta, seu immersa in ipsamet dissimilitudine inferiorum, non perfecta, qualis est animalis, v.g. quod in ratione talis nullam importat dissimilitudinem inferiorum, quibus si vlla prouenit à differentijs, prouenit quidem à conceptu virtualiter distincto, & excludente mutuò comparte, cum qua virtualem rationis componit structuram: Igitur à perfecta similitudine vnitas abstrahitur perfecta, & ab aliquali, aliqualis.

§. 46. Obijciunt quintò, etiam ex Scoto in primo distinct. 3. quæst. 2. Ex nostra sententia sequitur occludi viam ad probandam præcisionem, & vnitatem conceptus obiectiui cuiuscumque nominis. Patet sequela. Nam sicut de Ente dicimus, significare plura immediatè, quamuis propter proportionalitatem, quam dicunt inter se, vt significantur nomina Entis videantur significare vnum hic commune, Ita posset quis dicere, Animal significare immediatè plura, nempè hominem, leonem, &c. quamuis propter proportionalitatem quam illi dicunt inter se, vt significantur nomine Animalis, videantur significare vnum ipsis commune.

§. 47. Ad hoc argumentum quid sint dicturi Societatis Nominalistæ, nescio, illi enim se contra Thomistas sentire cum Scoto putabant, Scotumque pro se citabant, ecce Scotus aduersus illos, & illi aduersus Scotum concedent sequelam, nec pro absurdo reputabunt, occludi viam ad probandam præcisionem, & vnitatem conceptus obiectiui cuiusque nominis: desinant igitur Scotizare, vt iam supra monui, & in hac quæstione cum Thomistis contra Scotum militare fateantur.

§. 48. Respondeo negando antecedens, & probationis etiam nego antecedens. Nam solum in transcendentibus occludimus viam abstrahendi conceptum vnum simpliciter obiectiuè propter dicta superius, non vero in Generibus, Speciebus, &c. in quibus ratio communis non est de essentia differentiarum; sed potiùs illas excludit, & illæ vicissim rationem communem excludunt. Ecce patet via abstrahendi latissima. Quin immò Scotistæ viam occludunt abstrahendi rationem genericam à suis differentijs. Vndè hoc argumentum in ipsos retorqueo. Nam sicut Ens etiamsi prædicetur essentialiter incompletè de multis, & etiam si modi contrahentes rationem Entis non sint de essentia Entis, nec Ens de eorum essentia, nihilominus ratio abstracta Entis non est genus, neque modi sunt differentiæ. Ita posset quis dicere, quod etiam si Animal prædicetur essentialiter incompletè de rationali, & irrationali (eadem abstractione obiectiua, qua Ens) tamen non esse genus, & rationale, & irrationale non esse differentias; sed modos intrinsecos. Discrimen igitur, quod illi assignauerint, vt probent, modos entis non esse differentias, assignabimus, & nos, vt non abstrahamus Ens à modis, abstrahamus vero Animal à rationali, & irrationali.

§. 49. Obijciunt sextò. Quia, negato conceptu Entis præciso, & simpliciter vno, sequitur, quod Ens non possit esse medium in demonstratione, neque de illo scientiam haberi, argumentum diluam Dissertat. sequenti.

§. 50. Obijciunt septimò. Audito nomine Entis, aut quis nihil cognosceret explicitè, aut cognosceret explicitè penè infinitas res, quandoquidem Ens immediatè significat propè infinitas res; sed non cognoscit illas: ergo aliquid vnum.

§. 51. Respondeo, hoc argumentum nihil probare, nisi nostram primam assertionem de conceptu Entis imperfectè, & secundum quid vno.

§. 52. Ioannes Lalemander nobilis Scotista supra laudatus, postquam Thomistarum, & Scoti in medium pro more produxisset argumenta, & vtraque etiam soluisset: Tandem Scoticam amplectitur sententiam, quam conuincere (idest apertè probare) ait primum, quar-

tum

tum, & quintum argumentum ex ijs, quæ pro Scoto ipse proposuerat Clypeo secundo, quare oportet, vt has quoque obiectiones, quas ille pro se robustissimas existimauit, elumbemus.

§. 53. Obijciunt octauò primam illam rationem; Ens non includit formaliter vltimas differentias, nec suos modos: Ergo ab illis præscindit formaliter. Probatur assumptum. Si vltimæ differentiæ includunt Ens quidditatiuè, in aliquo conuenient inter se; si in aliquo: ergo non differunt se totis, seu se ipsis: ergo differunt alijs differentijs, & sic in infinitum: ergo debet stari in aliquibus vltimis differentijs, de quibus Ens non prædicetur in *Quid*, & per consequens Ens, seu conceptus obiectiuus Entis præscindet formaliter ab eis.

§. 54. Respondeo. Hoc argumentum iam pridem à Thomistis optimè fuisse solutum, negant enim vtrumque antecedens, aiuntque conuenire differentias in Ente, nil esse, nisi confundi in cognitione, & differre earumdem, esse conceptu claro explicari, nec inde vltrà ab eundum esse, id quod & Hurtadus, & Ouiedus à nobis accipientes probauere, distinguunt etenim illam propositionem. Differentiæ in aliquo conueniunt, si illa ratio confuse noscatur, concedunt; negant vero, si noscatur clare. Nam conuenientia, & vnitas conceptus requirunt, vt confuse noscantur, si autem clare noscantur, iam tunc cernitur, cuiusque differentia, differunt enim per se ipsas expresse cognitas, quia eademmet formalitas (subdit Ouiedus) diuerso modo cognita potest esse principium conueniendi, & disconueniendi, in quo nullum est inconueniens, neque infertur processus in infinitum. Hæc ille. Videant Scotistæ, quos habeant in hoc bellò subsidiarios.

§. 55. Obijciunt nonò, quartum illud argumentum, quod Lalemandetium conuicit. Quod est prius natura alio, præscindit formaliter ab eo; Ens est prius natura, quàm substantia, & accidens. Tum quia prior est hæc propositio: *Petrus est Ens*, quam hæc: *Petrus est Substantia.* Valet enim à subsistendi consequentia *est Substantia*: ergo *Ens*, & non è contrario. Tum etiam quia *esse* prius cadit in apprehensionem intellectus, quam substantia: ergo ens præscindit formaliter à substantia.

§. 56. Respondeo, in hac quoque obiectione nihil difficultatis opponi, quod iam Thomista vno verbo non diluerit, aiens, eiusmodi prioritatem esse secundum quid, & non secundum conceptum adæquatum, & implicitum Entis. Non enim exigitur ad prioritatem superioritatis, vel consequentiæ, vt Enti respondeat obiectiue conceptus aliquis omninò prior, tam quo ad explicitum, quàm quoad implicitum. Probatio autem de proprietate à subsistendi consequentia sexcentas, & quidem manifestissimas patitur instantias, primo quia adhoc, vt ab Ente ad substantiam non valeat consequentia, Sufficit suppositio confusa Entis; iuxta regulas enim Summulistarum à suppositione confusa ad expressam nulla est consequutio. Secundo quia apud Ortizium aliosque Thomistas aduersarios Ens completum creatum non dicit conceptum omninò præcisum à modis constitutiuis prædicamentorum. Et tamen hæc illatio est falsa: *Est Ens completum creatum*: *Ergo est substantia, vel quantitas*. Immo in sententia Nominalistarum, qui nunc Scoto se adhærere putant, nec ab specie ad Genus, neque ab indiuiduo ad speciem valet consequentia, quia genus, & species sunt priora suis inferioribus subsistendi consequentia, non enim valet, *est Animal: ergo homo*, nec *Est homo: ergo Socrates*. Et tamen in horum Scoti sectatorum sententia, nec Genus, nec species habent conceptum obiectiuè præcisum ab indiuiduis. Tertiò quia omnes hæ consequentiæ sunt falsæ: *Est aliquis homo: ergo est Petrus*, de indiuiduo vago ad determinatum. Item: *Est sanum: ergo est medicamentum*. De analogo ad analogatum. Immò hæc: *Est canis: ergo latrat*, de æquiuoco ad significatum. Et tamen nec Indiuiduum vagum, nec Analogum attributionis, nec purè æquiuocum dicunt conceptum simpliciter vnum, & præcisum per vos: Ergo prioritas à subsistendi consequentia illum non probat, alioqui etiam in æquiuocis constituendus esset, quod est ridiculum. Ad alteram probationem Minoris prædicti argumenti videlicet, quod Ens priùs cadat in apprehensionem, quam substantia, &c. Dico Scotistam malè niti illo principio, quod potius Thomisticum est. Nam Scotus contrarium docuit, aiens, speciem specialissimam, & non Ens esse primo cognitum nostri intellectus.

§. 57. Obijciunt decimò, & vltimò, quintam rationem prædicti Lalemandetij. Illud præscindit ab alio, quod potest saluari in esse sine illo; sed ens potest saluari in esse, etiam in esse existentiæ sine substantia, vt patet in Eucharistia, vbi accidentia panis sunt etiam absque substantia: ergo præscindit formaliter, & ex natura rei à substantia. Nec refert si dicas cum Flandrensi, Ens non posse saluari sine virtuali esse existentiæ ad substantiam, eo quod definiatur in ordine ad substantiam. Nam contra est. Quia licet accidens in ratione accidentis non possit saluari, nisi in ordine ad substantiam; attamen Accidens in ratione Entis potest saluari sine substantia, at sermo ibi est de accidente in ratione Entis: ergo nulla est solutio.

§. 58. Multum dubito, an vllum sit hoc argumento imbecillius, mirorque hominem Scoticum illi tantopere fidere. Nego minorem. Probatio non est ad rem, nam sermo est de Ente in communi, non de tali ente, id autem quod sine substantia saluatur, est tale ens singulare in rebus existens, nempè Accidens Eucharisticum, quod fateor, nedum per intellectum, sed realiter præscindere à substantia. Cæterùm Flandrensis est in alio sensu, nempè asserentium, Entis conceptum esse totum disiunctiuum, quod primario, & per se significat substantiam, & secundario accidens, vndè sibi obijcit argumentum de aliquo ente, quod non significat primariò substantiam, quale est Eucharisticum accidens, quod iuxta illum dicen-

di

di modum soluit: communior vero Thomistarum Consensus hac præsertim tempestate alia pergit via; dicimus enim, Ens significare actu confuso substantiam, & accidens vt vnam, & eamdem rationem identitate proportionali, vt supra §. 45. explicuimus, de qua, dum agemus de vniuocatione Entis, iterum sermo redibit.

DISSERTATIO XXXIV.

Vtrum ens transcendat vltimas rerum differentias, & modos substantiæ, & accidentis.

THEOREMA I.

Statum quæstionis, & difficultatis scopum ostendo.

§. 1. ENs transcendere differentias omnes non vltimas concedit Scotus: negat, transcendere vltimas, modosque, & passiones eius in primo dist. 3. quæst. 3. quænam autē sint vltimæ differentiæ, apud illum, non constat: Immò ait Meurisius, frustra laborare Scotistas inuestigando quænam propriè differentia censeri debet vltima? quia (subdit ille) ex mente Scoti ea sola est vltima, quæ solum est vltimo determinatiua: cuius conditionis sunt omnes, & solæ differentiæ indiuiduales, vnde ipse Meurisius differentiam vltimam illam vult intelligi, quæ accipitur ab vltima perfectione, vltima realitate, seu vltimo gradu entitatis formæ, differentiam verò non vltimam eam esse, quę sumitur à forma, quocumque modo sumatur, dummodo non sumatur ab vltima realitate, seu gradu entitatis formæ, alij alia comminiscuntur, vt Poncius Metaph. disput. 69. num. 24. Philippus Faber. Theorem. 95. cap. 5. &c. In hoc digladiantur Scotistæ, ciuili discordia, nihilque frugis afferunt ancipites, & varij: Nam teste Lalemandetio Metaph. disput. 1. partit. 3. multa congerunt ad explicationem difficultatis, ita vt plus laboris insumant in ea proponenda, quam in determinanda; quinimmo nec in terminis satis conueniunt: Scotum sequitur Ricardus Lynceus, qui differentias quasdam adstruit innominatas ab ente non transcesas, habet contra se Scotus Thomistas, & Nominales, qui constanter affirmant, ens esse de conceptu essentiali differentiarum adhuc vltimarum, atque modorum, proindeque de illis quidditatiuè prædicari in sensu formali. *Petreitas est ens, Petreitas est ens &c.*

§. 2. Tota difficultas est in probando, rationalitatem v. g seu perseitatem esse formaliter ens, quod non præstant Nominalistæ moderni argumentis illis vulgaribus, quorum pleraque ipsimet Scotistæ sibimet obijciunt communiter: huiusmodi sunt hæc. *Primo*. Quia substantia, non nisi ex substantijs componitur ex Arist. ergo perseitas est substantia, & ens: opponitur enim chymeræ, quod adeò euidens visum est Hurtado, vt dicat, sibi mirum accidisse, ea de re hominem vllum dubitare, & Scotum fortè esse in alio sensu. *Secundo*: Cognitio terminata ad differentiam vltimam v. g. rationalitatem, distinguitur ex parte obiecti à cognitione terminata ad chymeram, quia hæc terminatur ad quid fictum, & illa, ad quid reale: ergo terminatur ad aliquid, quod opponitur cum Chymera, & est quid positiuum non repugnans existere: ergo terminatur ad ens formaliter, cuius constitutiuum est non repugnantia ad existendum: Ita Ouiedus ex Arriaga. *Tertio*. Ens, & nihil opponuntur contradictorie: ergo quod non est nihil formaliter, est ens; Sed nulla differentia vltima est formaliter nihil: ergo vt talis est formaliter ens, &c.

§. 3. Hæc, & alia facillimè difflant Scotistæ, negando consequentiam, & vno verbo assignant rationem: quia sat est (inquiunt) quod perseitas entitatiuè, identicè, seu materialiter sit ens, ad hoc, vt non sit chymera, seu nihil: id enim quod nihil dicitur, nec materialiter, nec identicè identificatur cum ente reali positiuo. Vnde ex hoc quod perseitas formaliter non sit nihil, non illico sequitur, esse formaliter ens. Dant enim medium interesse nihil, & ens formaliter: scilicet esse ens identice, & materialiter. Et hoc quidem responsum nec impugnant, nec leuiter perstringunt prędicti Authores, qui moderni, id est politissimæ, & defæcatissimæ doctrinæ scriptores vocari amant, gloriantur que; nos vero, vt antiquarios, crassos que sugillant. Sed vero ipsimet Scotistæ, contempsere argumenta Modernorum: Vnde Lalemandetius num. 29. *Recentiorum verò (inquit) præsertim suarum impugnationes in Scotum missas facimus; quia nullius roboris esse iam patefecerunt recentiores Scotistæ*, Hæc ille.

§. 4. Porrò Thomistæ vlterius progressi sunt, quippe qui non sunt contenti eo solum, quod differentia vltima sit ens materialiter, seu quod non sit nihil, contenduntque in sensu formali perseitatem, rationalitatem, &c. esse ens. Tum primo: Quia rationalitas v. g. & petreitas non solum per accidens, & ratione identificationis cum animali, & cum humanitate sunt ens, seu possunt existere à parte rei: Nam si per possibile, vel impossibile rationalitas, & petreitas non essent cum animali, atque homine identificatæ, nihilo minus illis non repugnaret existere à parte rei ergo illis hæc non repugnantia non competeret ratione identitatis cum animali, & homine. Consequentia videtur manifesta: quandoquidem in sententia Scotica differentiæ indiuiduales omnino sunt extra essentiam naturæ essentialis, seu essentiæ. Adeo, vt natura humana v.g. Petri si per possibile vel impossibile non identificaretur cum petreitate, nihilominus adhuc suam retineret vnitatem formalem essentialem extra Petreitatem, vel cum Pauleitate: ac proinde tam extra essentiam humanitatis est Petreitas, quam extra essentiam Petreitatis est humanitas: Ergo independenter ab vnione cum tali natura Petreitas habet sua prædicata essentialia, quorum primum, præcipuumque erit non repugnantia ad existendum, & hoc de illa non identicè prædicatur, sed formalissimè per se, non per accidens, & denomina-

na tiuè, vt non nulli Scotistarum loquuntur.

§. 5. Tum etiam quia ens magis intrinsecè, & magis essentialiter conuenit Rationalitati, quam animali, quod quidem est genus, idest omnino extra conceptum differentiæ; At qui animal identicè, & materialiter prædicatur de rationali: ergo ens non ita debet de illo prædicari, sed formaliter. Consequentia est bona, & antecedens manifestum: quia in linea prædicatorum rationali magis proprium, & intimum est *Habere esse*, quam *Habere animalitatem*; illud enim est prius, & magis necessarium.

§. 6. Ad hæc occurrunt Scotistæ, aiuntque ens bifariam sumi: Nam aliud est ens *quid*, & aliud ens *quale*: ens *quid* apud illos dicitur illud, quod est quid potentiale, & contrahibile, & consequenter habet se respectu illius, ad quod contrahitur substantiuè, seu per modum per se stantis. Ens *quale* appellatur id, quod habet rationem actus, & determinantis, seu contrahentis, & consequenter habet se respectu illius, quod per ipsum determinatur, & contrahitur qualificatiuè, & per modum alteri adiacentis, eo modo quo rationale, etiam si substantia sit, & quidditas hominis, tamen prædicatur in *quale*. Dicunt igitur ens *quid* non prędicari de modis entis, sed ens *quale*: vnde perseitas v. g. erit ens qualitatiuum: (vt loquuntur) seu determinatiuum. Ens vero *quid* licet formaliter, & quidditatiue includatur in generibus, speciebus, & differentijs non vltimis, non tamen includitur in modis, & differentijs vltimis, sed solum identicè, & materialiter non secus ac genus includitur in differentijs. Et ratio horum est. Quia vltima differentia eo ipso quod vltima sit, est conceptus simplex, & irresolubilis in alios conceptus non enim exercet alium conceptum, nisi qualificatiuum purum, & vltimum. At vero differentia non vltima resolubilis adhuc est in conceptum quidditatiuum, & qualificatiuum, seu determinabilem, & determinantem, quia non est illud, quod vltimo importat forma. Vnde apud Scotum differentia non vltima se habebit per modum cuiusdam speciei, quippe quæ ex duplici parte constabit, videlicet conceptu quidditatiuo, qui se habebit per modum generis, & conceptu qualificatiuo, qui ad modum differentię se habebit. Hæc est tota Scotistarum doctrina, ex qua facile eludunt etiam nostratum argumenta: Nam cum vrgentur vt assignent medium inter esse nihil, & ens formaliter, quandoquidem de vltima differentia vt tali debet alterutrum in sensu formali prædicari: Dicunt, de illa formaliter ens *Quale*; non vero illud ens, quod illa determinat, & qualificat, scilicet ens *quid*. Et hic est huius quæstionis status, hinc que impugnandi sunt Scotistæ ab Authoribus, qui illum impugnare voluerint.

THEOREMA II.

Diui Thomæ mentem disquiro, Thomistarum sententiam amplector, & probo.

§. 7. DVm Thomistæ aiunt, ens ita transcendere modos, & vltimas differentias, vt etiam de illis in sensu formali prædicetur, de ente loquuntur *nominaliter* sumpto: ens enim bifariam accipitur apud illos, *nominaliter* videlicet, *& participaliter*: Ens enim (explicatore M. Ferrariensi) est nomen concretum, quod duas formas significare potest, scilicet *essentiam, & existentiam*, quando autem ens pro formali significat essentiam, dicitur ens nominaliter, quando vero pro formali significat existentiam, dicitur ens participaliter. Et ratio horum est: Quia cum res actualiter existit, quasi exercet existentiam, & hoc significatur participio entis, eo ipso quod ipse actus existendi principaliter, seu formaliter significatur: quando autem ens sumitur pro radice, & primæua aptitudine ad existendum, significatur principaliter, & per modum per se stantis hæc potentia, & quia existentia solum connotatur in obliquo, & non præsefertur, ideo non significatur participium essendi, sed potius eiusmodi potentia, quæ consideratur per existentiam informanda, significatur per modum nominis substantiui, diciturque ens nominaliter, quod est omnium rerum essentia.

§. 8. Sed vero Caietanus opusculo de ente, & essentia ad cap. 4. §. *Mihi autem* docuit, ens participaliter sumptum esse id, quod est transcendens diuisum in decem prædicamenta; & non ens nominaliter acceptum quod ex duplici D. Thomæ testimonio probare conatur, quorum primum est prima parte quæst. quinta, & sexta: alterum in quæst. de veritate quęst. vigesima prima: non acquiesco Caietano, sed potius Thomistarum communi sententiæ subscribo: Caietani fundamenta optimè diruit M. Ferrariensis lib. 1. contra gentes cap. 25. §. *Sed huic determinationi*, qui videndus omnino est. Supposito igitur quod ens participaliter acceptum, idest vt formaliter præsefert, & significat actum existentiæ non sit transcendens, eo quod existentia actualis solum potest esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo Dei, & nullo modo creaturæ, vt est Thomisticæ Scholæ dogma inconcussum.

§. 9. Dico, ens transcendere non modo genera, species, & rerum non vltimas differentias, sed etiam vltimas, & modos perseitatis, & inaleitatis substantiæ, & accidentis. Hæc est sententia procul dubio D. Thomæ; PP. autem Complutenses illum citant prima parte quæst. tredecima artic. quinto; sed re vera ibi docet, quod Deus nequit cum creatura in vllo genere conuenire, quod à nostra transcendentia distat. Suarez autem copiosius, & plenius videtur Diuum Thomam pluribus in locis indicasse, dum citat quæst. trigesimam primam de veritate art. primo. Item quodlibeti 2. articulum 3. item primæ partis quæst. 3. artic. 4. item quæst. 4. artic. 3. ad primum, & tandem quæst. 5. artic. 1. Sed primò (pace tanti viri) nihil minus in prædictis locis meminit Sanctus Doctor, vt illa legenti patebit. Mitto, quod quæstionem trigesimam primam de veritate citauerit, quam nusquam scripsit ille, non enim nisi viginti nouem quæstiones scripsit: Fortasse Typographiæ mendo irrepsit

irrepsit trigesimum pro vigesimo: Sed nec ibi vel vnum verbum de entis transcendentia toto fecit articulo: nam totus est in disquirendo *quid addit bonum supra ens?* in loco autem Quodliberi nihil aliud docet, quam quod hoc nomen *ens* prout importat rem, cui competit existentia, significat essentiam rei, & diuiditur in decem prædicamenta: Quod quidem verum esset, quãuis ens non transcenderet vltimas differentias, vt vult Scotus, qui primum admittit totum, & negat secundum: Sicut qui admitteret, hominem significare essentiam, & negaret transcendere vltimas differentias hominis, Petreitatem scilicet Pauleitatem, &c. quæ formaliter non sunt homo.

§. 10: Citant præterea Complutenses cum Suarezio libri primi contra gentes cap. 25. Sed hic locus sanè non ita clare nobis fauet: Nam cum S. Doctor sub conditione pronuntiat, vel rem negare, vel vt minimum dubitare videtur, ait enim sic: *Oportet, differentiam esse præter id quod intelligitur in ratione generis: nihil autem potest esse quod sit præter id, quod intelligitur per ens, si ens sit de intellectu eorum de quibus prædicatur: & sic per nullam differentiam contrahi potest, &c.* præme illa verba, *Si ens sit de intellectu eorum, de quibus prædicatur.* Igitur nec locus hic apertè, & sincerè nobis fauet. Nihilominus hanc esse Angelici Magistri mentem indubiè teneo, vt communiter affirmant Thomistæ. Et quidem mihi id nullibi apertius tradidisse videtur, quam cum docet, enti nullum modum contractiuum superaddi posse, sicuti solet addi generi differentia; sed solum per meram expressionem modi, qui per nomen confusum ens non exprimebatur, tum etiã quia quodlibet additamentum essentialiter est ens. Tùm etiam quia ens est primum rerum omnium prædicatum, in quod vltimo intellectus omnes suas resoluit conceptiones: Hæc ni fallor, omnia elegantissime describunt entis transcendentiam, quæ desumo ex quæst. 1. de veritate artic. 1. *Illud autem* (inquit ille) *quod primo intellectus concipit quasi notissimum, & in quod omnes conceptiones resoluit est ens, vt Auicenna dicit in principio Metaphysicæ suæ. Vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens: sed enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum quo differentia additur generi, vel accidens subiecto: quia quælibet natura essentialiter est ens: Vnde etiam probat Phylosophus in tertio Metaphysicorum, quod ens non potest esse genus, sed secundum hoc dicuntur aliqua addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. &c.* quid clarius? Iam vero illa conditionalis propositio authoritatis ex libro contra gentes pupugit Ferrariensem, cuius explicationem exhibeo. „ *Aduertendum* (inquit) *quod* non ideo conditionaliter loquitur S. Tho. quasi dubium apud „ ipsum sit, quod ens sit de intellectu, siue de „ essentia eorum, de quibus prædicatur. Tenet „ enim ipse in alij locis, vt attulimus, ens essentias rerum significare: Sed eo modo loquendi vtitur ad tollendam calumniam, qua aliquis negaret, ens essentialiter prædicari, quasi diceret: Cum ens sit vniuersalissimum de „ omnibus prædicatum, nihil potest esse, quod „ non accipiat in sua ratione ens, nisi aliquis „ vellet negare, ens essentialiter de rebus prædicari, quod esset *manifestè falsum*] Hæc Ferrariensis, quibus circa mentem D. Thomæ expensis?

§. 11. Probo nostram assertionem ratione contra Scotistas: Hucusque enim deuenimus iam, quod illi ne illud principium indemonstrabile, & per se notum negarent, scilicet, *quodlibet est, vel non est*: seu de quolibet subiecto debet formaliter prædicari vel ens, vel nihilum: concesserunt iam, quod de differentia vltima prædicatur formaliter ens; sed verò non ens *quid*, sed ens *quale* (vt ex Merinero, aliisque Scotistis ostendimus) vnde sic argumentor: Sicut differentiæ non vltimæ competit essentialiter non esse nihil, seu cõtradistingui à nihilo per ens *quid*, ita differẽtiæ vltimę conuenit differre nihilo per ens *quale*: ergo ens in tota sua latitudine, vt contradistinguens à nihilo, est prædicatũ transcendens, & formaliter dictum de vtraque differentiâ. Probo consequentiam: ens abstrahens ab ente *quid* & ente *quali*, seu ens commune enti quid, & enti quali nequit non prædicari formaliter de subiectis constitutis per eiusmodi rationes *quid*, & *qualis*; Sed ens vt in præsentiarum sumitur à Thomistis non est completum, neque incompletum, quidditatiuum, neque qualificatiuum, sed est prædicatum illud essentiale, quod rem à nihilo contradistinguit, abstrahendo ab ente *quid*, & ente *quali*: Ergo ens in tota ea latitudine, qua pollet apud Thomistas, est prædicatum transcendens, & formaliter dictum de vtraque differentiâ vltimâ, & non vltimâ. Discursus est Logicus: Minor, & consequentia satis liquent. Maior facilè ostenditur. Quia ens *quale*, seu vltima differentia essentialiter est ens *quale*, & hoc de illo prædicatur essentialiter. Item ens *quid* essentialiter dicitur de non vltimâ differentia: rogo igitur; an hoc ens *quod* de *quali* prędicatur, sit ipsum ens *quale*, non exprimendo affectionem qualitatis. Et hoc est incidere in conceptum confusum similẽ Thomistico entis abstracti à substantia, & accidente: Vel est conceptus entis abstractus ab ente *quid*, & à *quali* abstractione perfecta: & sic nequit non prædicari de vtroque ente, seu de vtrâque differentiâ.

§. 12. Dices: suppositum maioris te negare, quia non potest vna ratio vniuoca abstrahi ab ente *quid*, & ente *quali* ratione simplicitatis: obene! Sed caue, ne hac solutione potius confirmes sententiam Thomisticam negantem abstrahi posse conceptum simpliciter vnum a Deo & creatura, à substantia, & accidente ratione simplicitatis, & ne versis armis Thomista argumentis te Scoticis vrgeat. Contra sic primo: plus distant ens creatum, & increatum, quam ens quid, & ens quale, & quam differentia non vltima, & vltima: Sed tamen quia Deus essentialiter distinguitur à Nihilo per ens increatum, & similiter creatum distinguitur à nihilo per ens creatum, eo præcisè datur conceptus entis vnus abstrahibilis à Deo, & creaturâ: ergo quia differentia non vltima distinguitur à nihilo per ens

ens quid, & vltima distinguitur per ens quale, dabitur etiam conceptus entis vnus abstrahibilis à differentiâ vltimâ, & non vltimâ, ab ente quid, & quali. Vel debes fateri, Thomistam eodem iure optimè defendere, non posse abstrahi conceptum vnum à substantia, & accidente; Deo, & creatura. Nam quidquid protuleris ad statuendam solam proportionem differentiarum inter se (vt facit Poncius) seu ad probandam simplicitatem inter rationem conueniendi & differendi earum; hoc etiam Thomista reponet dicens: in substantiâ non esse rationem conueniendi, & differendi, sed omnia esse simpliciter ens, ac proinde non nisi proportione assimilari substantiam accidenti, &c.

§. 13. Contra secundo. Per vos à qualibet conuenientia essentiali plurium potest abstrahi vnus conceptus obiectiuus, & superior illis; sed ens quid, & ens quale essentialiter conueniunt in eâ ratione entis, per quam formaliter contradistinguuntur à nihilo: ergo ab ipsis abstrahi potest conceptus obiectiuus entis communis, & superior illis. Hunc syllogismum nolo habere plus roboris, quam quod ipsi Scotistæ volunt contra nos habere, dum hac Scoti ratione conantur nobis suadere, conceptum entis à substantia, & accidente simpliciter præcisum. Quoniam si efficax est ad probandum conceptum simpliciter præcisum, & communem substantiæ, & accidenti, Similiter probabit conceptum præcisum entis ab ente quid, & ente quali, proindeque ille transcendet vltimam differentiam; Nam semel admisso conceptu superiore, & communi vtrique enti, quamuis differentia vltima sit ens quale, de illa prædicabitur in se u su formali illud ens, quod commune est, & superius enti quid, & enti quali, quod nunc intendo. Si verò hoc secundum non probet: neque vtique probabit contra Thomistas primum: & syllogismi illa maior Scoti, quâ nos Scotistæ impetebant erit falsa, vel æquiuoca, eamque ipsimet vt euadant consequentiam, cogentur distinguere more Thomistico, vt & nos fecimus Dissertat. præcedenti §. 45.

§. 14. Contra tertio; & simul argumentum Auicennæ, seu Achillem Scoticum in eosdem retorqueo. Per vos ex eo quod intellectus sit certus de aliquo, quod sit ens, & dubius an sit substantia, vel accidens, sequitur omnino, quod conceptus entis sit alius, communis, & præcisus à conceptibus substantiæ, & accidentis; at qui potest intellectus esse certus, quod aliqua differentia sit ens, & esse dubius, an sit ens quid, aut ens quale: Ergo conceptus entis vt sic est alius, communis, & præcisus à conceptibus entis quid, & entis qualis. Maior est euidens apud Scoticos, consequentia legitima: Minorem probo: Rationalitas v. g. est differentia, de qua intellectus sine vllâ dubitatione certus est, quòd sit ens; at qui dubitare potest, an sit vltima, vel non vltima? id est, an sit ens quid, vel ens quale? Immò ipsemet subtilissimus Scotus id dubitauit loco supracitato num. 15. per hæc verba: *Hæc est in quid: Rationalitas est ens; si rationalitas sit talis differentia: sed nulla talis differentia est vltima &c.* & etiam Scotistæ dubitant, quas nam differentias vocauerit vltimas Scotus? cum minimè dubitent, eas esse entia. Ergo de aliqua differentia intellectus est certus, quod sit ens, & dubius, an sit ens *quale*, vel *quid*: ergo conceptus entis est vnus communis, & superior conceptibus entis quid, & entis quale, ac proinde de vtroque prædicabitur essentialiter, quod est differentias vltimas transcendere.

§. 15. Contra quarto: Quia si prædictæ rationes non probant, dari conceptum entis alium præcisum & communem enti completo, & incompleto, nempè generibus, differentijs non vltimis, & speciebus ex vna parte, & differentijs vltimis ex alia: ea enim significant Scotistæ, per ens quid, & ens quale: sequitur quod ens in tota sua latitudine sumptum pro formali contradictorio nihili sit purè æquiuocum enti quid, & enti quali, & simul non sit purè æquiuocum illis; Sed hæc est contradictionis implicato: ergo abstrahibilis est conceptus entis ab illis, qui de vtroque vniuocè prædicetur. Probo primum: ens quid, & ens quale per vos sunt primo diuersa, quæ non nisi in nomine entis conueniunt: ergo nomen ens illis est pure æquiuocum. Rursus contradictorium probo: per nomen ens significatur quod formaliter non est nihil; Per vos differentia vltima ex eo præcisè quod sit ens *quale* formaliter non est nihil, & non vltima ex eo quod sit ens quid, non est formaliter, nihil: ergo ens quid, & ens quale præterquam in nomine entis conueniunt etiam in re significata, quæ est esse contradictorium nihili: Igitur præter celebrem diuisionem entis in tota sua latitudine, quæ apud Thomistas est analoga, & apud Scoticos vniuoca iam additur alia tertia, quæ neutra sit, & impossibilis.

§. 16. Probatur secundo eadem assertio ratione Thomistarum communi ex argumento Aristotelis 3. Metaphysicæ, quam adduxit D. Thomas quæst. 1. de veritate art. 1. Probat sic Philosophus ens non esse genus: Nullum genus prædicatur de differentijs; ens prædicatur de differentijs: ergo ens non est genus: Maior syllogismi debet intelligi in sensu formali, quia in identico (vt bene notauit Sonzinas) falsa esset, cum omne genus identicè prædicetur de differentia, quâcum identificatur: Minor etiam in eodem sensu procedit, alioqui variaretur suppositio, & syllogismus nihil concluderet: ergo ex Aristotelis sententiâ ens prædicatur de omni differentiâ.

§. 17. Scotus huic argumnnto duplicem adhibuit solutionē: Prima est, Aristotelem non asserendo loquutum; sed in vtramque partem quæstionis disputando, vt in proœmio promiserat. Altera est: ens non esse genus, quia prædicatur de aliqua differentia saltem non vltima, quod sat est Aristoteli, cuius argumentum potius dicit sibi fauere, quatenus excludit ens à ratione generis, & prædicati vniuoci respectu differentiarum.

§. 18. Sed contra: neutra solutio argumentum eneruat. In primam sic insurgo primo. esto Aristoteles procedat disputando in vtram-

que

quę partē quæstionis: at verò assumit pro medio rem certam, & veram, eamque vt talem supponit, conclusio enim certa impossibile est, quod sequatur ex præmissis falsis; atqui conclusio, quam ille colligit, est certa eamque vt veram, & certam admittit Scotus; nempe ens non esse genus: ergo neutra præmissarum falsa fuit: patet consequentia. Quia cum conclusio sequatur debiliorem partem præmissarum, si medium syllogismi quod est ly *prædicatur de omnibus differentijs* esset falsum, etiam esset falsum quod *ens non esset genus*.

§. 19. Contra secundo. Scotus ideo negat hanc Aristotelis propositionem, quia cum Phylosophus arguat ad vtramque oppositam conclusionem non potest vtrumque argumentum concludere verè, ac proinde vnum eorum falso concludit, *Duo autem opposita* (inquit Scotus) *non possunt concludi, nisi alterum argumentum sit sophisticum*. Peto nunc à Scoto, an hoc argumentum Aristotelis, quo probat, ens non esse genus, sit illud, quod verè concludit? & sic habeo intentum: vel est illud alterum? quia vnum ex duobus debet esse sophisticum: velis, nolis, dices, hoc esse sophisticum, eo ipso quod Scotus negauit eius præmissas. Tum sic: ergo argumentum, quo probatur oppositum, est quod verè concludit; At qui hoc est impossibile, quia oppositum est: *ens est genus*, quod negat Scotus, & contradictoriæ præmissarum oppositi syllogismi sunt omnino falsę, negantur que à Scoto; sunt enim hæ: *Aliquod genus prædicatur de differentia*; *ens de nulla differentia prædicatur*: Ergo potius ille syllogismus, qui constat ex his propositionibus falsis, seu quo probantur huiusmodi propositiones falsæ, erit sophisticus, & oppositus erit certus, & concludet verè, ac proinde hic Aristotelis discursus erit, qui sophistico opponatur, & irrefragabilis est: ergo falso dicit Scotus, argumentum Aristotelis non concludere verè, sed oppositum: ac consequenter non soluit Thomisticum.

§. 20. Contra tertio si ex eo quod Aristoteles non asserendo dixerit, ens esse transcendens, & non esse prædicatum vniuocum, & genericum, potuit Scotus illum non sequi, & authoritatem communis Magistri negare: ergo, & Scotistæ eodem iure possunt concedere, ens esse transcendens, & prædicatum analogum, & non vniuocum; quandoquidem Scotus non asserendo, sed disputando tenuit, ens non esse analogum, sed vniuocum Deo, & creaturis: ait enim ille loco citato quæst. 2. *Secundo non asserendo, quia non consonat opinioni communi, potest dici, quod non tantum in conceptu analogo conceptui creaturæ concipitur Deus &c.* Sequantur igitur Scotistæ in hoc ipso suum Doctorem: non enim desserunt Scotum, si negant sententiam, quam ille non asserendo docuit, sicut illi dicunt Scotum non desseruisse Aristotelem, negando propositionem, quā Aristoteles disputando, & non asserēdo pronunciauit. Quod si negare vniuocationem entis esset Scotistis deficere à Scoto: ergo negare transcendentiam entis, fuit Scoto deficere ab Aristotele.

§. 21. Altera autem Scoti solutio etiam languet. Contra primo: Falso asserit Scotus, Aristotelem probare, ens non esse genus ex eo quod de aliqua differentia dumtaxat prædicetur: Probo tum ex eiusdem verbis; ait enim de ente, & de vno *Ea namque de omnibus maximè dicuntur existentibus*: ergo de vltimis differentijs etiam dicuntur, illæ quidem etiam omnes existunt: Tum etiam, quia sequela Aristotelis, vt & ipse Scotus repetit, hæc est: *Quare si vnum est genus, aut ens, nulla differentia neque vnum, neque ens erit*. Hæc autem nullatenus cohærent cum explicatione Scoti: qualis est: ens non est genus, quia de aliquibus differentijs, scilicet non vltimis prædicatur. Nam potius oppositum docet Aristoteles, nempè non est genus, quia de omnibus differentijs prædicatur; alioqui vt esset genus, de nulla debebat prædicari: Et hinc intulit absurdi sequelam: *Ergo nulla differentia esset ens*; At qui hæc consequentia non infertur legitimè ex illo antecedente *ens prædicatur de aliquibus differentijs*, Sed ex illa vniuersali *omnis differentia excludit suum genus*, siue ex hac: *De nulla differentia dicitur formaliter suum genus*; Ergo apud Aristotelem non ideo ens non est genus, quia de aliquibus dumtaxat differentijs formaliter prædicatur, sed quia de omnibus, vltimis, & non vltimis formaliter dicitur.

§. 22. Contra secundo: esto ens non prædicetur formaliter de differentijs vltimis, nec de modis perseitatis, & inalietatis: ergo respectu horum erit genus: Probo consequentiam. Ideo ens nequit esse genus respectu differentiarum non vltimarum, quia illas transcendit, permeat, & omnimoda identitate de illis formaliter prædicatur; sed de vltimis differentijs non ita prædicatur, nec illas transcendit: ergo respectu earum genus esse potest. Minor, & consequentia liquent, maiorem explico, & probo: genus est prædicatum essentiale incompletum, seu pars essentialis metaphysica de cuius ratione est com partem excludere, scilicet differentiam, quę si non accedat vt altera pars à genere distincta, neque genus contrahet, neque cum illo compositionem efficiet compositi metaphysici: Vnde fit, quod quando prædicatum essentiale non distinguitur à differentia, sed potius illam secum identificat formaliter, nequit esse genus eiusdem; proindeque prædicatum transcendens nequit genus esse respectu differentiæ transcensæ; eo enim ipso, quod ens prædicetur formaliter de differentia non vltima, id est non distinguatur ab ipsa, non potest eius compars esse, id est genus: ergo tota ratio, cur ens non est genus alicuius differentiæ est identitas formalis cum ipsa; Sed hæc non datur inter ens, atque vltimas differentias: ergo cum illis compositionem genericam præstabit, etiam si respectu aliarum plurium, quibus commune est, non possit esse genus ratione *nimiæ communitatis*, quæ est Asylum Scoti. Consequentia videtur manifesta: Nam communitas obstabit ad hoc, vt ens sit genus respectu prædicatorum, quibus nimium, vel parum commune fuerit, non vero respectu eorum, quibus nullatenus commune est: Nam

si animal v.g. per possibile, vel impossibile prædicaretur de differentiis lapidis, & plantæ, cum tamen non prædicaretur de rationali, adhuc esset genus respectu rationalis: ergo communitas disparata entis non tollit rationem generis respectu differentiarum, in quas nullam communitatem exercet.

§.23. Probatur tandem tertio ratione, quam Thomistæ desumunt ex eo quod de differentijs vltimis prædicatur aliqua passio entis, vt esse cognoscibile, seu verum, & vnum: vnde inferunt, illas formaliter includere rationem entis: Immò ex eo præcisè quòd intelligantur vltimæ differentiæ, colligunt ea esse formaliter ens hoc Soncinatis argumento. Nulla potentia ferri potest extra latitudinem obiecti adęquati, extensiui; Sed obiectum adæquatum intellectus est ens in tota sua latitudine: ergo omne, quod intellectus cognoscit, est ens &c.

§.24. Ad hoc vltimum respondet Lalemandetius (prætermissa solutione sui Scoti) sufficere ad hoc, vt differentiæ vltimę sint cognoscibiles, quod sint ens qualitatiuè, seque non dicere absolutè, vltimas differentias non esse entia, sed tantum non esse entia quidditatiua.

§. 25. Contra: non respondes ad rem, non negat Thomista, quod ad hoc vt differentia vltima sit cognoscibilis, sufficiat, quod sit ens qualitatiuè: hoc enim tibi damus, & tamen difficultas subsistit, neque illam tangis: Nam hæc cognoscibilitas entis *qualis* non est prima, & adæquata cognoscibilitas obiecti extensiui intellectus, quæ soli enti *quali* conueniat in primo, vel in secundo modo dicendi per se: neque etiam cognoscibilitas entis *quid*, est prima, & adæquata cognoscibilitas obiecti intellectus: alioqui darentur duo prima obiecta specificantia intellectum, sicut dantur duæ cognoscibilitates primo diuersæ entium primo diuersorum in nullo conuenientium vniuocè, qualia sunt ens *quid*, & ens *quale*, ac proinde neque daretur vna ratio vniuoca intellectus: hinc infert Thomista: ergo aliqua alia cognoscibilitas tertia vtrique communis, seu aliqua alia ratio entis vniuersalioris datur, quam vniuocè contrahat quicquid cognoscitur ab intellectu; at qui vltima differentia (seu ens quale) quidditatiuè cognoscitur ab intellectu: ergo quidditatiuè est ens: ad vitandam autem hanc consequentiam, quid refert dicere, sufficit, quod differentia sit ens quale, si nihil aliud dicatur?

§. 26. Igitur non nisi ad doctrinam subtilis Doctoris recurrendum erat: videlicet, quod ens in tota sua latitudine est primum obiectum intellectus duplici primitate, nempe primitate Communitatis, & primitate virtualitatis: respectu omnium generum, specierum, & indiuiduorum habet primitatem communitatis, est enim illis commune prædicatum in quid: respectu autem differentiarum vltimarum habet primitatem virtualitatis, quia virtualiter ens continet, quatenus istæ includuntur essentialiter, & quidditatiuè in speciebus, & indiuiduis quæ essentialiter includunt ens, ita vt *illa quibus ens non est vniuocum in quid, includantur in illis, quibus ens est sit vniuocum*. Ita Scotus vbi supra num.8. Vnde argumento occurrendum erat, distinguendo minorem syllogismi: Nam si intelligatur, quod ens sit primum, & adæquatum obiectum intellectus vtraque adæquatione, & primitate respectu omnium intelligibilium, vera est propositio apud Scoticos; si vero intelligatur, ens esse primum, & adæquatum obiectum intellectus adæquatione, & primitate tantum communitatis respectu omnium intelligibilium, falsa est. Deinde consequens eodem glossemate distinguendum: ergo omne quod cognoscitur ab intellectu est èns: essentialiter, vel virtualiter concedendum: semper essentialiter, negandum. Hæc solutio, quæ verè Scotica est, & quam summis labris delibatā præteriit Lalemandetius, nondum euacuat difficultatem Thomistici argumenti maximè prout à Caietano formatur libro de ente, & essentia cap. 4. § *Contra secundum*, quod mox instaurabo.

§. 27. Contra: Nam semel concesso, quod de differentia vltima prædicantur passiones entis formaliter, de illo ens prædicabitur etiam formaliter, & essentialiter, non solùm virtualiter: ergo corruit funditus hæc solutio. Probo: omne id de quo formaliter sumpto prædicantur in secundo modo passiones entis includit in se formaliter ens; Sed de vltima differentia formaliter sumpta prædicantur in secundo modo passiones entis: ergo vltima differentia includit in se formaliter ens, minor est euidens, quia vltima differentia per se est vna, & est intelligibilis, quippe quæ actu intelligitur. Maior probatur: omne formaliter includens medium proprium à priori, per quod demonstrantur passiones entis, includit in se formaliter ens: Patet ista, quia, entis conceptus est illud medium; Sed omne id, de quo formaliter sumpto prædicantur in secundo modo passiones entis, includit in se formaliter medium, per quod tales passiones de eo sunt demonstrabiles: ergo omne tale includit formaliter ens. Minor ita liquet, vt oppositum implicet. Si enim formaliter *homo v. g.* non includit proprium medium concludendi *risibile*, quomodo de homine formaliter sumpto erit à priori demonstrabile *risibile*?

§. 28. Nihilum proficis, si dicas, sat esse, quòd subiectum passionum virtualiter includatur in differentia vltima: quia etiam *rationale* virtualiter includitur in animali in eo sensu, quo Scotus affirmat, ens includi in differentia vltima virtualiter, & tamen de homine formaliter sumpto non potest demonstrari risibile ex eo quod homo contineat animal, in quo virtualiter continetur rationale, vnde etiam supposita virtuali, & identica inclusione eorumdem, hæc argumentatio nihil concludit: *Animal est risibile, sed homo est animal: ergo est risibilis*, in maiori enim debet formaliter poni medium proprium concludendi risibile, scilicet *rationale*, quod est propium subiectum passionis risibilitatis, & ratio iuxta Caietanum est, quia cum tota ratio, quare passio alicuius insit alteri, sit participatio illius subiecti primi: si alicui formaliter sumpto inest passio, eidem formaliter sumpto inest etiam subie-

biectum: si verò formaliter sumptum excludat subiectum; impossibile est, quod formaliter sumptum includat passiones illius. Vnde sic arguit ille. Id quod formaliter sumptum à se subiectum excludit, etiam à se passionem excludit: Sed vltima differentia formaliter sumpta non excludit à se passiones entis in secundo modo dicendi per se: ergo nec excludit ens in primo modo dicendi per se: Et hæc ratio, quæ tota fundatur in regula Aristotelis posterioristica, adeo efficax visa fuit Caietano, vt solutionem Mayronij tanquam ineptam respuens, hæc subiunxerit: *Ne patiantur aures tuæ audire responsionem Francisci de Mayronis dicentis, regulam adductam posterioristicam Aristotelis non tenere in transcendentibus: voluntaria enim, & destructiua totius Metaphysicæ glossa est.* Hæc ille: & quidem subtiliter, cuius argumentum lubens in medium profero, quia video Thomistas illud alto præterire silentio.

THEOREMA III.

Scotica argumenta dissoluo.

§. 29. Obijciunt primo Scotistæ ex suo Doctore: Si differentiæ includant ens vniuocè dictum de eis; & non sunt omninò idem: ergo sunt res diuersæ in eâdem ratione entis conuenientes; at qui tales potiùs sunt res differentes ex Aristotele quinto, & decimo Metaphysicæ: ergo differentiæ illæ vltimæ propriè erunt differentes: ergo alijs differentijs differunt. Rursus inquiritur de hisce differentijs, seu modis intrinsecis, quibus priores differentiæ differunt, an etiam includant essentialiter rationem entis, an minime? Si dicas, quod non: habet intentum Scotus, scilicet, quod differentiæ vltimæ non includant essentialiter ens. Si dicas, quod includant, arguit de hisce, sicuti de prioribus: scilicet eiusmodi differentias, seu modos intrinsecos conuenire in aliquo vno, nempe in ratione illa entis, proindeque, vt inter se differant, indigere etiam alijs differentijs, seu modis intrinsecis: Ergo vel *erit processus in infinitum in differentijs, vel stabitur ad aliquas omninò non includentes ens quidditatiuè, quod est propositum, quia illæ solæ erunt vltimæ.*

§. 30. Secundo obijciunt ex eodem Doctore: Sicut compositum reale conflatur ex actu, & potentia realibus, ita compositum Metaphysicum componitur ex potentiali, & actuali conceptu, seu ex conceptu determinabili, & determinante: ergo sicut resolutio compositi realis stat vltimò ad simpliciter simplicia, idest tandem peruenit ad potentiam, quæ nihil includat actus, & ad actum, qui nihil potentiæ includat, ita in resolutione compositi per rationem, seu Metaphysici deueniendum est ad gradus, seu conceptus simpliciter simplices, *scilicet ad conceptum determinabilem tantum, ita, quod nihil determinans includat, & ad conceptum determinantem, qui scilicet non includat aliquem conceptum determinabilem. Ille conceptus tantum determinabilis est conceptus entis, & determinans tantum est conceptus vltimæ differentiæ: ergo isti erunt primò diuersi, ita, quod vnum nihil includat alterius.* Ita Scotus.

§. 31. Hęc duo sunt tantùm argumenta, quibus Scotus suadet, ens non transcendere vltimas differentias rerum, & modos intrinsecos eiusdem, quod si Scotistæ alia afferre solent, Scoti non sunt, & quoad difficultatis substantiam, ea vel in prædicta recidunt, vel spiculum non habent. Iam vero nec argumenta Scoti probant ens non includi essentialiter in vltima differentia absolutè, sed solùm non includi in illa, vt quid vlteriùs determinabile: vtrumque enim argumentum eò solùm tendit, vt vitet processum in infinitum differentiarum, vt cuilibet rem consideranti facilè apparebit, quod etiam ex ipsis Scotistis ingenuè fassus est Hugo Cauellus fidelissimus Scoti Scholiastes, & alter Achates, qui ante num.6. postquam Scoti fundamenta perstrinxisset, subdit hæc: *Fortè vult tantùm, non includi ens in his differentijs vt quid vlteriùs determinabile, & rationes eius id tantùm suadent.* Certè rationes Scoti proculdubio nihil aliud probant, quamuis Cauellus dubitet, an id solùm ille voluerit, aiens *Fortè* minimè tamen dubitans de sequentibus, *& rationes eius id tantùm suadent.* Porrò nobis nihil suadent, nec vllam difficultatem facessunt; sed eos fateor vexant, immò conuincunt, qui entis conceptum simpliciter præcisum, &c. vnum concedunt, vel (quod deteriùs est) vniuocationem illius deuorant; sed agedum Scoti hoc primum argumentum in eumdem retorqueo, qui serió docet, decem prædicamenta, seu decem summa genera esse prima genera, & primò diuersa; atqui hoc suo argumento potiùs probat contrarium: ergo non benè probat vniuocationem Entis. Minorem ostendo. Per te quæcumque conueniunt vniuocè in Ente, debent alijs differentijs differre, & sunt res differentes; per te etiam decem summa genera, ita sunt interse diuersa, vt tamen conueniant vniuocè in ente: ergo summa genera sunt res differentes alijs differentijs, ac per consequens non sunt prima, nec summa genera. Est valdè notanda contra Scotum hęc instantia. Rursus directè.

§. 32. Respondeo ad primum argumentum negando ipsum suppositum antecedentis Scoti, nempè differentias vniuocè conuenire in ratione entis, id, quod ille debuit supponere, vt suum argumentum vim haberet, quod & fecit per illa verba. *Si differentiæ includant ens vniuocè dictum de eis, &c.* Ea autem, quæ differentijs differunt debent in aliquo vno essentiæ gradu simpliciter conuenire. At conuenientia differentiarum inente non est simpliciter talis, sed proportionalis dumtaxat, & secundum quid, idest mixta, immersaque inipsa diuersitate, analoga enim est, eo quòd differentiæ non solum sint ens secundum eam rationem, qua conueniunt; sed etiam secundum eam, qua omninò diuersificantur, proindeque semper manent primo diuersæ, quæ diuersitas illicò apparet, cum conceptus entis redditur clarus, & expressus sub nominibus differentiarum, & modorum. Vt enim Dissert. præcedenti diximus, cum vnitas entis non sit nisi actualis confusio inferiorum, dato conceptu eorumdem claro, non vltra opus est dif-

differentijs, quia iam intellectus ea omninò seipsis esse diuersa dignoscit, quod ita verum existimo, vt & Scotista velit, nolit, approbaturus sit hanc differentiarum proportionalem conuenientiam. Tum quia ille dum confugit ad Ens *quale*, quod solùm prædicari dicit de vltimis differentijs, attamen negat conceptum vniuocum entis *qualis* respectu illarum, teneturque dicere, illas non nisi proportionabiliter in ente *quali* conuenire. Tum etiam quia Poncius quando sibi objicitur hoc argumentum. Plus conueniunt interse ex sua ratione formali duæ differentiæ, quam conueniunt cum nihilo: ergo conueniunt ex sua ratione formali in ratione entis. Respondet distinguendo antecedens: *Plus conueniunt, idest maiorem dicunt proportionem ad inuicem concedo; plus conueniunt in aliquo conceptu vno incluso inipsis, & abstractibili ab ipsis, nego antecedens, & consequentiam.* En vides, Scotistas Thomistarum proportionalitates, vt sacram anchoram complecti, nec aliter prædictum argumentum soluere posse. Si igitur respondemus, vt ipsi, quid nobis differentias Entis ininfinitum obtrudere volunt? qua rogo consequentia?

§. 33. Ad secundum argumentum respondeo negando, entis conceptum esse partem contrahibilem simpliciter, & obiectiuè. Nec enim in compositione Metaphysica datur pars vlla simpliciter talis præter genus, & differentiam, in hæc namque dumtaxat fit vltima resolutio compositi Metaphysici, & inter ea tantùm seruatur illa proportio ad partes compositi Physici, & realis. Porrò compositio ex ente, & differentia vltima, seu modo non est propriè, & obiectiuè compositio. Tum quia alioqui etiam differentia non vltima excluderet ens, hoc enim etiam *respectu illius est primum contrahibile*, quod tamen non admittit Scotus. Tum etiam quia Ens sicut per solam cognitionem confusam inferiorum fit contrahibile, sic per expressam redditur contractum. Modi autem hi diuersi cognoscendi sunt tantùm formales, non obiectiui, idest, non qui ex parte rei cognitæ afferant gradus essentiæ distinctos virtualiter, quorum vnus sit potentialis, & verè contrahibilis, & alter actualis, & contrahens. Quia vt supra docuit D. Thomas *Enti nihil addi potest quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subiecto, quia qualibet natura essentialiter est ens. Sed secundum hoc dicuntur aliqua addere supra ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.* Vndè resolutio Metaphysica non nisi insupremum genus debet sistere tanquam inpartem vnam simpliciter contrahibilem, non in ens, quod non est vna potentia excludens actum contractiuum, sed potiùs illum confuso actu inuoluens, vt Dissert. præcedenti dicebamus.

Ex hactenus dictis facilè dilues alias Scotistarum obiectiones, ferè enim omnes eo peccant quod supponunt, Ens habere differentias, seu modos formaliter ex natura rei, seu obiectiuè contrahentes illud, cùm non determinetur, nisi per meras eiusdem expressiones.

§. 34. Objicit tertiò Poncius. Nulla differentia est illud, ratione cuius formaliter conuenit alicui rei existere: ergo nulla differentia est formaliter ens. Consequentia patet. Quia illud ratione cuius formaliter conuenit rei existere, est ens formaliter. Probatur antecedens; quia formalitas ratione cuius conuenit formaliter rebus omnibus existere, est eiusdem rationis in omnibus illis; sed differentiæ rerum non sunt eiusdem rationis: ergo.

§. 35. Respondeo, Ens communiter à Doctoribus describi sic: *Id, cui non repugnat existere*, & sic: *Id cuius actus est esse*, sumendo ly *Id* pro subiecto, cui conueniat existentia: quamobrem Poncij descriptio potiùs est definitio existentiæ, quam entis. Ens etenim non definitur per formalitatem, quippe quod forma non est, seu causa formalis per quam alicui rei conuenit existere, vt ille malè supponit, sed est illa ipsa res, cui non repugnat existentia. Vndè si Poncij definitio rectificetur, frigebit statim eiusdem argumentum. Sic enim reponere debuit antecedens: *Nulla differentia est id, cui non repugnat existere*. Et sic falsa est propositio. Et quia nulla differentia est existentia, hæc est vera: *Nulla differentia est formalitas, cuius ratione alicui rei conuenit existere*. Hinc ad formam argumenti. Dato antecedenti; nego consequentiam. Adde, quod assumptum, quo probabat antecedens nempè, quod differentiæ rerum non sunt eiusdem rationis, etiam est falsum. Sunt vtique eiusdem rationis identitate non vniuoca, sed proportionali, & analogica, quæ cum diuersitate earumdem optimè cohæret.

§. 36. Quartò objiciunt. Nam apud plerosque Thomistas peccatum commissionis constituitur formaliter per quid reale positiuum; atqui hoc formale constitutiuum non est formaliter ens creatum, alioqui causaretur à Deo, cuius vniuersalissima causalitas terminatur ad omne ens sub ratione entis, proindèque Deus esset causa peccati, etiam quoad formale illius, quod hæreticum est: ergo aliquid reale positiuum non transcenditur ab ente.

§. 37. Respondeo, hoc argumentum non esse ad rem, & reor nec ab Scotistis proponi posse. non est ad rem: Tum quia nimium probat, scilicet, ens non transcendere genera, species, & sexcentas differentias non vltimas, quæ ad genus morale generalissimum Peccati spectant, cum tamen tota difficultas solùm sit de transcendentia, vel non transcendentia respectu vltimæ differentiæ, & modorum entis. Tum etiam, quia etiamsi ens non transcenderet constitutiuum peccati commissionis, cum tamen transcenderet vltimas differentias, modos, & proprietates entis Physici, & Metaphysici, bellum erat confectum contra Scotum, & nos haberemus intentum. Sed age. Minorem nego, & ad probatum aio, nihil absurdi esse, quòd etiam formale peccati sub ratione entis producatur à Deo, tanquam à causa Physica, & vniuersali. Solum enim causa moralis, defectiua est, quę causa peccati dicitur, vt communiter respondent nostrates, nosque docuimus ad primam secundæ quæst. 71. cap. 1. disputat. 2.

Mit-

§.38. Mitto alia leuioris momenti argumenta, qui volet otio abuti, adeat Ricardum Lynceum, qui tredecim producit, vt probet differentias quasdam abstrusas, & reconditas, ac nominis inopes transcendentiam entis subterfugere. Sed vero mirabile quidem est, quando egregium Scoti ingenium non nisi duo pro hac sententia inuenit, Lynceum tantam argumentorum segetem attulisse! Ast respondeant nec fruges feracitati luxuriantis agri, nec ne? Lector dijudicet. Primum argumentum dumtaxat libabo.

§.39. Si ens transcenderet vltimas differentias hominis v.g. & equi, homo, & equus essent summè similes, vt sunt duo homines interse; atqui hoc est absurdum: ergo, vt homo sit equo summè dissimilis, debet inter differentias, & formalitates constitutiuas eius latere aliqua differentia innominata, per quam ab ipso dissideat, & quæ non sit essentialiter ens. Probatur maior. Nam si omnes, & singulæ formalitates hominis, & equi sunt essentialiter ens, omnes essent similes in eo gradu entis; atqui summa similitudo est assimilari in omnibus differentijs, & formalitatibus prædicatorum essentialium: ergo homo esset equo summè similis, non secùs, ac duo homines interse.

§.40. Hoc argumentum si quid probat, euincit, hominem vt sit summè dissimilis equo, non debere esse quid Creatum, sed Deum, non esse finitum, sed infinitum, non esse intelligibilem Deo, neque definibilem intellectui creato, sed inintelligibilem, & indefinibilem; ea enim omnia prædicata conueniunt equo, in ijsque omnibus secundum omnes suas, & singulas formalitates similis est homini, à quo summè differre non potest, nisi per prædicata contradictoria Creati, finiti, intelligibilis, &c. Vnde argumentum, quod adeò multa, monstrosaque probet, efficax esse non potest. Respondeo negando maiorē, cuius probationis maiorem distinguo. Si omnes formalitates hominis, & equi sunt essentialiter ens, omnes erunt similes in eo gradu; similes tantùm nego. Similes, & dissimiles simul, concedo maiorem. Deinde minore sub eodem explicatu data, nego consequentiam. Ratio distinctionis est, quia ens non dicit vnitatem gradus, sed confusionem inferiorum, vt latè ostendimus Dissertatione præcedenti §. 45. omnis autem relatio primi generis, vt sunt identitas, similitudo, & æqualitas exigit essentialiter pro fundamento proximo genera illa suprema Substantiæ, Quantitatis, & Qualitatis, idest rationes vniuocas, & simpliciter vnas. Sic *Identitas* in genere, seu specie substantiæ fundatur. Sic *Similitudo* non nisi in gradu simpliciter vno, immò in ipsâ fundatur vnitate Qualitatis, quæ genus vniuocum est, atque supremum. At cùm ratio entis analoga sit, & non simpliciter vna, relationem similitudinis prædicamentalis (cuiusmodi ea est, quæ inter hominem, & equum reperitur) fundare non potest, sed proportionalitatem dumtaxat, qualis communiter admittitur inter differentias primò diuersas, &c.

DISSERTATIO XXXV.

Vtrum ratio entis vniuocè dicatur de suis inferioribus?

THEOREMA I.

Quæstionis statum explico, quid à D. Thoma dissideat Scotus, ostendo.

§. 1. Scotus in primo distinct. 3. quæst. 1. & 3. contrarius quidem ijs, quæ in Logica rectè tradiderat (vt mox ostendam) docet, ens esse vniuocum respectu Dei, & Creaturarum, substantiæ, & accidentis; cuius cum pleraque argumenta pugnent pro conceptu præciso entis simpliciter vno, quæ supra iam refellimus, hæc non iterum inculcabo. Verùm enim verò maximè hic notandum velim, Quæstionem hanc inter Thomistas, & Scoticos valdè celebrem non nisi de nomine esse, Scoto sic volente. Nam *ista* vniuocatio, quam ille tribuit enti, est mera, & formalissima Analogia, quando quidem pro illa, solùm vult eam vnitatem in ente, quæ sufficiat ad statuendam contradictionem, & adhoc, vt sit medium in Syllogismo, quod quidem cum etiam reperiatur optimè in Analogis, quæ Thomista admittit, non sat est ad vniuocationem, vt benè aduertit Mag. Iauellus, 1. Metaphys. quæst. 1. inquiens: *Sed non solùm vniuocum sufficit adhoc; immò, & analogum, illa quidem modo analogiæ, in quo ponimus ens. Quod ergo Scotus dicit vniuocum, Beatus Thomas dicit analogum.* Hæc ille, & superiùs etiam dixerat: *Quod Scotus non discordat à viâ nostrâ, nisi in nomine*, quod etiam notauit Ferrara. Sed vt ex ipsis Aduersarijs testes producam, Antonius Andreas 4. Metaphys. quæst. 1. ad primum, & vltimum aperte fatetur: *Quod cum vnitate vniuocationis stat vnitas Analogiæ, vel attributionis.* Ioannes Vallo, Lectura de formalitatibus folio 124. *Iste autem* (inquit) *est infimus vniuocationis gradus habens multum de æquiuocatione: ideò tale est simul vniuocum, æquiuocum, analogum*, & paucis interiectis: *Alij autem attendentes ordinem, quo ens descendit in substantiam, & accidens, & ad ordinem, quem habent sua inferiora interse, dicunt, ipsum analogum; Alij vero vniuocum, ad eius vnitatem rationis attendentes, & sic diuersificantur opiniones de ente, quæ omnes opiniones certè verum dicunt in aliquo.* Rodriguezius quæst. 4. Antepræ dicam. artic. 2. clariùs adhuc de vniuocatione entis respectu Dei, & Creaturarum ait: *Ideò hic vltimus gradus vniuocationis est magis analogicus, quam alij duo, cum hoc tamen est vniuocus, nam Analogia optimè secum vniuocationem patitur.* Ioannes de Rada controuers. 21. artic. 1. §. *Sed iam ratione.* Hæc habet: *Nam si ratio illius analogi est vna communis suis inferioribus, licet non secundum essendi modum, neque secundum ordinem essentialem erit quidem illud analogum vniuocum.* Hæc eadem refricant Poncius, Lalemandetius, & alij Scotistæ. En vides dissidium de nomine dumtaxat, quo appellari debeat illa vnitas entis, etiam admissa dependentia essentiali, & inæqualitate in modo essendi inferiorum eius, Analogam

gam vocat Thomista, vniuocam Scorista appellat, & quod plus est, etiam fatetur, suam hanc vniuocationem esse analogiam, in quo Thomistis palmam deferre videtur.

§. 2. Origo autem vnde nata hæc dissentio, est diuisio vniuocationis Scoticę, & diuisio Analogiæ Thomisticæ. Diuidunt Scotistæ vniuocationem in quatuor species, seu modos, incipientes à perfectissimo, & in imperfectissimum desinentes, vt videre licet apud Radam, Rodriguezium, Merinerum, &c. tribuunt enti imperfectissimum modum vniuocationis. Diuidunt etiam Thomistæ Analogiam in tres species, seu modos, incipiuntque ab imperfectiore, ac similiter tribuunt enti respectu inferiorum analogiam, quæ minus de metaphora, & plus de perfectione, & æqualitate præsefert. Fit indè, quod (vt est in Philosophico Prouerbio) *infimum supremi attinget supremum infimi*, id est, quod analogia perfectissima Thomistarum confundatur cum imperfectissima vniuocatione Scoticà. Deinde Scotus illam suam vniuocationem non vult esse Analogiam, eo, quòd non agnoscat tot species Analogiæ, quas intrudere dicit Thomistam. E regione vero Thomista suam analogiam negat, posse vniuocationem esse, quia similiter non admittit tot species, & modos vniuocationis, quas prolibito dicit Scotistam comminisci, quòd si termini explicentur, & quid sibi quisque velit aperiat, proculdubio non nisi de nomine altercari deprehendentur. Certè & ipse Scotus quęstionem de nomine facere veritus, hæc subdidit: *Et ne fiat contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ita est vnus, quod eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem; sufficit etiam pro medio Syllogistico, vt extrema vnita in medio sic vno sine fallacia æquiuocationis concludantur inter se vnum.* Hæc ille. Sed vero non vitauit quæstionem de nomine, non enim accepit vniuocationem in ea notione, quæ ab Aristotele definitur, sed aliam excogitauit, quam per illam explicationem descripsit, appellauitque vniuocationem, quod & ille satis, se perspexisse denotat per verba sequentia: *Et vniuocationem sic intellectam probo tripliciter*, idest, *à se sic intellectam*, immò (vt Masius reponit) *à se confictam*; à nemine agnitam. Ille enim primus in Scholas vniuocationem entis introduxit, vt difficulter posset illud à ratione Generis excludere, teste Mag. Soto, Scotum longo interuallo sequuntur Nominales, horumque Asseclæ Neoterici.

THEOREMA II.

Protasis Thomistica statuitur, Scotica Entis Vniuocatio reffellitur.

§. 3. SEd verò ens non esse vniuocum decem prædicamentis, neque Deo, atque Creaturis, D. Thomæ sententia est, & vniuersæ eius Scholæ, quam profiteor. Adhærent externorum, nec pauci, nec ignobiles Theologi, & Philosophi, vt Hallensis, Ricardus de Media villa, Ægidius, Suarezius, Vasquezius, Fonseca, Rubius, Pererius, Hurtadus, Tellezius, Comptonus, & alij. Illam apertissimè docuit Angelicus Magister in primo, distinct. 22. qu. 1. artic. 3. ad 2. vbi hæc habet: *Aliter diuiditur æquiuocum, aliter vniuocum, aliter analogum: Æquiuocum secundum res significatas, vniuocum secundum differentias, sed Analogum secundum modos diuersos. Vndè cum Ens prædicetur analogicè de decem generibus, diuiditur in ea secundum modos diuersos.* Rursus primo contra Gentes cap. 33. sic ait; *Nam effectus qui non recipit formam secundum speciem similem ei, per quam agens agit, nomen ab illa forma sumptum vniuocam prædicationem recipere non potest, non enim vniuocè dicitur ignis generatus à Sole calidus, & Sol. Rerum autem formæ, quarum Deus est causa ad speciem Diuinæ virtutis non perueniunt, cum diuisim, & particulariter recipiant illud, quod in Deo simpliciter, & vniuersaliter inuenitur. Patet ergo quòd de Deo, & alijs rebus nihil vniuocè dici potest.* Hæc ille, non absimiliter 1. par. quæst. 13. artic. 5. & quæst. septima de Potentia artic. 7. & sæpè aliàs.

§. 4. Probatur primò nostrum assertum euertendo Scoti fundamentum, scilicet suam vniuocationis definitionem, seu acceptionem: *Cuius vnitas sufficit ad contradictionem*, & quia id breuiter, dilucideque præstitit illustrissimus Caietanus, eius verba in medium proferre non grauabor [*Contradictio enim* (inquit ille opusc. de nominum analogiá cap. 10. propè finem) dicitur consistere in affirmatione, & negatione eiusdem de eodem, &c. Et non in affirmatione vniuoci de eodem vniuoco: identitas siquidem tam rerum, quam rationum (vt pluries explicatum est) ad identitatem proportionalem se extendit. Ex hoc autem apparet, Scotum in primo senten. dist. 3. q. 1. vel malè exposuisse conceptum vniuocum, vel sibi contradicere, dum volens vniuocationem entis fingere ait: conceptum vniuocum voco, qui ita est vnus, quod eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsum de eodem: & sic vniuocum vult esse ens. Si enim identitas sufficiens ad contradictionem vniuocatio dicitur, constat, quod ponendo ens esse analogum, & secundum proportionalitatem tantum vnum, satisfiet vniuocationi, quod Scoticæ doctrinæ aduersatur tenenti, ens habere conceptum vnum simpliciter, & omninò indiuisum, vt de vniuocis diximus. Si autem non omnis talis identitas sufficit ad vniuocationem non rectè igitur vniuocatio conceptus declarata est, esse ea, quæ ad contradictionem sufficit, quasi proportionalis identitas ad hoc *non sufficiat.*] Hæc ille, quæ facilè tyronibus ad formam redigi possunt syllogisticam.

§. 5. Secundo: Nam Scotus dum Dialecticam tradebat, cuius muneris est hanc disputationem ex instituto versare, constanter tenuit, ens non esse vniuocum, sed analogum, idque authoritate, rationibus que validis roborauit: ergo dum in Theologiá ea omnia abrobauit, minus honestam recantauit palinodiam, seu D. Thomam impugnando notam inconstantiæ, & contradictionis incurrere posthabuit.

Dices:

§. 6. Dices: Scotum nullatenus sibi contradicere, nam dum in Logica negat, ens esse vniuocum, non loquitur de vniuoco in ea acceptione, qua nunc id affirmat, nempe de eo, cuius vnitas sufficiat ad contradictionem, & possit esse medium in Syllogismo: Sed loquitur de vniuocatione Physica, & requisita ad hoc, vt aliquid sit vniuersale, & vnum ex quinque prædicabilibus, quæ cum exposcat eumdem modum essendi in inferioribus, & consequenter vniuocationem in tertio gradu, quam non habet ens, meritò negauit, illud hoc pacto vniuocum esse. Sed vero ex propria sententia multis in locis in explicata acceptione vniuocum esse proclamat. Sic Merinerus, Rodriguezius, & communiter Scotistæ.

§. 7. Sed contra primò. Nam licet verum sit, subtilem Doctorem negasse ens esse vniuocum, idest non esse vniuersale, seu vnum ex quinque vniuocis Porphyrianis, id præstitit quęstione sexta vniuersalium, qua quęritur, vtrum vniuersalia sint tantum quinque? vbi sexto argumento, quo sibi obijcitur, ens quia prædicatur de omnibus in quid esse vniuersale, & tamen à Porphyrio non compręhendi: negauit, ens esse vniuersale, quia æquiuocum est id, quod omnes Logici in eo loco, & occasione facimus. At vero in anteprædicamentis quæst. 4. *Vtrum ens sit decem prædicamentis vniuocum?* Vbi ex instituto rem discutit, & vbi de entis vniuocatione, seu analogia iudicium erat ferendum, serio docet ens vniuocum non esse, & post longam analogiæ explicationem concludit, ens potiùs esse æquiuocum Logicè, quamuis Metaphysice sit analogum. *Ideo ens* (inquit) *à Metaphysico in 1. Metaphys. & 7. ponitur analogum ad substantiam, & accidens, quia scilicet hæc quæ significantur; in essendo habent ordinem: sed apud Logicum est simpliciter æquiuocum: quia in quantum significantur, per vocem æquè primo significantur.* Igitur Scotus non denegauit enti solam vniuocationem vniuersalitatis Porphyrianæ; sed apertè, id analogum esse affirmauit, ea quidem analogia, quam volunt Thomistæ, ait enim: *Quia scilicet hæc, quæ significantur in essendo, habent ordinem.*

§. 8. Contra secundo: Scotus dum negat ens esse vniuocum non loquitur de vniuocatione qualibet, sed de ea, quæ explicatur per id, cuius vnitas sufficit ad contradictionem: ergo non negauit solam vniuocationem vniuersalitatis, sed illam, quam ipse in Theologicis intrusit. Probo antecedens: Primum argumentum, quo ille sibi obijcit dicta quæst. 4. intendit probare ens esse vniuocum, quia facit contradictionem, quando quidem æquiuocum non habet vnitatem, quæ sufficiat ad contradictionem. Igitur dum hoc argumentum soluendo, negat enti vniuocationem, de illa loquitur, quæ facit contradictionem: & non de alia: alioqui nec argumentum solueret, nec ad rem responderet: consequentia est perspicua: Antecedens ostenditur esse argumentum: *In æquiuocis non est contradictio per Aristotelem in Elenchis: sed hic est contradictio sortes est ens; sortes non est ens: ergo ens est vniuocum.* Ad quod ille respondet, in ente non esse contradictionem, nisi facta distinctione, vel supponendo, ens accipi pro eodem in affirmatiua, & negatiua, & hoc modo etiam in æquiuocis dari contradictionem. Ecce negat enti vnitatem, quæ sufficit ad contradictionem, immò docet, non nisi facta distione, & suppositione, vt fit in æquiuocis facere contradictionem: ergo falso asseritur à Scotistis, Scotum enti etiam in Logicalibus vniuocationem tribuisse, quæ sufficit ad contradictionem, & solum negasse eam, quæ ad vniuersalitatem exigitur Porphyrianam.

§. 9. Contra tertio: Si Scotus in Logica concessisset enti aliud, genus, vniuocationis, quæ non esset ex quinque Porphyrij vniuersalitatibus: non rectè concluderet, ens forè genus, si esset vniuocum, & decem prædicamenta non forè prima genera; atqui ex eo, quod ens esset vniuocum, arguit ille, quod esset genus ad decem prædicamenta: ergo non agnouit aliam acceptionem vniuocationis, præter illam, quæ esset generis, vel alterius prædicabilis ex quinque. Consequentia est manifesta. Maior etiam patet: quia argueret à superiore ad inferius affirmatiuè distributione non facta: vniuocum enim perte latius patet, quam prædicabilia Porphyrij, cum detur vniuocum, quod neque sit genus, neque species, &c. quale est *ens*: Ergo inepta consequutio esset, indignaque Scoti ingenio dicere est vniuocum: ergo genus, sicuti hæc: Est animal, ergo homo. Minorem ostendo ex verbis Scoti: *Si ens sit vniuocum istis* (inquit) *tunc esset genus istorum, & ita hæc non erunt decem genera prima; sed esset vnum generalissimum primum, &c.* quod est Thomistarum argumentum, id que tandem confirmat ratione D. Thomæ, quam ex Aristotele 3. Metaphys. deprompsit: vt indicaui Dissertat. præcedenti §. 16. subdit enim Scotus *Et ex hoc consequente non tantum sequitur inconueniens suppositum, scilicet quod illa non sunt prima genera: sed etiam est contra Aristotelem tertio Metaphysicæ; quia ens est de intellectu cuiuslibet, & genus non est de intellectu differentiæ; ergo &c.* Igitur Scotus dum Dialecticum agebat, nullum modum vniuocationis admisit, præter illos à Porphyrio designatos.

§. 10. Dices iterum Scotum hanc Aristotelis authoritatem ex 3. Metaphys. sibimet in Theologia obiecisse contra vniuocationem entis, illamque explicasse, nam in 1. dist. 3. q. 3. num. 14. ait, Aristotelem id non asserendo; sed pro vtraque parte disputando dixisse: quod & nos attulimus, & latè impugnauimus differt præcedenti à §. 17.

§. 11. Sed contra: Hæc solutio totum dat intentum, nempè Scotum ea omnia, quæ contra vniuocationem entis docuerat in Logica, in Theologia diluisse, impugnasse, & à contrario, non pauca, quæ in Theologia pro entis vniuocatione docentur, similiter per traditam in Logica doctrinam dissolui, refelli; atqui hoc est, Authorem sibimet contradicere, seu sententiam mutare; quod mordicus negabant Rodriguezius, & Merinerus de suo Doctore: ergo nihil refert, quod in Theologia explicasset Phi-

losophi dictum, si in Logica illud absolutè concedit. Cur enim Textus ille Aristotelis in Logica est firmæ authoritatis, & in Theologia non est firmæ authoritatis?

§. 12. Dices tandem, subtilem Doctorem in Logica circa entis vniuocationem ex aliorum sententia differere, suamque mentem in Theologia potius aperuisse, quæ ferè videtur fuga Rodriguezij. Contra: quia sententiam, quam tenuit in anteprædicamentis Logicæ Scotus, docuit etiam in Elenchis q. 15. docuit in Physica q. 7. docuit in Metaphyf. 4. q. 1. igitur hæc potius propria subtilis Doctoris sententia est; non ea, quam semel in Theologiâ conscripsit: quod manifestè sic probo: Ea non est propria sententia cuiuspiam Doctoris, quam ipse Doctor profitetur, se non asserere; atqui vniuocationem entis ita tradidit Scotus, vt protestaretur ipsemet, illa non asserendo docere, vt patet ex eius verbis *Secundo non asserendo, quia non consonat opinioni communi, potest dici quod non tantum in conceptu analogo conceptus creaturæ concipitur Deus, qui scilicet sit omnino alius ab illo, qui de creatura dicitur, sed in conceptu aliquo vniuoco sibi, & creaturæ*: Ergo hæc non est propria sententia subtilis Doctoris: Minor, & consequentia sunt liquidæ. Maiorem ostendo: Ideo Scotus negauit authoritatem illam Aristotelis ex 3. Metaphys. explodentis vniuocationem entis, aitque *non oportet tenere, quod concludat*, quia censet, illam non esse propriam sententiam Phylosophi; atqui non aliunde colligit hoc, nisi ex eo quod Philosophus non pro se asserit, sed disputat pro vtraque parte: ergo dum clarius ipse Scotus dicit *non asserendo potest dici*, censendus est non propriam sententiam pronuntiasse. Adde, quòd apud Scotistas ly *potest dici* solet signum esse, Scotum in aliorum sensu disputare: Ergo vel Scotus ex propria sententia negauerat vniuocationem entis, illamque postea asseruit sibimet contrarius: vel sententia, quæ non asserendo probatur à quolibet Doctore, etiam propria sententia est, ac proinde malè reiecit Scotus argumentum Arist. ex 3. Metaphys. quod in Logica amplexus fuerat.

THEOREMA III.

Rationibus Thomisticis entis vniuocatio confutatur.

§. 13. Tertio probatur assertum: Nullum prædicatum, cuius nomen commune est, ratio verò significata non est omninò eadem, est vniuocum inferioribus suis; ens est huiusmodi respectu substantiæ, & accidentis: ergo non est illis vniuocum. Maior, & consequentia patent. Minor, in qua tota est difficultas probatur primo: Ea dicitur ratio vniuoca, & eadem in inferioribus, quæ æqualiter, & sine vlla diuersitate participatur ab inferioribus; at qui ratio entis non æqualiter, nec sine diuersitate participatur à substantia, & accidente: ergo ratio entis non est prædicati vniuoci. minor ostenditur. Ratio entis primario dicitur de substantia, & secundario de accidente. Deinde substantia dicitur absolutè *ens*, accidens vero non nisi *entis* teste Aristot. 7. Metaphys. cap. 1. Insuper accidens definitur per substantiam, ita, vt, non solum inessendo, sed etiam in cognoscendo dependeat à substantia, teste eodem Aristot. vbi supra, qui addit, accidentia, ideo entia dici tantum, quia sunt affectiones substantiæ, idest quia hæc sunt quantitates, illa verò qualitates, &c. Vnde infert accidentia in concreto esse magis entia, quam in abstracto significata: quia dum in concreto significantur iam connotant substantiam, à qua rationem entis accipiunt; at qui inferiora rationis vniuocæ tali pariformitate participant illam, vt in eis nec dependentia, nec attributio inessendo, neque cognoscendo, neque prioritas vlla, vel diuersitas eluceat. ergo ratio entis nec æqualiter, nec sine vlla diuersitate participatur à substantia, & accidente. Probatur secundo eadem minor primi syllogismi authoritate Aristotelis, quam contra Scotistas notare iussit Caietanus de ente, & essentia cap. 2. q. 3. §. *Quibus prælibatis* ex duodecimò Metaphysicæ tertio comm. 28. vbi expresè dicitur, *Quod principia* prædicamentorum nullam identitatem habent, nisi proportionis. Vnde sic argumentor: Ea, quę nullam identitatem habent, nisi proportionis, non sunt eadem omnino, sed remanent simul diuersa; sed principia propria substantiæ, & accidentis nullam habent identitatem, nisi proportionis: ergo non sunt omnino eadem, sed proportione dumtaxat, & secundum quid sunt eadem; proindeque identitate carent vniuoca.

§. 14. Ad hoc argumentum, quod quidem Thomisticæ, immo, & Aristotelicæ veritatis fundamentum est, bifariam respondere solent Aduersarij: Nam primò, Scotistę concedunt totum assumptum: nempè quod ens prædicetur de substantia, & accidente cum prioritate, dependentia, & inæqualitate, & nihilominus negant, ens ideo non esse vniuocum; quia illa solum obstare dicunt vniuocationi Physicæ non Logicæ, seu vt alij loquuntur, eiusmodi inæqualitas, prioritas, &c. solùm impediunt vniuocationem perfectam, quæ ad vniuersale exigitur, non vniuocationem imperfectissimam, & quæ in quarto vniuocationis gradu constitui- tur. Ita cum Rada Merinerus, & alij Scotistæ. Sed ecce lepidissima de nomine quæstio: Nam cum alioqui fateantur, entis conceptum non ęqualiter, neque sine essentiali dependentia vnius ab alio participari ab inferioribus, nihilominus aiunt, esse vniuocum: Quinimmò Poncius redantruat, & Thomistas dicit, rem ad quæstionem de nomine reducere, eo quod ad vniuocationem exigamus vniformem identitatem inferiorum, absque essentiali dependentia vnius ab alio in participando prædicatum commune, idque gratis dici, cum non ponatur in definitione vniuocorum: Sed de his infra. Cæterum leui fundamento nixi sua nos culpa respergunt: Nam cum Thomista præter analogiam proportionis, seu attributionis, analogiam proportionalitatis subdiuidit in analogiam proportionalitatis improprię seu Metaphoricę, & in analogiam proportionalitatis propriæ (quarum tra-

cta-

ilatione nunc supersedeo) dum que enti tribuit analogiam proportionalitatis propriæ, eo quod non denominatiuè, & extrinsecè reperiatur in substantia, & accidente, Deo, atque creaturis, sed essentialiter, & intrinsecè, Scotistæ nolunt per talem proportionalitatem constitui analogiam perfectissimam, dicuntque Thomistas illam intrudere nedum contra omnes Dialecticos, verum etiam contra Arist. & D. Thomam, qui non nisi duas species analogiæ, scilicet proportionis, & proportionalitatis agnouerunt. Sic Merinerus disput. 1. ad Categor. quæst. 2. num. 10,

§. 15. Sed contra: Quia si hæc ratio aliquid probat, in ipsos valide potest retorqueri: Sicut enim illi arguunt: Aristoteles non agnouit aliam analogiam proportionalitatis, nisi eam, quæ versatur inter duas proportiones, qualis est huius nominis *risus*, qui dicitur de homine ridente, & prato vernante: de homine quidem propriè, & intrinsecè, & de prato extrinsecè, & metaphysicè: ergo perperam Thomistæ introducunt aliam speciem analogiæ, entis, & transcendentium, quam dicunt proportionalitatis propriæ, cum hęc potius sit vniuocatio imperfecta. Haud secus argumentantur Thomistæ eodem robore: Aristoteles non agnouit aliam speciem vniuocationis, nisi eam, qua prædicatum est genus, vel species, vel vnum ex quinque vniuersalibus: ergo Scotistæ perperam volunt introducere aliam vniuocationem imperfectam entis cum dependentia, & inæqualitate inferiorum, cum hæc sit potius perfecta analogia. Cur igitur liceat Scotistis comminisci quatuor species, & gradus vniuocationis, vt infimum tribuant entis; & non licebit Thomistis tres modos, & gradus analogiæ admittere, vt tribuant perfectissimum enti?

§. 16. Secundo alij respondent. Quod licet accidens definiatur per substantiam, ab illaque dependeat, &c. hoc tamen habet quatenus accidens est, seu vt tale ens est; non vero quatenus ens est. Immo substantia, & accidens, quatenus entia sunt vnam, & eamdem habent definitionem. Sic plures Scotistæ, quorum solutionem exhibet etiam Suarez prædicto argumento, vt defendat vnitatem entis præcisi, quam etiam illud destruere dicit.

§. 17. Sed contra primo: Hæc solutio deficit à Scoto: Quia si inæqualitas in modo existendi, & dependentia accidentis à substantia tota prouenit a talitate entis, & non à ratione entis: ergo in ratione entis datur summa æqualitas absque vlla diuersitate, ac proinde eius modi vniuocatio erit primi, vel secundi generis, & gradus vniuocationis, seu erit ea, quæ ad vniuersale rigorosum exigitur, quod quidem non vult Scotus, neque Scotistæ, quippe qui sæpè sepiùs clamant, se non loqui, nisi ne vniuocatione sumpta in quarto, & imperfectissimo gradu, quæ cum dependentia, & inæqualitate; immò, & analogia inferiorum benè compatitur, vt eorumdem verbis retuli supra §. 1. & §. 14.

§. 18. Contra secundo: Hac responsione destruis omnem analogiam attributionis, quam admittis: ergo inepta est. Probo antecedens: Nam etiam *Sanum* respectu animalis, & vrinæ non dicit dependentiam, neque inæqualitatem in nomine, & ratione expressa *sani*, quin potius tota inæqualitas, & dependentia prouenit à talitate sani: Vrina enim non dependet ab animali sano, nisi quatenus tale sanum est, idest vt signum sanitatis illius quod in nomine expresso sani non exprimitur, similiterque non nisi vt tale sanum definitur per animal: ergo quod expressa dependentia, & inæqualitas accidentis eluceat potius in ratione talis entis, non tollit inæqualitatem, & dependentiam illius in ratione superiori, cum id etiam contingat in *sano*, cuius analogiam ipsi admittis.

§. 19. Contra tertio, & Suarezij responsum refello. Nam ipse negat præcisionem obiectiuam inter ens, & eius inferiora; atque ea docet, distingui solum penes expressum, & implicitum: ergo ens solum expresse non dicit dependentiam, & inæqualitatem inferiorum, at verò reuera, & obiectiuè dicit dependentiam, & inæqualitatem inferiorum. Consequentia est euidens: Nam si ens non præscinditobiectiuè à dependentia, & inæqualitate inferiorum, immo in actu confuso ea inuoluit: ergo in ipsa ratione obiectiua entis manet actualiter dependentia, & inæqualitas accidentis; tametsi non exprimatur in nomine claro entis.

§. 20. Contra quarto, & vltimo: Suarezius sibimet contradicit: Nam cum negat vniuocationem entis, & illud analogum esse doceat, nulla ratione probat eius analogiam, nisi ex eo, quod ipse conceptus præcisus entis ex se postulat descendere inæqualiter ad substantiam, & accidens, & cum subordinatione secundum prius, & posterius: ita quidem quòd ipsamet ratio entis descendat ad accidens media substantia: ergo nunc inconsequenter dicit, accidens præcisè in ratione accidentis, & non in ratione entis dependere à substantia, & definiri per illam, quandoquidem accidens participat rationem entis, vt descendit ad illud; atqui iuxta Suarezium descendit cum subordinatione, & dependentia à substantia: ergo accidens participat ipsam rationem entis cum inæqualitate, & subordinatione, ac proinde non solum quatenus accidens, sed quatenus ens dependet ab illa, & definitur per illam. Suarezij inconsequentiam optimè notarunt etiam ante me Carmelitæ Complutenses disput. 11. q. 2. num. 21.

PROTASIS ALTERA.

§. 21. Dico secundo: ens non est vniuocum respectu Dei, & creaturarũ. *Est sententia Diui Thomæ locis supra* §. 3. *indicatis*. Probo rationibus eiusdem Angelici Magistri quas breuiter propono, Theologis eas penitus enucleandas missurus: Prima est: Quandocumque effectus aliquis non adæquat virtutem suæ causæ, nomen illis commune non potest esse vniuocum. Sed omnis creatura est effectus Dei non adæquans in vlla ratione eius virtutem: ergo nomen illis commune non potest esse vniuocum

cum. Maior ostenditur: quandocumque effectus non adæquat virtutem suæ causæ efficientis non recipit similitudinem illius secundum eamdem rationem, sed deficienter, ita, vt quod diuisim, & multipliciter est in effectibus, in causa sit simpliciter, & eo modo: igitur nomen nequit vniuocum esse causæ, & effectibus secundum eam rationem, in qua causa effectum superat.

§. 22. Respondet Merinerus ex alijs Scotistis, argumento probari solum ex eo, quod effectus non adæquet virtutem causæ, non posse dari nomen specificum commune, & vniuocum vtrique; at verò assignari posse nomen vniuocum illis in alio gradu generico, vel transcendentali, quod manifestum esse ait, in causis, & effectibus æquiuocis: Nam licet non detur nomen specificum commune soli, & auro, quia aurum non adæquat virtutem Solis; tamen conueniunt vniuocè in gradu corporis, & substantiæ.

§. 23. Sed hanc solutionem iam sibi proposuerant Carmelitani Complutenses, illamque validè eneruarant: Vnde valdè miror, Merinerum, qui eos vidit, citatque, ita dissimulasse, eorum impugnationem, contentus proferre veterem Scotistarum responsionem, perinde, ac si hactenus à nostris expugnata non esset. Contra: Ideo vt fatetur Merinerus si nomen significaret Solem, & aurum non esset vniuocum in gradu specifico, quia in eo gradu aurum est effectus Solis non adæquans eius virtutem, quare illius in ea ratione similitudinem non recipit; Sed creatura est effectus Dei, qui non solum in gradu specifico, sed neque in generico, vel transcendenti non adæquat virtutem illius: ergo neque in vllo gradu generico, vel transcendenti significari possunt nomine vniuoco Deus, & Creatura. Maior est inconfesso. Minor euidens, consequentia legitima. Exemplum autem Solis, & auri non iuuat Scotistas: quandoquidem Aurum secundum gradus corporis, & substantiæ non est formaliter effectus Cœli, sed per accidens, proindeque in eius modi gradibus vniuocè conuenire possunt: Ratio vero Sancti Doctoris in sensu formali intelligenda est, procedit namque de effectu in ea ratione, in qua formaliter est effectus non adæquans virtutem suæ causæ, vt & prædicti Authores optimè adnotarunt.

§. 22. Altera Diui Thomæ ratio non minus efficax desumitur ab eo, quod ratio entis in Deo includit omnem gradum essendi, immò est essentialiter ipsum esse, quam Theoremate sequenti commodius expendam, petit enim consectaneam difficultatem explicari, nempè an ens possit esset genus respectu Dei, & creaturæ, cum qua omninò connexa est. Consultò prætermitto testimonia Aristotelis, quia facillimè explicantur in vtraque sententia, quamuis pro vtraque producantur non obscura.

THEOREMA IV.

Nun ens foret genus respectu Dei, & Creaturæ?

§. 25. Vrget Thomista Scotum inferens, ex vniuocatione entis sequi necessario ens forè genus: arguit à definitione: Quod prædicatur de multis differentibus specie in quid est genus; Perte ens sic prædicatur de Deo, & creatura: Igitur genus est Deo, & Creaturæ. Ille autem mordicus negat, ens genus fore respectu Dei, & verè quidem, licet non consequenter. Immo ait probari euidenter, Deum non constare ex genere, argumento Auicennæ 8. Metaphysicæ cap. 4. *Genus est pars; Deus autem simplex est non habens partem, & partem: ergo Deus non est in genere*. Subdit enim Scotus dicta dist. 8. q. 3. num. 17. *Habet euidentiam ratio Auicennæ 8. Metaph. de partialitate generis, quia nunquam est genus sine aliqua partiali realitate in specie, &c.* Iam verò vt solueret prędictum syllogismum, negat minorem, aitque ens non prædicari de differentibus specie, eo quod non contrahatur per differentias ad sua inferiora: subindeque perseitatem, & inaleitatem, infinitudinem, & finitatem, cæterasque rationes contractiuas entis docet, non esse differentias, sed solum modos intrinsecos: In discrimine autem assignando inter differentias, & modos intrinsecos ad sudorem vsque laborant Scotistæ. Dicunt, modum intrinsecum esse perfectionem rei modificatæ intrinsecam; idest non ab alia realitate desumptam, sed ab eadem realitate, à qua desumitur ratio communis, & contrahibilis pronenire, ita, vt non variet rationem formalem illius: Sicut intensio qualitatis est modus intrinsecus ipsi qualitati: hoc amplius explicant per hoc, quod modus intrinsecus ita pertinet ad rationem formalem rei, vt ipsa non sit perfectè conceptibilis absque tali modo, sicut Albedo v. g. sine sua intentione perfectè concipi non potest: Differentiam verò dicunt, desumi ab extrinseca realitate, & esse perfectionem extranram, quæ variat rationem formalem generis, quod quidem absque differentia perfectè concipi potest. Hæc illi, & alia huiusmodi ingenti cogitatuum molimine comm iscuntur, vt suadeant, modos intrinsecos non esse differentias, etiamsi contrahant rationem communem, constituant, & distinguant compositum Metaphysicum, non minus quam ipsæ differentiæ.

§. 26. Verum enim verò tota hæc doctrina modorum excogitata est solum ad euitandam supradictam difficultatem vt ex Scotistis fatetur Poncius ingenuè disput. 69. quęst. 3. num. 34. subindeque omninò est dificilis, & vrgentissimis instantijs obnoxia: Nam (vt ille ait) non solum difficile valdè est modum intrinsecum à differentia discernere; sed id *à tot famosis Scotistis, quamuis laboriosè tractatum; implicatum tamen magis; quàm explicatum relictum est.* Sciant ergo Nominalistæ, & alij etiam ex nostratibus, qui Scotum prædicto argumento gloriosi impetunt, se minorem syllogismi illis negatam non probare, eosque vt Scotistas directè impugnent, debere destrue-

re

re hos modos intrinsecos, vel illos esse differentias persuadere: sic enim probabunt ly *differentibus specie*. Quod ex definitione generis assumunt. Id, quod nos lubentes missum facimus, tum quia Scotus nobiscum sentit, ens non esse genus, tametsi ex falso fundamento deducat. Tum etiam, quia huius modi disputatio est inutilis, & quæ solum ad prædictum Syllogismum effugiendum à Scotistis (vt supra dedi) fuit in Scholas inuecta, ita vt & Poncius *Putabam* (dixerit) *id omittere consultius, quam Tyronum ingenia subtiliori, ac magis curiosà, quam nisi fallor alias vtili discussione differentiæ (si quæ intercedit inter hos modos, ac differentias,) confundere*. Qui volet per otium duos videre pugiles Mastrium, videlicet, ac Poncium in palæstra Scotica de hisce modis dexterrimè decertantes, adeat additiones Poncianas citatæ disputationis 69. q. 3. Nobis nunc cum Nominalistis confligendum.

§. 27. Primam sententiam tenuere Platonici, & Scotici (testibus Arboreo, & Montanensio) asserentes, ens esse genus Deo, quos sequuntur Gabriel, Gregorius, & alij Nominales degeneri, & acephalo exercitu: nam eorum Princeps Ochamus nostratibus volens, nolens subscripsit deterritus quidem autoritate Academiæ Oxoniensis, quæ inter alios hunc articulum 15. condemnauit vt erroneum: *Quod causa prima sit in genere, & non extra genus*, vt testatur Bachonus in primo distinct. 8. quæst. vnica artic. 2. notarunt etiam hanc sententiam alij Doctores vt parum securam in Fide Catholica, de quorum numero est Ludouicus de Molina ad primæ partis q. 3. art. 5. Platonicis, & Iunioribus adhærent Caberus, Poncius, Arriaga, & alij Nominalistæ, quorum argumenta iam excuto.

§. 28. Arriaga disput. 11. Logicæ sect. 4. Asserentes, Deo, & Cræaturis ens esse absolutè, & simpliciter genus, ait, illud se ostendisse disput. 6. num. 25. sed inibi tota ostensio reducitur ad hoc vulgare entymema. Ens prædicatur de differentiis in *quid* incompletè, item de illis differentibus specie, ergo est genus. Antecedens probat, quia hæc prædicatio homo est *ens* est in *quid*, item est apta fieri de homine, & bruto differentibus specie: ergo est prædicatio rigorose generica. Hæc Arriaga. Quibus contra Thomistas, & Scotum, rem se putat confecisse: sed vt primum omittam, ignorauit sanè doctrinam Scoti, vel dissimulauit, nam homo, & brutum non differunt specie differentijs entis, sed differentijs animalis. Deinde ens non prædicatur in *quid* de modis, neque differentijs vltimis apud apud Scotum, neque modi sunt differentiæ. Tandem ens contrahi per differentias illius vtraque negat Schola.

§. 29. Rursus pro sua sententia dicit, stare expresse Damascenum in elementario cap. 8. Sed falso citat illum non visum, nec lectum, vt Theoremate sequenti ostendam in solutione argumentorum.

§. 30. Iam verò nostram sententiam sic impugnat. Duas (inquit) conditiones exigunt recentiores ad rationem generis, quę repugnant Deo; *Prima* est, quod abstrahat ab existentia, & solum dicat essentias rerum. Deus autem non abstrahit ab existentia *Secunda* est, quod genus coarctatur ad aliquam perfectionem, exclusis perfectionibus aliorum prædicamentorum; at qui Deus non coarctatur: ergo. Hactenus Arriaga, qui definiuit in ergo: vellem vt integram scriberet consequentiam, quæ ni fallor debet hæc esse *ergo Deus non est genus*. Sed hanc illationem etiam ipse velit, nolit, tenetur concedere. Immò non est ad rem: non enim de Deo, sed de ente disputamus, an genus sit? & prorsus nescio, quisnam ex recentioribus, quos ille innominatos citat, tam ineptè argumentetur.

§. 31. Pergit ille, & ait, hanc obiectionem prodire ex eo quod nos non benè perpendamus quid sit esse genus. Quando enim dicitur genus abstrahere ab existentia non significatur, rem illam in se esse indifferentem, vt existat, & non existat, si enim hoc esset, repugnaret proculdubio genus Deo. Solum dicimus (inquit ille) ex modo nostro concipiendi, & ratione ratiocinata illud prædicatum concipi non affirmando de illo, quod actu existat; quo pacto dubitari nequit, quin possim ego dicere *Deus est ens* vel *substantia* non dicendo vtrum existat; sicut dico *Homo est ens, & substantia*, non dicendo an existat. Hactenus ille: quæ sibi tam clara dicit esse, vt explicatis terminis, à nemine posse negari arbitretur. Sed me hercle eius termini ita sunt implicati, vt multa indigeant explicatione. Primo. Falsum est omninò, quod asserit de abstractione: quia abstrahere ab existentia proculdubio est, rem concipi vt indifferentem ad hoc vt existat, & non existat, sicut animal abstrahere à rationali, nil est aliud, quam animal reddi indifferens, vt sit, vel non sit rationale: Secundo hæc eiusdem explicatio est mera terminorum confusio; Quia quid quæso est *prædicatum concipi non affirmando de illo, quod actu existat*? Equidem in propositione cathegorica de prædicato nihil affirmatur, nec negatur; hoc enim soli conpetit subiecto: & quando dico *Homo est animal*: nihil de animali affirmo, vel nego, sed de homine. Tertio rogo, quomodo hæc cohæreant cum sequentibus. *Possum dicere Deus est ens, vel substantia non dicendo vtrum existat*. Iam enim quod existat, vel non existat dicitur de Deo, qui est subiectum huius propositionis: vbi est ergo illud prædicatum, *quod concipitur non affirmando de illo, quod actu existat*? Quarto tandem confundit dubitationem cum affirmatione. Nam dicere an existat? vtrum existat? dubitare est; non affirmare. Hæc arbitror, sunt magis clara, quam Arriagæ explicatio, qua se nobis melius videtur sibi *perpendisse quid sit esse genus*? sed fortasse ille aliud vult dicere, & aliud scribit.

§. 32. Altera eiusdem impugnatio sic habet. secunda conditio minus est ad rem. (inquit ille) nam cum ens non habeat genus aliud diuersum à se, quasi sibi coæquale, non est limitatum ad perfectionem aliquam certam, extra quam sit sit alia perfectio; nam sub genere entis includitur perfectio omnis, quæ potest excogitari: ergo saltem hoc genus poterit Deo conuenire; etiam si alia non possint. Hæc ille.

§. 33.

§. 33. Hoc discursu Arriaga tam longè abest vt suadeat, ens esse genus Deo, vt potius contradictorium probet: non enim considerauit, genus esse essentiam incompletam, & contrahibilem, quæ essentialiter exigit differentias contractiuas, & perfectiuas illius: ergo malè imaginatur genus entis includens omnem perfectionem excogitabilem, cum potius, vt sit genus, debeat perfectiones differentiarum non includere. Vel si omnem perfectionem etiam differentiarum in suo conceptu includit, iam soluit conceptum entis præcisum, quem asserebat esse vnum simpliciter. Tum etiam constituit genus, non genus, idest genus absque differentijs, rationem contrahibilem absque contractiuis: neque enim pars sine comparte, potentia, sine actu, vniuersale sine subijcibilibus pater, sine filio, &c. nisi chymericè possunt mente concipi. Quod si hoc genus entis duas saltem (vt debet) habeat differentias, iam duas non includit perfectiones, quod est contra te. Tum sic: Deus non esset ipsum genus entis: ergo esset aliqua species illius subalterna, vel infima, quam vna ex duabus illis differentijs constitueret: ergo Deus carent realiter perfectionibus alterius speciei subalternæ, vel infimæ, quam constitueret opposita differentia.

§. 34. Occurrit Arriaga aiens, falsum esse, quod Deus contineat formaliter perfectiones accidentis: Quod si solum eminenter eas continet, hoc tamen non tollit, quod substantia sit genus. Cæterum siue in Deo sit genus, siue non, certum est, Deum esse substantiam; & non accidens: ergo Deus formaliter limitatus est ad conceptum substantiæ; neque vllo modo extenditur ad conceptum accidentis: ergo ex hoc capite optimè potest substantia Dei esse genus.

§. 35. Non vrget instantia, procedit enim ea mala intelligentia continentiæ entis Diuini, seu entis per essentiam, de cuius ratione est includere formaliter omnem perfectionem carentem imperfectione, seu (vt aiunt Theologi) simpliciter simplicem; item continere omnem perfectionem creatam eminenter, vt dicimus, seu *per modum sui* vt loquitur Scotus, & vna continentia infert alteram, oritur enim ex infinitate perfectionis in omni genere entis, quam dicunt infinitatem simpliciter ad distinctionem infinitatis secundum quid, quæ rem agere non excludit. Vulgare exemplum exhibetur in linea v. g. quæ si daretur infinita, ad genus quidem quantitatis, & prædicamentum limitaretur, eo quod non esset infinita, nisi secundum longitudinem dumtaxat: Substantia vero Diuina omnes prædicamentorum perfectiones ita continet, visi ad aliquam eorum spectaret, eo ipso esset quid finitum, & limitatum. Vnde apparet, quam mala sit ista consequentia: Deus non est accidens formaliter: ergo limitatur ad genus Substantiæ, cum potius si conceptus Dei extenderetur ad aliquod accidentium genus, eo ipso esset limitatus. Huiusmodi sunt hæ consequentiæ Deus non est nihil, ergo limitatur ad esse entis. Deus non est priuatio, neque negatio: ergo limitatur ad esse rei positiuæ. Vides hoc non esse limitari. Nam vt dixi, Deum non esse formaliter accidens, cum alioqui omnes accidentium perfectiones contineat eminenter, & modo infinito, hoc ipsum est non limitari, quia est extendi formaliter ad omnes perfectiones carentes imperfectione, & etiam ad omnes, quæ illa non carent, eo modo, quo contineri possunt, scilicet eminentiali, & infinito. Rursus nego vltimam consequentiam, quia procedit ex falsa positione limitationis. Quia de re quantumuis infinita, & illimitata posset dici: non est ens rationis: ergo limitatur ad esse ens reale: ergo est quid limitatum, quod est ridiculum. Quod autem substantia prædicamentalis sit genus, etiamsi contineat accidentia virtualiter (id quod prius obiecit Scotus) hoc prouenit ex illius potentialitate, est enim subiectum, & causa materialis eorum, subiectum autem virtute continet formas, vt patet ex 1. Physicor. At verò Deus non virtuali continentia, qualis est illa; sed eminentiali, & infinita, qualis est causæ efficientis primæ, & vltimę causæ finalis, atque idæalis, includit omnes perfectiones creatas, quæ excogitari possunt. Igitur dum dico *Deus est substantia* non prædico de Deo substantiam, quæ genus sit, siue prædicamentalem; sed aliam longe abstractiorem à creata, & increata, quę prædicatum transcendentale, & analogum est: Dicitur quippe Deus substantia, quia est ens *per se* immo *à se* simile quidem proportionaliter substantiæ prædicamentali secundum modum explicitum existendi per se.

§. 36. Vltimo concludit Scriptor hic concedendo præcisionem obiectiuam inter ens, & eius differentias, si hoc necessario exigatur ad rationem generis. Quod vt magis roboret sibi obijcit hanc instantiam. Replicabis (inquit ille) Nihil est in Deo, quod possit esse in lapide: ergo non est in eo obiectiuè præcisa ratio entis à ratione Dei. Respondet: [hanc replicam etiam posse fieri in creatis, nihil enim est in Angelo purè spirituali, quod possit esse in lapide purè materiali:] Sed antequam vlterius progrediar, vellem scire, quis nam in hunc modum argumentetur? non certè Thomista, neque Scotista, contra quos ille agit: illa enim est veterissima Nominalium obiectiuncula, qua probare contendunt, prædicatum vniuersale nil esse, nisi omnia indiuidua confuse cognita, quod & ille docuit eodem fundamento nixus disput. 7. sect. 2. & subsect. 3. vbi constanter tenebat; quod quando dico *Petrus est homo* non affirmatur ex parte prædicati, id ipsum, quod affirmo, quando dico *Paulus est homo*; alioqui Petrus haberet naturam Pauli, immò omnium hominum, quod est impossibile. At vero iam nunc deuorat illud impossibile, & recantans ea, quæ ibi tradiderat ait; *Ratione nostra ens, quod est in Deo potuisse esse in creatura, id enim* (inquit) *solum denotat quando ego dico Deus est ens, nihil affirmare me ex parte prædicati, quod non affirmem, quando dico homo est ens*. Hæc ille. Sed contra euidenter ad hominem. Quando dico *Homo est ens* per te de homine non prædicatur, nisi ens, quod est creatura, & homo: Sed quando affirmo, *Deus est ens*

per

per te etiam nihil affirmatur ex parte prædicati; quod affirmem quando dico *Homo est ens*: ergo quando affirmo, quod Deus est ens, de Deo affirmatur etiam ens, quod est creatura, & homo, quod est impossibile. Vel si hoc non est impossibile, & rectè componitur cum præcisione obiectiua: ergo immeritò, & male impugnasti Thomistas adstruentes præcisionem obiectiuam inter hominem, & Petrum. Redde quæso discrimen, cur ex præcisione obiectiua entis non sequitur, quod de Deo prædicentur omnia entia; ex præcisione vero obiectiua hominis sequitur quod de Petro prædicentur omnes homines? Non ergo hęc adeo facilia erant, vt ipse iactabat: Porrò falsum est omninò, quando dico *Deus est ens* me affirmare vnum, & ipsum ens, quod affirmo quando dico *Homo est ens*. Quid ergo affirmo? aliud diuersum ens proportionaliter, & analogicè simile; non idem vniuocè, neque genericè abstractum: per ipsam enim prædicationem distribuuntur diuersæ illæ rationes, quæ in actu confuso prædicati non discernebantur, vt communiter docent Thomistæ de omni ratione analoga, de indiuiduo vago, &c. & Nominales de suo vniuersali, genere, specie, &c.

§. 37. Secunda sententia negans. Ens esse genus Deo, & creaturis, est constans peripateticorum dogma duce Aristotele, quam ex antiquis sequuntur Alexander, Auerroes, Porphyrius, Dexippus, Ammonius, Simplicius, Boethius, Auicenna, D. Thomas, apud Masium citati, quibus addo S. Damascenum infra §. 64. citandum, Augustinumque tom. 9. de cognit. veræ vitæ cap. 3. ex recentibus Thomistæ vniuersi, Scotus cum tota Schola, Nominalium caput Ochamus, quibus adnumerandi veniunt Doctores omnes, qui Deum sub vllo genere vniuoco negant contineri, vt Durandus, Hallensis, Argentina, Carthusianus, Altisioderensis, aliique per multi, quos videre licet apud D. Thomæ interpretes ad dictum artic. 5. q. 3. primæ partis. Et proculdubio sententia hæc sicut communior, ita & verior est, magisque Fidei Catholicæ consentanea, & vt verbis vtar Magistri, Arauxo, *Tutior, Fidei conformior, immò, & nobilior cogitatio.* Metaphys. libro 5. q. 2. articulo 3. Insistunt Thomistæ suis principiis, negantes enim vniuocationem entis, consequenter rationem etiam generis eidem inficiantur. Scotistæ autem fundantur in eo, quod modi intrinseci non sint differentiæ entis. Alterum fundamentum est, quod ens transcendit omnes differentias non vltimas, quod omninò rationi generis putant repugnare.

§. 38. Fundamentum, quo Diuus Thomas probat, ens non esse vniuocum, consequenter suadet etiam illud non esse genus. Ratio entis taliter est in Deo, vt includat omnem gradum essendi, immo sit ipsum *esse* simplicissimum absque vlla admixtione potentialitatis, aut distinctione inter suam essentiam, & suum esse vel existere; Atqui in creaturis *esse* recipitur, & limitatur per essentiam finitam, subindeque in cadatur compositio ex potentia, & actu: Igitur ens non prædicatur de Deo, & creaturis secundum vnam, & eamdem rationem proindeque neque vniuocè. Hæc Sancti Doctoris ratio validissima est, si rectè penetretur. Supponit enim identitatem non solum realem inter essentiam, & existentiam Diuinam, sed etiam formalem, & essentialem; cum existentia, & vltimus actus essendi sit de essentiali conceptu entis necessarij, & Diuini; id quod minimè competere potest vlli creaturæ, damus enim gratis Aduersarijs quod essentia, & existentia etiam in creatis non distinguantur realiter, at verò à parte rei, & nullo cogitante intellectu existentiam includi in obiectiuo conceptu quidditatiuo, & essentiali non creaturæ, sed solius Dei inconfesso est apud Doctores: Hinc deducitur primo inæqualitas in participanda ratione entis, quæ reperitur inter Deum, & creaturas: nempè Deum esse ens, quod essentialiter est existere, vtpote qui purissimus est actus entis sine vlla potentialitate. Creatura verò est est, quod essentialiter non est existere: ergo Deus, & creatura non æqualiter, idest non vniuocè participant rationem entis. Deducitur secundo, ens non posse genus esse Deo: Nam de ratione generis est esse essentiam contrahibilem, & quæ excludat actualitatem vltimam, quã affert differentia: ergo si ens esset genus Deo, Diuina essentia non esset totaliter suum esse. Probo consequentiam, haberet vltimam actualitatem essentialem existendi solum ratione illius prædicati, quod imaginatur esse differentia; non vero ratione conceptus generici, ac proinde non esset, vndequaque actus purissimus, & simplicissimus; sed potentialitate immistus, & non totaliter existens. Consequentia est manifesta. Quoniam quamuis existentia essentialis esset omnino identificata cum eo quod esset differentia; si etiam non identificaretur cum ratione generica, non esset de totali conceptu diuinæ essentiæ: etenim eo ipso, quod esset extra quidditatem illam Dei licet incompletam, & genericam, iam aliquid esset de essentia Dei, quod non esset purissima, & actualissima existentia, ergo impossibile est talem gradum genericum concipere vt potentialem, vel actualem per purissimam actualitatem existendi quam affert differentia, & quam excludit ipsum genus. Si alioqui gradus ille genericus debet esse quia Diuinus non minus actualis, & purus, quam ipsa actualissima existentia differentiæ.

§. 39. Non moror Vasquezium qui disp. 22. cap. 3. ad primam partem ait, non esse absurdum admittere in Deo compositionem ex genere, & differentia, quia hæc est tantùm per intellectum, proceditque ab imperfectione illius, id, quod prius docuere Nominales. Sed vero Auicenna bonus quidem Philosophus optimè norat, compositionem ex genere, & differentia esse per intellectum, & tamen illam omnino à Dei simplicitate relegauit, eius que rationem *euidentiam* appellauit Scotus. Contra, cognitio illa intellectus ponens compositionem in Deo, vel est scientifica, & rationis ratiocinatæ, vel mera fictio rationis ratiocinantis? Si hoc secundum dicas, habeo intentum, quia eiusmodi compositio erit omninò chymerica. Si verò

eiusmodi cognitio sit ratiocinata, hanc non habet intellectus, nisi præbente occasionem fundamento aliquo reali reperto in obiecto. Quinimmò Ratio ratiocinata constat ex vtroque formaliter, nempè excognitione, & fundamento, vel saltem dicit connotationem essentialem fundamenti. Tum sic: Fundamentum, quod intellectus habet ad ponendum gradum genericum in aliqua specie, non est, nisi potentialitas, seu materialis actualitas naturæ respectu vlterioris actus, seu gradus actualioris reperti inipsa natura, quem facit differentiam; In Deo non est vlla potentialitas realiter, siue ex natura rei, vt supra diximus: ergo impossibile est, quod intellectus ratione ratiocinata statuat compositionem generis, & differentiæ in Deo. Minor, & consequentia sunt euidentes. Maior facilè ostenditur. Nam si potentialitas realiter reperta in natura non esset vnicum, & totale fundamentum gradus generici; non esset maior ratio, cur intellectus in qualibet specie hunc gradum A. faceret potius genericum, quam differentialem B. & pro libito posset vice versa gradum B. differentialem facere genericum respectu eiusdem speciei; Atqui non ob aliam rationem nequit intellectus prohibito gradum B. qui nunc est differentialis facere genericum respectu eiusdem speciei, nisi quia incomparatione alterius non habet eam potentialitatem, quam pro fundamento exhibuit gradus genericus: Ergo vnicum, & totale fundamentum gradus generici est potentialitas reperta in natura speciei: ergo compositio ex genere, & differentia, licèt sit per intellectum, si ratiocinata sit, supponit in natura speciei fundamentum potentialitatis, & imperfectionis, ac proindè impossibile est, quod intellectus illam, nisi chymericè Deo appingat. Vide, si lubet M. Nauarrete, controuers. 20. & Mag. Arauxum Metaphys. lib. 5. quæst. 2. artic. 3. qui hanc solutionem impugnat, & rationes, quas Vasquezius reiectis Diui Thomæ fundamentis, vt efficaciores adducit ad probandum, non contineri Deum sub vllo genere non solum ostendit, esse elumbes, sed etiam suæ ipsius sententiæ repugnantes, & contradictorias.

THEOREMA V.

Argumenta pro vniuocatione Entis militantia eneruantur.

Argumenta Scoti.

§. 40. QVatuor sunt argumenta, quibus Scotus probare, se putat Entis vniuocationem in primo distinct. 3. quæst. 2. num. 6. Primum (quod etiam repetit quæst. 3. num. 9. & distinct. 8. quæst. 3. à num. 5.) est, quod sic incipit. Intellectus certus de vno conceptu obiectiuo, & dubius de diuersis, habet conceptum dequo est certus alium à conceptibus de quibus est dubius, &c. Est argumentum Auicennæ, quod Achillem vocant Scotisticum, vt usè ostendi Differt. 33. Theorem. 3. §. 21. vbi Achillem videbis hunc multorum telis confossum, postratumque. Porrò illud nullatenus probat vniuocationem Entis, etiamsi gratis totum admitteretur, sed alietatem dumtaxat conceptus Entis à conceptibus modorum (vt optimè notauit Caietanus) inferre autem ex alietate conceptum vniuocum est *sophisma consequentiæ*. Quia conceptus Analogus etiam est alius, non quidem simpliciter, sed confusé, & secundum quid, vt supra laté explicuimus.

§. 41. Secundum. Non possemus cognoscere Deum per Creaturas, quod est contra Fidem. Nam nulla res cognoscitur per aliam, quæ non contineatur, vel formaliter, vel virtualiter in obiecto, quod relucet in phantasmate; atqui Deus si non conueniret vniuocè cum creatura saltem formaliter in ratione entis, neque virtualiter contineretur in illa, quod enim prius est, non continetur virtualiter in posteriori, sed è conuerso: ergo Deus non posset cognosci per creaturam, nisi vniuocè conueniat cum ipsa, reluceatque inipso phantasmate obiecti creati.

§. 42. Hoc argumentum sicut, & reliqua validè eneruauit Caietanus 1. par. quæst. 13. articulo 5. Respondeo bifariam, primo negando, continentiam obiecti diuidi adæquatè ab Scoto, præter *formalem*, enim, & *virtualem* causæ datur tertius modus continentiæ participatiuæ, seu imitatiuæ, qua effectus continet suam causam, nec hoc modo continentiæ debet res prior continere posteriorem; sed potius è contra. Vnde Deus cognoscibilis quidem est, conceptu simplici, qui continetur in obiecto relucente inphantasmate participatiuè, vel imitatiuè. nec opus est, vt contineatur formaliter, neque virtualiter. Secundò respondeo, & do Scoto, Quidquid cognoscitur per aliud contineri in illo formaliter, aut virtualiter; nego tamen, continentiam formalem necessariò debere esse per conceptum vniuocum. Sat enim est, quòd contineatur per conceptum secundum quid vnum, & confusum, siue Analogicum.

§. 43. Tertium argumentum sic habet. In omni inquisitione Metaphysica ad cognoscendum Deum progredimur concipiendo aliquam vnam rationem formalem (v.g. sapientiam) à qua tollimus omnem imperfectionem, vt tribuatur Deo id solùm, quod perfectionis est: ergo remota omni imperfectione debet aliquid remanere, quod vniuocè conueniat Deo, alioqui non veriùs prædicaretur Sapientia de Deo per conceptum desumptum ex sapientia creata, quàm lapis, & hæc argumenta iterum repetit distinct. 8. quæst. 3. à num. 5.

§. 44. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia remota omni imperfectione qualitatis, & inhærentiæ, si relinquatur in Sapientia, quod sit *cognitio per altissimas causas*, hoc enim dicit perfectionem, satis est, quòd hoc prædicatum sic cognoscentis competat Deo proportionaliter, & secundum quid, & longè diuersa ratione, ac nobis; proindèque non vniuocè.

uocè. At vero conceptus lapidis nec ante remotionem imperfectionis, nec post remotionem potest cum Deo proportionaliter, siue analogicè conuenire, quia ratio lapidis semper includit imperfectionem.

§. 45. Quartum argumentum. Si substantia non conueniret vniuocè cum accidente non cognosceretur per speciem accidentis, sed per seipsam immutaret intellectum; atqui hoc est falsum. Quia potest intellectus naturaliter cognoscere absentiam substantiæ in hostia consecrata, sicut Visus naturaliter cognoscit absentiam lucis, quando tenebrescit aër: ergo substantia vniuocè conuenit cum accidente.

§. 46. Hoc argumentum, si aliquid conuincit, etiam probat, quòd de substantia non possumus vllum habere conceptum quidditatiuum, nisi conceptum entis tantùm, in hoc enim tantùm conuenit cum accidente, vt benè notauit Thomas Anglicus 1. distinct. 3. quæst. 5. apud Flandrensem 4. Metaphys. quęst. 2. artic. 3. hoc autem esse manifestè falsum, nemo non videt. Igitur qualitercumque substantia cognoscatur per speciem accidentis, nego, absentiam panis naturaliter posse cognosci in Eucharistiæ Sacramento. Tum quia accidentia ita concurrunt ad producendam speciem panis in intellectu, ac si adhuc panis existeret; sunt enim virtus substantiæ absentis, & nutriunt, inebriantque, sicut si actu illam continerent, ac proindè substantia non absolutè est absens; sicut lux abest in tenebris; adhuc enim per suas operationes, & per efficaciam virtutis relictæ præsens aliquomodo est. Tùm etiam, quia falsum est, visum continuò debere cognoscere absentiam sui obiecti, quando immutatur ab aliquo agente, quod vniformiter immutet. Nam (vt benè aduertit M. Flandrensis) si duo alba æqualis quantitatis, & figuræ mouerent successiuè visum, adhuc visus non discerneret ea, nec cognosceret absentiam vnius, si alterum in eodem loco esset. Nunc ad Scotistarum argumenta veniamus, quæ à præcedentibus longè diuersa sunt.

Argumenta Scotistarum.

§. 47. MErinerus disput. 2. de Categoricis qu. 3. Vniuocationem entis astruit primo argumentis, quæ directè impugnant Analogiam illius, à quibus nunc enodandis consultò abstineo. Secundò ratione à priori, qua directè probare contendit eiusmodi vniuocationem, quam nunc diluemus. Objicit primo sic. Ad vniuocationem in hoc quarto, & imperfectissimo gradu solùm requiritur, quod nomen sit commune, & ratio substantiæ significata sit eadem in omnibus analogatis; Sed non solùm nomen *Ens* est commune suis inferioribus, sed etiam ratio substantiæ hoc nomine significata est eadem in omnibus: Ergo nil deficit Enti, vt sit vniuocum in hoc quarto, & imperfectissimo vniuocationis gradu. Discursus est optimus. Maior enim est Aristotelis, & minor constat ex doctrina, quam se demonstrasse ait de conceptu obiectiuo simpliciter vno, & præciso entis, quæ est totale fundamentum huius Scotisticæ Assertionis.

§. 48. Respondeo, discursus optimi falsam esse vtramque præmissam. Maior non est Aristotelis, vt ille iactat, Aristoteles enim nusquàm audiuit illa verba: *In hoc quarto, & imperfectissimo gradu vniuocationis*, in quibus consistit tota difficultas, & controuersia cum Thomistis, ostendat quęso Merinerus in Aristotele hos vniuocationis quatuor gradus, nam apud illum hoc capite non legitur nisi vnica vniuocorum definitio, quam si Merinerus velit omnibus quatuor gradibus accomodare, etiam probabit ens esse vniuersale, esse Genus, &c. quia illa definitio etiam deseruit vniuersalibus Generi, & Speciei apud omnes Doctores: ergo talis definitio vniuocationis, quæ aptari potest generi, cæterisque vniuersalibus extendenda non est ad hunc quartum, & imperfectissimum gradum, cuius descriptio nunquam venit in mentem Aristotelis, quando vniuoca definiuit. Minor est falsa: conceptum enim obiectiuum entis simpliciter præcisum fusè explosimus, Dissertat. 33. proindèque totale fundamentum Scotisticæ assertionis euertimus. Addo, Merinerum non benè scotizare; Nam Subtilis Doctor ad probandam huiusmodi vniuocationem minimè assumpsit definitionem Aristotelis, quam nihil probare benè nouerat; sed aliam vniuocationis descriptionem attulit aiens: *Conceptum vniuocum dico, qui ita est vnus, quòd eius vnitas sufficit ad contradictionem, & ad medium syllogisticum*, hæc est definitio tuæ quartæ vniuocationis, non Aristotelica.

§. 49. Secundò Poncius ferè eadem objicit. Quia in Deo, & Creaturis, substantia, & accidente est id cui non repugnat existere ex sua ratione formali, alioqui non existerent: ergo Ens prædicatur de illis formaliter. Præterea, nil aliud exigitur ad prædicationem vniuocam, nisi quod prædicatum de inferioribus prædicetur secundùm eamdem omninò rationem; Conceptus entis est vnus, & præcisus, & secundum eamdem omninò rationem prædicatur de suis inferioribus: ergo. Dices, vlterius requiri, quòd prædicatum non habeat essentialem dependentiam, vt est in vno ex illis, de quibus dicitur ab altero ex illis, quod in ente non est verum respectu Dei, &c. Contra, quia hoc est rem reducere ad quæstionem de nomine. Deindè gratis asseritur, id requiri, cùm non ponatur in definitione vniuocorum, iuxta quam hic agimus de illis.

§. 50. Respondeo primam probationem, quam dicit Poncius esse manifestam, non esse ad rem: Ad secundam nego minorem: ratio enim, quæ cum inæqualitate essentialis dependentiæ prædicatur non est *eadem omninò* in inferioribus, vt & ipse vult: neque conceptus entis est vnus, aut præcisus simpliciter, vt sæpe sæpius inculcauimus. Ad instantiam dico, dependentiam, & transcendentiam entis tollere vnitatem conceptus obiectiui: vnitas autem res est, non nomen, nec vox: Deinde Aristoteles expli-

cans definitionem vniuocorum exemplo animalis, de illa ratione animalis prout in inferioribus dixit, quod *si quispiam vtriusque rationem non voluerit assignare: quæ nam sit vtriusque ratio animalis, eamdem rationem omnino reddet*. iuxta Argyropilum. Ecce per ly *omninò* exploditur omnis inæqualitas à ratione vniuoca; ergo non gratis, sed ex mente Aristotelis exigimus vnitatem, quam tollit transcendentia cum dependentia. Cæterum falso dicit Poncius, se agere de vniuocatione entis iuxta hanc Aristotelis descriptionem: Hæc namque descriptio in animali exhibetur verificata; atqui vniuocatio entis non est talis, quæ in animali verificari possit (ipsis consentientibus Scotistis) ergo Poncius non iuxta hanc, sed iuxta aliam longè diuersam vniuocationis acceptionem agere debet de vniuocatione entis, quod & alij Scotistæ facilè concedent.

§. 51. Tertiò obijciunt alij ex Antonio Andrea: Potentiæ simpliciter vnius debet obiectum esse simpliciter vnum, seu vniuocum: specificatur enim potentia sicut & habitus à suo obiecto; sed ens est obiectum nostri intellectus, qui est potentia simpliciter vna: ergo & ens simpliciter vnum est: similiter arguunt de Metaphysica, cuius obiectum est etiam ens.

§. 52. Respondeo hoc argumentum minimè iuuare Scotistas: ipsi enim non dicunt, ens ita vniuocum esse, vt sit vniuersale, seu quod habeat vnitatem genericam, vel specificam; atqui intellectus est potentia vna genericè, vel specificè, sicut & Metapysica: ergo hanc vnitatem non desumit ab ente: vel ens erit vniuocum genericè, vel specificè, quod illi vorare non audent. Aio igitur, vnitatem proportionalitatis sufficere ad specificandam vnam potentiam, vel habitum simpliciter vnum, quoniam non exigitur, quod ipsissima vnitas potentiæ reluceat in obiecto, sed sat est minor. Exemplum est euidens in potentia visiua, quæ est vna specie atoma; & tamen obiectum eius specificatiuum, videlicet coloratum in tota sua latitudine non est nisi vnum genericè, idest minus vnum. Igitur nego maiorem intellectam de æqualitate vnitatis inter potentiam, & obiectum.

§. 53. Quarto obijciunt: Ens potest esse medium Syllogisticum; ergo vniuocum est. Probatur consequentia: terminus analogus non habet rationem vnam, quæ cum extremitatibus vniatur. Deinde propositionem facit dubiam, & distinguendam, ac proinde non potest facere contradictionem, hæc enim contradictoria non sunt: *Sanum est animal, sanum non est animal*, nisi distinguendo ly *Sanum*.

§. 54. Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico, verum esse antecedens de analogo proportionis impropriæ, & attributionis, falsum verò de analogo proportionalitatis propriæ, cuius vnitas proportionalis sufficit ad distinctionem, & coniunctionem medij cum extremitatibus: & similiter ad contradictionem faciendam, vt dedimus supra ex Caietano §. 1. Etsi hoc argumentum conuincit, simul etiam destruet omnia Nominalium vniuersalia, quæ nullam dicunt vnitatem conceptus obiectiui, sed tantùm plurium rationum confusum conceptum, quod nos de ente dicimus.

Argumenta Nominalistarum.

§. 55. HVrtadus disput. 9. Logicę §. 102. pauca quidem eaque futilia obijcit; *Primo*, quia dicere, creaturam cum Deo comparatam non esse ens simpliciter ob infinitam distantiam inter vtrumque, est ratio, quæ licet metaphoricè deseruiat Concionatori, metaphysicè tamen examinata nullius est momenti: quia tam propriè reperitur in homine ratio entis, quam in Deo: non enim comparantur, sicut risus prato, & homini. Pratum enim nullum habet propriè risum: Quis autem dicat, hominem tam impropriè esse ens, quam pratum ridere?

§. 56. *Secundo* Homo in sacris literis vocatur imago, atque similitudo Dei, & à Petro vocatur consors Diuinæ naturæ. *Tertio*. Quando dicitur Deus esse infinitè perfectior, intentum habetur; Si enim Deus est perfectior homine; ergo & homo est ens; alioquin inepta esset comparatio, quæ debet versari inter extrema similia, malè enim comparatur ens non enti.

§. 57. Respondeo. Nos non dicere, Creaturam non esse ens simpliciter, sed secundum quid, sumendo ly simpliciter pro *essentialiter*; sed pro *absolutè*. Si enim Thomistæ totos neruos intendunt, vt defendant, ens transcendere vltimos modos, & differentias Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, quo modo dicerent, creaturam non esse ens essentialiter? certè

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni.

Neque concionatorie dicimus, sed metaphysicè, neque Aristoteles Concionatorem agebat, dum seriò docuit totam Vniuersæ Terræ molem respectu Orbis Solis esse punctum indiuisibile. Sic creatura non habet esse simpliciter sicut Deus, seu comparatione Dei, hic enim est ipsum esse per essentiam; illa verò habet esse per participationem: Ecce tibi summa inæqualitas in essendo; licet in vtroque esse reperiatur intrinsecè: quis enim dicat, creaturam esse ens, sicut Pratum ridet? Certè Thomista nunquam tale quid somniauit. Oportet igitur, vt qui hæc obijciunt, calleant melius doctrinam Thomisticam, discernant anologiam proportionalitatis propriæ à metaphorica, requirantque illud *Granum salis*, quo Illustrissimus Caietanus accipiendum esse dicit, illud axioma: *Analogum simpliciter saluatur in vno; secundum quid in alio*. Legant illum, quæso tract. 9. de Nominum anologia §. *Tertio ex parte*. Et hæc ad primam obiectionem Hurtadi.

§. 58. Ad alteram dico, Hurtadum malam causam agere, dum sacras litteras appellat, quæ hominem docent, esse imaginem, & similitudinem Dei. Nam certè leo non est imago, neque albedo, aut vllum accidens est similitudo Dei. Ergo vel respectu istorum, & Dei iam ens non est vniuocum. Rursus S. Petrus, hominem dicit esse consortem Diuinæ naturæ ratione gratiæ sanctificantis, quæ est consortium illud, &

parti-

participium naturæ Diuinæ: ergo homo peccator consors non est, & remota gratia remouetur vniuocatio entis, saltem quantum ad hominem: nam certum est, equum, & asinum consortes non esse, & tamen vniuocè conueniunt cum Deo: Vides igitur ridicula hæc esse: & ex sacris literis ægrè deduci, vel similitudinem anologicam Dei cum omni creatura: quanto minus vniuoca?

§. 59. Tertium argumentum Hurtadi vetus est, namque illud obiecerat Sanctus Doctor q. 7. de Potentia artic. 7. in tertio, & quarto argumento: respondet comparationem arguere prędicationem vniuocam quando fit iuxta quantitatem tantùm participati; non quando fit inter illud, quod dicitur tale per essentiam, & rem participatam. Sed audi illum ore Angelico ista promentem. *Magis, & minus* (inquit) *tripliciter potest considerari, & sic prædicari: Vno modo secundum solam quantitatem participati, sicut Nix dicitur albior pariete, quia perfectior est albedo in niue, quam in pariete, sed tamen vnius rationis: vnde talis diuersitas secundum magis, & minus non diuersificat speciem: Alio modo secundum quod vnum participatur, & aliud per essentiam dicitur, sicut diceremus, quod bonitas est melior, quam bonum: Tertio modo secundum quod modo eminentiori competit idem aliquid vni, quam alteri, sicut calor Soli, quam igni; Et hi duo modi impediunt vnitatem speciei, & vniuocam prædicationem.* Hæc ille. Consequentia, quam Hurtadus infert *Ergo homo est ens.* Frigidissima est, negaturque à nemine.

§. 60. Sequitur Arriaga, aiens, quæstionem hanc solo de nomine esse, in qua licet communiter dicitur, ens non esse vniuocum Deo, & creaturis, tamen hanc acceptionem solùm esse communem in Schola Thomistarum; at duas Scotistarum, & Nominalium esse contra hanc acceptionem, & pro se. Fallitur Arriaga, nec quæstio de solo est nomine, in sensu, quo loquitur; nec tot habet patronos: Nam Scotistæ, & Ochamus Nominalium Parens non concedunt vniuocationem enti, qualem Arriaga concedit, nempe vniuersalem, & Genericam. Secundo dicit, quod multi ex aduersarijs libenter faterentur, ens esse vniuocum, si præscindi posse iudicarent, & cum ille hanc præcisionem iam ostenderit, tenemur Thomistæ consequenter fateri eiusmodi vniuocationem. Fallitur secundò Arriaga: Nam præcisio secundum quid, seu conceptus formalis confusi, & non obiectiui, quem solùm ille probauit in ente, potius requiritur à Thomistis ad ponendam suam analogiam, nec cum alia præcisione apte cohæret illa. Vide quàm longè absit ad inducendam vniuocationem præcisio, quam ille ostenderat, cum potius vnicè deseruiat Analogiæ. Tertio dicit, nos sine causa scandalizari, eo quod illi admittant vniuocationem entis respectu Dei, & creaturæ, putamus enim illos facere creaturas Deo æquales, & derogare Diuinæ Maiestati; quin attendamus, quid dicere velint. Fallitur tertio Arriaga; nemo enim nostrum eiusmodi scandalum hactenus passus est: Sed ò egregia argumenta! O rationes Neotericorum fortissimæ! Ecce quasi Ariete, ecce quibus tormentis bellicis Sancti Thomæ fundamenta reputant diruere.

§. 61. Succedit Ouiedus, qui similiter ait, nos petere argumentum ex terrore tyronibus incusso, de æqualitate creaturarum cum Deo, quasi hoc esset minus religiosè philosophari: sed nec Ouiedus, neque vllus contrariæ sectæ scriptor proferet vnum Thomistam eiusmodi impietatis laruas, aut terrores obtendentem. Pergit ille, & auctoritatem Aristotelis nobis fauentem præripere conatur: Verba Philosophi pro analogia entis luce sunt clariora. Metaphys. 4. cap. 2. *Ens autem* (inquit) *multis quidem modis, sed tantum ad vnum, vnamque naturam quamdam, & non æquiuocè dicitur, sed quemadmodum sanum omne ad sanitatem refertur.* Hæc ille. refert Ouiedus nonnullas aliorum solutiones: sed illis omissis dicit, se quidquid ex illis contra suam sententiam adduci possunt, vno Aristotelis testimonio infringere. Quia postquam Philosophus 7. Metaphys. cap. 4. dixerat, ens esse analogum substantiæ, & accidenti, non æquiuocum, neque vniuocum: subdit: *Sed hac quidem quomodocumque quis dicere velit nihil refert.* [Si ergo nihil refert (inquit Ouiedus) quemcumque in his dicere, quæ velit, volo Aristotelis pace dicere, ens esse vniuocum.]

§. 62. Elegans quidem solutio, si Ouiedus non fuisset insigniter hallucinatus: non enim Philosophi textum recognouit: Sanè Aristoteles nequaquam dixit, nihil referre, quod ens, dicatur analogum esse, vel vniuocum, Sed dixit, ex duabus solutionibus, quas assignarat: videlicet, quod accidens non habebat definitionem simpliciter, quia est entis ens. Vel quod haberet quidem definitionem, sed secundum quid, eo quod totum referebatur ad substantiam, sicut medicinale ad medicinam, ait, in re has duas responsiones non differe, & quamlibet posse exhiberi: nec dixit *Nihil refert*, vt vitiosè corrupit Ouiedus. Accipe Diuum Aquinatem super hoc loco 7. Metaphys. lectione quarta. *Et quia posuerat* (inquit) *duas solutiones, subiungit, quod nihil differt, qualitercumque aliquis velit dicere de præmissa quæstione, siue dicatur, quod accidentia non habent definitionem, siue quod habent, sed per posterius, & secundum quid: Quod tamen dicitur in prima solutione, quod non habent definitionem accidentia: intelligitur per prius, & simpliciter.* Ecce Aristotelis mens, & sententia. Dicat nunc Ouiedus quidquid volet, quid enim refert? Sed quidem pace Aristotelis non dicet.

§. 63. Obijcit secundo: Nam cum Diuum Thomam pro nobis apertè stare videret, dum prorsus entis vniuocationem negat, neque illum pro sua sententia posset explicare, illius loco Sanctum Damascenum subrogare volens (infæliciter tamen) itá reponit: *Quod si hæc explicatio non placuerit, Damascenum accipe, quem dos pro Doctore Angelico.* Sed iam accipiamus: *Sic ille in elementario* (inquit) *Substantia, quæ continet super substantialiter in creatam deitatem, cognoscibiliter autem, & continuè omnem creaturam, generalissimum genus est. En Damascenus rationem communem & genericam tribuit Deo, & Creaturæ.*

§.64. Sed verò Ouiedus Damascenum nunquam vidit, sed ab Arriaga citatum transcripsit, neque itidem Arriaga legerat illum, vt inferius clarissimè monstrabo. Etenim si Damascenum consuluisset in sua Dialectica cap.46. *De diuisione entis, & substantiæ*. Vbi hæc quidem ex instituto tractat, contradictorium reperisset sub his verbis: *Ens in substantiam, & accidens diuiditur non vt genus in species; verum vt vox æquiuoca, aut vt ea, quæ ab vno ad vnum, &c.* Item cap.10. de Specie hæc habet: *Substantia totam entis definitionem haud quaquam accepit: ac proindè nec ens substantiæ genus; neque substantia entis species est.* Paucis deindè interiectis: *Quapropter* (inquit) *licet ens in substantiam, & accidens diuidatur, eorum tamen genus non est.* Vide qualem patronum pro se adducat Damascenum. Locus Elementarij citatus omninò commentitius est, neque vllum eiusmodi opus conscripsit Damascenus, vt eius volumina requirenti patebit. Sed gratis permitto Ouiedo, & Damascenum scripsisse: quid indè ad vniuocationem entis? Substantiam enim dicit esse genus, non ens. Occurrit Arriaga aiens, substantiam non minus esse transcendentem, quam ens. Sed fallitur manifestè, quia substantia completa, quæ supremum genus prædicamentale constituit, nullatenus transcendit differentias; id enim conuenit substantiæ communissimè, & analogicè acceptæ à completa, & incompleta abstrahenti.

§.65. Non me latet, Scotum hoc testimonium etiam pro Damasceniano citasse in primo dist.8. quæst.1. num.24. Sed tam longè abest, vt probet, substantiam esse genus respectu Dei, vt potius ab eo citentur ad contradictorium probandum, idest ad solutionem auctoritatum, quæ aliquo modo id significare videbantur. *Vnum tamen verbum* (inquit Scotus) *quod dicit in Elementario cap.8. soluit omnia*. Perpendit enim subtiliter ly *super substantialiter*, quod Arriaga non subolvit, aitque: *Non dicit substantiam, quæ est generalissimum continere Deitatem, sicut continet creaturam, sed super substantialiter, hoc est, accipiendo illud, quod est perfectionis in substantia, quæ est genus, & relinquendo illud, quod est imperfectionis*. Sed verò eiusmodi Elementarium Damasceni non esse, mihi compertum est: nec ætate Arriagæ inter opera illius extabat, vt patet ex ijs, quæ tunc iam circumferebantur impressa Lugduni anno Domini 1577. Ergo illud inter opera Damasceni non viderat Arriaga, sed ex nonnullo transcripsit vetusto Authore. Sed horum satis. Nam cætera argumenta, quæ hic afferri solent, supra diluimus, agentes de conceptu entis præciso. Vide si lubet triginta apud Flandrensem soluta.

DISSERTATIO XXXVI.

Nonnulla dubia de ante prædicamentis expedio.

§.1. Decadem Prædicamentorum, quam in Synopsi Categoriarum primi capitis supra exhibuimus, Archytas Tarentinus è Pythagoræ Schola insignis Philosophus dicitur, primus ordinasse, sequutus deindè Aristoteles cum tota Peripateticorum Philosophia tantam celebri huic diuisioni auctoritatem contulit, vt licet nulla demonstretur euidente ratione, inter tamen sanæ mentis homines (vt Suarez, & Tellezius benè perpendere) nullus citra temeritatis notam in dubium illam reuocauerit. Vndè quæres primo.

§.2. An diuisio entis realis creati, completique in decem prædicamenta idonea saltem probetur congruentia, vt nec plura, pauciorave deprehendantur? Respondeo affirmatiuè cum D. Thoma Metaphysicæ quinto, lectione nona, & sæpè alias. Vbi sic ea adnumerat. Tot sunt prædicamenta, quot sunt modi prædicandi de prima substantia, hoc est enim primum subiectum, basisque totius prædicationis; sed hi tantum sunt decem: ergo nec plura, paucioraue erunt prædicamenta. Colligit S. Doctor à posteriori, & ab effectu diuersitatem modorum essendi, scilicet à modis prędicandi, tot enim sunt modi essendi, quot sunt prædicandi. Minorem sic ostendit. Quidquid prædicatur de substantia, vel prædicatur secundum essentiam, vel secundum accidens. Si primum: constituit prædicamentum substantię. Si secundum accidens enuntiatur, vel prædicatur vt quid intrinsecum absolutè, & consequitur materiam, & sic est *quantitas*, vel prædicatur vt quid intrinsecum absolutè, & consequitur formam, & sic est *qualitas*. Si verò prædicetur vt quid intrinsecum, sed respectiuè ad aliud, erit *Relatio*. Si autem prædicatum accidentale fuerit intrinsecum, & dicitur de prima substantia non vt mensura, sed vt ornatus erit *Habitus*, si verò prædicetur vt mensura illius, vel est mensura secundum locum, & erit *Vbi*. Vel secundum tempus, & sic est *Quando*. Quod si in ipso vbi consideratur dispositio, seu positura partium erit *Situs*. Denique si prædicatum accidentale partim sit intrinsecum, & partim extrinsecum, (hoc enim solum potest medium esse inter intrinsecum, & extrinsecum) ex hoc duo consurgent prædicamenta, *Actionis*, scilicet, & *Passionis*: Actio enim, & Passio partim insunt agenti, & partim passo: Sunt quidem in agente quoad principium; in passo autem quoad terminum. Et sic denarius Categoriarum numerus completur: Et quamuis alij alios modos eumdem colligendi excogitarint (septem enim adducit Lalemandetius) prædictus tamen D.Thomæ omnium optimus est, vel ipso Scotista fatente disput.6. part.8. Clypeo 2.

§.3. Hinc contemnendas potiùs, quam impugnandas censeo antiquas nonnullorum opiniones, quæ hoc sæculo ne quicquam reuiuiscere tentarunt. Quidam enim cum Platone in *Sophista* vnicum dumtaxat posuerunt prædicamentum entis, quod supremum genus esse dicebant, quod prorsus falsum est: tum ex supradictis Dissertat. præcedenti Theor.4. Tum etiam quia vel ens esset vnicum, & indiuisibile prædicamentum? Et sic nihil enuntiaretur de quolibet, nisi quod esset *ens* dumtaxat, quod est cognitio valdè confusa, & puerilis; nihil enim est in rebus eo prædicato confusius, neque minus distinctum, aut obscurius. Vel esset diuisibile?

Et

Et tunc quæro, in quot membra? Si in duo, nempè substantiam, & accidens, incidis in sententiam Xenocratis, & Andronici ea duo prædicamenta astruentium, & iam deseris propriam: deindè sequitur etiam prædictam absurdum, quod nihil sciremus de rebus, nisi quod essent substantia, vel accidens: Sed de his videas alios, nos aliò pergimus.

§.4. Longum esset Arriagæ impugnationes retexere, qui ait, vix posse diuisionem inueniri, in qua tot vitia reperiantur quot in hac. Verum enim verò diuisio hæc (vt iam supra innui) non ad lydium lapidem (vt benè Hurtadus monuerat) examinanda venit, congruentijs enim dumtaxat idoneis asseritur, quamuis multi non defuerint grauesque Doctores, qui eorum efficacibus etiam rationibus probari censuerunt, vt apud M. Flandrensem, aliosque ex seuerioribus Thomistis videre licet, qui & argumenta, multo quidem robustiora, quam ea, quæ à recentioribus adduntur, optimè soluunt, quibus etiam adhærent Neoterici nonnulli. Nam, & Tellezius affirmauit, prædicamenta de facto esse decem, & de possibili, nec plura, nec pauciora esse posse.

§.5. Iam verò vt aduersarijs pro communi sententia respondeam; suppono, *Prædicatum* in tota sua amplitudine latiùs patere, quam *Prædicamentum*, vt est euidens, & Aristotelem numquam docuisse, omnia & vniuersa prædicata, quæ de quolibet subiecto potest intellectus affirmare, statim collocari in aliquo ex decem prædicamentis, vt etiam est euidens: quandoquidem apertè tradidit multa prædicata poni in ante prædicamentis, vt æquiuoca, Analoga, denominatiua: multa in post prædicamentis, vt esse oppositum, esse negatiuum, priuatiuum vt homo est *volatilis* est *cæcus*, *&c.* *esse simul*, non *esse simul*, *&c.* Deindè prędicata existentiæ, infinitudinis, diuina, ficta entis rationis, & quæ à denominatione extrinseca cogniti, vel voliti prouenniunt omninò à prędicamento relegauit, in quo solum voluit ritè collocari prædicamentum *Reale*, *finitum*, *incomplexum*, *completum*, *vniuocum*, *&c.* Quæ igitur dementia est Aristotelem carpere eo præcisè, quod prædicata omnia, quæ illi somniarunt, non inueniant posita in prædicamento? Quinimmò non debent inuenire nisi ea solum, quæ conditiones habent à Philosopho præscriptas, vt in illo collocentur.

§.6. Hinc omissis ijs, quæ pro diuisione entis in duo, vel tria, & etiam plusquam decem prædicamenta vulgò solent obijci, & vulgò facilè solui (videas Poncium disput. 11. num. 8. vbi omnia neotericorum argumenta nullo negotio diluit) venio ad obiectiones Arriagæ, quibus ille præsertim facetior videri voluit. Respondeo primo, eas responsione indignas esse, nec aliam mereri, nisi eam qua illum, vel suus collega sugillauit Tellezius Metaphys. disput. 52. sect. 3. *P. Arriaga in Metaphysica* (inquit) *hanc diuisionem risu, ac ioco ex sibilat, sed ipse potius irridendus, quod eam seriam nimis iocularitèr tractet.*

§.7. Respondeo secundo ad singula, etiamsi ridicula sint, serio quidem, & modestè, & quia nonnulla sunt contra distinctionem prædicamentorum, ea in proprijs eorum locis commodiùs expediam: *Rogo enim* (inquit Rodericus) *ad quod prædicamentum reducitur loqui, tacere, vigilare, dormire?* Dico, *loqui* esse actionem vitalem, & pertinere ad prædicamentum qualitatis, vel actionis iuxta diuersitatem opinionum, quæ vtrumque probabiliter asseuerant. *Tacere, & vigilare* pro non dormire sunt priuationes, non debent ad vllum prædicamentum reduci. *Dormire* cum non sit mera priuatio, sed etiam quies pertinet ad post prædicamentum *Motus*, quo etiam reducitur suum oppositum. Pergit ille. *Ad prædicamentum habitus reducunt esse vestitum, esse autem armatum dicunt, non posse ad illud pertinere. Alij distinguunt inter arma: defensiua concedunt illi; offensiua negant. Timent fortè, ne fiant irregulares, & Sacrum celebrare nequeant. Eos ego rogo, ad quod prædicamentum pertinebunt arma offensiua? Non enim patientur milites, se excludi à prædicamento.* Respondeo, ad prædicamentum *Habitus* pertinere tàm esse vestitum, quam armatum, vt esse thoracatum, loricatum, galeatum, &c. & qui secùs dixerint, Aristotelem non sequi, qui quidem vestitum esse, & esse armatum pro habitu simul vsurpauit cap. 9. de Actione, & Passione ibi: *Habere quidem indutum, atque armatum esse significare.* Sic iuxta Argyropilum: iuxta Boethium vero sic: *Habere quidem significat calciatum esse, armatum esse*: de habere autem gladium, & hastam, quæ arma quidem sunt offensiua, loquitur etiam Aristoteles in post prædicamentis de modis habere cap. 11. vbi iuxta Argyropili translationem sic ait: *Habere quispiam dicitur, aut vt ea, quæ circa corpus ponuntur, vt vestem, tunicam, & gladium, & similia, &c.* Vides ergo hinc benè deduci, vestitum esse, armatum, & hastatum ad idem prædicamentum pertinere posse: nisi quod Aristoteles de habere gladium, egit in post prædicamentis loquens de oppositione inter habitum, & priuationem, vndè fortasse ansam, & occasionem nacti sunt, qui distinguunt *habere* pro habitu prædicamentali, ob *habere* gladium, vel annulum pro habitu ad distinctionem priuationis, quod quidem accuratè, & laudabiliter fecerunt, non quia tumultum contemnerent militarem, nec quia timerent irregularitatem prædicamentorum, vt gelidissimè iocatur Arriaga.

§.8. *Etiam habere vxorem molestam* (subdit ille) *est quoddam genus passionis, & satis graue, in quo ergo erit prædicamento? Video* (inquit) *quid respondere possit. Cum enim à prædicamentis offensiua arma, vt ab Ecclesiasticis remoueantur, fortè & in illis continentiam requiret, nec vxorem habere vlli prædicamento tanquam Ecclesiastico permittetur: Sed tunc ad quod prædicamentum spectabit choro assistere, quale prædicamentum erit amatum esse, honoratum esse, nobilem, infamem, mercatorem, sartorem, lictorem?*

Respondeo hanc obiectionem procedere ex ignauia legendi Textum Aristotelis, apud quē etiam reperiisset quale prędicamentū sit vxorem habere, siue molestam, siue morigeram: quod nihil ad rem: Nam cap. 14. de postprædicamentis postquam varios habendi modos recensisset, sic

sic ait: *Aut tanquam possessionem, habere enim domum, aut agrum dicimur. Dicitur etiam vir vxorem habere, & vxor virum. Sed videtur alienissimus, qui nunc dictus est modus* (Argyropili versio sic habet *Qui quidem remotissimus omnium habendi modus esse videtur.*) *Nil enim aliud per vxorem habere significamus, nisi quia cohabitant. Fortè tamen, & alij quidam apparebunt modi de eo, quod est habere, sed qui consueuerunt dici, penè omnes enumerati sunt.* Vides, Aristotelem ad nullum prædicamentum reduxisse *habere vxorem*, sed id inter postprædicamenta collocasse: vt etiam docet Angelicus Magister 1.2. q.19. artic.1. quem etiam non legerat Scriptor ille: quod si petat, cur ille quasdam res, vel denominationes in postprędicamentis possuerit, si diuisio accidentis per nouem genera est sufficiens? Respondeo, id Arriagam à nostris Thomistis haurire potuisse, vel si hos legere pigebat sanè prę manibus habebat Suarezium virum apprimè doctum, apud quem disput. 39. Metaph. sect.3. num.12. hæc legere licebat: *Et ideò Aristoteles* (inquit) *vt omnes loquendi, aut denominandi formulas, quæ ad doctrinam tradendam conferre possunt explicaret, illas in postprædicamentis declarauit.* Igitur habere vxorem non reducitur ad prædicamentum, nec id voluit, sciens, prudensque Philosophus. Deinde *Choro assistere* spectat ad prædicamentum *vbi*; quid enim differt ab eo, quod est *esse in lycæo*? vt ait Aristoteles. Item esse *Amatum, honoratum, nobilem, infamem, lictorem*, &c. sunt denominationes extrinsecæ, quæ vel rationis sunt, vel si reales in anteprædicamentis propriam sibi vendicant sedem. Esse denique Mercatorem, & Sartorem, si dumtaxat significent actum vendendi, & sarciendi ad prædicamentum spectant *Actionis*; vel si artem, & habitum significent, pertinebunt ad *qualitatem*. Hinc euanescunt etiam alia, quæ Hurtadus non fæliciùs obiecit de esse *solo*, vel *cum socio*, quæ quidem pertinent ad post prædicamentum *simultatis*, vel *habere*, & nullo modo ad categorias, quod autem ille addit, scilicet dandum etiam esse prædicamentum matrimonij, & cœlibatus insulsum est. Venio ad reliqua.

§. 9. *Aliqui putant* (pergit Arriaga) *differentias non debere poni directè in prædicamento, eo quod ponuntur in arbore substantiæ ad latus; directè autem corpus, viuens, animal, homo. Sed ego non putarem, prædicamentum substantiæ esse maioratum aliquem, in quē non succedit nisi filius primogenitus, aut non crediderim, differentias non esse è legitimo matrimonio, & honesto thoro natas.* Hæc ille, quæ quidem caucasea sunt niue algentiora: deindè parùm Dialecticè dicta: quia nihil apud Dialecticos vulgariùs, quā quod genus prædicetur directè de specie, at verò indirectè de differentia: has autem prædicationes describunt per lineas in arbore prædicamentali, dicuntque viuens v.g. prædicari directè de animali, indirectè verò de sensitiuo, & insensitiuo. Deinde animal directè dici de homine, leone, &c. indirectè autem de rationali, & rugibili: Considerare autem horum directam, vel indirectam subijcibilitatem in serie prædicamentorum significatur per poni directè, vel indirectè in prædicamento: Ad hæc verò expugnanda nihil video ab his Scriptoribus contra Aristotelem adduci, nisi irregularitates, continentias, cælibatus, vxores molestas, maioratus, sartores, lictores, &c. quæ omnia quam sunt futilia nemo non videt. Immò illa omnia ad vnicum reducuntur entymema: v.g. Hæc, & illa, & illa prædicata non ponuntur in prædicamento: ergo mala est diuisio Entis in decem prædicamenta. Concesso antecedente, nego consequentiam: & suppositum falsum antecedentis, nempè quod omnia prædicata excogitabilia in prædicamento debeant collocari. Rationem supra dedi §.5. sed iam mitto cætera, ne quis meritò dubitare incipiat, vt in prouerbio est: *Vtrum ineptior sit qui mulget hircum, an qui cribrum supponit*?

§.10. Quæres secundò: qualisnam distinctio admittenda sit inter decem prædicamenta? Nam quidam mordicùs tenent, omninò inter se realiter, & tanquam rem à re distingui: quibus quidem non acquiesco, cum ipsimet *Actionem* non distinguant realiter entitatiuè à *Passione*; sed potiùs vtrumque cum motu identificent realiter. Alii exaduersò non nisi ratione dumtaxat ratiocinata distingui debere putant, quod etiam falsum est. Tum quia si distinctio rationis sufficeret ad prædicamentorum numerum, plura quidem alia possent replicari prædicamenta, quam sunt: etenim in nonnullis eorum multos distinguimus conceptus cum fundamento in re formaliter distinctos. Tum etiam, quia prædicamenta sunt series quædam rerum, & prædicatorum realium, quæ quidem eò ipso saltem ante opus intellectus, & reuera distingui debent. Propterea respondeo, mediam sententiam esse tenendam, scilicet satis esse, quod modaliter, & non realiter entitatiuè distinguantur inter se: quamuis enim priora quatuor apud seueriores Thomistas realiter, & vt res à re distingui dicantur inter se, (id, quod nos de relatione non concedimus) sex tamen posteriora prædicamenta, quæ non nisi in modis quibusdam consistere manifestum est, modali etiam tantùm distinctione discriminanda censeo.

§.11. Quæres tertiò: concreta ne, an abstracta collocentur directè in prædicamento? res est leuior, quam vt in ea immoremur explicanda. Concreta substantialia, vt homo, leo, &c. directè collocantur: abstracta verò secùs, non nisi reductiuè: quia eiusmodi concreta sunt entia per se, aptaque vt directè de inferioribus enuncientur: hæ enim sunt prædicationes directæ: homo est animal, leo est viuens, &c. at verò hæ sunt falsæ: homo est animalitas; humanitas est vitalitas. Secùs contingit in accidentibus: abstracta ritè collocantur in prædicamento, quia ex modo significandi perseitatem præseferunt? vt albedo est color, &c. Concreta è contra, quia ex significandi ritu est ens per accidens, seù inuoluens substantiam à prædicamento relegantur.

§. 12. Quæres quartò, collocetur ne Deus directè in prædicamento? Respondeo, minimè gentium. Est communis Doctorum sententia, Nominalibus exceptis. Vtraque tamen pars facilè

cilè defenditur. Negatiua est omninò vera, habetque pro se non paucos Patres Ecclesiæ, inter quos Augustinus tomo 9. libro de cognitione veræ vitæ cap. 3. affirmat, manifestam rationem comprobare, quod nullum ex decem prædicamentum Deo propriè conuenire. Rursus 7. de Trinitate cap. 5. ait: *Deum abusiuè esse substantiam*. Ratio fundamentalis desumitur ex eo, quod Ens Diuinum est infinitum simpliciter in omni genere, & gradu essendi. Vndè contemnendus venit Hurtadus, quatenùs incusat nos, quod creaturis decem prædicamentorum classes tribuamus, Deo autem nec vnum concedamus. Sed hæc ratio potiùs est superstitiosa, quam Philosophica, & nos rectiùs de Deo sentimus, dum vnam classem illi denegamus, eo quod nec omnes decem ipsum capere possunt. Recolenda sunt, quæ Dissert. præced. docuimus Theoremate 4. ostendentes, Deum nullo, nec sub Entis genere coerceri posse, quæ pro hac etiam assertione sufficiaat.

§. 13. Affirmans Nominalium sententia argumentis nititur, quæ non expresè diluuntur, quorum *Primum* est ex Arist. 1. Metaphys. cap. 2. docente, vnumquodque mensurari per aliquid sui generis; atqui Deus est mensura omnium substantiarum: ergo in genere substantiæ collocatur: *Alterum*, id continetur sub genere supremo substantiæ, de quo genus substantiæ prædicatur; de Deo prædicatur, quod sit substantia, & quod sit Ens per se: item Spiritus est de genere substantiæ, & Ioannis cap. 4. dicitur, quòd *Spiritus Deus est*: Ergo. *Tertium*. Nec simplicitas, nec infinitudo obstare possunt, quominus Deus contineatur in prædicamento: non simplicitas, quia Angelus quantumuis simplex prędicamento affixus est: non infinitudo, quia linea v.g. etiamsi infinita esset, ad categoriam quantitatis spectaret, ergo. *Vltimum*. Relatio Filiationis in Deo est vera Relatio, & quæ secundùm Augustinum pertinet ad prædicamentum Relationis; libro enim 5. de Trinitate cap. 7. in finem expresè ait: *Filium, & Genitum in Diuinis esse in prædicamento relatiuo*; Atqui Filiatio illa Deus est: ergo Deus sub aliquo prædicamentorum sedem habet. Cætera, quæ sub hæc obiici solent, leuioris sunt momenti.

§. 14. Respondeo, Aristotelem communiter in primo argumento exponi de mensura homogenea, & proportionata; non de heterogenea, superexcedente, & vniuersali, qualis Deus est. Ad *secundum* nego minorem: de Deo enim non substantia prædicamentalis, sed alia abstrahens, scilicet à creata, & increata analogicè prædicatur: idem dic de Spiritu &c. *Tertium* nihil concludit, quia Angelus, licèt simplex sit physicè, tamen metaphysicè compositus est ex genere, scilicet, & differentia, ex natura, & supposito, &c. Item quantitas solùm esset infinita secundùm quid, idest in longitudine, non simpliciter in omni gradu, & perfectione essendi. Nec vrget instantia Zumelis, de Christo Domino, qui cum sit persona infinita, nihilominùs in prædicamento constituitur: non inquam vrget; quia Christus Dominus non est in prædicamento prout persona, neque vt Deus, immò neque vt existens, cum tamen persona necessariò supponat existentiam; sed vt est essentialiter homo, & verum indiuiduum speciei humanæ. Ad *vltimum* dico, in prædicamentis esse rationem quamdam inadęquatam, scilicet secundum conceptum expressum vniuscuiusque, quæ se habet vt differentialis, vt in substantia esse *per se*, in relatione *ad aliud*, quæ coniuncta rationibus quasi genericis, quas supponit, nempè in substantia esse Ens finitum, esse subiectum accidentium, &c. in relatione autem esse quid creatum, esse accidens, &c. constituit adæquatam rationem prædicamentalem. Res igitur prædicamentalis adæquatè sumpta nequaquam Deo conuenire potest. Augustinus autem loquitur de prædicamento secundùm illam præcisè rationem inadæquatam illius, quæ inconfusa, & vniuersalissima præcisione sui considerata est quid analogum, & commune Deo, & creaturis, prædicamento, & non prædicamento: quandocumque verò sermo est de prædicamento secundùm rationem adæquatam, potiùs ille Deum excludit ab illo: atque Deum *non nisi abusiuè esse substantiam*, quin tamen alioqui Deo negare possit *Perseitatem, independentiam à subiecto, &c.* Ita in relatione Diuina Filij esse ad Patrem est quid repertum in prædicamento, sed verò nónnisi secundùm quid inadæquatum conceptus expressi, quod vt dixi, Analogum est in ea præcisione, qua Deo, creaturisque conuenit.

§. 15. Quæres tandem: an Deus saltem reductiuè pertineat ad prædicamentum, non quidem vt quid contentum sub illo, sed potiùs vt principium continens, & habens in se perfectiones simpliciter simplices omnium generum, & primum efficiens rerum omnium, quod expresè tradidit Magister Angelicus in primo distinct. 8. quæst. 4. artic. 2. & quæst. 7. de potentia artic. 3. ad 7. cum tamen contrarium doceat prima parte q. 3. artic. 5. Respondeo, concordiam locorum Sancti Doctoris petendam à Caietano, qui prædicto loco optimè rem dirimit: nec Zumel cum alijs audiendus, qui Diu. Thomam sententiam priorem deseruisse putauit. Videndi sunt PP. Carmelitani Complutenses disput. 12. qu. 1. qui benè docent, nihilominùs absolutè negandum esse, Deum reduci ad prædicamentum, vbi de Christo Domino aptè disserunt, quibus lubens subscribo.

DE PRÆDICAMENTO SVBSTANTIÆ.

D. Seuerino Boethio Interprete.

TEXTVS. *Substantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, estquæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, vt aliquis homo, vel aliquis Equus &c.*

Synopis Literæ Aristotelis.

1 Aristoteles tria præstat in hoc capite: *Primum*: Substantiam in primam, & secundam bipartitur, earumdemque descriptionem exhibet.

exhibet. *Alterum*: Substantias hasce comparat interse, primas videlicet cum secundis, secundasque interse conferendo: *Tertium*: Sex enumerat substantiæ proprietates, vt illis exploratis, eius natura liquidius dispalescat. In prima capitis parte à primæ substantiæ definitione hunc in modum orditur. *Substantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maxime dicitur, est quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, vt aliquis homo, vel aliquis Equus*. Quibus in verbis vna dumtaxat exprimitur Definitio Substantiæ: Non enim acquiesco Chrysostomo Iauello, & Titelmanno, duas inibi contineri autumantibus: Equidem totum illud *Substantia, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur*, est Definitum, & scriptorum vitio in nonnullis codicibus vocula *est* mendosè irrepsit, vt ex Alberto Magno aduertit Caietanus, non enim legendum: *Substantia est quæ propriè*, &c. Sed: *Substantia, quæ proprie principaliter, & maximè dicitur, est quæ &c.* Quoniam hæc aduerbia, non nisi circumloquutio definiti sunt, vt ait Caietanus, seu quidam præclari tituli substantiæ primæ, vt vult M. Masius, siue encomia eiusdem, vt Martorrellio placet. Parum, nihilue discrepant eorumdem versiones inter se. Nam Argyropilus sic vertit: *Quæ quidem propriè in primisque, & maximè sic dicitur*. Perionius sic: *Quæ potissimum, ac primum, & maximè appellatur*. Gruchius verò *Quæ & propriè, & primum, & maxime appellatur*. Boethius tandem, quem sequimur ita: *Quæ proprie, & principaliter, & maxime dicitur*. Tria autem hæc aduerbiorum encomia singillatim explicuere Boethius, Magnus Albertus, & Sanctus Thomas ex antiquioribus, præter S. Augustinum, qui non nisi prima duo memorat, tertio prætermisso. Nam in Categoriis cap. nono sic ait: *Est igitur vsia, propriè, & principaliter dicta, quæ neque est in subiecto &c.* Postremæ verò ætatis Doctores omnia, & singula enarrarunt, vt Iauellus, Masius, Sotus, Titelmanus, Martorrellius, Toletus &c. quos vide si lubet.

II. Deinde secundas substantias memorans ait: *Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus illæ, quæ principaliter dicuntur substantiæ insunt, & harum specierum genera*. Vt homo, & Animal, quibus insunt Socrates, & Plato, qui sunt primæ, & principales substantiæ, vt supra docuerat. Sed verò quoniam substantia dicitur à substando accidentibus, idest eo, quod accidentia succollet, atque sustentet, & etiam à subsistendo, quod est per se stare: idcircò illam merito, dicit, esse propriè, principaliter, & maximè substantiam, quæ propriè, & principaliter accidentia sustentat, & quæ proprie, & maximè subsistit, quod primis quidem substantijs, nempe hypostatibus conuenire nemo non videt. Secus verò secundæ substantiæ, videlicet species, & genera, quæ non nisi ratione primarum accidentibus subsunt tùm prædicatione, tum etiam reali ipsorum sustentamento.

III. Nec sibi refragatur Aristoteles dum octauo Metaphysicorum cap. 1. Vniuersalia appellat magis substantias, quam singularia: sumit enim in diuersa notione substantiam, nempè pro essentia incorruptibili, & immutabili, subindeque cum singularia caduca sint, ac corruptibilia in hoc secundis substantijs primas deferunt. Rursus in postprædicamentis tradit, vniuersalia singularibus esse priora, quibus huius capitis doctrinam recantasse videtur: Sed nihil minus: Nam vt optimè adnotauit Caietanus in hoc capite sermo est de prioritate causalitatis; in postprædicamentis verò de prioritate consequentiæ *Indiuiduum enim dicitur prima substantia* (inquit subtilissimus Cardinalis) *& species secunda, quia indiuiduum est ratio ipsi speciei, & quod substet accidentibus, & quod absque sustentatulo existat in rerum natura, ideò enim homo est Grammaticus, quia aliquis homo est Grammaticus, & similiter ideò homo est, quia aliquis homo est: Homo enim perseipsum non est nisi apud Platonicos. Ad rationem autem inoppositum dicitur, quod quia sermo Aristotelis intelligitur de primo, & secundo non secundum consequentiam, sed secundum causalitatem, & argumentum loquitur de priore secundum consequentiam, ideò nihil concludit*. Hæc de primo.

IV. In secunda huius capitis parte primas substantias cum secundis confert, & secundas itidem interse: docet enim primas substantias magis substantias esse, quam secundas, eo quòd magis substant, idest pluribus subsunt, quam illæ; subsunt enim accidentibus, quibus secundæ substantiæ subsunt; & insuper ipsummet etiam secundis substantijs substernuntur. Hinc procedere vlterius non licet, quin prius aduertam Aristotelem hoc loco non definisse secundas substantias, sed tantum enumerasse aiens genera esse, atque species: nec ideò indiligens ipse est censendus, Quoniam cap. præcedenti iam ipsas ità descripserat: *Quæ de subiecto dicuntur, in subiecto autem non sunt*, quam supponens definitionem, pergit nunc assignare discrimen inter accidentia, & secundas substantias, equidem tam hæ, quam accidentia de subiecto dici perhibentur: Discrepant autem eò secundæ substantiæ ab accidentibus, quod hæ prædicantur de primis tam nomine, quam ratione, idest non nomine solum, sed etiam definitione: Plato enim nedum homo est, sed etiam animal rationale. Secus verò accidentia, quorum nonnulla neque nomine quidem de substantijs enunciari valent, qualia sunt eorum abstracta, neque enim *Plato est albedo, sortes est musica* dici vllatenus potest: Cætera verò solum nomine, videlicet concreto prædicantur, vt *Plato est Albus, Musicus*, &c. Nec te pungat, quod de de Platone albo prædicetur disgregatiuum visus, quæ Albi Definitio, & ratio est. Nam Aristoteles ità intelligendus est, quod de Platone non prædicatur *secundum essentiam*, & ait Martorrellius, seu non *formaliter quatenus definitio est*, vt scholiatur M. Masius, quem addictissimè sequuntur Carmelitani Complutenses.

V. Deinde ait, peremptis primis substantijs, nihil reliquarum permanere posse. Cæterum inter substantias secundas speciem magis substantiam esse, quam Genus, vtpote quæ primæ substantiæ propinquior est: inter species autem ipsas nullum esse excessum, sicut neque

inter

inter primas substantias, quando quidem omnes æque alijs pariterque subijciuntur, & hæc de secundo.

VI. In tertia parte capitis proprietates substantiæ sex enumerat: Prima (quæ omni substantiæ communis est) non esse in subiecto, idest non esse in alio, seu inhærere, quod etiam differentijs conuenire docet, quæ quidem completæ substantiæ non sunt, & quamuis primis insint substantijs, non tamen sunt in illis, tanquam in subiecto, sed vt partes earumdem essentiales. *Altera*, quod secunda substantia prædicetur vniuocè de prima, idest essentialiter, seu *nomine*, & definitione sensu superius indicato, & hanc etiam differentijs competere dicit. *Tertia*, quod prima substantia significet hoc aliquid, idest determinatam rem, atque indiuiduam. Nam secundæ significare videntur *quale quid*, hoc est esse in subiecto, vt supra dixerat, quod instar rei significatur alteri adiacentis: Sed signanter ait, *videri*; non reuera significare: Porrò verborum horum sensus difficilis est, nodumque interpretes non satis soluunt, quorum glossemata producit varia M. Masius, à quo tamen Alexandri Aphrodisæi, & D. Thomæ planiorem explicatum hausere complutenses. Profectò significare *quale quid*, nihil est hic, quam significare substantiam multis suppositis communicabilem Iauello teste, quibus Aristoteles verbis Platonicos perstringit, modum per se standi, & substantialem independenter existendi denegans naturis vniuersalibus, & quasi accidentalem, alterique adiacentem illis appingens, vt meditatur Caietanus. *Quarta* proprietas: Nullum habere contrarium. *Quinta*: Non suscipere magis, & minus. *Sexta*, & vltima, quod eadem numero manens contrariorum susceptiua sit, & hæc est substantiæ germanior, & peculiaris proprietas, equidem *Quarta*, & *Quinta* quantitati etiam sunt communes, de quibus infra fusius disseremus. Nec vlla subesse debet dubitandi ratio, cur Philosophus à substantia potius Categorias fuerit exorsus? cum eius dignitas inter cætera Sole clarior excellat: Cæterorum etenim basis quædam est fulcrumque Prædicamentorum: nec abs re substantiam Soli supparem fecimus, cum Audœnus non ineptè luserit lib. 3. Epigrammat. 44.

Vna Categorias in se substantia ter tres
Continet, vt Musas vnus Apollonenon.

DISSERTATIO XXXVII.

Quænam sit formalis ratio constitutiua substantiæ prædicamentalis?

THEOREMA I.

Communis Thomistarum sententia explicatur.

§. 1. NOn est sermo de substantia impropriè sumpta, & prout significat essentiam rei: hac enim notione, etiam accidentis essentia substantia quædam est, & sic vsurpatur ab Aristotele in definitione vniuocorum dum dicitur: *Ratio verò substantiæ est omninò eadem*. Certum est autem accidentia etiam esse vniuoca. Rursus nec loquimur de substantia in tota sui latitudine accepta, prout scilicet ambit creatam, & increatam, completam, & incompletam, hæc enim ratio quædam analoga est, quæ minimè ad Categoriam substantiæ spectat. Disputamus ergò de substantia prædicamentali, idest de creata, completa, vniuoca, & incomplexo termino significata vt Plato, homo, leo, &c. quæ communiter definitur per *ens perse existens*, non tamen rigorosè, & ad amussim logicalem, quia genera suprema exactè definiri non possunt, eo quòd genere careant proximo, & differentia, cum sint conceptus omninò simplices, quos non explicamus, nisi per conceptus confusos, & expressos, seu describimus per suas proprietates.

§. 2. Tria sunt tantum prædicata essentialia, seu quasi essentialia, quæ possunt substantiam constituere, & de quibus Doctores meritò dubitant, an ipsam formaliter constituant, & significantur in ly *perse* positum in descriptione substantiæ. Primum est, *Non esse in alio*. Secundum, *substare accidentibus*: à substando enim dicta est substantia, si eius etymon quæras. Tertium est *per se stare*, seu *subsistere*, vel *existere per se*. Nam esse primum, & alia, quæ Arriaga comminiscitur de constitutiuo substantiæ, non sunt ad rem, vt infra manifestè monstrabo, his prælibatis.

§. 3. Dico primo: Substantia prædicamentalis non constituitur per *nonesse in subiecto* Vt vult Soncinas innixus auctoritate Porphyrij: Probo: inter proprietates, quas Aristoteles hoc capite designauit substantiæ primo ponit *non esse in subiecto*: ergo id solum est proprietas, & prædicatum secundarium, & non ratio formalis primaria substantiæ constitutiua. Præterea: Res positiua non potest constitui per meram negationem in suo esse reali, & positiuo; atqui non esse in subiecto est mera negatio essendi in subiecto: ergo rem positiuam, qualis est prædicamentum substantiæ, constituere non potest. Sed contra retorquebis argumentum: Nec etiam potest mera negatio esse proprietas rei positiuæ, & tamen Aristoteles *non esse in subiecto* posuit pro prima proprietate substantiæ: ergo vel mera negatio non potest esse proprietas illius, vel si potest esse perfectio secundaria, seu proprietas substantiæ, etiam poterit esse primaria; tàm enim repugnat negationem ab essentia rei oriri, quam rem negatione constitui. Respondeo. Quæstionem esse de illa particula *perse*, quæ ponitur in definitione substantiæ prædicamentalis, & hanc dicimus non solum significare negationem, quæ sola non potest rem positiuam constituere, sed aliquid aliud positiuum supponere: nam omnis negatio causatur ab aliqua affirmatione, & re positiua, & alioqui penuria terminorum etiam res positiua per negationem significatur, vt irrationale, infinitum, incorporeum, &c. vnde negatio bene potest, immo debet rem positiuam sequi, siue vt effectus, si mera negatio est: siue sicut proprietas, si non sit mera negatio, sed rem etiam positiuam nomi-

ne significet negatiuo, Nequit tamen esse prima ratio rei positiuæ, ex qua passiones, & proprietates positiuæ oriantur &c. Probat item M. Ioa. à S. Tho. esse *perse* est nobilius, perfectius que, quam esse in alio; Sed esse in alio est positiuus modus essendi, scilicet per inhærentiam, & vnionem ad aliud: ergo esse *perse* non est pura negatio, sed aliquid positiuum; sola enim negatio, seu exclusio rei positiuæ non constituit aliquid perfectius, sicut negatio Bruti sola non constituit perfectionem hominis.

§.4. Dico secundo. Perseitas constitutiua substantiæ non consistit in substando accidentibus, vt placuit Boethio, Ægidio, Argentinæ, Henrico &c. est communis etiam Thomistarum assertio, quam M. Masius bifariam probat. Tum quia si substantia definiretur per habitudinem ad accidentia, iam substantia non esset prior definitione accidentibus, vt docuit Aristot. 7. Metaphys. cap. 1. potius enim accidens definiri debet per substantiam; sed substare accidentibus denotat habitudinem ad illa: Ergo substantia definiri nequit per substare, seu subijci accidentibus, Tum etiam, quia definiretur per aliquid additum, & extrinsecum, scilicet per accidentia, quibus substaret. Quod quidem est contra rationem substantiæ, quæ est independens ab extrinseco additamento, sic Masius. Alij probant; Quia Deus est substantia, & tamen non subijcitur accidentibus: ergo non est de ratione substantiæ eiusmodi subiectio: sic Poncius, & alij. Sed contra: Hæc ratio potius impugnat Aristotelem, quam defendit; neque enim ex eo, quod Deus non substet accidentibus, benè colligit, quod substantia ab Aristotele definita non constituatur per substare accidentibus: Probo manifestè: Aristoteles definit substantiam cui quamuis *substare accidentibus* non conueniat vt ratio constitutiua, conuenit tamen vt proprietas quarto modo: Immò primam substantiam ait ille, esse magis substantiam, quia magis accidentibus substat, vt patet ex textu, & nostra Synopsi; Atqui Deo, neque vt proprietas conuenit substare accidentibus: ergo ex eo quod Deus non substet accidentibus non benè colligitur, quod substantia, quam definit Aristoteles non constituatur per substare accidentibus. Immò rectius colligitur, vel quod Aristoteles falsò assignauit eius modi proprietatem substantiæ prædicamentali: quod non concedam: vel quod Deum excluserit a prædicamento substantiæ; quod lubens amplector, vnde melius rem sic suadeo. Res simpliciter absoluta vt talis, prius est in se, & per se, quam dicat ordinem ad sustentandum aliud: alioqui non res absoluta, sed potius esset respectiua; Atqui substantia est res absoluta simplicitèr, poniturque vt talis in prima Categoria ad distinctionem cæterorum accidentium, etiam respectiuorum: ergo prius est in se, & per se constituta, quàm dicat ordinem ad sustentandum accidentia.

THEOREMA II.

Neotericorum aliquot placita refferuntur, & reffelluntur.

§. 5. VT à Thomistica via de constitutiuo substantiæ vt difficili Neoterici recedant, vltrò in difficiliores sese conijciunt anfractus. Sic Arriaga disput. 4. Metaphysicæ à sect. 2. sex modos dicendi benè impugnat, quod quidem hoc in negotio facilius est, quàm propriam sententiam bonis, firmisque fundamentis stabilire, qua propter apud illum eiusmodi impugnationes videre licebit; nunc examinandum, an ipse Arriaga cæteris meliùs rem conficiat? quod breuiter expediam. Conceptus substantiæ (inquit) est quidquid intrinsecè constituit primam rem. Nomine autem *primæ rei* intelligo id, quod primo, & per se intenditur à natura, vel primo, & per se existit, &c. Per hanc definitionem primò includitur Deus, & omnes substantiæ simplices, quia primo, & per se existunt, includitur etiam materia prima, &c. Hæc ille.

§. 6. Dico tertiò: *Quidquid constituit primam rem*, non solùm non est bona explicatio substantiæ vt sic abstrahentis à completa, & incompleta, creata, & increata, vt vult Arriaga, sed à natura substantię toto Cælo aberrat. Quod ostendo primo. Quia hęc non est definitio substantiæ prædicamentalis, neque substantiæ propriè sumptæ, prout opponitur accidenti; conuenit enim omni essentiæ, & cuilibet quidditati, etiamsi accidentis sit, quarè solùm explicat substantiam impropriè acceptam, scilicet essentiam, & rationem transcendentalem entis nominaliter sumpti. In accidente enim etiam datur aliquid, quod illius primam rem constituat: equidem aptitudo ad essendum in alio tanquam in subiecto, quod est essentia, & primarius conceptus accidentis, est quod constituit primam rem illius. Sed hæc non est substantia, de qua nunc Aristoteles sermonem instituit: ergo hac definitione minimè illa explicatur, sed longè alia.

§. 7. Secundò definit substantiam per primitatem; sed primitas, seu prioritas est quid respectiuum, & in ordine ad posterius, conceptus vero substantiæ est omninò absolutus: ergo substantiæ rationem non rectè explicat per primitatem. Rursus prioritas, vel primitas non spectat ad vllum prædicamentum etiamsi fundamentalis sit, numeratur enim ab Aristotele inter post prædicamenta: ergo substantia prædicamentalis non est res prima. Denique hęc prioritas substantiæ non potest esse, nisi respectu accidentium, quæ sunt posteriora; ergo definit substantiam per ordinem ad accidentia, supponitque cognitam essentiam accidentis, in quo est præsens tota difficultas: ecce committit Arriaga ipsummet circulum, quem alijs obijciebat sect. 2. num. 9.

§. 8. Dices, te non accipere primitatem formaliter pro relatiuo, sed fundamentaliter pro re illa, quæ est radix principalis dignitatis, seu

seu excellentiæ inter entia, seu prædicamenta. Sed contra primò, quia nemo dubitat, substantiam esse primam rem, primum ens, & principale prædicamentum, debebas autem explicare quid sit fundamentum illud primitatis, & principalitatis, quod non facis. Contra secundò, nam eiusmodi primitas, & excellentia, vt plurimùm est passio, vel proprietas substantiæ, vt benè aduertit M. Lynceus: ergo per illam non explicas essentiam, neque quidditatem substantiæ.

§. 9. Tertiò. Nam Arriaga pro *prima re* intelligit: *Quod primo, & per se intenditur à natura, seu quod primo, & per se existit*: Ergo hæc explicatio non comprehendit substantiam increatam, Deus enim non intenditur à natura neque primò, neque secundò; sed ille potiùs intendit naturam producere. Deindè non conuenit principaliori, & primæ substantiæ, nam indiuidua non primo intenduntur à natura, sed producuntur ad conseruationem speciei, vt vult Aristoteles. Demùm, quia si per te prima res est, quæ per se existit, tua explicatio facit hunc sensum. Substantia est, quod constituit rem, quæ per se existit, ac proindè nihil explicat, probo. Nam cum Ens diuiditur in Ens per se existens, & Ens existens in alio, (hi sunt enim primi termini, quibus vel pueri nouerunt substantiam, & accidens,) difficultas est, quænam sit illa ratio constituens illud ens per se existens? seu quid sit essentialiter esse ens per se existem? Respondes, esse id, quod constituit illud, quod per se existit. Quod per indè est, ac si interroganti quid sit conceptus essentialis hominis? respondeas, esse id, quod constituit hominem. Petis principium, & nihil explicas.

§. 10. Nec Hurtadus rem meliùs expedierat. Nam Disput. 10. sect. 2. naturam substantiæ explicuit per *Conceptum quidditatiuum rei, quo durante, res durat, cæteris omnibus mutatis, & circumscriptis*. In primis hæc explicatio eodem pede claudicat, ac præcedens, non describit substantiam propriè dictam, sed essentiam substantiæ, atque accidenti communem. Occurrit Hurtadus dicens per rem omnes intelligere substantiam, & non accidens, sed hoc impugnant Arriaga, Ouiedus, Spinula, Lynceus, & alij ex eò quòd entia artificialia, vt pallium, Cathedra, &c. quorum forma est accidens, etiam apud Sapientes dicuntur res.

Sed contra primò. Res non significat, nisi quidditatem ex D. Thoma infra citando §. 21. Contra secundò: *Res* est prædicatum accidentale, & conuertibile cum ente, velut eius propria passio, vt testatur celebre illud Summulistarum *RÆVBAV*: Ergo sicut ens, & bonum & Aliquid æquè conueniunt substantiæ, quam Accidenti, ita & Res. Immò apud Latinos hęc vox *Res* absolutè prolata non nisi accidens significat, vt patet ex Eidyllio 12. Ausonij.

Imperium, litem, venerem cur vna notet Res?

En *res* non substantiam, sed imperium, litem, & turpitudinem, quæ accidentia sunt, absolutè significat.

§. 11. Secundò impugno eiusmodi explicationem. Duratio est prædicatum diuersi generis, pertinet enim ad Prædicamentum *Quando*, & etiam gratis permisso, quòd non distinguatur à re durante, tamen formaliter, & ratione ratiocinata ab illa debet distingui: Ergo malè explicatur conceptus essentialis substantiæ per durationem. Probo consequentiam. Substantia vt membrum diuidens entis contra accidens, non potest essentialiter constitui per accidens alterius prædicamenti, neque per conceptum virtualiter, seu ratione ratiocinata distinctum ab ipsa, quatenus substantia est; Sed Duratio, vel est accidens alterius prædicamenti, vt fert communis Peripateticorum sententia, vel est prædicamentum saltem virtualiter, & ratione ratiocinata distinctum ab ipsa, quatenus substantia est, vt Neotericis placet: Ergo substantia non potest constitui essentialiter per Durationem: Ergo ly *quo durante res durat* minimè explicat conceptum essentialem substantiæ. Minor, & consequentia liquent. Maior quoad secundam verò facilè suadetur. Ideò enim Natura Diuina non constituitur essentialiter per Paternitatem, quia conceptus Paternitatis est virtualiter, seu ratione ratiocinata distinctus à Natura Diuina, quatenus natura est, id, quod etiam in cæteris omnibus inductione patet. Igitur sat est, quod Duratio constituat prædicamentum virtualiter, seu per rationem distinctum à substantia, adhoc vt illam non constituat essentialiter.

§. 12. Explicatio Ouiedi, scilicet *Id, quod primariò, & per se intenditur à Natura* similiter aberrat à vero. Tùm propter dicta superiùs: Deus enim non intenditur à Natura, cum è contrariò ipse sit Author Naturæ. Tùm etiam, quia substantiæ conceptus debet explicari per prædicata essentialia, & intrinseca, & non per causas extrinsecas, quales sunt efficiens, & finalis. Vndè hæc esset mala definitio Auri, *est effectus primariò, & per se intentus à Sole*: Ergo non benè explicatur substantia per primarium intentum causarum efficientium, quas denotat ly *Natura*; sed erat definienda per principia eiusdem essentialia si posset: vel si non posset, saltem per proprietates intrinsecas describenda. His igitur alijsque Neotericorum explicatibus, quia minoris momenti sunt prætermissis.

§. 13. Dico quartò, & vltimò. Perseitas constitutiua substantiæ consistit in positiua consistentia, siuè existentia in ordine ad se, quam explicat, & sequitur ineptitudo inhærendi alteri tanquam subiecto. Et licèt hæc *per se existentia*, seu *subsistentia* non sit prædicatum essentiale substantiæ, sed modus, & proprietas illius, attamen si sumatur radicaliter, & pro exigentia illius, ita, vt substantia sit ens radicaliter exigens eiusmodi subsistentiam, siue ens, cui debetur per se existere, explicabit essentialiter naturam, & quidditatem substantiæ. Assertionem hanc apertissimè tradidit Sanctus Doctor 3. par. quæst. 77. artic. 1. ad 2. aiens, Quidditatem substantiæ esse illud, cui debetur esse per se, & non in alio, tanquam in subiecto,

quibus in verbis non obscurè docet etiam, naturam substantiæ non esse actu *esse per se*; sed posse subsistere, seu aptitudine pollere ad per se existendum, vt capies, si perpendas ly *cui debetur*. Id enim proportionaliter conuenit etiam Accidenti, de cuius essentia non est actu inhærere subiecto, sed aptitudine, & exigentia, quod si hoc tantum volunt Scotistæ, dum dicunt, inhærentiam solùm radicalem esse de essentia accidentis, per me sibi liberum esto. Aduerto tamen substantiam completam per hanc perseitatem distingui ab ente per accidens, vt est aceruus lapidum, ab ente in alio tanquam in toto, vt partes, & entia incompleta, ab ente in alio, vt est accidens, & hic vltimus conceptus perseitatis substantiam prædicamentalem constituit, quia priores etiam conueniunt alijs, vt substantiæ incompletæ, modis substantialibus vnioni, &c.

§. 14. Hæc assertio probata manet. Tùm ex supradictis ab exclusione cęterorum substantiæ prædicamentorum. Tum etiam, quia esse per se, & esse in alio sunt modi generalissimi, quibus entis latitudo contrahitur tanquam per opposítas rationes, seu quasi differentias; atqui *esse in alio* tanquam in subiecto sustentante, & per se subsistente est constitutiuum Accidentis: ergo *esse per se* cum negatione, seu explicatum per negationem essendi in alio tanquam in subiecto sustentante, & per se subsistente, est constitutiuum substantiæ. Consequentia est bona. Quid autem sit actus ille subsistendi, seu subsistentia, quosnamue effectus formales præstet naturæ completæ substantiali? non est huius loci inuestigatio; sed negotij prorsus Metaphysici.

THEOREMA III.

Argumenta Aduersariorum enodantur.

§. 15. Contra primum Assertum obijcies. Substantia addit aliquid supra ens: Ergo vel aliquid positiuum, vel negatiuum, non positiuum, quia omne positiuum, vel est reale, vel rationis, si est quid reale, includit formaliter ens, ac proindè nihil potest addere supra ens. Si est quid rationis, erit vel relatio, vel negatio; non potest esse relatio, quia conceptus substantiæ est omninò absolutus: ergo negatio est, per quam formaliter substantia distinguitur ab accidente. Respondeo, substantiam nihil positiuum enti addere, sed tantum exprimere rem positiuam, quæ in ente confundebatur, quæ terminorum penuria negatione interdum significatur.

§. 16. Obijcies secundò. Diuum Thomam primo contra Gentes cap. 25. vbi sic ait: *Potest autem alicui videri, quòd quamuis nomen substantiæ Deo propriè conuenire non possit, quia Deus non substat accidentibus, res tamen significata per nomen ei conueniat, & ita sit in genere substantiæ. Nam substantia est ens per se, quod Deo constat conuenire, ex quo probatum est, ipsum non esse accidens. Sed ad hoc dicendum est ex dictis, quod in definitione substantiæ non est ens per se, ex hoc enim quod dicitur ens, non posset esse genus, quia iam probatum est, quod ens non habet rationem generis, similiter nec ex hoc quod dicitur Per se, quia hoc non videtur importare, nisi negationem tantùm. Dicitur enim ens per se, ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura, quæ nec potest naturam, vel rationem generis constituere, quia sic genus non diceret quid est res; sed quid non est.* Ita ille.

§. 17. Locus sanè difficilis, qui Vasquezium fefellit 1. p. disput. 22. cap. 3. vbi contra nos infert *primo*, quod perseitas substantiæ est pura negatio significans tantùm non esse in alio ex D. Thoma. *secundo* quod Sanctus Doctor docuit, quod si in Deo substantia non est quatenus substat accidentibus; ei propriè non conueniet, quod omninò falsum est: Deus enim tametsi non sit sub genere substantiæ prædicamentalis, est verè, & proprijssime substantia, prout est ens *per se* contra accidens.

§. 18. Dices cum M. Io: à S. Thoma, quod ly *per se* dupliciter sumi potest: primo ex impositione suæ significationis, & sic nihil dicit, nisi negationem existendi in alio: secundo ex modo explicandi constitutiuum substantiæ: & sic dicit rationem positiuam cum tali perfectione, quod habeat negationem essendi in alio.

§. 19. Sed contra primo: quia tametsi ista sint vera, non tamen euacuant difficultatem verborum D. Thomæ, quorum vis consistit in eo maximè, quod ly *per se* non potest esse genus, quia puram negationem dicit; Ast genus debet dicere quid sit res & non quid non sit: quod si preter negationem ly per se importat aliquam rem, & perfectionem positiuam, nihil concludit ratio Sancti Doctoris, quippe qui arguit à defectu rei positiuæ significatæ: ergo si illam ponis, illa poterit esse ratio generis, quamuis perseitas ex impositione nominis negationem significet, quod nihil referr, cum alioqui admittatur quid positiuum quod rationem generis possit habere. Contra secundo: negatio pura in esse talis constituitur per hoc, quod nihil positiuum vndequaque importet, alioqui non erit pura; At qui Sanctus Thomas expræsse dicit, ly *per se* importare *negationem tantum*. Et infrà esse *negationem puram*: ergo non solum dicit negationem ratione impositionis, sed nihil positiuum vndequaque importat.

§. 20. Contra tertio: Hæc responsio non purgat Diuum Thomam à Sententia absurda, quam illi imponit Vasquezius: Nam etiamsi gratis concedamus, quod ly *per se* non importat, nisi puram negationem (quod in prædicto argumento videtur ille voluisse) non tamen inde sequitur, quod si in Deo non est substantia, quatenus substat accidentibus, non propriè conueniat Deo esse substantiam, nec hoc vllatenus infert ratio Sancti Doctoris, vt iam ostendam: Ergo solutio prædicti Magistri insufficiens est, quare.

§. 21. Respondeo, Diuum Thomam solum velle, quod Deus non sit sub genere substantiæ etiam secundum rationem significatam: Nam secundum modum significationis sumptę à sub-

substando accidentibus; res erat etiam arguenti nota, quod substantia ipsi non posset conuenire. Dicit ergo quod si attendatur ad rem significatam, substantia nequaquam definitur per *ens per se*, alioqui ens per se esset genus, quod est falsum ex vtroque termino, quia nec ly *ens* potest esse genus, nec ly *per se* additum supra ens, quia nihil nisi negationem importat: genus autem debet dicere quid sit res. Hactenus omnia sunt plana. Pergit Sanctus Doctor, & monstrat propriam definitionem substantiæ Prædicamentalis, videlicet *Res, cui debetur esse non in subiecto*. Vbi distinguit *Rem* ab esse tanquam potentiam ab actu suo. Hinc optimè infert, quod eiusmodi substantia non potest conuenire Deo, qui essentialiter est ipsum *esse*, ipsum existere, idest purissimus actus existendi, quin habeat vllam quidditatem, cui adueniat actus essendi per se, sed sit ipsum suum esse adhuc per rationem. Audi Diuinum Aquinatem se se explicantem. *Oportet igitur* (inquit) *quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo: Quod substantia sit res, cui conueniat esse non in subiecto. Nomen autem rei à quidditate imponitur sicut nomen entis ab esse, & sic in ratione substantiæ intelligitur, quod habeat quidditatem, cui conueniat esse non in alio; Hoc autem Deo non conuenit: nam non habet quidditatem, nisi suum esse*. Hæc D. Thomas, quorum contextum fortasse non legerat Vasquezius, vt non temerè suspicatur M. Nauarrete controuersia 20. §. 2. clarissimè enim apparet scopus Sancti Doctoris, qui est Deum excludere à genere substantiæ: eo quod adhuc ipsa res positiua, quam supponit illa negatio perseitatis, non possit conuenire Deo, quoniam non dicit omnimodam simplicitatem, & actualitatem essendi, sed quidditatem quamdam, cui debeatur *esse*. Vbi nam quæso est illatio, quæ illi appingitur à Vasquezio, nempè quod Deo non conueniat propriè esse substantiam? Equidem potiùs affirmat contradictorium, idque supponit vt indubitabile in illis verbis: *Nam substantia est ens per se, quod Deo constat conuenire, ex quo probatum est ipsum non esse accidens*, quid clarius?

§. 22. Vindicauimus Thomam ab impostura: sed res nostras videmur in medio reliquisse: Nam hinc inferes contra nostram assertionem. Ergo ly *per se* solam negationem dicit secundum D. Thomam. Ergo male docuimus, quod *perseitas substantiæ* sit res positiua: hoc enim non cohæret cum doctrina illius modo explicata. Respondeo, ly *per se* formaliter non dicere, nisi negationem, si sumatur pro *non in alio*. Vt sumitur in definitione substantię, quam impugnat D. Thomas, quæ est *ens per se* At vero affectiuè, seu pręsuppositiuè dicere etiam rem positiuam, quam afficit, nempe existentiam: & quia voces significant ad placitum, frequenter etiam significare vtrumque, scilicet actum essendi pręsuppositum, & negationem connotatam. Nos autem solum dicimus, substantiam non sola negatione constitui, quod certo certius est.

§. 23. Obijcies tertio contra tertiam, & pręcipuam assertionem. perseitas, siuè independentia à subiecto, aut non inhærentia non conuenit omni substantiæ creatæ, sed tantùm completæ, & indiuiduæ: ergo non constituit essentiam substantiæ vt sic. Antecedens probatur: nam formæ substantiales materiales vt sunt equina, & leonina, vere, & simpliciter dependent à materia, educuntur ex illa, ipsique inhærent; atqui substantiæ sunt, & non accidentia: ergo non est de conceptu omnis substantiæ non inhærere subiecto, non dependere, & non esse in alio. Sic præter antiquos Arriaga, Ouiedus, Spinula, Lynceus, &c.

§. 24. Augeo difficultatem huius argumenti testimonio D. Thomæ 1. p. q. septuagessima quinta, articulo Secundo ad primum, vbi hæc habet: *Dicendum, quod hoc aliquid potest accipi dupliciter, vno modo pro quocumque subsistente: Alio modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei. Primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis. Secundo modo excludit imperfectionem partis*: Rursus in responsione ad secundum subdit hæc, *Sed per se existens quandoque potest dici aliquid, si non sit inhærens, vt accidens, vel vt forma materialis, etiam si sit pars &c.* Ecce D. Thomas, accidentibus, & formis materialibus æquè inhærentiam concedit: Igitur non est de conceptu substantiæ non inhærere subiecto.

§. 25. Dices cum Suarezio Metaphys. disput. 37. sect. 2. num. 14. quod licet inter formas substantiales, & accidentia, sit in hoc quædam conuenientia, tamen illa est analoga: nam aptitudo formæ substantialis est per modum actus, eiusdem generis cum suo susceptiuo, & ideò per se vnum cum illo componit, & vnio eorum substantialis est; In accidentibus verò modus inhærendi, vel afficiendi est longè inferior.

§. 26. Contra primo: Si forma substantialis non minùs inhæret, quam accidentalis: quia æquè dependet à materia prima forma Leonis, ac Albedo à pariete: dum quærimus cur illa sit substantia, & hæc accidens? non benè explicatur discrimen per hoc, quod forma leonina est eiusdem generis cum materia, quæ est substantia, & albedo non est eiusdem generis: hoc enim est petere principium, cum tota difficultas sit, quare forma leonis sit eiusdem generis cum substantia receptiua sui, itaut cum illa totum substantiale constituat, & non albedo? Nam vnde infers, albedinem non esse eiusdem generis cum substantia, nisi ex eo quod illa inhæreat subiecto? Ergo cum D. Thomas expresè concedat inhęrentiam formis materialibus, quas nouimus esse substantias aliquid aliud certè, quàm non inhærentia illas inesse substantiali constituet.

§. 27. Contra secundo: non explicas, qualis nam sit ille modus afficiendi, & inhærendi accidentium longe inferior: nam si illa inferioritas consistit in eo, quod talis modus non pertingat ad constituendam totum substantiale: hoc ipsum in controuersia est, petique principium. Similiter exploditur solutio nonnullorum, qui formam substantialem materialem ab accidente discriminant per hoc solum quod forma est in subiecto informatiuè, vel constitutiuè. At vero accidens est in subiecto inhæsiuè: nam esse in subiecto constitutiuè, nihil est, quam es-

se

se substantialiter. Ergo dicis formam esse substantiam, quia est in materia substantialiter: ecce circulus. Deinde non explicas, quid sit esse inhæsiuè: nam si est inhærentia, hanc tribuit D. Thomas formis materialibus: ergo sunt etiam in subiecto inhæsiuè: esse autem informatiue est commune tàm formæ substantiali, quàm accidentali, vtraque enim informat, & actuat suum subiectum: ergo vtraque est in subiecto informatiuè.

§. 28. Respondeo, si sermo est de substantia pro genere, & gradu prædicamentali, fateor formas materiales non gaudere perseitate, de qua in præsentiarum loquitur Aristoteles: qui partes physicas, & etiam differentias essentiales à genere substantiæ excludit. Verum tamen, quia alioqui sumendo substantiam in tota sui latitudine prout condistinguitur ab accidente forma materialis, vt leonina est verè substantia; nego antecedens, & ad probatum dico formam substantialem, & materialem dependere à materia prima, tanquam à re incompleta & se habente vt causa tantum materialis, quæ vicissim dependet à forma simpliciter in genere causæ actualis: At verò accidens dependet à toto cōposito tanquam à re completa, & existente, quæ licet causa sit eiusdem materialis, simul etiam est causa sustentans, quæ ad genus causæ efficientis, & extrinsecæ spectat, ideoque huiusmodi dependentia accidentis à toto physico est propriè inhæsio, nempe, quia illud aduenit rei completæ: inhærere enim est rei completæ, atque subsistenti adhærere, vt bene Hurtadus aduertit: forma verò non inest materiæ solum, vt ab ea sustentetur, sed etiam vt cum ipsa totum per se constituat, quod inhærere non est. Quod si ad explicandam hanc informationem substantialem recurramus ad negationem inhæsionis accidentalis, & è contra, per quod res melius innotescit, cum exactè eam diffinire impossibile sit, Nihil mirum: sunt enim relatione transcendentali mutuò opposita, de quorum definitione nonnulla dixi supra Cap. de Specie Differt. 18. Theorem. 1. Habemus que ducem Aristotelem, qui cum explicasset modum, quo etiam materia prima inest, seù est in alio, statim recurrit ad negationem essendi in alio accidentium, ait enim de materia: *Id, ex quo aliquid fit, cum insit, & non secundum accidens*. Ecce modum substantialem, quo materia est in alio tanquam in toto explicat per negationem inalietatis accidentalis. Censeo igitur solutiones supra datas esse idoneas, si ad nostræ sensum explanentur. D. Thomas nil aliud vult, nisi quod forma materialis ità dependet à materia, vt non habeat propriam subsistentiam, sicut anima rationalis, cuius respectu forma equina, & leonina inhærentes sunt, idest non propria subsistentia gaudentes, nec à materia separabiles.

DISSERTATIO XXXVIII.

Quænam sit ratio formalis, sub qua substantia diuiditur ab Aristot. in primam, & secundam? & qualis nam sit hæc diuisio?

THEOREMA I.

Sententiæ Doctorum refferuntur, nostra que stabilitur.

§. 1. NEmo dubitat, substantiam prædicamentalem hoc loco diuidi ab Aristotele, si loquamur de diuiso vt *quod*. Sed quia illa habet proprietates quasdam, & conditiones, secundum quas potest prima, & secunda substantia: quæstio est de diuiso vt *quo*, idest, sub qua ratione illarum substantia sic diuidatur? Essentiam substantiæ supra docuimus, in exigentia quadam existendi per se consistere, quam consequuntur sex proprietates in nostra Synopsi enumeratę, sed verò ex illis non nisi duę nunc exhibent rationem dubitandi, nempe, *per se existere, & substare accidentibus*: quibus adde etiam *substare prædicatis superioribus*, quod etiam est substare accidentibus secundę intentionis, à qua quidem substantia denominatur subiectum prędicationis; & iuxtà has conditiones est etiam varietas opinionum, ex quibus pręcipuas dumtaxat proponam.

§. 2. Prima tenet substantiam hìc diuidi secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum, quem supra ex Diuo Thoma docuimus esse *Rem cui debetur existere non in alio*, seù quidditatem exigentem existere per se, quę essentia substantiæ sicut potest concipi, aut facta singularis, aut abstracta à singularitate, ità potest diuidi in primam, & secundam itaut membra diuidentia sint duo status existenti, seù modi: nempè singulariter, & vniuersaliter existendi, in quos substantia diuiditur tanquam subiectum in accidentia, vt v. g. motus in tardum, & velocem: Homo in album, & atrum, &c. Subinde consequenter docent diuisionem esse analogam, eo quod primæ substantiæ modus est realis, modus verò secundarum scilicet generum, & specierum est secunda intentio rationis; enti autem reali, & rationis nihil vniuocum esse potest commune. Hanc sententiam amplectuntur M. Sanchez, D. Suarez Arauxo, PP. Complutenses, Ioa. a S.Thoma, & alij.

§. 3. Secunda Sententia docet diuisum *quo* seù rationem, iuxta quam diuiditur substantia esse realem proprietatem substandi accidentibus, seù subsistendi, vnde substantia alia est, quę primo, & per se substat, nempè singularis: alia verò, quę secundo, & ratione primæ substat accidentibus, nempè vniuersalis: quę diuisio etiam dicitur analoga, eo quod ratio substandi principaliter, & per se reperitur in vno membrorum: Hanc tenent Caietanus, M. Masius, Toletus, Suarez etiam, qui hanc, & primam probat, sicut & PP. Complutenses, &c.

§. 4. Tertia Sententia affirmat, substantiam diuidi ratione secundæ intentionis, seù quatenus sub-

substat accidentibus rationis, ità quod sensus diuisionis sit hic: substantia secundum quod est subiectum prędicationis, alia est particularis, alia vniuersalis: hanc sententiam referunt Carmelitæ Complutenses, vt Patronis destitutam, eamque vni tribuunt Tartareto, quem dicunt citari à Conimbricensibus: sed vero illam, vt verè Thomisticam, à grauissimisque Angelicæ Scholę Doctoribus probatam, nos itidem amplectimur, pro cuius pleniore captu.

§.5. Suppono primo vt indubitatum, hic non diuidi genus generalissimum substantiæ prædicamentalis: est enim secunda substantia, eo ipso, quod genus est, ac proindè non potest esse totum diuisum, cum sit membrum diuidens. Secundo suppono, rem poni, vel non poni in prædicamento esse secundam intentionem Logicam, nihil enim illud est apud Logicos, nisi statui in linea directæ prædicationis, in qua genera, & species de suis inferioribus formaliter enunciantur. Suppono tertio, ad Logicalem speculationem non spectare nudas solummodò intentiones rationis, seu quasi omninò à primis abstractas, sed vt in primis fundatas, & in rebus physicis methodicè exercitas: quapropter entia realia, quatenus materia sunt, & fundamentum secundarum intentionum, secundariò ad obiectum Logicæ dicuntur spectare. Subindè que prædicamenta decem quatenus res quædam sunt, & omnia intellectus molimina antecedunt, omninò pertinent ad considerationem Metaphysicæ, vbi Aristoteles de illis plenę agit: at verò non est cur ad Logicæ institutum pertineant, nisi quatenus Logicali deseruiunt artificio; ex illis enim Dialecticus tanquam ex terminis incomplexis propositiones construit, Syllogismos, demonstrationesque architectatur.

§.6. Dico primo. Substantiam diuidi in primam, & secundam, tùm ratione suæ essentiæ in diuersos modos existendi, quorum vnus realis est, & alter per intellectum, vt fert prima opinio, æquè probabile est, ac dicere, illam diuidi sub ratione proprietatis realis, quæ est actus subsistendi, vel accidentibus substandi, vt tenet secunda; quamuis primam sententiam præferant Complutenses, eo quod prima explicat diuisionem per essentiam, altera verò per proprietatem. Ratio: quia tam subsistere, quam substare sumi possunt vt proprietates, si formaliter capiantur, & etiam vt essentia, si radicaliter sumantur: Ergo æqua probabilitate gaudent: fundamenta vero, quibus probabilitas vtriusque sententiæ suadetur, videri possunt apud Authores, quos pro vtraque indicauimus.

§.7. Dico secundo. Tertia sententia est cæteris longè probabilior, quatenus hæc diuisio magis spectat ad institutum Logicale, quod in præsentia versabat Aristoteles, qui rerum essentias in prædicamentis nonnisi vt fundamenta, & materiam secundarum intentionum debuit explicare. Vndè Metaphysicus substantiam diuidit per modos essendi; Dialecticus vero illam rectiùs diuidit per modos subiiciendi, & prædicandi. Hanc nostram thesim docuere inter alios Doctor Ganterus, & Nobiles Thomistæ; vt M. Flandrensis 5. Metaphys. quæst. 8. artic. 2. M. Sotus prædicamentorum quæst. 1. articulo 1. M. Arauxo Metaphys. 5. quæst. 1. artic. 2. num. 11. M. Veracruzius in Prædic. Substantiæ quæst. 1. Quibus accedunt M. Oña de substantia quæst. 1. artic. 1. ad numerum septimum. M. Zerna disput. 3. q. 2. artic. 1. ex modernis M. Lerma lib. 7. quæst. 2. M. Ortizius, hoc loco, Magister Lynceus lib. 3. q. 2. artic. 2. num. 10. nec audiendi sunt Complutenses, cum dicunt hanc opinionem omninò videri alienam à mente Aristotelis, qui in præsenti disputat de substantia secundum quod ponitur in prædicamento, in quo non collocatur ratione alicuius intentionis, sed ratione suæ entitatis realis: non inquam sunt audiendi. Tum, quia mens Aristotelis in secundas intentiones erumpit manifestè, dum in primo limine capitis exorditur sic: *Substantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur est, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est.* Quæro enim à Complutensibus quomodo longè fuerit à mente Aristotelis negatio prædicabilitatis de subiecto, quæ tam propinqua erat ori, & calamo eiusdem, seu *an dici de subiecto* non sit secunda intentio? Tum etiam, quia ipsa collocatio in prædicamento est secunda intentio: proindèque quamuis substantia fuerit collocata secundùm suam realem entitatem pro materiali, potuit tamen, immò debuit diuidi in modos Logicos, vt instituto deseruiret Logicali. Quæ adeò certa sunt, vt etiam ipsimet aduersarij nostrę sententiæ probabilitatem ingenuè fateantur: Immò, & Caietanus simpliciter habere veritatem pronunciauit. *Si autem diuisio illa* (inquit) *detur per modos intentionales, non per vnum; sed verè duos modos diuisio facta est. Possunt autem isti modi vniuersaliter, & particulariter concipi: ita quod sensus diuisionis est: Substantia, aut prima, aut secunda: idest aut particulariter concepta sumitur, aut vniuersaliter: & quoniam diuersitas istorum modorum sequitur affirmationem, & negationem illius modi realis, ideo diuisio vtroque modo intellecta veritatem.* (Attendas nunc amabo) *non vniformiter tamen, quoniam ex eo quod diuisio ista hic traditur ex secunda substantia Logicum quid sonat, vndè & in Metaphysica toties diuisa substantia, nunquam nominatur diuisio ista Logicalis, ac per hoc per modos intentionales intelligenda est. Et consequenter secundo modo intellecta simpliciter veritatem habet.* Ita ille super hoc caput. Doctor etiam Suarez Metaphys. disput. 33. sect. 2. num. 7. hæc habet: *Præterea hæc interpretatio prædictę diuisionis per secundas intentiones est probabilis, & accommoda Dialecticis, tamen ad rem Metaphysicam, quam nunc tractamus non est sufficiens*, hæc ille. Vide qualiter etiam contrariæ sententiæ Authores loquantur de huiusmodi opinione: non igitur illam vnus docuit Tartaretus, nec à mente Aristotelis omnino aliena videri debet.

§.8. Fauet etiam testimonium Angelici Doctoris, quod adducit M. Ioannes à S. Thoma ex Opusculo 48. crepero quidem, ac incerto, quare id pro me non proferrem; sed quia ille contra nos, & pro se illud affert, in ipsum aptè retorquebo. *Substare* (inquit ille) *dicitur dupliciter,*

ter, scilicet pro substare accidentibus, & pro substare vniuersalibus, sicut minus vniuersale est sub magis vniuersali. Hactenus transcripsit prædictus Magister, sed quæ omisit contra se sunt sequentia: *Stat enim sub eo in ordine prædicamentali, vnde maius vniuersale de minus vniuersali prædicatur.* Deindè infra subdit; *sed dicitur, quod substat maximè, & sumitur substare secundo modo, scilicet pro esse sub alio, sicut minus vniuersale sub magis vniuersali. Cum autem primę substantiæ subijciantur omnibus speciebus, & generibus, quæ sunt supra se: species verò, & genera non subsunt tot, ergo primę substantiæ respectu secundarum isto modo maximè dicuntur substare. Dicitur postea, quod non dicuntur de subiecto, quia non sunt prædicabilia de alijs sicut genera, & species.* Hactenus ille. Ecce substantia apud D. Thomam non solum diuiditur ratione substandi accidentibus, vt volunt Aduersarij, sed etiam qua substat prædicatis vniuersalibus: & prima substantia ideo maximè substare dicitur, quia maximè, idest pluribus prædicatis est subijcibilis. Ergo quamuis huiusce diuisionis prima consideratio probabilis sit, spectabit quidem ad Metaphysicam formaliter, & materialiter ad Logicam. Secunda verò longè probabilius pertinebit ad Logicam formaliter, quæ secundas intentiones vt formale obiectum collimat.

§.9. Probatur nostra assertio primò Aristotelis authoritate, qui prædicamentorum cap. 2. *De complexis, & incomplexis* diuidit in quatuor membra res omnes, quæ in prædicamento ponendæ erant, tanquam prædicata, & subiecta eorum: in primo autem membro memorat, describitque secundam substantiam, & in quarto primam per hæc verba: *Eorum, quæ sunt* (inquit) *alia de subiecto quidem dicuntur; in subiecto verò nullo sunt, vt Homo.* Ecce secunda substantia. *Alia neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur vt aliquis homo, aliquis equus.* Ecce prima substantia, quæ si rectè perpendantur, nihil aliud sonant, nisi quod substantia alia est vniuersalis, alia verò particularis, vt planè etiam in hoc capite significauit. Nam dici de subiecto, & non dici de subiecto sunt secundæ intentiones; atqui primam substantiam descripsit per *non dici*, idest per negationem prædicabilitatis, & secundam per *dici*, idest per affirmationem genereitatis, & specieitatis: ergo substantiam verè diuisit in modos intentionales, qui illi solent contingere.

§.10. Probatur secundo ratione. Diuisio substantiæ in modos secundæ intentionis est magis exacta, & consona regulis bonæ diuisionis, quam diuisio illius in modos existendi, & substandi accidentibus: Ergo Aristoteles Logicum agens, potiùs diuisit substantiam in modos secundæ intentionis, quam in modos subsistendi, & substandi. Probo antecedens. Bona diuisio distribuit totum reale in partes reales, & totum intentionale in partes intentionales; Sed Aduersariorum diuisio non ita distribuit substantiam; nos verò distribuimus illam secundum hanc regulam: Ergo nostra diuisio rectior est, & magis consona regulis Dialecticis, quam altera. Maior est euidens: totum enim nihil aliud est, quam suæ partes vnitæ, & quando diuiditur nihil debet esse, nisi suæ partes separatæ. Consequentia est bona. Minorem facilè ostendo. Nam Aduersarij diuidunt substantiam in vnum modum realem, qui est subsistere, seu substare primæ substantiæ, & in alterum per intellectum, qui est substare secundæ substantiæ: non enim nisi intellectu subsistunt secundæ substantiæ. Dices: subsistunt realiter per primas. Contra: hoc ipsum est opus intellectus: nempè quod aliquid realiter identificatum cum prima substantia concipiatur vt quid distinctum subsistens per illam, & vt membrum diuidens ab ipsa separatum.

§.11. Rem explico magis, & insto, modi subsistendi, seu substandi reperti in prima, & secunda substantia non sunt duo modi reales, & realiter distincti, vt ipsi fatentur Aduersarij: Nam Caietanus docet, primam substantiam constitui per positiuum modum particulariter subsistendi; Secundam verò substantiam non constitui per positiuum modum, sed per carentiam modi particulariter subsistendi; Suarezius autem affirmat secundam substantiam realiter subsistere, quia est substantia, & quia sub se continet primam substantiam, & in ea intimè, & essentialiter existit: Vndè necesse est, vt quod primæ substantiæ conuenit in re, conueniat etiam secundæ saltem mediante prima. Sed contra Caietani explicatum sic argumentor Primo: quia mera carentia modi positiuè subsistendi non est quid reale positiuum, sed ens rationis. Secundo, quia ipse Caietanus fatetur, hos modos non esse duos realiter, neque diuersos per hæc verba. *Si enim ista diuisio* (inquit) *detur per modos reales, sic non est per diuersos modos, sed per vnum tantum; per inclusionem scilicet illius modi, & non inclusionem eiusdem: & ille modus est particulariter subsistere: ita quod sensus diuisionis est. Res directè substantia, aut est substantia prima, aut est secunda, idest aut est particulariter subsistens, ita quod includat in sui ratione particulariter subsistere, aut non includit particulariter subsistere.* Et paulo post explicato primo membro subdit: *Secunda verò substantia puta, homo, etsi secundùm rem non inueniatur, nisi cum particulari subsistentia, in ratione tamen sua talem modum essendi non includit.* Ergo hæc diuisio, vel ipso fatente Caietano non est nisi per vnum modum realem inclusum, vel non inclusum per intellectum: patet consequentia. Quia Hominem non includere modum particulariter subsistendi nō fit nisi per abstractionem, qua intellectus humanam naturam à modo indiuiduali separat; Sed secunda substantia eatenus dicit alium modum substandi, quatenus talem modum non includit: Ergo non dicit nisi alium modum per rationem.

§.12. Contra Suarezium sic insurgo. Eatenus per te substantia dicit alium modum realem subsistendi quatenus *sub se continet primam*, & quia *in ea essentialiter existit*, vndè subsistere in re *necesse est, quod conueniat secundæ saltem mediante prima*; Sed eiusmodi continentia est per intellectum, sicut & ipsa mediatio: realiter enim non

non mediat prima: Ergo secunda substantia non habet modum realem subsistendi à modo primæ diuersum, ac proindè hæc diuisio totius realis non fit per partes realiter diuersas. Tum sic: At qui in nostra sententia diuiditur totum intentionale, nempè substantia prædicamentalis; (quod idem est, ac dicere substantia apta subijci, & prædicari de multis (in modos intentionales, qui verè sunt duo modi intentionaliter diuersi, quorum vnus non includit alterum: Ergo hæc diuisio est magis recta, & consentanea regulis diuisionis dialecticæ. Antecedens omninò certum est, vt ex aduersarijs fatetur etiam Caietanus vbi supra. *Si autem diuisio illa* (inquit) *detur per modos intentionales, non per vnum; sed vere duos modos diuisio facta est*. Consequentia est liquida.

§.13. Dices cum Complutensibus, secundam substantiam formaliter sumptam, vt est membrum diuidens in hac diuisione non includi, neque prædicari de prima: hæc enim est formaliter falsa. *Substantia prima est substantia secunda*, & ita membra diuidentia verè sunt opposita.

§.14. Contra: velint, nolint Complutenses recidunt in nostram sententiam; recurrunt enim ad modum intentionalem, per quem secunda substantia constituitur adhoc vt non possit prædicari de prima, seu non includi in illa; nihil enim est esse *secundam substantiam formaliter*, quam substantiam concipi sub secunda intentione talis. Vndè sicut hæc illatio est mala. *Homo est species: ergo Petrus est species*: haud secus illa est falsa propositio; *Substantia prima est secunda substantia*. Ergo hi Scriptores, nisi ad modos intentionales confugiant, diuisionem suam esse exactam, regulisque Dialecticis consonam defendere non possunt.

§.15. Confirmatur nostra assertio. Sicut dici de subiecto importat secundam intentionem; ita esse subiectum illam importat; Sed substantia secunda definitur per dici de subiecto, ergo prima substantia definitur per esse subiectum: ergo si fiat diuisio in primam, & secundam substantiam, necessariò fit in secundas intentiones subijcibilitatis, & prædicabilitatis. Probo hanc consequentiam. Prima substantia vt talis reduplicatiuè condiuiditur contra secundam substantiam vt talem; sed secunda substantia, vt talis per vos importat secundam intentionem prædicabilitatis; sunt enim genera, & species ex Aristotele: Igitur, & prima substantia importat secundam intentionem subijcibilitatis. Vndè consequenter.

§.16. Dico tertio. Hæc diuisio est subiecti in accidentia rationis, & ad Analogam diuisionem reducitur, seu est secundum quid analoga. Prima pars huius asserti facilè deducitur ex præcedenti. Substantiæ enim vt sic considerata, & vt præuenit modos existendi particulariter, & vniuersaliter, accidunt hi modi: ergo diuiditur in illos vt subiectum in accidentia, ad cuius saporem intelligendus est Diuus Thomas, dum quæstione 9. de Potentia. Artic. 2. ad 6. simul videtur negare, & affirmare hanc diuisionem esse generis. Nam de illa loquutus, sic primo ait. *Non est diuisio generis in species*, deindè addit: *Sed est diuisio generis secundum diuersos modos*. Genus autem respectu modorum contrahentium non genus est vniuocum, sed subiectum quinti prædicabilis; accidunt enim generi modi, atque differentiæ, vt rationale accidit Animali. Tandem addit Sanctus Doctor pro altera parte nostræ assertionis. *Vnde magis est diuisio analogi, quam generis*, quibus etiam non absolutè docet, hanc diuisionem esse simpliciter totius analogi, vt M. Sanchez benè aduertit, sed dixit, magis esse Analogi, quàm generis, quia huiusmodi diuisio subiecti in accidentia magis accedere videtur ad diuisionem analogam, quam ad vniuocam. Sic communiter Thomistæ.

§.17. In explicandâ huiusmodi analogiâ, varias ineunt vias prædicti Doctores; Caietanus facili ratione se expedit, quia scilicet modo reali primæ substantiæ, & modo rationis secundæ nihil vniuocum potest conuenire. Sotus vero eo probat, quod ratio substandi magis conuenit subiecto, quam prædicato. Mihi autem præter has. Tertia occurrit ratio; nempè rationem substantiæ vt sic quatenus est totum diuisum, non esse simpliciter vnam; quia à prima, & secunda substantia v. g. Petro, & Homine nihil potest vniuocum abstrahi, alioqui earatio sic abstracta esset iam secunda substantia, & diuisum cum membro diuidente coincideret: Igitur vnitas eiusmodi substantiæ solum est vnitas secundum quid proueniens à conceptu confuso, quo intellectus vtramque substantiam indiscriminatim percipit, quin clarè discernat, singulariter ne substet, aut vniuersaliter prædicetur, quod sat est ad analogiam secundum quid. Caue tamen, ne putes, ista dici de primo Prædicamento substantiæ, vt est primum genus inter decem genera; illud enim prædicatum vniuocum est, vt per se patet. Sed loquimur de substantia prout comprehendit totum Prædicamentum idest genera, species, & ipsa indiuidua substantialia, à vertice scilicet arboris Porphyrianæ ad vsque radices.

THEOREMA II.

Argumenta contraria dissoluuntur.

§.18. Obijcit primo Suarezius; Aristoteles non declarauit rationem substantiæ per relationem rationis, neque per denominationem aliquam sumptam ex conceptibus nostris, sed per proprietatem realem subsistendi, quæ explicatur *per non esse in subiecto*. Deindè substare accidentibus est etiam proprietas realis; & non secundæ intentionis, sumitur enim in ordine ad existentiam realem; Ergo diuisio substantiæ in primam, & secundam per modos secundæ intentionis non est accomodata menti Aristotelis.

§.19. Respondeo. Me non dicere rationem essentialem substantiæ constitui per secundas intentiones, neque illam non habere proprietates rea-

reales, & Metaphysicas, vt sunt subsistere, & substare accidentibus. Aio tamen his omnibus suppositis vt fundamento, & obiecto materiali huius libri, Aristotelem (vt Logicum agebat) essentiam realem substantiæ diuisisse in modos Logicales, qui ipsi accidere possunt. Vndè sub hac explicatione gratis permisso antecedente, nego consequentiam. Dixi autem *permisso*; quia falsum est, Aristotelem hoc capite substantiæ rationem declarasse per subsistere, aut per substare: non enim vllam præmisit substantiæ definitionem, sed absolutè incæpit diuidendo substantiam: in eam quæ *non dicitur de subiecto*, quæ est prima, & in eam quæ est *genus, & species*, quæ secunda est. Postmodum verò in vltima capitis parte enumerauit inter proprietates *non esse in subiecto*, & etiam *substare*.

§.20. Obijcit secundo. Substare secundo intentionaliter sumptum nil aliud est, quam subijci in propositione; Atqui hoc non solum conuenit substantiæ, sed etiam est commune accidenti, nam etiam accidens subijcitur suis prædicatis tam essentialibus, quam accidentalibus, eaque recipit. Vt cum dicitur Albedo est qualitas, Albedo est intensa: Ergo substare prædicatis non est ratio diuidendi substantiam in primam, & secundam. Hoc eodem argumento vtitur M. Io. à S. Thoma.

§.21. Respondeo, ad hoc argumentum teneri etiam respondere Aduersarios, qui similiter eo præmuntur in *substare* accidentibus. Nam substare accidentibus non solum conuenit substantiæ, sed est commune etiam accidenti; quantitas enim substat qualitati, cæterisque accidentibus prædicamentalibus: non ergo potest esse ratio diuidendi substantiam in primam, & secundam: quidquid igitur illi adhoc responderint pro substare accidentibus; nos itidem illis reponemus pro substare prædicatis. Cæterum directè dico, primam substantiam sicut primo subsistit, & primo substat accidentibus, ita in hoc ipso fundare esse primum subiectum, de quo primo enunciatur essentiale, vel accidentale prædicatum; & hoc non conuenit accidenti, quia omni accidente prior est substantia *definitione, tempore, cognitione, & natura*, vt docuit Aristoteles 7. Metaphys. cap. 1. Ratio igitur indiuidui, vniuersalis, subiecti, & prædicati in accidentibus inuenitur participata secundario, deriuataque à substantia; sed vero esse primum subiectum soli competit indiuiduo substantiali. Sed contra hanc responsionem.

§.22. Obijcit tertio Ioan. à S. Thoma. Licet ea quæ entitatis, & realitatis sunt, principaliter inueniantur in substantiâ, & participatiuè in accidente, tamen intentiones, quæ conueniunt rebus vt cognitis, æquè dicuntur de vtroque, sicut esse vniuersale, & particulare, genus, & species, & idem est de intentione subiecti: ergo in esse subiecti non est substantia prior accidente.

§.23. Respondeo, etiam in secundis intentionibus dari inæqualitatem denominandi primas, atque interdum de substantia, & accidente non æquè prædicari secundas intentiones quia hæ sapiunt, sequunturque naturam primarum intentionum, ac proindè quando in fundamento reali supponitur inæqualitas, etiam secundæ intentiones inæqualiter participantur, vt explicabo in solutione septimi Argumenti. Distinguo igitur antecedens; *æque dicuntur de vtroque* si fundamentum adsit eiusmodi æqualitatis concedo; secus verò, si fundamentum exigat inæqualitatem.

§.24. Obijcit quarto. Substantia non solum est subiectum prædicationis, sed etiam informationis realiter sustentantis accidentia: Ergo non debet explicari ratio substandi per solam secundam intentionem, quæ est subiecti ad prædicatum, sed etiam per realem proprietatem substandi ei, quod realiter informat.

§.25. Respondeo, concesso antecedente Distinguo consequens; debet etiam substantia explicari per realem proprietatem substandi, secundùm considerationem Metaphysicam, concedo; secundum considerationem Logicam, sub distinguo: formaliter, & per se nego, materialiter, & præsuppositiuè transeat consequens. Equidem ad Metaphysicam spectat considerare substantiam, cæteraque Prædicamenta vt præueniunt, anteceduntque omnem secundam intentionem, id est secundum eorum naturas, & proprietates reales: Logici autem muneris est contemplari intentiones, quas illa subeunt vniuersalitatis, subiecti, prædicati, &c. Et licet tam Metaphysico, quam Logico eadem sit ratio collocandi rem in Prædicamento (vt benè notauit Caietanus de ente, & essentia cap. 7. §. *Cum his*) vtrique enim incumbit illam reponere secundum suam realem entitatem, & naturam; Tamen diuersa est vtrisque conditio reponendi, seu ratio formalis eam speculandi, nam Logicus (vt sæpe dixi) illam speculatur, quatenus præbet fundamentum, & materiam secundis intentionibus generis, speciei, &c. quarè agit de quantitate, de actione, & passione, &c. Metaphysicus verò primò, & per se agit de prædicatis realibus essentiæ, & proprietatum eorum; & per accidens, & secundario de ente rationis. Quid ergo absurdi est, quod Logicus per se primo speculetur, id, quod Metaphysicus secundario considerat; & è conuerso.

§. 26. Obijcit quinto Suarezius. Si substantia diuidatur in ordine ad secundas intentiones, vix potest intelligi, quomodo prima substantia dicatur magis substantia, quam secunda? vt loquitur Aristoteles: Nam si prima substantia dicit intentionem subiecti, & secunda substantia intentionem prædicati; in quo igitur fit comparatio? Nam hæc fieri debet in aliqua proprietate communi; at qui nullam habent intentionem communem; & quamuis haberent, illam æqualiter participarent, vt esse extremum propositionis, vel collocabile in prædicamento, quod æque conuenit prædicato, ac subiecto: ergo prima substantia non esset magis substantia, quam secunda.

§. 27. Dices vero similius hic d[illegible] intentionem subiecti, & hanc magis, & p[illegible] conue-

nire

nire primæ ſubſtantiæ, quam ſecundæ: Sed contra primo: quia eſſe ſubiecti ſolum dicit intentionem rationis, quæ non ſufficit ad explicandam rationem ſubſtantiæ, cum etiam ſit communis accidentibus. Contra ſecundo: Quia intentio ſubiecti non ſemper conuenit ſecundis ſubſtantijs per primas, præſertim in propoſitionibus per ſe, quæ abſtrahunt ab actuali exiſtentia: ergo aliquid aliud præter intentiones rationis addere oportet ad explicandam hanc diuiſionem, & comparationem membrorum inter ſe.

§. 28. Reſpondeo, nego antecedens, Nam quomodo prima ſubſtantia ſecundum noſtram explicationem magis ſubſtet, quam ſecunda, fuſsè explicuit Doctor Angelicus ſupra §. 8. quem citatum, acceptumque retuli à M. Ioa. à S. Thoma. Sequiturque Sotus, aiens ſimpliciter loquendo, illam eſſe magis ſubſtantiam, quæ pluribus ſubſtat: Rurſus etiam nego, hìc diuidi melius debere intentionem ſubiecti: non enim diuiditur niſi ipſa realis natura ſubſtantiæ vt ſic, & indifferens negatiuè ad omnem ſtatum accidentalem tanquam ſubiectum in accidentia rationis: nempè in ſubſtantiam, quæ primò ſubijcitur, & in ſubſtantiam, quæ prædicatur: Sicut cum paries diuiditur in album, & nigrum, non diuiditur quidem vlla qualitas communis albedini, atque nigredini, ſed paries ipſe in parietem album, & in parietem nigrum. Vnde neceſſe non eſt, vt comparatio fiat in aliqua ratione communi diuiſa, ſed ſolum in proprietate ſubſtandi prædicatis, quæ cum maximè, & principaliter conueniat primæ ſubſtantiæ, interdum etiam conuenit ſecundis. Quod autem hæc non ſufficiant ad explicandam realem naturam ſubſtantiæ facilè concedo; negando tamen ſuppoſitum, quod ſit Logici muneris naturas prædicamentorum reales prout ſic explicare. Deinde tranſeat, quod intentio ſubſtantiæ non ſemper conueniat ſecundis ſubſtantijs per primas, non enim in eo conſtituimus quod prima ſubſtantia ſit magis ſubſtantia, quam ſecunda, vt faciunt Aduerſarij qui dicunt, eam eſſe magis ſubſtantiam, quia ſecundæ ſubſtantiæ ſubſiſtunt, & ſubſtant accidentibus per primas, eo quod ad ſubſtandum accidentibus exigitur neceſſariò exiſtentia indiuiduorum: ſed hoc non requiritur ad ſubſtandum prædicatis eſſentialibus. Per quod patet etiam inſtantiarum repulſio.

§. 29. Obijcies ſexto: poſſet ſimiliter homo v. g. diuidi in primum, & ſecundum ratione ſecundarum intentionum: afficitur enim homo eiſdem intentionibus vniuerſalis, & particularis, ſubiecti, & prædicati &c. eritque alius homo vniuerſalis ab homine indiuiduo; ſed hoc eſt abſurdum: ergo id, ex quo ſequitur.

§. 30. Reſpondeo negando maiorem: Nam primam ſubſtantiam vt talem non conſtituit ſola ſecunda intentio ſubiecti, ſed etiam fundamentum reale *primi ſubſtantis*, ex eo enim, quod inter prædicamenta indiuiduum ſubſtantiale ſit primum ſubſiſtens, & primum ſubſtans, ſequitur protinus id eſſe primum ſubiectum omnium prædicatorum. Homini autem quatenus tali non conuenit ſubſiſtere primo, nec ſubſtare, ſed eſſe animal rationale, proindeque non præbet fundamentum ad eſſe primum, neque ſecundum, niſi quatenus eſt ſubſtantia formaliter.

§. 31. Obijcies ſeptimo contra tertiam aſſertionem: Si ſubſtantia diuiditur per ſecundas intentiones ſubiecti, & prędicati, vniuerſalis, & particularis, non poteſt eſſe analoga huius modi diuiſio: ergo eſt generis in ſpecies. Probatur antecedens: Quando aliqua prędicata conueniunt vniuocè in genere generaliſſimo, non poſſunt ſub eodem genere reddi analoga in alia ratione inferiori; Sed eſſe ſubiectum, & prædicatum, eſſe vniuerſale, & particulare conueniunt vniuoce in genere generaliſſimo relationis rationis, & ſecunda intentio de illis vniuocè prædicatur: ergo eſſe ſubiectum, & prędicatum non poſſunt ſolum analogicè conuenire in ratione ſubſtandi.

§. 32. Reſpondeo negando antecedens: ad probationem nego maiorem intellectam de vniuocatione, quæ alioqui dependet à modis participandi inferiorum in prædicatis realibus; & de vniuocatione dependente à fundamento reali in prædicatis rationis. Licet enim nonnullæ rationes ſuperiores ſint regulariter vniuocatæ ſub ratione generica: interdum tamen in inferioribus redduntur analogæ ratione modorum inæqualiter participandi illas, vt contingit in ſanitate, quæ vniuocè quidem cum ægritudine conuenit in genere qualitatis; & tamen reſpectu animalis, & vrinæ ratio redditur analoga; Similiter intentio differentiæ vt ſic, & intentio proprij ſunt inferiora vniuòcata ſub genere generaliſſimo relationis rationis, & tamen intentio differentiæ analoga eſt reſpectu differentiæ communis, propriæ, & proprijſſimæ, quia ſolum in proprijſſima datur fundamentum differendi ſimpliciter: atque intentio proprij ſimiliter eſt analoga reſpectu omnium inferiorum, quia non niſi in proprio dicto quarto modo ſubſiſtit ratio proprietatis ſimpliciter dictæ, & hoc quidem ratione fundamenti, vt de ſe patet. Ita igitur licet ratio ſubiecti vniuocà ſit regulariter, tamen reſpectu indiuidui ſubſtantialis, quod reverà, et fundamentaliter primo ſubſtat, reddi poteſt analoga in ratione ſubſtandi. Mitto, quod huiuſmodi analogia ex alijs etiam capitibus cum rigoroſa non ſit, vt cumque explicatur.

DISSERTATIO XXXIX.

Rectè ne tradiderit Ariſtoteles definitiones, proprietateſque ſubſtantiæ?

§. 1. AFfirmo: definitiones exibui in Synopi capitis: nunc vulgares obiectiunculæ depellendæ. Et primo, quod definitio primæ ſubſtantiæ per duas negationes traditur, quibus quid illa non ſit potius, quam quod ſit videtur explicari, facile ſoluunt nonnulli dicentes, negationes illas poſitiuum quid explicare, vt cum explicatur vnitas, & infinitudo, &c.

huiusmodi negatio affirmationi æquipollet. Alij docent, hanc non esse rigorosam definitionem, sed descriptionem, quæ per eiusmodi negationem primam substantiam circumloquendo, non declarando enarrant. Alij tandem dicunt, eas negationes contrariè esse accipiendas; non negatiuè: ita vt hunc reddant sensum. Prima substantia est, cui positiuè repugnat esse in subiecto, & dici de subiecto, vt in difinitione *violenti* ly *non conferente vim* sonat apud Aristotelem *resistente*, idest contrariè, non negatiuè.

§. 2. Item: Materiæ primæ conuenit quod primò substet, est enim primum subiectum omnis informationis, immò in substando tam formis essentialibus, quam accidentalibus, ipsam primam substantiam antecedit: Rursus *neque est in subiecto, neque de subiecto aliquo dicitur*: Ergo hæc definitio alijs conuenit à definito. Neque hęc obiectio vrget; loquitur enim Aristoteles de substantia completa; quam dicit, esse debere *hoc aliquid* id est indiuiduam, & per se subsistentem.

§. 3. Tertio; Singularium sicut non est scientia, ita neque definitio; Prima substantia singularis est; ergo definibilis non est: vel si non est quid singulare, *sed commune multis*: ergo prædicatur de illis: ergo falso dicitur, illam de nullo subiecto dici. Occurrunt Dialectici aientes, singularia clarè cognita nec definiri, nec sciri posse; at vero cognita in communi, & actu confuso ritè posse describi vt supra in capite de specie docebamus. Deinde non prohibetur primæ substantiæ, quòd prædicetur de se ipsa vt clarè cognita; sed quod prędicetur de alio gradu subiicibili, & inferiore, id quod sonat ly *neque de subiecto dicitur*.

§. 4. Contra secundæ substantiæ definitionem est: Quod potius videtur; immò est diuisio quędam, & enumeratio secundarum substantiarum, quam definitio: *Dicuntur* (ait Aristoteles) *species, in quibus illæ, quæ principaliter dicuntur substantiæ, insunt, & harum specierum genera*: Ergo secunda substantia definitur per esse species, & genera; sed hoc non est de ratione secundę substantiæ, sed tantum quod sit substantia vniuersalis; ergo non rectè definitur. Minorem subsumptam ostendo. Substantiam esse genus, aut speciem, est esse talem, vel talem secundam substantiam: ergo id non est de ratione secundæ substantię prout abstrahit à tali, & tali secunda substantia, sub qua vniuersalitate hic definitur.

§. 5. Respondent Complutens, quod licet de ratione secundæ substantiæ vt sic non sit determinatè esse genus, vel determinatè speciem; tamen neque etiam est esse quod cunque vniuersale; sed illud, quod potest esse superius essentiale respectu primę substantiæ. Et hoc necessario est genus, vel species.

§. 6. Sed contra primò. Hæc solutio non euadit difficultatem argumenti: Quia tàm malè definitur secunda substantia si dicatur esse vagè species, & genera, quam si dicatur, esse determinatè speciem, & genus: Ergo absurdum non consistit in eo solùm quòd secunda substantia dicatur esse determinatè genus, & determinatè species, nec definitio saluatur per hoc solùm quòd non dixerit, substantiam secundam esse determinatè genus, & speciem, sed peccat adhuc ex eo quòd non explicat illam prout abstrahit à genere, & specie. Contra secundo: Quia etiam animal necessario est homo, vel brutum: & tamen esset mala definitio animalis per esse hominem, & brutum, siue sumantur determinatè, siue vagè: ergo ex eo, quod superius essentiale necessario sit genus, vel species, non rectè probatis, substantiam vniuersalem benè definiri, per genus, & speciem quomodocunque sumantur. Contra tertio: ergo secunda substantia rectius definiri potuit *per vniuersale, quod potest esse superius essentiale* respectu primæ substantiæ: probo consequentiam. Nam per vos id solum potest conuenire secundę substantię prout abstrahit à tali, & tali secunda substantia, idest à genere, & specie.

§. 7. Respondeo igitur, argumentum conuincere intentum; quia in mea sententia Aristoteles his verbis secundas enumerauit substantias; non definiuit: Vnde legitima huius difficultatis explicatio petenda est supra ex nostra Synopsi, numero 4.

§. 8. Aduersus assignatas proprietates obiicies primo: *Non esse in alio* siue significet per se subsistere, seu substare accidentibus, non conuenit principaliter, & prius primę substantiæ: ergo falso dicit Aristoteles, primam substantiam esse magis substantiam, eo quod magis subsistat, vel magis substet accidentibus. Consequentia est bona; Antecedens probatur testimonijs ipsius Phylosophi, & Diui Thomę. Nam ille 8. Metaphysicæ docuit, genus esse magis substantiam quam speciem, & vniuersale, quam singularia: Item D. Thomas in primo distinct. 23. articulo 1. ad 2. expresè docuit, *Quod quamuis genera, & species non subsistant, nisi in indiuiduis, tamen eorum propriè subsistere est, & subsistentiæ dicuntur, quamuis, & particulare dicitur sed posterius, sicut & species substantiæ dicuntur, sed secundæ.*

§. 9. Supra in Synopsi num. 3. Respondi cum Thomistis, qui communiter dicunt, Phylosophum de substantia loquutum prout significat rei essentiam; Nunc addo videri hoc satis non esse; Nam ille iam prius illam substantiæ acceptionem præmiserat, at non in hac sed in alia substantię acceptione vniuersalia dixit, magis esse substantias: docet me Diuus Thomas super hunc locum lect. 1. vbi hęc apud Angelicum Interpretem habes. *Ponit modos accipiendi substantias secundum rationis acceptionem. Et ponit duos modos, quorum vnus est, quod substantia dicitur quidditas alicuius substantiæ naturalis: Alio modo dicitur substantia secundum aliam acceptionem, secundum quam genus dicitur magis substantia, quam species, & vniuersale magis quam singularia, vt quidam posuerunt prout in 3. libro in quæstionibus tractatum est. Et huic acceptioni substantiæ, secundum quam vniuersale, & genus substantia dicuntur coniuncta est ratio de Idæis, quas supra dixi species: Eadem enim ratione ponuntur ideæ esse substantiæ, & vniuersalia.* Hęc Sanctus Doctor: ex quibus manifestè liquet, genus & vniuersale non dici magis substantias in prima acceptio-

ceptione, scilicet substantię pro essentia: ergo secunda substantia magis substantia est quam prima etiam in rigorosa acceptione substantię. Respondeo, Aristotelici dicti supra exhibitam interpretationem esse idoneam, si aliquantò magis explicetur, vt iam facio. Essentia sumitur pro quidditate singulari, & indiuidua, & etiam pro quidditate ab indiuiduis abstracta: Prior modus substantiæ apud Arist sumitur pro essentia indiuiduali: Secundus pro vniuersali, & in hac secunda acceptione dicitur, vniuersalia esse magis substantias. Do Diuum Thomam in primo distinct. & artic. citatis supra §. 8. *Vtroque modo* (inquit) *inuenitur hoc nomen essentia: Vnde quandoque dicimus sortem esse essentiam quandam: quandoque dicimus, quod essentia sortis, non est sortes, &c.* Essentia autem vniuersaliter sumpta nihil aliud habet amplius quam essentia particularis, si prædicata quidditatiua consideres: Ast habet prætereà esse ideam, & causam, seu rationem formalem, & exemplarem omnium indiuiduorum; non quidem extra illa (vt somniabant Platonici) sed inesse obiectiuo: quare vniuersalia substantialia sunt æterna, & incorruptibilia, quod est magis subsistere, & magis per se stare: vnde Sanctus Doctor subdidit *Eadem enim ratione ponuntur ideæ esse substantiæ, & vniuersalia*. Igitur vniuersales essentię sub ratione formali Ideæ incorruptibilis sunt magis substantię quam indiuidua, sicque ad mentem D. Thomę intelligendus Aristoteles.

§. 10. Ad locum eiusdem Angelici Doctoris, qui facilis quidem non est. Respondet M. Arauxo lib. 5. Metaph. quæst. 2. art. 2. Subsistentiam comparari posse vel cum causa, seù principio formali à quo dimanat; vel cum subiecto, cui competit actus subsistendi: Et primo modo (inquit) subsistentia attribuitur secundis substantijs; secus verò secundo modo, sic enim debet attribui primò, & per se primis substantijs: & D. Thomas loquitur in præallegato loco secundùm primam comparationem. Non acquiesco doctissimo Magistro; quia eiusmodi comparationes sunt omninò extra mentem, & scopum Sancti Doctoris, qui totus est vt defendat, essentiam, & hypostasim, & personam in Diuinis non esse synonima, argumentum autem quod intendit soluere; conatur probare quod essentia sit hypostasis, vel subsistentia hoc syllogismo: Non subsistit nisi particulare; sed particulare in genere substantiæ dicitur hypostasis, vel prima substantia: ergo idem est subsistentia, ac substantia. Ad hoc autem soluendum nihil refert comparatio subsistentiæ cum causa, neque cum subiecto.

§. 11. Mens igitur Sancti Thomæ auspicanda est ex antecedenti, quam in corpore articuli tradiderat doctrina, iuxta quam dico magis germanè, subsistentiam hic sumi pro actu essentiali formæ Metaphysicæ: sicuti dicimus substantiam sumi prò essentiâ: & quia indiuidua participant à genere, & specie eiusmodi actum essendi quidditatiuè, dicuntur secundariò subsistere essentialiter, id quod naturis vniuersalibus primò, & per se in intellectu conuenit: *Cum autem* (inquit ille) *subsistere dicat esse determinatum, & tota determinatio essendi consequatur formam, quæ terminus est, constat quod aliquid denominatur subsistens per primam formam, quæ est in genere substantiæ, sicut album per albedinem, & animatum per animam*. Rursùs paucis interiectis ait: *Constat quod nomen subsistentiæ per priùs conuenit generibus, & speciebus in genere substantiæ, vt dicit Boetius lib. de duabus naturis*. Attende nunc Lector: *Et indiuiduis non conuenit nisi in quantùm sunt sub illa natura; quamuis enim genera, & species non subsistant nisi in indiuiduis, quorum est esse, tamen determinatio essendi fit ex natura, vel quidditate superiori* Demùm in ipsa argumenti solutione subdit: *quod subsistere duo dicit, scilicet esse, & determinatum modum essendi: & esse simpliciter non est nisi indiuiduorum; sed determinatio essendi est ex natura, vel quidditate generis, vel speciei, &c.* Ecce iuxtà doctrinam Aristotelis dicit Diu. Thomas *simpliciter esse* quod significat subsistentia, non nisi indiuiduis competere, quod est primariò, & per se substantias esse. At verò *determinationem essendi*, quæ est actus essentialis formæ, vel differentiæ generibus, atque speciebus primò conuenire, & indiuiduis non nisi quatenùs sunt sub vniuersalibus: ergo subsistentia primò vniuersalibus conueniens, pro actu essentiali capiendus est.

§. 12. Obijcies *primò* contra cæteras proprietates in synopsi literæ Aristotelis recensitas: Homo ex Aristotele fit ex non homine tanquam ex contrario: item differentiæ essentiales sunt contrariæ, atque etiam elementa: ergo proprietas non habendi contrarium non verè assignatur substantiæ. *Secundò*: substantiam non accipere magis, & minus, est contra ipsum Aristotelem, qui primas substantias esse magis substantias, docuit, quam secundas: ergo quinta proprietas expungenda est. *Tertiò*: Angeli, & corpora cælestia non suscipiunt contraria; alioqui essent corruptibilia: non ergo omni substantiæ competit proprietas sexta, scilicet esse susceptiuam contrariorum. *Quartò*: quantitas in Sacramento Eucharistiæ susceptiua est contrariorum, scilicet frigoris, & caloris, &c. ergo hæc non est proprietas quarto modo substantiæ. *Quintò* tandem: Hæc ipsamet oratio *Petrus currit*, ipso currente est vera; & sedente falsa; sed oratio est accidens de genere quantitatis: ergo non sola substantia est contrariorum susceptiua.

§. 13. Respondent communiter Peripatetici ad *primum* Formam, & priuationem non esse propriè contraria, de quorum ratione est opponi, vt extrema positiua, vt calor, & frigus, homo autem, & non homo priuatiuè dumtaxat opponuntur. Differentiæ autem essentiales sunt primo diuersæ, Denique Elementa à subiecto non excluduntur. Contraria quippè sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto debent sese mutuo expellere. Cæterùm Elementa ideò dicuntur contraria, quia contrarijs pugnant qualitatibus, vt ignis calore, & frigore aqua, &c. non quia ipsa sint contraria. Ad *secundum*, dicunt, primam substantiam solùm dici magis talem in munere substandi, vel accidentibus, vel prædicatis modò superiùs explicato, at ipsa res, quæ substat, non est magis substantia,

tia, quam alia; sicut nec hic leo est magis leo, quam alius. Ad *Tertium*, Angelos suscipere scientiam, & errorem, actus virtutis, & vitij, Orbes autem cælestes contrarijs motibus rotari, in Orientem scilicet, atque Occasum, dextrorsum, sinistrorsumque, quæ laxè contraria dicuntur. Ad *Quartum*, quantitatem dicunt, sustinere accidentia vt medium quo substantia sustentat illa; at vero in Eucharistiæ Mysterio, vbi substantia abest, illam non propria, sed substantiæ virtute miraculosè succolare accidentia. Ad *Quintum* aiunt, Orationem suscipere veritatem, & falsitatem extrinsecè, & ad mutationem obiecti; non intrinsecè recipiendo hanc, & abijciendo illam, vnde Petrus est potiùs, qui contraria recipit cursum, sessionem, &c.

§. 14. Ex dictis hactenus colliges primo, definitionem primæ substantiæ sic esse efferendam: *Est, cui repugnat esse in subiecto, & dici de illo*. Diximus *repugnat*, termino positiuè eiusmodi ineptitudinem significante, vt excludatur à definitione substantia vt sic abstrahens à primà, & secunda, seu vt præuenit omnem statum accidentalem vniuersalitatis, seu singularitatis, quæ quidem licet non sit in subiecto, neque de subiecto dicatur, non est prima substantia, quia negatiuè est ad vtrumque indifferens ad dici, & non dici. At prima substantia positiuè dicit repugnantiam ad esse in subiecto, & dici de illo.

§. 15. Colliges secundò in his definitionibus loco generis poni subiectum, & instar differentiæ proprietatem subsistendi, & substandi, vt attinet ad Metaphysicam considerationem; vel secundam intentionem, quæ exprimitur per *dici*, & *non dici* de subiecto, prout ad Logicum spectat, ritu scilicet definiendi concreta accidentalia, quam explicuimus agentes de Generis definitione. Substantia enim concepta vt prima, seu vt secunda, concretum quoddam accidentale est, vt de se liquet.

§. 16. Colliges tertiam definitionem secundæ substantiæ sic legitimè à Philosopho traditam, *quæ de subiecto dicitur, & subiecto non inhæret*, in quibus Generis, & speciei superioritas essentialis exprimitur, & inhærentia accidentibus in nata exploditur.

§. 17. Solet hic inquiri. An Deus collocetur sub hoc genere substantiæ Prædicamentalis? quocirca nihil nunc occurrit dicendum præter illa, quæ supra disputauimus Dissertat. 35. Theoremate quarto per totum, & Dissertat. 36. §. 12. & Dissertat. 37. Theorem. 3. §. 21. quę recolenda sunt, nè actum agamus.

DE PRÆDICAMENTO QVANTITATIS.

D. Seuerino Boethio interprete.

TEXTVS. *Quanti autem aliud quidem est Discretum, aliud autem continuum, & aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem in ipsis partibus constat, &c.*

Synopsis literæ Aristotelis.

I. HOc caput tres etiam partes habet; agit Philosophus in eo de quanto, siue de quantitate, quæ apud Theologos bifariam vsurpari solet. Primò in laxo quidem virtutis, seu perfectionis significatu, qua notione vis, potentia, atque perfectio cuiuspiam naturæ magna dicitur, aut parua, vt magna sapientia, pulchritudouè. Sic quantum accipit Vates maximus 1. Æneidos de cupidine Didonis præcordia inflammante canens.

——— Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fouet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ Deus ———

Rursus alia est quantitas pressiùs accepta, quę *molis* dicitur, quoniam corporum crassitiem, molemque significat, hæc quanti notio vulgaris est, nullique non propatula, quam etiam Martialis de Rhinocerotis vastitate loquutus, expressit.

Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat.

II. In prima capitis parte diuiditur primo quantitas in *Discretam*, cuius scilicet partes non copulantur communi termino, vt *Numerus*, & *Oratio*, & in *Continuam*, cuius partes copulantur termino communi, vt *linea*, *superficies*, & *corpus*. Dicitur autem terminus communis aliquarum partium id, quod simul est principium vnius, & finis alterius. Sic lineæ partes copulantur per intermedium punctum, quod idem, vnumque numero finit partem vnam, & inchoat aliam, ideòque punctum communis terminus est partium lineæ. Superficiei autem partes connectuntur per lineam, tanquam per terminum communem. Denique corpulentię partes (sic clariùs voco id, quod æquiuoco nomine alij corpus appellant.) Per superficiem colligantur: quæ vt planius percipiantur, solent Mathematici explicare, fingentes, punctum moueri, ac per fluxum puncti lineam fieri, superficiem verò per fluxum lineæ, atque corpulentiam per fluxum superficiei resultare. Et hæ quidem sunt Intrinsecæ rerum omnium mensuræ. Nam linea longitudinem estimat, superficies latitudinem mensurat, profunditatemquę corpulentia dimetitur, quas corporum tres dimensiones facetè complexus est Ioannes Audoenus lib. Epigram. 10 in Battologum.

Vox tua mensuris desiderat è tribus vnam,
Lata satis, nimium longa, profunda parum.

III. Rursus quantitas alia habet situm, & positionem partium inter se, vt *linea*, *superficies*, *corpulentia*, & *locus*. Alia eiusmodi situm non habet, vt *Tempus*, *Numerus*, & *Oratio*. Equidem singulis lineæ partibus designabo posituram, siue situm, hæc ad dextram iacet, illa sinistrorsum vergit, hæc ibi finem habet, illa indè incipit, &c. id, quod in tempore, nec numero nemo præstiterit. Nam temporis partes fluxæ sunt, nec alicubi certò sitæ, quamuis quodam prioris, atque posterioris ordine decurrant; sed vnà adueniente, præcedens cogitur abire, & vnà labente, debet altera succedere, iuxta illud Fu-

Fugit hora, & hoc, quod loquimur, indè est.

IV. In secunda capitis parte discriminat quanta per se, seu quanta propriè (vt vertit Boethius) ab his, quæ quanta sunt per accidens, supra enim iam memoratas quantitatis septem species per se, atque propriè quanta esse docet; Alia verò omninò quanta per accidens. Equidem si albedo magna dicitur, eo sanè est, quia per magnam protenditur superficiem, si motus longus est, non nisi quia temporis multùm insumit, &c.

V. In tertiâ tandem parte proprietates quantitatis enumerat tres, quarum *non habere contrarium* primas tenet, nec enim linea lineæ, nec numerus numero aduersatur, quod si quis obijciat, magnum opponi paruo, & multum pauco, respondet primo, ista non esse quantitates, sed relationes, quoniam nihil per se magnum, aut paruum dicitur, nisi ex collatione cum alijs, alioqui nec mons interdum diceretur paruus, cum Olympo comparatus, nec granum Mylij magnum minorum seminum respectu. Rursus respondet, ea tametsi quanta sint, siue relata, adhuc tamen contraria non esse, quoniam ab eodem subiecto non sese repellunt, quod contrariorum ingenium est, quinimmò idem ipsum si cum diuersis conferatur, magnum, simulque paruum dicitur. Ast hæc proprietas, etiam substantiæ genuina est.

VI. Altera proprietas est: *Non suscipere magis, & minus*, quæ etiam non quarto modo quantitatem consequitur, cum etiam substantiæ conueniat, tamen secundo modo propria dicitur, cum omni quantitati, tametsi non soli competat, vna enim linea non magis linea quàm altera dicitur, nec tempus tempore alio magis tempus. Proindèque quantum cum his aduerbijs *magis*, & *minus*, nunquam effertur: attamen cum hisce adiectiuis *maior*, & *minor* dici potest. Nam vnam linea, qua alia maior est, &c.

VII. Tertia demum proprietas, & quidem quantitati maximè germana est quod *ab illa dicantur res æquales, vel inæquales*, id est, quæ pariter longæ, & latæ, seu corpulentæ sunt in continuis, in Discretis haud secùs, quæ æqua pollent diuturnitate, æquales sunt tempore, & quæ multitudine sunt impares, numero dicuntur inæquales. Hinc igitur æqualitas propriè accepta non nisi secundùm harum aliquam quantitatem desumitur, nam secundum qualitatem, vt albedinem aut scientiam parilitas, non res facit æquabiles, sed similes, de quibus in sequentibus de more disseremus.

DISSERTATIO XL.

An quantitas distinguatur realiter à substantia?

§. 1. VT mos est Nominalibus priscas veterum Sophistarum opiniones tenebris, & obliuione ab Aristotele sepultas in lucem reuocare, quantitatem dicunt, à substantiâ non distingui, cadauerosum quidem dogma, quod olim Stoici contentiosè docuere, teste Alexandro Aphrodisæo in Comment. Metaphys. lib. 3. Suscitauit eiusmodi sententiam Ochamus cum sequacibus. Sed verò rursus illam per Thomistas Doctores, atque Scoticos relegatam ab Scholis, emortuamque recentes nostri sæculi Opinatores ab Orco ad vitam iterum reuexere. Legi nonnullos; & inter eos Franciscũ Bonæ spei Nominalistas quosdam leuis, aut nullius authoritatis sectantem, quibus cum tenet, quantitatem non distingui realiter à substantia.

§. 2. Probant id vnico illo argumento, quod vulgo equum Ochami vocant: *Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate*; non est necessitas distinguendi quantitatem à substantia, cum substantia per se ipsam præstare possit, quod per quantitatem præstare dicitur: ergo non distinguuntur realiter. Sed vero hunc equum suos ipsius sessiones calcitrantem infra ostendam. Hæc Opinio est prorsus falsa, nè quid acerbius dicam. Nam Tellezius Metaphys. Disput. 61. sect. 1. ait, illam parum fæliciter sequutos fuisse Nominales, *eosque in hàc re grauissimè cautè legendos, & ad quæstiones de nomine potiùs esse remittendos, in quibus possunt esse audentiores*. Fonseca 5. Metaphys. cap. 13. quæst. 2. notat, quòd Eucharistia solum proteruos non conuincit, vt fateantur realem distinctionem quantitatis à substantia. Rubius de quantitate quæst. vltima, nostram, idest vtriusque Scholæ sententiam ait, *esse ferè in Philosophia euidentem, & Fide præsupposita, ægrè, vel nullo modo sustineri posse oppositam*. Nominalium PP. Complutenses Disput. 13. quæst. 1. censent, hanc sententiam licet non sit hæretica, quia saluat veritatem Transubstantiationis: *Quia tamen est contra communem Theologorum consensum in Ecclesia receptum, non carere temeritate*. Becanus de Sacramentis cap. 20. quæst. 1. supponit, vt certum de Fide, quantitatem panis, & vini manere sine subiecto, quod in hac quæstione Nominales inficiantur. Tandem omnibus antiquior Ricardus de Media Villa quodlibeto secundo quæst. 2. ait, *Quod illa euasio magnam absurditatem contra Philosophiam ponit, & veritati, quam tenet Sancta Ecclesia de Sacramento Altaris derogat, cum firmissimè teneat Sancta Ecclesia, & firmiter debemus tenere cum eâ, quod in Sacramento Altaris remanet per Diuinam potentiam quantitas sine substantiâ panis, & vini, hæc etiam quantitas panis sine substantiâ panis, & quantitas vini sine substantiâ vini.* Sed quidquid sit de huius opinionis temeritate, & censuris.

PROTASIS.

§. 3. DIco. Quantitas realiter, & tanquam res à re distinguitur à substantia, est expressa Aristotelis 7. Metaphys. Tex. 8. vbi postquam docuisset, materiam primam esse subdit hæc: *Longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantia: Quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primo insunt, illud est*

est substantia. Nihil potuit clarius dici: idque sæpe docet sexcentis in locis. Vnde ridenda potius, quam impugnanda sunt glossemata Nominalistarum volentium trahere Aristotelem nolentem repugnantemque. Quoniam cum ille distinctionem realem quantitatis à substantia doceat contra Platonem, & contra Stoicos, qui substantiam à quantitate distingui negabant: nulla sane erit solutio quæ pro libitu, gratisque conficta *non* sit, quandoquidem nulla erit interpretatio; quæ in aliquo sensu, vel membro distinctionis non admittat, Aristotelem asseruisse, substantiam non distingui à quantitate, quod perinde est, ac dicere, illum non impugnasse Platonem, & Stoicos tale dogma tenentes, sed potiùs illos fuisse sequutum, quod nisi fatuis nemo persuadeat. Adde quod omnia recentiorum interprætamenta, quibusuis terminis explicentur, tandem recidunt in hunc sensum: Videlicet, quod Aristoteles substantiam dixerit realiter distingui à quantitate, quæ fuerit accidens; non à quantitate, quæ est substantia: de quo est tota quæstio, estque liquidissima petitio principij, fateri melius erat se contra Aristotelem, omnemque Peripateticorum Scholam Platonizare.

§. 4. Probatur assertum primo ratione, & aduersus Ochamum Nominalistæ Scholæ caput. Sic argumentor; Quodcunque identificatur cum alio, ita est eiusdem rationis cum illo, vt si distinguatur numero ab alio, etiam idemtificatum realiter distinguatur numero ab eodem: Item si distinguatur specie, vel genere ab alio, etiam quid quid est idemtificatum cum illo distinguatur etiam specie, vel genere ab eodem (hoc est genere vel specie fundamentali, scio enim in rebus non dari genus, nec speciem formaliter) ergo substantia non identificatur realiter cum quantitate. Antecedens est manifestum. Nam vnitas vel distinctio realis est passio entis realis competens ipsi secundum id totum, quod realiter est. Probo consequentiam: quandocumque aliqua ita se habent vt vnum eorum est eiusdem rationis specificæ cum alio, & alterum est diuersæ rationis specificæ cum illo, illa sunt omnino realiter distincta: At qui substantia, & quantitas se habent hoc modo: Ergo sunt omnino realiter distinctæ. Discursus bonus: Minorem, in qua est difficultas, ostendo. Longitudo v. g. & latitudo aeris identificantur per te cum substantia aeris: Similiter longitudo, & latitudo ignis identificantur cum substantia ignis: at qui substantia ignis, & aeris sunt diuersæ rationis specificæ: & longitudo, & latitudo vtriusque sunt eiusdem rationis specificæ inter se: ergo substantia, & quantitas ita se habent, quod quantitas sit eiusdem rationis specificæ cum aliquo, & substantia non sit eiusdem rationis specificæ cum eodem: ergo omnino realiter distinguuntur.

§. 5. Respondet Ochamus quodlibeto quarto quæst. 25. ad 3. vnam, & eadem rem posse secundum diuersas formalitates constitui in diuersis prædicamentis, proindeque *Possibile est quod duæ res sub eàdem specie quantitatis contineantur, & sub diuersis speciebus substantiæ: & ita concedo* (inquit ille) *quod longitudo ignis, & aeris, quæ non distinguitur ab igne, & aere, sunt eiusdem speciei in prædicamento quantitatis, & tamen sunt diuersæ speciei in genere substantiæ* Et horum rationem continuo subdit *Sed licet longitudo prædicetur vniuocè de hac, & illa longitudine; non tamen de pronomine demonstrante rem extra. Exemplum: Hæc prædicatio est vniuoca, & in quid: Hæc longitudo est longitudo; non tamen hæc prædicatio: Hæc substantia est longitudo, vel hoc est longitudo, demonstrando substantiam per terminum absolutum*. Hæc ille: Verum enim verò istud argumentum male vexat Ochamum, nec ille hoc responso vim, atque difficultatem illius euadit, vt iam monstrabo, notauitque Lalemandetius disput. 9. Metaphys. part. 2. Clypeo quarto *Nec enim* (inquit) *Nominales aliter se possunt tueri, & liberare se à vi dictę rationis pro opinione communi allatæ*. Ita ille. Sed age: solutionem à se non impugnatam sic impugno.

§. 6. Contra primo: quæcunque distinguntur specie distinguuntur plusquã numero: ergo impossibile est, quod nõ distinguantur realiter: patet consequentia: Nã distinctio numerica est distinctio realis: ergo quæ distinguitur plusquam numero, nequeunt non realiter distingui: Sed per te longitudo ignis, & ignis sunt diuersæ speciei in genere substantiæ: ergo in omni genere realiter distinguntur, etiam si in genere quantitatis sint eiusdem speciei. Rem explico: Do tibi vnam & eamdem rem posse statui in duobus prædicamentis: at vero impossibile est, quod ea in vno prædicamento identificetur realiter cum aliquo tertio; & quod in alio prædicamento realiter distinguatur ab illo: Nam etiam si tibi gratis permitam, albedinem esse in prædicamento qualitatis vt est albedo, & in prædicamento relationis, vt est similitudo; attamen repugnat, quod in prædicemento qualitatis distinguatur realiter à nigredine, & in alio prædicamento idetificetur realiter cum illa: Ergo tametsi concedam tibi, aerem, & longitudinem in genere quantitatis esse eiusdem speciei; eo ipso quod in genere substantiæ sint diuersæ speciei, iam in genere substantiæ contrahunt distinctionem realem, quam in genere quantitatis amittere non possunt. Consequentia est euidens: Argumentum enim solum vult distinctionem realem inter substantiam aeris, & suam quantitatem, qualem habent duo indiuidua eiusdem speciei, & tibi permittit, quod pertineant ad diuersa prædicamenta, etiam si sint eiusdem speciei.

§. 7. Contra secundo. Falsò asserit Ochamus, quod licet hæc propositio sit vniuoca, & in *quid Hæc longitudo est longitudo*, at vero hæc sit falsa: *hæc substantia est longitudo*. Probo, eam debere esse veram in suâ sententiâ, atque id ostendo hoc syllogismo expositorio: *Hæc quantitas est longitudo: hæc substantia est hæc quantitas: ergo hæc substantia est longitudo*. Consequentiam teneris concedere; & habeo intentum: quod si illam negas; ergo est falsa ratione præmissarum; At qui maior est euidens: ergo minor est falsa, quæ est

tua

tua sententia: ergo hæc propositio: *hæc substantia aeris, est hæc quantitas aeris*, est absolutè falsa, quod intendo.

§. 8. Contra tertio: quod hæc propositio: *hæc substantia ignis est longitudo ignis*, sit falsa, non prouenit solum ex diuerso modo significandi rem, vt ait Ochamus q. 26. Quodlibeti citati, vbi adducit exemplum in homine, & humanitate: quæ etiam si vnam, & eamdem rem significent, attamen hæc est vera: *homo est albus*: & hæc falsa *humanitas est alba*. Nec hoc exemplum iuuat Ochamum, sed potius est contra illum: Ergo illa propositio est falsa ex defectu identitatis inter subiectum, & prædicatum. Probo antecedens quod homo sit albus, & humanitas non sit alba, non prouenit ex solà diuersitate significandi per exclusionem entitatis realis per ipsum modum significandi; sed ex hoc quod *homo* præter humanitatem importat entitatem realem, quæ est suppositum, seu personalitas, quam realiter distingui ab humanitate Fides docet Orthodoxa: Ergo sicut hæc propositio humanitas est alba est falsa, ex defectu identitatis requisitæ inter suppositum subiecti, & suppositum prædicati: ita similiter illa propositio *hæc substantia est longitudo* falsa est ex defectu etiam identitatis inter subiectum, & prædicatum: quia substantia hæc quamuis sit quanta, quamuis corporea, & longa; importat tamen aliquid amplius ex parte subiecti, nempè entitatem realem entis per se, quam prædicatum *longitudo* non importat, nec supponit.

§. 9. Probatur secundo ratione principali, quæ communiter desumitur ex Sacro Eucharistiæ Mysterio, in quo quantitas substantiæ panis, & vini separatur realiter à substantia illorum: manentque accidentia sine subiecto, vt Fide sanctum est; atqui non separaretur quantitas à substantia neque per miraculum, si non distingueretur realiter ab illa: Ergo; quod autem destructa substantia panis, remaneat quantitas ibi, patet ex hoc quod accidentia, quæ remanent, vt albedo, sapor, figura, &c. habent pluralitatem, & extensionem partium, habent diuisionem, & impenetrabilitatem, possunt mensurare, & mensurari, quæ omnes sunt formales effectus quantitatis: ergo proueniunt à remanente forma quantitatis: non enim dari possunt effectus formales sine forma.

§. 10. Ad hoc argumentum respondent primò Nominales, Echuaristica accidentia esse quidem impenetrabilia, extensa, &c. sed non à quantitate substantiæ, quæ simul cum illa in Corpus transijt Christi Domini, sed à quantitate propria illorum: Censent enim, omnem entitatem materialem habere secum idemtificatam suã quantitatem: quam solutionem multis impugnant nostrates.

§. 11. Contra primo: Si accidentia Eucharistica haberent propriam quantitatem à quantitate substantiæ distinctam non possent in eàdem parte subiecti naturaliter simul cohærere sapor v. g. & color panis: Nam in sententia Nominalium essentia quantitatis consistit in extensione in ordine ad locum: Ergo eiusmodi qualitates non essent compossibiles in eodem loco, alioqui daretur naturalis corporum penetratio. Quòd si qualitates habentes propriam suam quantitatem, possunt naturaliter poni in eodem loco: Ergo & duæ Hostiæ consecratæ possent sese penetrare, & in eodem loco circunscribi, probatur consequentia: duæ qualitates habentes suas proprias quantitates possunt naturaliter poni in eodem loco per te; at qui duæ Hostiæ consecratæ nihil aliud essent quam qualitates habentes suas proprias quantitates: ergo possent in eodem loco sese penetrare. *Fonseca*, M. *Sotus*, *M. Sanchez*, *Ouiedus*, *Poncius*, *Spinula*, & alij.

§. 12. Contra secundo: Quia accidentia illa separata immutantur ab extrinseco, possunt enim Calefieri, & frigescere, vt patet ad sensum: ergo sunt in aliquo subiecto communi, ex quo tales effectus educantur, alioqui crearentur, & ignis crearet calorem, produceret enim formam sine dependentia à causa materiali, hoc est à subiecto, in quo reciperetur. Nec dici potest, ea omnia præstari à Deo miraculosè: quia non est vero simile, quod ad omnem accesum candelæ, & ad quenlibet flatum aëris, quo calescit, vel frigesit Hostia, multiplicentur quasi per ludum miracula. Rursus si hæc accidentia non essent in communi subiecto, sequeretur, quod contrariæ illæ qualitates (v.g. calor, & frigus) quas reciperent, non se mutuò expellerent, quòd experimur, esse falsum; Expulsio autem mutua contrariorum est in ordine ad commune subiectum: quod quia limitatum est, non est capax vtriusque qualitatis contrariæ; atqui calor in accidente Eucharistico corrumpitur per frigus, & è conuerso: ergo à communi se expellunt subiecto, quod est quantitas. *Fonseca*, *Albertinus*, *Poncius*, *Ouiedus*, & alij.

§. 13. Contra tertio: Si accidentia Eucharistica non vnirentur in quantitate panis tanquam in communi subiecto, nullo modo vnirentur, & consequenter nullam haberent colligationem, possetque color manere amoto sapore, quod experientia falsum esse constat. Probatur sequela: Quia cum ista accidentia non se habeant tanquam actus, & potentia, nullus alius excogitari potest inter ipsa modus vnionis, nisi secundum quod eidem communi subiecto insint; atqui hoc nullum aliud esse potest, nisi quantitas panis: ergo hæc remanet destructa substantia, *Albertinus*, *Complutenses*, *Merinerus*, &c.

§. 14. Respondet secundò Arriaga, ibi remanere vbicationes materiæ (quæ cum sint accidentia realia, & Fides doceat, ibi manere omnia accidentia, necessario debent ibi manere) illæ autem sunt, quæ proximè fundant impenetrationem, quatenus natura sua sunt incompossibiles cum vbicationibus alterius materiæ: Rursus quia reieccerat solutionem Nominalium dicentium, species Eucharisticas esse impenetrabiles, quia quælibet earum est identificata cum sua quantitate, à qua habent esse impenetrabiles: Respondet, Deum impedire penetrationem eorum accidentium, ne tantum miraculum patefiat: Vnde apud ipsum quod ea accidentia non penetrentur, habent à Deo impediente & non à quantitatibus secum identificatis.

§. 15. Sed verò hanc solutionem Ariagæ non segniter impugnarunt iam alij, ostenderunt que esse insufficientem. Tum quia dato, quòd remaneat vbicatio materiæ, quæ potest illos effectus præstare extensionis, impenetrationis, mensuræ, diuisibilitatis, &c. cum primum mouetur illa Hostia, deperditur vbicatio relicta à materia; at qui adhuc aliò mota Hostia, experimur eosdem effectus: ergo illi non proueniebant ab vbicatione materiæ. Sic *Stephanus Spinula, Ouiedus, &c.* Tum etiam quia vbicatio materiæ non est ratio formalis impenetrabilitatis, sed vt plurimum est conditio, ad hoc vt materia, seu quantitas causet suum effectum formalem sicut est approximatio, seu applicatio in causis effectiuis: alioqui quantitas non esset immediatè in actu primo resistitiua penetrationis, sed productiua vbicationis, quæ penetrationi resisteret: Ergo vbicatio, siue præsentia materiæ, quæ dicitur ibi remanere, non reddit species impenetrabiles. Adde quod vbicatio in communissima sententia est modus: ergo non potest remanere ablata materia: *Alphonsus, Ouiedus, Spinula, &c.* Sed prædictam solutionem ex suismet Arriagæ Principijs nos aliter impugnamus.

§. 16. Contra primo: perte materia prima est quantitas; *Vbicatio* realiter distinguitur à materia: ergo vbicatio realiter non est quantitas: ergo non potest præstare effectus formales quantitatis. Probo consequentiam: Vbicatio non reddit impenetrabilem materiam à qua distinguitur: quia effectus vbicationis per te est *rem ponere præsentem potius hic*, quam alibi: ergo vbicatio nec species reddit impenetrabiles. Ostendo antecedens: Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; ideoque per te quantitas non distinguitur à materia, quia hæc seipsa præstare potest, quod quantitas præstaret; atqui non minùs materia quoad hunc effectum reddendi se, & suas qualitates impenetrabiles seipsa præstare potest quod vbicatio præstaret: ergo materia seipsa est impenetrabilis, & non per distinctam vbicationem: Ergo in Sacramento Eucharistiæ vbicatio non reddit species impenetrabiles. Ecce Equus Ochami nobis etiam deseruit.

§. 17. Contra secundo à contrario sensu: Ergo vbicatio materiæ est quantitas, ac proinde deuorat hoc ipsum, quod respuere contendis: admittis enim accidens realiter distinctum à substantia, cuius muneris est esse subiectum proximum substentans accidentia Eucharistica, illaque reddens impenetrabilia, extensa, &c. Et nihil aliud volunt Doctores Reales adponendam quantitatem realiter distinctam à substantia. Consequentia deducitur ex verbis huius Authoris disput. 5. Metaphys. sect. 1. num. 1. *Primo quærimus*)inquit) *an quod fundat talem impenetrationem (illud dicimus quantitatem) sit accidens superadditum materiæ, an sua essentia?* Sic argumentor: quod fundat impenetrationem partium illud dicis quantitatem; Vbicatio Materiæ in Sacramento Echuaristię per te fundat impenetrationem partium: ergo illam dicis quantitatem.

§. 18. Contra tertio: per te Vbicatio materiæ licet non sit naturâ suâ ratio formalis impenetrabilitatis, eo præcisè, quòd sit accidens relictum à substantia quæ conuersa est in Corpus Domini, habet hoc, quod species reddat impenetrabiles: ergo etiam duratio materiæ potuit eosdem effectus formales præstare. Consequentia est bona: nam duratio materiæ est etiam accidens distinctum à materia per te, & non potuit conuerti in Corpus Domini: Ergo sicut vbicatio quin esset quantitas, potuit tamen præstare effectus formales quantitatis, eodem iure potuit etiam duratio eosdem effectus præstare accidentibus Echuaristicis.

§. 19. Contra quarto: Perte Deus impedit miraculosè quòd qualitates Eucharisticæ penetrentur: ergo malè ponis vbicationem, quæ illas reddat impenetrabiles; superfluit enim vbicatio, quando effectus vbicationis, & quantitatis suppletur à Deo. Contra quinto: Nam vbicatio non recipit figuram, nec albedinem, aut saporem panis, nec recipitur ab illis accidentibus: ergo non potest reddere impenetrabiles huiusmodi qualitates, consequentia liquet: est enim impossibile, quòd qualitas, aut quælibet entitas habeat effectum formalem, seu materialem alicuius causæ, quin illam recipiat, vel recipiatur ab illa: Antecedens patet eo quòd ipse Arriaga neutrum poterit probare: non est enim magis fundamentum ad ponendam vbicationem materiæ in Albedine, vt in subiecto, quam ad ponendam albedinem in vbicatione, vt ostendo ex ipsius verbis: aiebat enim, num. 5. Reales malè discurrere: *Ponendo in ea exigentia, quam quantitatem vocant, tanquam in subiecto calorem, colores, lucem & alia accidentia, quod non habet maius in re fundamentum, quam ad ponendum calorem in colore, & è contrario*: Ergo nec Tu habes fundamentum, vt ponas albedinem in vbicatione, aut vbicationem in albedine.

§. 20. Contra denique sexto: nam si Vbicatio non est subiectum ex quo educatur calor, frigus, & aliæ formę quoties ab agente naturali alteratur Hostia consecrata, non caues incredibilem illam miraculorum scaturiginem, quam sine moderatione, aut ratione Nominalismus admittit. Vt si puer quispiam perludum sexcenties in hora admoueat candelam speciebus consecratis, Deus mille, & ducenta miracula patrare teneatur in sexcentis caloris, totidemque frigoris creationibus: & quod æque ridiculum est, quòd ignis quantumuis approximetur Hostiæ, non illam calefaciat, nec aër frigidus illam refrigeret, sed potius abstineant ab agendo, ad hoc vt Deus solus per creationem producat calorem, & frigus. Certè in Realium sententia illo dumtaxat miraculo, quo scilicet quantitas à substantia separatur, omnia facilè componuntur: Ergo tua vbicatio ad nihilum valet.

§. 21. Occurrit Hurtadus monens, non debere nos esse parcos in miraculorum multiplicatione circa hoc mysterium, in quo Deus, vt ostenderet, se nullis naturę legibus teneri, *memoriam fecit mirabilium suorum*. Rursus Arriaga ait, nos ne admittamus duo, vel tria miracula ampliùs discurrere contra duo principia naturalia: Primo distinguendo quantitatem à sub-

substantia, secundò ponendo in ea tanquam in subiecto, colorem, lucem, & alia accidentia.

§. 22. Verum enim verò Hurtadus non seruat æquitatem, seu medium virtutis. Nam vult, nos esse parcos, auarosuè entitatum, & prodigos miraculorum, perindè, ac si miracula non essent entitates. Sed iam æquum Ochamicum in eos stimulo. Non sunt multiplicanda miracula sine necessitate; sed nulla est necessitas admittendi tam profusam miraculorum segetem, cum quantitas separata se sola præstare possit quidquid tot miracula præstant: ergo multiplicanda non sunt. Quid rogo, respondebunt ad hæc? negabunt prorsùs minorem, dicentque, se habere necessitatem multiplicandi miracula; sed ego illis repono, nos etiam vrgeri necessitate multiplicandi entitates, quæ est eadem, quæ illos vrget. Vnde equus, ille, seu Pegasus Ochamicus nos minimè vexat, vel suos etiam excutit Sessores. Arriaga autem dum nos incusat, quòd discurramus contra duo principia naturalia, ne admittamus duo, vel tria miracula ampliùs; Ipse potius peccat discurrendo contra sexcenta principia, ne vnam dumtaxat admittat entitatem quantitatis: certè plura sunt, vel tria miracula, quàm vna quantitas. Deindè fallitur dicens, ea esse principia naturalia. Nam hæc propositio *quantitas, seu exigentia impenetrabilitatis distinguitur à substantia*. Et hæc: *Accidentia subiectantur in quantitate*. Non quidem sunt principia, sed potiùs sunt ipsa conclusio, de qua est tota quæstio. Denique ipse sibimet infra contradicit, aiens, se non posse vlla certa ratione probare, impenetrabilitatem conuenire materiæ per suam essentiam. Nam si nos destrueremus duo principia naturalia, vt ille dicebat, iam hæc esset certa ratio nos impugnandi, & contrariam sententiam solidè probandi.

§. 23. Respondet tertiò Bonæ speius, ibi remanere potentiam receptiuam instrumentalem materiæ tanquam subiectum cæterorum accidentium. Ex quo liquet, accidentia posse calefieri, frigefieri, intendi, &c. haud secùs, ac si existerent in materia. Rursus infra parum huic responsioni fidens, sic ait: [*Mallem dicere*, in Eucharistia tot esse miracula, quot accidentia, nec illa posse calefieri, frigefieri, &c. nisi per eleuationem agentis naturalis miraculosam, & dicere cum Psalmista *Memoriam ibi fecit mirabilium suorum*, quàm præcisè ad vitanda ista miracula, ibi fingere vnam quantitatem realiter distinctam, quæ sui vestigium, aut signum vllum in natura *non habet*,] ita ille Disput. 2. de quantitate dubio 3. num. 95.

§. 24. Sed contra primo: hæc responsio futilis est, atque easdem patitur instantias, ac præcedens, vnde solùm mutato nomine *Vbicationis* in nomen *Potentia receptiua materiæ*, præcedentes impugnationes in eamdem poteris instaurare. Contra secundo. Potentia receptiua materiæ, vel est substantia, vel modus substantiæ, vel accidens? Si est substantia; non potuit remanere in Eucharistia, sed conuersa fuit in Corpus Domini. Si modus? similiter nequit perseuerare separatus à substantia. Si est Accidens; iam admittis id ipsum, quod nos volumus, nempè accidens absolutum distinctum realiter à substantia, & qualitatibus, cuius formalis effectus sit reddere illas qualitates extensas, diuissibiles, impenetrabiles, &c. Atqui hoc vocamus quantitatem; immò non solum vocamus, sed reuera est: ergo Bonæ speius deuorat quantitatem, quam reijcit. Contra tertio: apud bonos Nominalistas non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; nulla est necessitas distinguendi realiter potentiam receptiuam à materia prima, cum hæc per se ipsam possit suas formas recipere: Ergo distinguenda non est potentia receptiua, quæ in Sacramento Eucharistiæ remaneat, abeunte materia: Vel eodem ego iure distinguam etiam quantitatem. Profectò Bucephalus iste Nominalisticus interdum suos potiùs gregarios milites proterit, non hostes. Contra quarto. Dicis, te malle tot miracula admittere, quò accidentia, quàm fingere vnam quantitatem realiter distinctam, quæ nullum sui vestigium, aut signum habet in natura. Repono, nos malle vnicam quantitatem admittere, quam tot fingere miracula, quorum ipse nullum vestigium, nec signum monstrare potest. Deinde vbi rogo, est vestigium, vel signum, quod vidisti in natura, ad distinguendam potentiam receptiuam materiæ ab ipsa materia? Cur à nobis exigis vestigia, & signa quantitatis?

§. 25. Hinc respondeo ad Nominalium argumentum: nego minorem. Nam necessitas vrget, maximè in Eucharistiæ Sacramento distinguendi quantitatem à substantia panis: *Primò*, vt tot accidentia habeant subiectum illa sustentans. *Secundò*, vt mutationum, & alterationum termini educantur de præiacente materia secunda, & agentia naturalia, naturali modo illas producant: *Tertiò*, vt contraria habeant palæstram suis pugnis exercendis designatam, idest commune subiectum, à quo mutuò se expellant: *Quartò*, vt qualitates illæ sint extensæ, impenetratæ, diuisibiles, vbicatæ: *Quintò*, vt sint vnitæ, nam cum non se habeant vt actus, & potentia, neque vt partes continui homogenei, &c. non nisi ratione subiecti possunt vniri, alioqui erunt veluti scopæ solutæ. Mitto alias ex his consectaneas, quæ si non sufficiant, adiungam etiam necessitatem, quæ præmit Nominales, vt confingant tot miracula, quæ vt edixi supra, non sunt multiplicanda absque necessitate. En quibus necessitatibus vnicam entitatem admittimus.

§. 25. Objicies. Materia prima per se ipsam est receptiua formarum substantialium: ergo & per se ipsam exigit, quæ necessaria sunt ad earum receptionem; sed extensio, & impenetratio omninò exiguntur ad earum receptionem: Igitur per se ipsam exigit hos actus: ergo se ipsa est quantitas, patet consequentia, nihil enim aliud est quantitas, quàm exigentia illorum actuum.

§. 27. Respondeo concedo antecedens, quod nega-

neg ... à Bonæspeio, alioqui multiplicatore en- tita nm, & distinguo consequens per se ipsam, id est immediatè nego consequentiam, per se ipsam, id est, vt subiectum *quod* remotum omnium dispositionum ad receptionem formarum, concedo. Deinde data minore, quæ sublumitur, distinguo similiter consequens: Ergo materia se ipsa exigit hos actus se ipsa, id est, quòd immediatè, & vt *quo* sit ratio extensionis nego, se ipsa, id est, quòd tanquam radix quantitatis sit genuinum subiectum *quod* actuum quantitatis, concedo.

PARERGON.

§. 28. PRofectò (vt etiam Rubius, Fonseca, Oña, & Mag. Ioan. à S. Thoma optimè notauere) Fides Orthodoxa nos in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento docuit hanc philosophicam veritatem, nempè, quantitatem realiter à substantia distingui, separarique posse. Sicut & Incarnationis Dominicæ Mysterium certam nobis attulit cognitionem distinctionis suppositi à natura in prædicamento substantiæ, quam Philosophorum præsenserat nemo. Et quidem Nominalium eò peruenit audacia, vt nisi in Hostia Eucharistica Deus hasce qualitates à panis substantia realiter diuelleret, similiter etiam docerent, qualitatem non distingui realiter à substantia, vt benè obseruat M. Sotus: *Et certè* (inquit ille) *nisi fides Sacramenti id vetaret, qui negant quantitatem distingui, idem negarent de omni qualitate*. Sed dices, vnde nos, & Sotus colligamus, Nominales id negaturos? Respondeo, hoc manifestè colligi ex effræni illa, & petulante Equi Ochamici animositate, non enim dubitem, illis hoc Mysterio præreptam fuisse huiusmodi argumentationem: *Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate*; Sed nulla est necessitas distinguendi realiter calorem ab igne, aut albedinem à niue, cum Ignis per se ipsum possit calefacere, & Nix possit se ipsa disgregare visum: Ergo calor non distinguitur realiter ab igne, nec albedo à niue. Ecce Nominalismus, quid ad hæc? Quis nunc probet necessitatem distinguendi realiter albedinem à niue? Certè nec ipsi Nominales, qui albedinem à niue, & pane distingui concedunt, probare, aut ostendere poterunt eiusmodi necessitatem: Ergo, & ipsi nulla necessitate monstrata, distinguunt hasce entitates: Ergo non semper entitates sunt propter necessitatem distinguendę. Hę duæ consequentiæ ex præmissis sunt ineuitabiles, equo que fatales.

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo.

DISSERTATIO XLI.

In quonam consistat ratio formalis quantitatis vt sic, prout genus est continuæ, atque discretæ?

THEOREMA I.

Nonnulla prænoto, Doctorum sententias recenseo, & aperio.

§. 1. VT omninò certum apud omnes suppono, à quantitate hos effectus formales oriri, videlicet Mensuram, diuisibilitatem, impenetrationem, extensionem, &c. *Mensura* ex Aristot. est *id, quo rei quantitas cognoscitur*, sic palmus est mensura, nam si conferatur cum ligno, monstrabit ligni quantitatem. Diuisio est *actus quo res in partes secatur integrantes*, Impenetratio est *mutua, & actualis expulsio corporum ab eodem loco*, vnde Impenetrabilitas erit *positiua resistentia corporis, ne aliud suum locum repleat*: Extensio est *dispositio partium inter se*, & hæc est duplex, vna *in ordine ad totum*, & alia *in ordine ad locum*. Extensio substantiæ in ordine ad totum, quæ etiam dicitur *in ordine ad se* est *habere partes extra partes*, ita, vt vna pars entitatiuè non sit alia, vt cum entitas capitis, non est entitas manus, &c. Extensio in ordine ad locum est habere partes non solùm entitate distinctas; sed etiam loco distitas, vt cum caput non solum est extrà colli entitatem, sed etiam extra illius locum. Possunt huiusmodi actus etiam sumi radicaliter, id est pro ipsa essentia, & radice quantitatis, à qua profluunt, sic pro diuisione vsurpatur diuisibilitas, pro extentione extensibilitas, &c. quæ quidem vt minimum sunt propriæ passiones quantitatis, illamque explicant saltem descriptiuè, esto quòd essentia illius ita obscura latens, & cognitu difficilis sit, vt à nobis certò assignari non possit, vt affirmant Antonius Andreas, Lalemandetius, & alij Scotistæ. Certum enim est, quantitatis essentiam in eiusmodi actibus consistere non posse, vt in actuali diuisione, actuali mensura, extentione locali, &c. quinimmò dari potest quantitas, quæ actu nec mensuretur, nec diuidatur, nec loco extendatur, sicut & homo est homo, quin actu discurrat, aut ratiocinetur, quamuis Hominis essentia in radice ratiocinationis consistat. Sic etiam certum est, quantitatis essentiam consistere in radicali mensura, diuisione, impenetratione, &c. seu in eo quod est esse radicem eiusmodi actuum. At vero valde aduertendum est, ordinem radicis seruare etiam ordinem actuum radicatorum; vnde præsens difficultas non satis expeditur, si solùm assignentur radicationes diuisionis, impenetrationis, &c. Hæc enim quamuis vera, erit tamen diminuta explicatio (vt benè notauit Mag. Ioan. à S. Tho.) quia non explicat quantitatem per id, quod est ratio formalis eiusdem, sed tantum per id, quod radicaliter petit. Manifestum est enim, essentiam rei non solùm consistere in radicatione actuum, vel

passionum eiusdem; sed etiam in aliqua alia formali ratione quæ illam constituat, quam si assequi non possimus, fatendum est ingenuè, eiusmodi explicatus, non definitiones, sed meras esse descriptiones. Quo circa, Doctores in quatuor diuersas abiere sententias.

§. 2. Prima sententia tenet, quantitatis rationem formalem, & primariam esse rationem mensuræ, vt docet Magnus Albertus super hunc locum tract. 8. cap. 1. tribuiturque Diuo Thomæ 1. par. quæst. 28. artic. 2. vbi quantitatem definit per mensuram substantiæ, & clarius Opusculo 52. *Propria ratio quantitatis* (ait) *quæ competit quantitati quatenus quantitas est, ratio est mensuræ.*

§. 3. Altera sententia stat pro diuisibilitate, quam defendit Scotus in Prædicamentis quæstione decima septima. *Ideò aliter dicitur* (inquit ille pro sua conclusione) *quod licet per se mensura conueniat quantitati, non tamen est illa ratio essentialis quantitatis secundum quòd ei attribuitur ratio generis; sed ratio diuisibilitatis, & hoc de illa diuisione, quæ est in partes eiusdem rationis, &c.* id quod clarè videtur desumi ex Aristotele, qui 5. Metaphys. Textu 8. quantum docet esse: *Id quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum est esse.* Huic sententiæ videtur etiam adhæsisse Angelicus Doctor in primo Distinct. 16. quæst. 1. artic. 1. ad primum: *Æqualitas* (inquit) *consequitur rationem quantitatis, quæ consistit in quadam diuisibilitate, &c.* Sequuntur ex Thomistis Capreolus, Soncinas, Iauellus, aliique pauci.

§. 4. Tertia sententia, quantitatis essentiam consistere affirmat in extensione in ordine ad replendum locum, seu impenetrabilitate, id est in ratione illa extensiua, per quam substantia exigit occupare locum extensum, atque distinctum situ, & positione à loco alterius, & redditur impenetrabilis cum alio corpore. Hanc tradidit Ochamus in Logica cap. de quantitate, quam Nominales sequuntur, Nominaliumque moderni sequaces Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Alphonsus, Comptonus, &c. & quidem argumentis destituti, vt infra ostendam.

§. 5. Quarta denique sententia docet, effectum formalem primarium quantitatis esse rationem habendi partes, seu extensionem partium in ordine ad se, qua scilicet vna pars est extra aliam entitatiuè, ita vt omninò quòd vna substantiæ pars, siue quantitatis, aut qualitatis non sit alia, proueniat à sola quantitate, est commune Thomistarum dogma, quod etiam externi communiter sequuntur.

§. 6. Iam vero non est, cur tempus teramus in refellendis prima, & secunda sententia, quas iam nostro sæculo à Dialecticis desertas videmus. Et quidem Thomistæ omnes reijciunt opinionem Alberti Magni constituentis quantitatem per rationem mensuræ, vt M. M. Ferrariensis, Sonzinas, Iauellus, Sotus, Arauxo, Sanchez, Gallegus, Complutenses, Ioan. à S. Thoma, Hiacynthus à Parra, Dominicus Lynceus, & Iuniores cæteri, nec M. Flandrensis illam absolutè defendit, vt nonnulli imponunt ipsi; sed potiùs dicit, rationem mensuræ non esse rationem quantitatis essentialem formaliter, sed tantum descriptiuè, vt ex secunda eius conclusione apparet sub his verbis: *Cum ergo ratio mensuræ* (inquit) *conueniat quantitati secundum quod quantitas, relinquitur, quòd est propria, & per se, & prima ratio quantitatis, non quidem essentialis formaliter; sed circumlocutiuè, tamen primum locum inter quantitates obtinet.* Paucisque interiectis, producit pro se verba D. Thomæ 4. Metaphys. lect. 2. docentis, *quòd ratio mensuræ est propria passio quantitatis.* Ita ille 5. Metaphys. quæst. 14. artic. 5. falsò igitur illi contraria adscribitur sententia. Hanc, & etiam secundam sententiam apud indicatos Thomistas impugnatas vide. D. Thomas quandocumque docet, mensuram esse rationem quantitatis intelligendus est de radicali mensura, quæ ad considerationem Logicalem conducit, non de essentia, seu ratione formali, quam consideratio Metaphysica explorat, vt benè exponunt Iauellus, & Soncinas. Opusculum autem quinquagessimum secundum non est D. Thomæ, vt & ipsemet, quo scribitur prodit character, & mihi non leue argumentum est, Thomistas vniuersos contrarium docere, vt credam Sanctum Doctorem hanc minimè tenuisse sententiam, quamuis M. Soncinas dicat, illum variè fuisse loquutum.

§. 7. Haud secùs Scotum non sequuntur Discipuli, tametsi pro diuisibilitate citetur in Logica, exponitur enim similiter pro diuisibilitate radicali, vt apud Merinerum, & alios: nam diuisibilitatem formalem esse quantitatis passionem docuit ipse alibi: *Concedo tamen* (inquit) *quod diuisibilitas est prima passio quantitatis, & non de essentia eius, &c.* & infra paucis interiectis: *Vnde quantitas notificatur hìc per proximam passionem eius, & non definitur,* quæ primus protulit, obseruauitque Peruanus noster Valera egregius Scotista, qui si non primus absolutè, prior tamen Rodriguezio, Merinero, Poncio, cæterisque nostri sæculi Scotistis prædicta verba citauit ex quinto Metaphysicæ quæstione nona; poterat, & citare in 5. Metaphys. cap. 12. vbi dicit, explicationem Aristotelicam quanti, *esse descriptionem quantitatis,* si forte expositiones illæ Metaphysicæ sunt Scoti, & non alterius, vt multi grauissimique Doctores meritò dubitarunt. Nam præter quam quòd non sapiunt stylum, neruos, subtilitatemque Scoti, neque genuinam illam præseferunt obscuritatem, quæ in rebus adhuc non ita difficilibus Scoto propria est, coniecturæ quidem, argumentaque, quibus Hugo Cauellus, eas esse Scoti suadere conatur, languida sunt, ne dicam ridicula. Sed ad rem: Aristoteles describens quantum per diuisibilitatem rem explicuit per propriam passionem nobis notiorem, Diuus verò Thomas communiter dicitur, loqui de diuisibilitate radicali, neque debuisse extensionem primariam memorare, quia non ibi definiebat quantitatem, vt benè notant Complutenses: sed verò mihi Sanctum Doctorem non fuisse de formali diuisibilitate loquutum liquidò apparet ex ly *in quadam diuisibilitate*

te, nam particula diminuens satis indicat, illum non de diuisibilitate vt tali absolutè loqui, sed de re, quæ sit *quædam* diuisibilitas, seu instar diuisibilitatis, quæ procul dubio extensio est.

THEOREMA II.

Thomisticam, & communem sententiam præfero, & probo.

PROTASIS I.

§. 8. RAtio formalis constitutiua quantitatis primaria, & essentialis non est extensio aptitudinalis in ordine ad locum, qua scilicet res materialis, seu eius pars exigit locum distinctum occupare resistendo positiuè penetrationi intra eumdem locum, quæ exigentia resistentiæ priuatiuo nomine dicitur impenetrabilitas. Hæc assertio est directè contra Nominales, eorumque modernos asseclas: quam primò probo euertendo eorum fundamenta, quæ vel nulla sunt, vel adeò sunt debilia, atque ruinosa, vt vel solùm ex hoc capite falsitas opinionis contrariæ appareat manifestè.

§. 9. Hurtadus illam primo sic probat. Metaphys. Disput. 13. sect. 4. §. 22. Priùs est rem esse impenetrabilem, quam diuisibilem, nam *ideò est diuisibilis, quia est impenetrabilis*, si enim res esset penetrabilis, non diuideretur, corpora enim physicè diuiduntur propter diuersorum repugnantiam simul in eodem loco, ita serra diuidit lignum, &c. E contra verò hæc est mala causalis, *ideò res est impenetrabilis, quia est diuisibilis, &c.* Ratio à priori, quia diuisibilitas physica est denominatio à diuisione ab agente naturali; sed omne agens naturale ad suam actionem præsupponit subiectum extensum: ergo extensio quantitatis prior est diuisione: igitur diuisibilitas est effectus secundarius quantitatis.

§. 10. Rursus §. 39. relata opinione Thomistica, quæ asserit, effectum formalem quantitatis esse extensionem partium in ordine ad se, ex qua sequuntur diuisio, impenetratio, & alia, dicit, illam nihil aliud esse nisi impenetrabilitatem, quam Thomistæ negant, esse primum effectum quantitatis. Probat: illa extensio in ordine ad se, ipsa sine alio conceptu positiuo fundat negationem penetrabilitatis: ergo est impenetrabilitas. Probat antecedens, quia illa extensio partium facit vnam esse extra aliam necessariò, & vt non possint esse simul in eodem loco ex natura rei, ipsi enim admittunt, indè oriri necessariò impenetrationem actualem: quod ergo hi vocant extensionem in ordine ad se, (inquit Hurtadus) voco ego impenetrabilitatem, *vt probo*.] Hactenus ille.

§. 11. Sed contra; prima ratio non est ad rem. Nos enim etiam dicimus, diuisibilitatem esse effectum secundarium quantitatis, sed neque hoc probat Hurtadus, nam qui illam dicunt, esse primam rationem quantitatis, non loquuntur de diuisibilitate proxima, neque in ordine ad actum physicæ diuisionis, quod agens naturale rem secat in partes; sed de radice diuisibilitatis sumendo diuisibilitatem Mathematicè, qua scilicet intellectus designat partes distinctas, easque separat, & sic sumpta diuisibilitas est ipsamet extensio partium in ordine ad se, quæ prior est impenetrabilitate, atque diuisibilitate, & hoc sensu potius hæc causalis est vera: *Res est impenetrabilis, quia est diuisibilis*. Idest, quia totum materiale habet partes, in quas est resolubile, exigit diuersa loca, in quibus illas constituat. Et ratio est, quia diuisibilitas primo, & per se sequitur ipsam compositionem partium, eo enim ipso, quod corpus, seu totum materiale nil aliud sit, quam suæ partes vnitæ, est resolubile in illas, cùm omne corpus sit in potentia ad diuisionem, vt ostendit Sanctus Thomas 1. par. quæst. 3. artic. 1. Ergo priùs est omnino, quod totum materiale sit resolubile in suas partes Metaphysicè, quàm quòd ipsæ partes sint ponibiles in diuersis locis. Vnde obiter apparet etiam inconsequentia Nominalistarum, qui cum alioqui negent, quantitatis essentiam consistere in mensura, aut mensurabilitate, tamen defendunt mordicus, illam consistere in extensione in ordine ad locum, seu in locabilitate: atqui locus ex Aristotele est formalissima mensura, immò maximè in ipsorum sententia, qui asserunt, mensuram debere esse extrinsecam: Ergo locabilitas in diuersis spatijs, quam vocant impenetrabilitatem, nil aliud est, quàm quædam mensurabilitas, ac proindè qui negant, quantitatis essentiam constitui per mensurabilitatem in communi, id etiam debent negare de tali mensurabilitate, idest in ordine ad locum.

§. 12. Alterum Hurtadi fundamentum nihil valet. Non enim negat Thomista, extensionem in ordine ad se esse impenetrabilitatem; sed dicit, illam aliquid ampliùs esse, quantitatemque debere explicari per id, quod formaliter dicit, & non solum per id, quod radicaliter exigit. Et quidem meritò negat, impenetrabilitatem esse rationem constitutiuam quantitatis, sicut negat, risibilitate hominem constitui essentialiter, tametsi Rationalitas sit radicalis risibilitas, seu non distinguatur à risibilitate. Hæc porrò Hurtadi argumentatio: *Extensio in ordine ad se, ipsa sine alio conceptu positiuo fundat negationem penetrabilitatis; Ergo est impenetrabilitas*, est eiusdem roboris, ac hæc: *Rationalitas seipsa sine alio conceptu positiuo fundat exigentiam risus: ergo est risibilitas*. Consequentia est bona, sicut in præcedenti entymemate; at vero hæc vlterior consequentia: *Ergo impenetrabilitas constituit quantitatem*, tam mala est, quàm hæc: *Ergo risibilitas constituit hominem*. Antecedens à nobis conceditur; sed si negaretur, adhuc tamen non probatur ab Hurtado. Nam quòd extensio partium in ordine ad se etiam faciat, quod partes non possint esse in eodem loco, id præstat secundariò; sicut rationalitas etiam facit hominem posse ridere, flere, &c. ait insuper, se vocare impenetrabilitatem hanc extensionem partium, sicuti probat. Ast ego vocantem video, probantem non video, certè sicut rationalitas est ali-

quid

quid priùs risibilitate in constitutione hominis, ita in constitutione quantitatis exigentia partiũ aliquid priùs est, quàm exigentia locorum; hanc enim Thomista docet, esse effectum secundarium, cuius oppositum ille debuit probare.

§. 13. Secundò Arriaga Metaphys. Disput. 5. sect. 1. subsect. 2. probat quod reddere impenetrabile per se naturaliter est effectus primarius quantitatis, hoc argumento. Quia nobis innotescit quantitas ex impenetratione, quam in corporibus experimur; sed non possumus ponere essentiam eius in actuali impenetratione propter argumenta ex Fide: ergo debet poni in exigentia talis impenetrationis, seu in repugnantia ex natura rei cum alio corpore in eodem loco, sicut essentiam hominis ponimus non in actuali discursu, sed in potentia ad discurrendum.

§. 14. Hoc argumentum tam probat, quantitatem constitui per impenetrabilitatem, quàm per diuisibilitatem, æqualitatem, &c. quoniam ex Aristotele omnis essentia innotescit nobis per proprietates, & passiones suas; diuisibilitas autem, æqualitas, &c. ex eodem Aristotele passiones, & proprietates quantitatis sunt: Et tamen insulsè argueret quispiam sic. Experimur in corporibus diuisionem, æqualitatem, &c. quibus nobis innotescit eorum quantitas; atqui non possumus ponere essentiam quantitatis in actuali diuisione, adæquatione, &c. ergo debet poni in exigentia diuisionis, æqualitatis, &c. Vndè syllogismus Arriagæ minimè probat effectum primarium quantitatis, sed vt plurimum passionem, aut proprietatem, & quidem à posteriori, & mala forma.

§. 15. Ouiedus controuers. 7. Metaphysicæ punct. 2. §. 4. [*Reijcio* (inquit) *definitionem* datam per exigentiam extensionis, & probo, dandam per exigentiam impenetrationis, quia licet definitio illa rectè explicaret essentiam quantitatis diuisibilis, quæ modò est; non rectè explicat essentiam quantitatis indiuisibilis, quæ possibilis est, cui repugnat extensio secundum suam entitatem, cum indiuisibilis sit, & omninò simplex, sicuti Angelus, & anima rationalis, quæ entitas poterit habere impenetrabilitatem, per quam formaliter *constitueretur quantitas*.]

§. 16. Hæc ratio tam longe abest, vt probet, extentione non constitui quantitatem, sed impenetrabilitate, vt potiùs nobis totum det intentum; fatetur enim, quantitatem, quam nobis explicuit Aristoteles, & quam Deus modò produxit in rebus per extensionem, & non per impenetrabilitatem constitui, quod est totum, quod volumus, quòd autem alia quantitas habens aliam essentiam sit possibilis, nec ne? nunc non est ad rem, nec inde contra nos vllum infertur absurdum. Immò hac Ouiedi argumentatione posset quispiam similiter probare *Animal rationale* non esse bonam definitionem Hominis. Nam quamuis Animal rationale rectè explicet hominem, qui de facto datur, tamen non rectè explicat hominem ex materia spirituali compositum, quam non repugnare, & possibilem esse multi dicunt, inter quos ipse Ouiedus: ergo Animal rationale non est bona definitio Hominis. Patet consequentia, possibili enim admisso, homo non esset corpus viuens: ergo nec animal: ecce Ouiedi discursus, certè sicut nihil probat, nihil nos pungit. Vide ergo, quam leuibus ratiunculis communem sententiam Nominales impugnare audent, gloriantur que impunè.

§. 17. Sed vero Doctor Suarez quem Tellezius falsò dicit, primum hanc sententiam inuexisse modestiorem segessit, agnouit enim, Nominales nunquam probare posse, impenetrabilitatem esse ipsam essentiam, seu formalem effectum primarium quantitatis, nosque manifestiùs ostendere, illam non esse nisi passionem, & proprietatem quantitatis. Vnde ingenuè, vt vir erat doctus, fatetur inopiam argumentorum pro sua opinione, & per impenetrabilitatem non nisi descriptiuè, & tanquam per proprietatem explicari dicit quantitatem, audi: *Respondetur* (inquit) *ferè nunquam nos posse rerum essentias prout in re sunt explicare, sed per ordinem ad aliquam proprietatem, satisque præstare videmur quando per eam proprietatem, quæ est prima omnium, & proxima essentiæ rei, eam declaramus. Deindè* (Attende nunc Lector) *non dicimus, essentiam quantitatis consistere in aptitudine expellendi aliud corpus, vel resistendi illi, nè in idem spatium ingrediatur. Nam hæc aptitudo formaliter sumpta rectè inter proprietates quantitatis numeratur.* Quid clariùs potuit Thomisticæ subscribere sententiæ? Pergit, & illam dicit, se explicare per circumloquutionem impenetrabilitatis: *Sed dicimus* (inquit) *esse formam dantem rebus corpoream molem, vel extensionem esse essentialem rationem quantitatis. Quid vero sit habere molem corpoream, explicare non possumus, nisi per ordinem ad hunc effectum, qui est expellere similem molem ab eodem spatio, non quidem actu, sed aptitudine.* Ita ille Metaphys. Disput. 40. sect. 4. num. 16. Fassus est Doctor hic, nulla ratione probare se posse essentiam quantitatis per primum effectũ formalem illius, sed solum per secundarium, quod & notauerat Mag. Sanchez lib. 4. quæst. 14. his verbis: *At iste acutus Author* (inquit ille) *non negabit nobis, non explicuisse quid sit in se ratio formalis quantitatis; sed hoc solum explicuit per suum effectum, quia nimirùm non potest secum compati aliam quantitatem in eodem loco . . . . . nec sententiam hanc aliquibus, vel authoritatibus, vel rationibus probat.* Sic ille. Vnde mirandum est, modernos nostri sæculi opinatores putare, se essentiam quantitatis acu tetigisse dicentes, eam esse impenetrabilitatem, idque validè probasse, cum tamen ex ipsa Ducis Suarezij confessione, & nostra experientia constet, eos inermes pugnare. Tellez verò potuit varios Authores legisse, qui hanc sententiam dicunt esse Guilielmi Ochamj loco supra citato, antiqua enim est, eamque defendunt omnes ij authores, quos innominatos citat Durandus in quarto distinct. 44. quæst. 6. §. *Secundus modus dicendi*, & ipsemet Ochamus in 4. quæst. 4. Et in Tractatu de Sacrament. cap. 29. Gabriel super Canonem lect. 47. §. *Præterea videtur*. Item ipsemet Gabriel in 4. Distinct. 10. §. *Secundò notandum*. Et cæteri Nominales.

Secun-

§. 18. Secundò probo Assertum ratione. Exigentia extensionis in ordine ad locum, quam vocant impenetrabilitatem, non explicat essentiam quantitatis, quam Aristoteles in hoc Prædicamento tanquam summum genus constituit: Ergo essentia quantitatis non consistit in eiusmodi exigentiâ tanquam in ratione formali primaria. Probo antecedens quantitas in hoc Prædicamento secundum Aristotelem est genus commune quantitati continuæ, & etiam discretæ; sed extensio aptitudinalis in ordine ad locum non conuenit essentialiter quantitati in ea præcisione, seu communitate, qua genus est continuæ, atque discretæ: Ergo extensio aptitudinalis inordine ad locum, seu exigentia extensionis localis non explicat quantitatem, prout summum genus est in Prædicamento Aristotelis. Probo minorem. Si exigentia extensionis localis competeret essentialiter quantitati in eà vniuersalitate, qua communis est continuæ, atque discretæ, non solùm quantitas continua, sed etiam discreta essentialiter exigerent extensionem inordine ad locum; Sed falsum, & impossibile est, quòd illam exigat quātitas discreta: ergo eiusmodi exigentia non competit essentialiter quantitati in eà communitate, qua genus est continuæ atque discretæ. Maior, & consequentia liquent. Minor est manifesta doctrina Aristotelis, qui hoc capite. Textu 4. *Altus autem* diuidit quantitatem secundò in eam, quæ habet situm, & positionem partium inter se, vt linea, superficies, &c. & in eam, quæ non habet positionem, vt Numerus, Tempus, &c. Vbi vniuersi interpretes intelligunt *positionem* pro extensione partium inordine ad locum, siue intrinsecum, siue extrinsecum: Ergo non omnis quantitas constat ex partibus exigentibus eiusmodi positionem localem. Hæc consequentia est euidens ex doctrina Aristotelis præterquam quòd experientia patet. Nam Tempus v.g. quod species quantitatis discretæ est, & numerus minimè petunt extentionem inordine ad locum: Ergo quantitas prout genus est lineæ, & Tempori, idest quanto continuo, & discreto, non debet constitui per exigentiam extensionis inordine ad locum; sed per aliquid aliud, quod vtrique æque, & essentialiter conueniat, quod Nominalistæ non assignant.

§. 19. Tertiò contra Suarezium arguo, qui licet verè fateatur, quantitatem non explicari per exigentiam extensionis inordine ad locum tanquam per effectum formalem primarium, (in quo habemus intentum) falsò tamen dicit, explicari per illam saltem tanquam per proprietatem, quæ est prima omnium, & proxima essentiæ rei. Profectò si quantitas per proprietatem primam explicanda esset, minimè esset explicanda per impenetrabilitatem, quæ quidem nedùm non est prima, sed inter proprietates omnes vltima est; Atqui diuisibilitas est prior: ergo si per proprietatem primam essentiæ explicanda erat quantitas, non per impenetrabilitatem, sed potiùs per diuisibilitatem erat explicanda. Probo assumptum primo, proprietas, seu passio, quæ conuenit quantitati inordine ad se, & ad suas intrinsecas partes absolutè, est magis propinqua, & magis accedens ad suam essentiam, quam ea quæ ipsi conuenit in ordine ad aliud; Sed diuisibilitas conuenit quantitati in ordine ad se, & ad suas partes intrinsecas absolutè, at verò impenetrabilitas in ordine ad aliud, id est inordine ad locum: ergo diuisibilitas est magis propinqua proprietas, & passio magis accedens essentiæ quantitatis. Secundò, quia ex ordine actuum quantitatis inter se colligitur ordo conceptuum in eorum radicabilitate vt suprà §.1. notabamus; atqui impenetratio nedum est primus actus quantitatis, sed inter omnes postremus, & vltimus est: ergo etiam impenetrabilitas, quæ illi correspondet postrema, & vltima aptitudo est. Maior & consequentia probatione non indigent. Minorem ostendo manifestè. Nam *Primò* quantitas habet partes, id est habitio partium præcedit, deinde fit diuisio, vel designatio intellectus, qua totum integrale consideratur vt resolubile in partes, immediatè enim sequitur resolubilitas compositionem partium: *Tertiò* extenditur in locum: *Quartò* corpus contingit corpus, *Quintò*, & vltimo corpus medio contactu physico expellit aliud à suo loco, quam expulsionem per contactum, vel collisionem vocamus impenetrationem: Ergo sicut impenetratio est vltima inter actus, ita impenetrabilitas postrema est inter aptitudines, & exigentias quantitatis. Tertiò nam Aristoteles explicans, & enumerans proprietates quantitatis, minimè memorat impenetrabilitatem, vt patet ex littera capitis, & nostra Synopsi, quomodo igitur erit prima omnium, & proxima essentiæ rei? Esto Aristoteles fuerit diminutus, seu contempserit omnes, & singulas proprietates minoris momenti recensere, at verò quis credat, illum omisisse proprietatem, & passionem, quæ est omnium prima, & omnium proxima essentiæ quantitatis? ergo vel Aristoteles ex instituto proprietates, & passiones quantitatis enarrans, primariam, & Essentiæ proximam, & magis explicatiuam culpabiliter omisit, vel Suarez perperam dicit, impenetrabilitatem esse primariam proprietatem, & proximam essentiæ quantitatis.

PROTASIS ALTERA.

§. 20. Dico secundò. Ratio formalis primaria, in qua consistit essentia quantitatis est extensio partium in ordine ad totum, seu inordine ad se. Esse autem partes extensas est vnam non esse aliam, & vnam esse extra aliam: *Nec hoc magis notificari potest*, inquit Mag. Sanchez. Est ergo vna pars extra aliam entitatiuè priùs, quàm localiter, & illam extreitatem entitatiuam dicimus extensionem. Cardinalis Toletus absolutè illam vocat *Rationem partium*. Cardinalis Aureolus *Partibilitatem habentis partes*; sed non sumenda partibilitas pro diuisibilitate, vt sumit Mag. Soncinas; sed vt sese explicans, aduertit idem Aureolus in 2. distinct. 12. artic. 4. *Non capio enim* (inquit) *hanc partibilitatem prout dicitur à partiri, vt habet respectum ad agens potens*

potens diuidere; sed capio partibilitatem vt est aliquid abstractum, cuius concretum formale est pars: quæ dicitur ab illa partibilitate formaliter, sicut à Simitate dicitur Simum: ergo partibilitas illa considerata absolutè in abstracto est vere quantitas, &c. Externos etiam produco testes vt nostræ sententiæ veritas magis elucescat, non enim parum explicant verba Aureoli per partibilitatem sic intellectam, id quod à D. Thoma vocatur *ordo partium in toto* quem esse quantitatis essentiam clarè docuit Ip. q.14. art. 12. ad 1. & etiam 4. contra gentes cap. 65. quam vniuersa Thomistarum sequitur Schola. Hæc explicatio conuenit supremo generi quantitatis in tota ea amplitudine, qua continuam ambit, atque discretam: Nam *linea* est extensio partium secundum longitudinem continui: *Superficies* extensio partium secundum latitudinem: *corpulentia* verè extensio partium secundum profunditatem: *Tempus* extensio partium successiuarum in continuo: *locus* extensio partium continentium aliquid: *Numerus* extensio partium discretarum: *Oratio* extensio partium discretarum cum successione, quæ memoriæ Tyronibus sedulo mandanda sunt.

§. 21. Probatur assertum ratione communi, quam in hanc formam instituo. Nam in rebus simplicibus, vt sunt formæ accidentales, ille quidem est primus effectus formalis, qui formæ prius, & per se competit; Extensio partium prius, & per se competit quantitati: Ergo extensio partium est primus formalis effectus quantitatis. Minorem probo: Quantitas est accidens essentialiter absolutum: ergo de eius primaria ratione potius est ordo ad se, quam ordo ad aliud; atqui extensio partium in ordine ad totum est ordo ad se, & extensio in ordine ad locum est ordo ad aliud extrinsecum: ergo quantitati prius & per se conuenit extensio suarum partium in ordine ad totum; quàm extensio in ordine ad locum. Consequentia est in aperto. Nam per vos substantia vt sic quamuis etiam dicat hoc quod est *substare alijs*, & *substentare* accidentia, tamen ideo non constituitur per eiusmodi conceptus, quia est res absoluta, proindeque non debet consistere in ordine ad accidentia, vel ad prædicata; sed in conceptu absoluto subbstendi per se, & in se, &c. atqui quantitas est genus non minus absolutum quam ipsa substantia: ergo eo ipso, quod sit constituenda per aliquam extensionem, talis extensio non debet esse in ordine ad locum, sed absoluta. & in ordine ad se.

§. 22. Confirmatur: Quia qui negauerit, extensionem partium in ordine ad se esse priorem, omni alio quantitatis effectu formali, tenetur assignare alium ipsa priorem, quod est impossibile: Quinimmo cæteri omnes effectus formales resoluuntur in extensionem partium tanquam in primam radicem: ideoque hæ causales sunt omnes veræ: Ideo res exigit occupare locum diuisibilem, quia habet partes extensas, quas in illo constituat, ideoque partes eiusmodi sunt impenetrabiles, id est petunt loca distincta replere, quia sunt partes distinctæ inter se, quod formaliter illis præstat extensio, & sic de mensurâ, æqualitate, &c. E contra verò hæc causalis est omnino falsa: ideo res est extensa in ordine ad se, quia replet diuersa loca, seu quia est extensa in ordine ad locum: Nam omnino prius est, quòd quantitas suas partes extendat absolutè, & respectu sui, quam respectu loci vt supra diximus. Intellectus èquidem optimè apprehendit quantitatem vt extensam in se, priusquam in locum sit extensibilis, idque colligit ex ipso actu: nam in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento Corpus Dominicum existit quidem cum sua quantitate; est enim ibi Corpus organicum non secus, ac in Cœlo integrum; sed vero non habet extensionem localem, quia in Sacramento non est vt in loco, seu circumscriptiuè, cum potiùs penetrentur omnes eius partes in qualibet minutissima Hostiæ particula in qua totum est, sicut totum in toto; seruat tamen ordinem partium in ordine ad totum: ita quod caput vniatur collo, & collum pectori, &c. non habita ratione loci, quia in qualibet loci parte est, quin pars corporis respondeat parti loci: Et ratio est quia effectus secundarius quantitatis suspendi potest per Diuinam potentiam, sicut in fornace Babylonis virtus combustiua ignis. Primarius vero effectus nempè partes esse dispositas inter se, manet in corpore Dominico, eo ipso, quod quantitas maneat; non tamen modo diuisibili, de quo latè Theologi in 3. p. ad quæst. 76. artic. 1. & 2. Hinc igitur intellectus facilè cōcipit exigentiā extensionis partium priorem esse, quam exigentiā loci: Nam vt supra monuimus ex ipso ordine actuum inter se colligimus ordinem aptitudinum inter se.

§. 23. Hæc quantitatis explicatio adeò certa, manifestaque visa est adhuc etiam Scotistis, alijsque doctrinæ Thomisticæ aduersarijs, vt & Lalemandetius affirmet, omnes, qui contrarium dicere videntur, reuerà tamen eam ipsam voluisse declare à posteriori, & per voces, quæ magis quietant nostrum intellectum, quæ benigna est etiam Nominalium excusatio. [*Quotquot opiniones* (inquit ille) aliam constituant essentiam quan-
„ titatis in alio, quàm in extensione partium
„ extra partes, debent intelligi de essentiâ quan-
„ titatis à posteriori, seu de ea, quæ quietat no-
„ strum intellectum.... quæ rite dici potest de-
„ finitio, & quidditas secundum nos: hoc est
„ penes notiora nobis, & quia accidentia, &
„ proprietates facilius percipiuntur à sensibus,
„ quam ipsæmet essentiæ rerum constitutiuæ,
„ idcircò definitiones datæ per accidentia, &
„ proprietates magis quietant *nostrum intellectum.*
Hactenus ille Metaphys. Disput. 19. partit. 1. quod si hanc Lalemandetij concordantiam respuentes Nominalistę nolint nobis dextras dare, iubendi sunt, vt melius suam sententiam probent.

THEOREMA III.

Aristoteles explicatur, argumentaque contraria diluuntur.

§. 24. IAm vero ex dictis facilè colligenda est definitio quantitatis (eo scilicet modo quo genera suprema definire licet) quam sic ef-

formo: *Est accidens partium substantiæ formaliter extensiuum*. Accidens loco generis ponitur, cætera vice differentiæ: Dicimus autem *partium substantiæ*: quia omne accidens non nisi in ordine ad substantiam definibile est vt Arist. docet, ly *formaliter* excludit potentiam, siue qualitatem actiuam, quæ alioqui substantiam in partes potest extendere. Consulto autem Theoremate præcedenti loquuti sumus tantum de extensione partium quantitatis, explicando primarium effectum eiusdem; subticuimus que hunc effectum prout afficit substantiam; re verà enim primarius ille effectus est substantiam in partes extendere, eo ipso quòd quantitas in ipsa recipiatur; consultò inquam id fecimus, ne simul confunderemus quæstionem illam satis difficilem, an substantia corporea non habeat partes nisi à quantitate? quam sequenti Dissertatione discutiemus: proindeque nonnisi de partibus ipsius quantitatis agebamus; sed quia ipsa illius essentia consistit primò, & in ordine intentionis in extensione partium substantię meritò in definitione eiusdem statuimus ly *partium substantiæ extensiuum*.

§. 25. Quod Aristoteles 5. Metaphysicæ Textu 8. quantum per diuisibile definierit, idoneum habet etiam, planumque explicatum. Verba sic habent: *Quantum dicitur quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum, vnum aliquid, & hoc aliquid aptum natum est esse.* Sic translatio antiqua: Sed iuxta versionem Cardinalis Bessarionis sic: *Quantum dicitur, quod est in ea, quæ insunt, diuisibile, quorum vtrumque, aut singulum vnum quid, & quod quid aptum est esse*. Ponitur à Philosopho *Diuisibile*, vel pro diuisibilitate radicali, quæ est extensio partium in ordine ad se, si definitionem velis essentialem esse, vel pro formali aptitudine, seu potentia ad diuisionem, quæ vt supra dictum est, inter passiones, proprietatesque quantitatis, primam sedem obtinet, est essentię illius magis propinqua, nobisque magis nota. *In ea quæ insunt* verba hæc excludunt diuisionem mixti in elementa. Explicatore Angelico Magistro in hunc locum lectione quintadecima. *Nam corpus mistum* (inquit ille) *resoluitur in elementa, quæ non sunt actu in mixto, sed virtute tantum. Vnde non est ibi tantum diuisio quantitatis, sed oportet, quod adsit aliqua alteratio, per quam mistum resoluatur in elementa*. Vides discrimen, nam quantum aliter diuisibile est, quam mixtum partes enim mixti, videlicet elementa minimè insunt actu, sed omninò sunt in potentia adeo remota, vt nisi per transmutationem substantialem ad actum reduci possent. Partes vero quanti continui ita insunt, vt sola diuisione absque vlla alteratione fiant entia in actu *Quarum vtrumque, &c.* Hoc est quod partes, in quas fit diuisio manere possunt, vt aliquid vnum: Pergit Thomas: *Quod vtrumque aut singulum est natum esse vnum aliquid: Hoc est aliquid demonstratum, & hoc dicit ad remouendum diuisionem in partes essentiales quę sunt materia, & forma: Nam neutrum aptum natum est, esse vnum aliquid per se*: quæ breuis solent explicari per esse diuisibile in partes eiusdem rationis: Etenim nec materia, aut forma remanet eiusdem rationis cum toto.

§. 26. Dices primo substantiam homogeneā, qualis est aqua, etiam esse diuisibilem *in ea, quæ insunt* idest in partes quæ sunt actu in illa: Rursus quælibet pars aquæ seorsum est etiam essentialiter aqua quod sonant ea verba *quorum vtrumque &c.* ergo hæc definitio etiam conuenit substantiæ; Item hæc definitio non conuenit Cœlo, neque toti hæterogeneo, vt homini &c. Cœlum etenim nullatenus est diuisibile, vtpote corpus incorruptibile: neque homo in homines diuisus est. Ergo quantum non rectè definitur ab Aristotele. Verum has vulgares obiectiunculas iam pridem nostrates facilè exsufflarunt: Nam substantia non nisi ratione quantitatis est diuisibilis, vt infra ostendemus, & sicut per albedinem disgregat visum, ita per quantitatem diuiditur in partes. Insuper: Aristoteles nullatenus loquitur de diuisibilitate physica in actu secundò, quod mihi est euidens, eo solum quod docuerit, Cœlum esse ęternum, & nunquam destructibile, nec sanè ignoraret ille, corruptibile esse, quod ab agente naturali dissecari poterat: loquebatur igitur de diuisibilitate Mathematica, & per dessignationem intellectus: At nos Catholici etiam diuisibilitatem physicam, & reducibilem ad actum tribuere Cœlo possumus, debemusque quippe quod à Deo; vel ab igne extremæ mundi conflagrationis diuisionem patietum, vt patet ex Canonica 2. Petri cap. 3. *Expectantes, & properantes in aduentum diei Domini per quem Cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardere tabescent*. Totum denique heterogeneum non debet habere partes eiusdem rationis, quatenus heterogeneum est, vt homo, Leo, &c. sed solum modo quatenus quantum est, quas quidem habet, in easque diuiditur.

§. 27. Objicies primo contra secundam assertionem nostram: Extensio in ordine ad se conuenit substantiæ corporeæ, & qualitatibus materialibus: ergo non est ratio constitutiua quantitatis. Antecedens probatur: extensio in ordine ad se nihil aliud est, quam habere partes extra partes, seu illas habere entitatiuè distinctas sed materiæ, & qualitatibus corporeis competit hoc, quòd habeant partes, quarum vna sit extra aliā, seu non sit alia: ergo eiusmodi extensio substantiæ competit, & qualitatibus: Hoc argumentum nihil difficultatis habet: vt proponitur à Tellezio, Merinero, & alijs. Supponit enim falsum, id est substantiam præcisa quantitate partibus gaudere distinctis, vt sequenti Dissertatione ostendemus. Difficilius proponitur à Gabriele super Canonem lect. 43. Non sufficit habere partes realiter distinctas, ad hoc, vt res dicatur quanta, alioqui scientia, charitas, & gratia diceretur, & essent quantæ quantitate molis: atqui hoc est falsum: ergo: Probatur sequela maioris: Nam scientia, charitas, &c. habent partes, scilicet gradus intentionales, ex quibus componuntur, & quorum vnus realiter non est alius.

§. 28. Dices cum Complutense Murcia, quod qualitas habet partes graduales, & secundum intensionem; non verò habet partes quantitatiuas, & ita hic modus habendi partes quantitatiuas solum conuenit quantitati: Sed contra:

Mur-

Murcia non soluit argumentum: quod quidem non intendit probare quod qualitas habeat partes quantitatiuas; sed potiùs contradictorium, nempè quod non habeat nisi graduales, vnde infert, definitionem quanti conuenire alijs à definito, scilicet habenti partes non quantitatiuas, vt gratiæ, charitati, &c. Patet consequutio; Nam quantum non definitur per habere partes quantitatiuas, hoc enim esset stultum, & Murcia petit principium, dum id inculcat: Sed definitur per habere partes extensas, quod explicas per habere illas realiter distinctas, seu vnam extra aliam entitatiuè; atqui qualitas illas partes graduales (iam non volo quantitatiuas) habet extensas, idest realiter distinctas, & vnam extra aliam: ergo definitio quantitatis conuenit qualitati, idest rei non quantæ, & non habenti partes quantitatiuas. Minor est euidens: nam dum qualitas remittitur, iam gradus, qui deperditur, distinguitur realiter à gradu remisso, qui remanet: alioqui idem gradus destrueretur, & non destrueretur, quod est impossibile: ergo qualitas habet extensionem partium in ordine ad se; quin sit quantitas.

§. 29. Respondeo ad instantiam Gabrielis negando sequelam maioris intellectam de partibus eiusdem rationis cum toto, & ad probationem nego etiam antecedens, nihil enim celebrius est in Schola Diui Thomæ, quam quod qualitas sit indiuisibilis, & quod quando intenditur, non acquirit nouam qualitatem, aut partem qualitatis, vt placet Scoto, sed eadem indiuisibiliter manens nouo dumtaxat modo augetur vel per maiorem radicationem in subiecto, vel per depurationem à contrario, &c. sunt enim in hac explicatione variæ dicendi rationes quas expendere non est præsentis instituti, pertinet enim ad libros de Generatione. Sat sit audire Arist. 4. Physic. Text. 84. *Quia ex calido* (inquit) *fit magis calidum nullo addito in subiecto calido*, & Sanctum Doctorem 22. q. 23. artic. 5. *Formam* (inquit) *esse maiorem, est eam magis inesse susceptibili; non autem aliam formam aduenire: hoc enim esset, si forma haberet aliquam quantitatem ex seipsa, non comparatione ad subiectum*. Vnde secundo cum alijs respondeo, in qualitate non dari id, quod à D. Thoma appellatur *ordo partium* nam quantitatis partium non quælibet cuilibet vnitur; sed prima immediatè nectitur cum secunda, tertia verò primæ vnitur interiecta secunda, &c. qualitas verò independenter à quantitate non habet hunc modum continuationis, nec partium ordinem: quamuis enim intensio gradualis, partes importet; tamen non vnitas inter se, sed solum vnitas eidem parti subiecti: Rursus illæ non vniuntur hoc ordine extensionis, quæ consistit in eo quod vna mediatè, & altera immediatè inter se concatenentur, sed omnes immediatè vniuntur eidem parti subiecti, & hoc est, qualitatem non extendi, quamuis partibus gaudeat gradualibus, sed solum intendi.

§. 30. Obijcies rursus: extensio in ordine ad se, quæ dicitur esse formalis, primariusque effectus quantitatis, vel est extensio partium ipsiusmet quantitatis, vel extensio partium substantiæ; sed neutra potest essentialiter constituere quantitatem: Ergo extensio partium in ordine ad se non est primarius effectus formalis quantitatis. Minor ostenditur quoad primam partem: Nam quantitas est accidens substantiæ, & nisi substantiā extendat, nec ens potest esse: Nam de nouem accidentibus Aristoteles 7. Metaphys. cap. 1. hæc ait *Cætera verò entia dicuntur, eo quod verè entis quædam sunt quantitates, quædam passiones, quædam aliud tale*. Igitur si quantitas est extensio, non nisi substantiæ extensio est, vel nihil est. Probatur quoad alteram partem eadem minor. Nam si Deus crearet quantitatem absque substantia; extensio partium ipsius quantitatis esset essentialior ipsi, quàm extensio partium substantię: Siquidem hæc extensio in nullo euentu est à quantitate separabilis; tametsi extensio partium substantiæ separetur à quantitate.

§. 31. Respondeo, exigentiam extendendi formaliter partes substantiæ in nullo euentu esse à quantitate separabilem, hoc enim prius in ordine intentionis conuenit illi; tametsi in executione, & per accidens contingeret quod suas partes dumtaxat extenderet casu, quo à substantia crearetur separata. Ad formam: Nego minorem quoad secundam partem: ad probationem concessis antecedentibus vtriusque entymematis; nego vtramque consequentiam, Nam neque actualis extensio substantię, neque sui, sed exigentia extensionis substantię in eo casu constitueret quantitatem.

§. 32. Hactenus contra Scotistas non pugnatum, quoniam nihil certi sibi præfigunt defendendum: nam semel deserta Diuisibilitate, in qua Scotus constituerat quantitatis essentiam in Logica loco supra indicato: alij Thomistis adhærent, vt Valera, Rodriguezius, Lalemandetius, &c. alij sequuntur Nominales, vt Merinerus, Poncius &c.

DISSERTATIO XLII.

Vtrum substantia corporea quantitate remotâ habeat partes, maneat ve indiuisibilis?

§. 1. Titulus præfixus supponit distinctionem realem quantitatis à substantia: Quare Nominales, qui eiusmodi distinctionem non agnoscunt, à nostra disputatione sunt arcendi: etenim si substantia seipsa est quantitas, seipsa quidem partes habebit integrantes: contra quos supra actum est Dissertatione 40. .... Partes in quam integrantes, & quantitatiuas; de his enim dumtaxat præsens instituitur controuersia: Nam quod substantia adhuc remota realiter, vel per rationem quantitate, habeat suas partes essentiales, nempè materiam, & formam substantialem, ambigit nemo: Supponit rursus titulus, substantiam completam, siue formam separari posse à quantitate: Et quidem illam per intellectum remoueri, res est incomperta: quod verò realiter separari queat per absolutam Dei potentiam apud Thomistas etiam est communiter receptum: Notandus tamen valdè modus eorum loquendi: Nam dum dicunt; materiam sine

quantitate posse à Deo conseruari, non loquuntur de materia prima, sed de secunda, seu de toto composito, quod accidentium materia est, aiunt enim, lignum v. g. & lapidem, &c. sine quantitate Diuinitus remanere posse. Vnde Caberus perperam taxauit Pateum Soncinatem, quod negauerit, substantiam sine quantitate à Deo statui posse, id enim non negauit, nisi de materia prima, & quidem meritò, neque solus; tota enim Thomistarum Schola cum Angelico Doctore constanter docet, materiam primam sine forma adhuc de absoluta Dei potentia existere non posse, id, quod & nos in primo Physicorum trademus; Denique ad præsentem disputationem intempestiuè auocanda non est grauissima illa totius Phylosophię difficultas de compositione continui, quod nonnulli importunè faciunt (inter quos Stephanus Spinula) sed inter Dialecticæ cancellos, res satis Metaphzsica coercenda est.

THEOREMA I.

Doctorum Sententias recenseo, ac distermino.

§. 2. PRima sententia tenet, substantiam corpoream adhuc præcisa quantitate partibus gaudere integrantibus, easque non à quantitate mutuari. Sic breuissimè, & ferè vno verbo Scotus in 2. distinct. 12. q. 2. non ad §. *Respondeo*, vt citauit Merinerus: sed ad §. *Si quæras etiam*, quem omnes eius Discipulos sequi testatur ille Disput. 1. q. 2. sed falsò pro Scoto adduxit Aureolum, cum sit ipsi contrarius. Neque Lalemandetius disput. 9. Metaphys. partit. 3. citauit fideliter eundem Aureolum in 2 distinct. 12. q. 2. art. 2. Nam ibi nec vnum verbum facit de hac quæstione, sed solum quærit vtrum Materia fuerit producta informis? quod nihil ad Bacchum. Sequuntur Scotum D. Suarez, M. Oña, Conimbricenses, Rubius, Caberus, & alij apud Carmelitas Complutenses disput. 13. q. 2. qui etiam pro hac sententia Fonsecam citant; sed hic potius hanc sententiam reijcit per hæc verba. *Sed hæc responsio nullo modo est admittenda, &c.* Est tamen communis eorum sententia, qui Nominalismo nomen dederunt, vt Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Comptonus, Alphonsus, qui & falsò citauit Durandum pro hac sententia; cum stet à Diuo Thoma, & etiam falsò Fonsecam.

§. 3. Altera sententia ex diametro opposita docet, nullam extensionem aut diuisibilitatem habere substantiam corpoream, nisi à quantitate: vnde hac remota, illam aiunt manere indiuisibilem, & inextensam, itaut non solum partem extra partem non habeat, sed neque vllas partes realiter entitatiuè distinctas. Ita Capreolus, Illustrissimus Caietanus, M. Ferrariensis, M. Acquarius, Paulus Soncinas. M. Flandrensis, M. Nazarius. M. Sanchez, PP. Complutenses, & communiter Thomistæ seueriores. Accedunt extranei Aureolus non apud Capreolum, sed apud me, qui præmanibus illum habeo in secundo Distinct. 12. quæst. prima, articulo quarto, Durandus in primo distinct. 34. q. 1. §. *Ad illud quod dicunt.* Magnus Albertus Physicor. 1. q. 6. Gabriel Vasquezius 1. p. disput. 196. cap. 3. Cardinalis Toletus primo Physicor. q. 7. Eustachius Fuliensis tract. 3. categor. lect. 2. quest. 1. Lalemandetius vbi supra in decisione post Clypeum 4. Stephanus Spinula Physicor. disput. 13. sect. 3.

§. 4. Tertia sententia inter prædictas media, temperare se putat rigorem Thomisticum, ait que Distinctionem posse duplici modo considerari: vno prout opponitur vnitati omnino simplici, altero modo prout opponitur confusioni: per distinctionem enim, & potest tolli *vnitas*, quando fit multiplicitas, & potest tolli confusio quando fit ordo: nam ea dicuntur confusa, quæ sunt sine ordine; distincta autem, quæ ordinatè, & debitè collocata. Si distinctio sumatur primo modo, dicunt, materiam habere à se, & non à quantitate partes distinctas, quia in se non est vna entitas omninò simplex: Si verò sumatur secundo modo, dicunt, habere à quantitate partes distinctas, quia licet in se habeat plures partes, quarum vna entitatiuè non est alia; eas tamen habet confusas; sed quantitas tollit confusionem, quatenus illas ordinat, & hæc ratio ordinationis est formalitas accidentalis partium, quæ constituuntur à quantitate non quoad earum entitatem, sed in ratione ordinati, & distincti.

§. 5. Hic modus opinandi inter nostri sæculi Thomistas arrisit M. Arauxo Segouiensi Antistiti, qui pro se falsò citauit Caietanum, & M. Flandrensem sibi à parte aduersantes, arrisit, & M. Ioanni à S. Thoma quæst. 16. art. 1. §. *Tertium est.* M. Lynceo libro 3. q. 2. art. 1. num. 9. & M. Parræ, qui ita probabilem duxit, vt penè illam Topicè defenderit, sicut ipse ait tract. 4. dubio 4. num. 34. Sed verò eiusmodi doctrina neque Thomistica est, neque vera: illam prius docuere Paulus Venetus Metaphys. cap. 12. Fonseca Metaphys. lib. 5. cap. 13. q. 2. sect. 3. istoque alij antiquiores. Sequitur Albertinus tomo 2. disput. 3.
„ q. 3. quē sugillat Lalemandetius aiens, se non
„ posse excusare Albertinum, quin repugnantia
„ loquatur, nam in hoc loco ait, substantiam
„ non habere extensionem, nisi à quantitate: &
„ quæst. quarta conclus. 1. affirmat, substantiam
„ habere suas partes entitatiuas substantiales di-
„ stinctas à partibus quantitatis, & conclus. 3.
„ ait, sublata quantitate, substantiam non redi-
„ gi in vnam entitatem omnino simplicem, sed
„ in entitatem quamdam partibilem compositam ex pluribus partibus substantialibus, quæ
„ quidem vniuntur simul per *intreitatem*; à quan-
„ titate enim solum habent *extreitatem*, *&c.* Sed
„ non video (inquit ille) quo modo hæc dicta
„ Albertini sint sibi consona? Si enim substan-
„ tia non habet ex se partes extensas in ordine
„ ad se vt fatetur q. 3. conclus. 1. quomodo ve-
„ rum esse potest, quod ait q. 4. substantiam ha-
„ bere partes etiam sublata quantitate? &c.

§. 6. Verum enim vero Lalemandetius prorsus est hallucinatus. Nam Albertinus mediam tenet sententiam Pauli Veneti, apud quem vt supra exibui, substantia habet à quantitate partes distinctas sumendo distinctionem pro or-

dí-

dinatione tantum, concedit enim, illam habere partes suas entitatiuas ante quantitatem, & quidem confusas, quod est habere partem, & partem; sed non habere partem extra partem, quod est tyronibus valde notandum. Nam ex confusione mediæ sententiæ cum extremis vel viri docti facilè lapsi sunt, vt Alphonsus in Fonseca. & Lalemandetius in Albertino.

THEOREMA II.

Thomistica, & verior Sententia eligitur, & probatur.

§. 7. Secundam sententiam duplici assertione profiteor. Dico primo: Remota quantitate substantia corporea nullas habet partes, sed remanet in extensa, seu indiuisibilis priuatiuè: est expressa Aristotelis in primo Physicorum, quam sæpius producit Doctor Angelicus, qui eam perspicuè docuit Quodlibeto 9. quæst. 4. art. 4. in hæc verba. *Impossibile est* (inquit) *quod vna materia contrarias, & disparatas formas recipiat; nisi secundum diuersas partes: Diuersitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta diuisione, neque diuisio non intellecta dimensione: Quia substantia quantitate sublata remanet indiuisibilis, vt dicitur primo Physicorum.* Et quarto contra gentes cap. 65. hæc habet: *Nam remota quantitate substantia omnis indiuisibilis est, vt patet per Philosophum*: quæ & repetit prima part. q. 50. art. 2. Angelicum Magistrum sequitur tota Schola paucis demptis quos §. 4. indicaui, sequuntur etiam plures extranei, nec multum subsidij nobis defuit in Alphonso Iesuita cum de nostra dixit *Nunquam potui assentire huic sententiæ.* Porro de contraria, cui ille assentiebatur, iam pridem eiusdem instituti, sed ipso quidem doctior, ac celebrior vir Gabriel Vasquez ferè id ipsum dixerat 3. p. disputatione 190. cap. 3. *Horum omnium sententia mihi nulla ratione vnquam probari potuit*: & quod caput est, 1. p. disput. 196. cap. 3. de illa ait, quod *Manifestam includit contradictionem, aut verum modum philosophandi è medio tollit.* Cæterum Tellezius Metaphys. disput. 40. sect. 3. dicit, se inter hos veræ Philosophiæ desertores libentissimè velle adnumerari: nos quidem multo libentius sibi optata concedimus. Sed ad rem.

§. 8. Probat Vasquezius hanc sententiam primo argumentis Thomisticis, quæ infra expendemus. Deinde à num. 26. hac ratione: si substantia corporea secundum se, & sine quantitate haberet partes ita, quod habere posset aliquod *vbi* distinctum ab *vbi* ipsius quantitatis: aut ex sua natura postularet modum existendi in loco, & vbi diuisibili; aut indiuisibili? Hoc est: vt existeret tota in toto, & tota in qualibet parte illius; aut tota in tota, & pars in parte? cum que natura determinata sit ad vnam partem, non posset indiscriminatim vtrumque modum existendi in loco postulare. Si autem determinatè aliquam postularet, potius postulare deberet modum diuisibilem, itaut tota existeret in toto loco, & pars eius in parte; quam indiuisibilem. Quod si substantia corporea ex sua natura hunc modum exposceret, sequeretur, non posse ei communicari etiam per Diuinam potentiam modum indiuisibiliter existendi in loco, sicut neque quantitati cum sua propria passione, & modo non potest communicari modus existendi indiuisibiliter, quia ex sua natura modum diuisibilem postulat. Ex quo fieret, quod Christus in Eucharistia non posset esse modo indiuisibili, quod est absurdum, & contra Fidem. Si vero substantia ex sua natura peteret modum indiuisibilem existendi in loco, aut postularet esse in puncto indiuisibili, vt Angelus, aut in loco diuisibili, modo tamen indiuisibili vt Christus in Eucharistia, & quouis modo non posset ei communicari modus existendi diuisibilis, sicut neque Angelo: ac proinde omnis substantia adhuc sub quantitate existens retineret modum existendi indiuisibiliter, aut dicendum esset, dum existeret sub quantitate fore. Vt amitteret modum proprium existendi in loco, & solum habere locum, & vbi quantitatis, quod Aduersarij non admittunt.

§. 9. Hic Vasquezij discursus licet ab alijs taxetur, & refellatur, nobis tamen eo nomine prorsus displicet, quia Sanctus Thomas iam pridem reprobauit eiusmodi argumentandi formam opusculo 16. contrà Auerroistas, cuius verba lubet in medium proferre. *Valde autem ruditer argumentantur* (inquit Sanctus Doctor) *ad ostendendum, quod Deus facere non posset, quod sint multi intellectus eiusdem speciei, credentes, hoc includere contradictionem. Dato enim, quod non esset de natura intellectus quod multiplicaretur, non propter hoc oportet, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa. Sicut graue habet ex suà naturà, quod non sit sursum; tamen graue esse sursum non includit contradictionem: Sed graue esse sursum secundum suam naturam contradictionem inuolueret....* Deinde post applicationem doctrinæ ad suum institutum subdit. *Quod non tantum dicimus præter propositum, sed magis ne hæc argumentandi forma ad alia extendetur: Sic enim posset concludere, quod Deus non posset facere quod mortui resurgant, & quod cæci ad visum reparentur.* Hæc ille. Ex quibus facile apparet, Vasquezium non benè argumentari dum infert Christum non pòsse existere modo indiuisibili in Eucharistia, si substantia ex sua natura peteret existere modo diuisibili; sicuti non benè infertur, graue non posse sursum esse, ex eo quod petat ex sua natura non esse sursum, &c. quæ quia clara sunt, non amplius refrico: quamobrem aliter.

§. 10. Probo primò nostrum primum assertum ratione Thomistica. Eo ipso, quod substantia realiter distinguatur à quantitate, ipsa non habet extensionem, neque vllas partes extra partes præcisa quantitate: Ergo vel substantia non distinguitur à quantitate, vel omninò remanet in extensa, & indiuisibilis priuatiuè præcisa quãtitate. Probo antecedens: Substantia quantitate præcisa habens partes extensas haberet partem extra partem: ergo seipsa esset quanta, & impenetrabilis. Probo consequentiam: Si substantia quantitate præcisa habet partem extra partem, fru-

frustra ponitur alia tertia extensio in ordine ad se realiter distincta ab extensione entitatiua substantiæ, & ab extensione locali: ergo substantia independenter à quantitate seipsa est quanta, & impenetrabilis. Probo antecedens: Ad hoc per vos ponitur tertia illa extensio, in qua dicitis consistere essentiam quantitatis, vt substantia habeat vnam partem extra aliam entitatiuè; non ad hoc, vt ponat vnam extra aliam localiter; hoc enim est munus extensionis in ordine ad locum; Sed substantia independenter à quantitate habet per vos partem extra partem entitatiuè: ergo frustra ponitur tertia illa extensio cuius muneris sit ponere partem extra partem substantiæ. Rursus probo idem antecedens: Habere partem extra partem est vnam partem non esse permixtam, & communicatam alteri totam, & totaliter; at qui hoc est formalissimus effectus quantitatis: ergo substantia independenter à quantitate habet partem extra partem, independenter à quãtitate, & seipsa est quantitas, seu à se ipsa habet effectum formalissimum quantitatis, quod idem est. Minorem ostendo. Eatenus substantia habet partes extensas in ordine ad se substantialiter, & entitatiuè, quatenus vna pars vnitur alteri per suam extremitatem, & medio aliquo indiuisibili, vt partes longitudinis medio puncto, & partes latitudinis media linea, &c. Atqui extensio partium per punctum, lineam, & superficiem est formalissimus effectus quantitatis: ergo substantia entitatiuè, & in genere substantiali habet puncta, lineas, & superficies, proindeque seipsa, & independenter à quantitate est quanta, extensa, & impenetrabilis. Maior patet: Nam si pars est v.g. tangeret totam partem, & non mediaret inter extremitates earum aliquis terminus communis, seu vnio indiuisibilis, nullatenus facerent extensionem; sed se totis communicarent, & permiscerentur, minor etiam est per se nota, & consequentia liquet: quoniam si vna pars substantiæ independenter à quantitate est extra aliam, eo ipso petit etiam quod vna pars sit extra locum alterius: ergo illa extensio substantialis in ordine ad se etiam fundat impenetrationem, & consequenter substantia independenter à quantitate est impenetrabilis, id est exigit quod suæ partes non penetrentur; Antecedens est manifestum: Nam non alia ratione quantitas seipsa est impenetrabilis, & exigit extensionem in ordine ad locum, nisi quia seipsa habet extensionem in ordine ad se, idest partes non permixtas, nec inuicem communicantes, quæ eo ipso petunt distincta loca replere: At qui substantia haberet partes non communicantes se totis, sed vnitas, & extensas medijs indiuisibilibus substantialibus penès suas extremitates: ergo eo ipso illæ debent exigere extensionem localem, ac esse formaliter impenetrabiles. Semper enim ego insistam petens à tè, Cur potius extensio quantitatis exigat extensionem localem, & non extensio substantiæ? Cur impenetrabilitas sequatur partes quantitatis, & non partes substantiæ, cum vtraque sit extensa in ordine ad se? quod tu teneris extricare; & non facis.

§.11. Huius Argumenti robur nulla non sentit Schola. Ex Thomistica M. Parra tract. 4. num.4.num.12. ait, vim huius argumenti *adeò inuictam esse*, vt data extensione substantiæ per indiuisibilia substantialia, ineuitabile esse, quod quantitas non distinguatur à substantia, quod etiam sentire affirmat M.M. Sotum, Soncinatem Io. à S. Thoma, Io. Martinezium, & Arauxum: ex Scotica Io. Lalemandetius Clypeo 4. ait, manifestum esse, *quam inexpugnabile sit prædictum argumentum*, Ex Nominalistis Ouiedus controuers. 7. Metaphys. puncto 2. §. 2. dicit, *se fateri, hunc discursum non carere dificultate*: sed vero se potius illo cogi ad negandum quantitatem distinctam à substantia, quam ad tribuendum illi munus impertiendi partes substantiæ, quas ipsa ex se non haberet. O bene! concedis potius quantitatem esse substantiam, ne admittas, substantiam non habere partes absque quantitate: Hoc me hercle perinde est, ac, ne gladio pereas, te suspendio enecare. Porro nobis gloriosum erit, quod aduersarij fateantur, se non posse defendere, substantiam habere à se partes, nisi identificando quantitatem cum substantia, id enim nunc pro pro absurdo inferimus, & supra improbauimus Dissertat.40. Reuera tamen hæc quæstio procedit supposita distinctione quantitatis à substantia; alioqui disputatio tota frigebit: sed age dum, videamus aduersariorum responsa.

§. 12. Poncius Scotista respondet primo, se potius negaturum, quantitatem esse accidens aliquod absolutum distinctum à substantia, quã concessurum, quod substantia ex se non haberet partes, quæ essent *extra se inuicem*. Secundo respondet negando sequelam: quia licet partes substantiæ vnirentur mediantibus indiuisibilibus, adhuc possent penetrare se inuicem, sicut de facto partes quantitatis possunt de potentia absoluta penetrari, non obstante quod vniantur per indiuisibilia: neque in hoc (inquit) est vlla prorsus difficultas, hæc ille disput. 14. num. 25.

§. 13. Contra primo. Poncij prima responsio est succumbere difficultati, quam tamen dicit nullam esse prorsus. Contra secundo: Altera responsio prorsus non est ad rem, & non solum non soluit argumentum; sed nec tangit: ostendo: Argumentum intendit probare, Primam Aduersariorum sententiam non posse componere distinctionem realem quantitatis à substantia cum eo, quod substantia habeat à se partes *extra se inuicem* extensas, vt illa concedit. Nam sequeretur, nullum fore effectum formalem quantitatis, seu quantitatem fore superfluam, quandoquidem independenter ab illa haberet substantiam à se ipsa partes medijs indiuisibilibus extensas, & exigeret impenetrabilitatem earum: Atqui nullus alius potest esse effectus formalis quantitatis, quã facere, quod partes substantiæ sint *extra se inuicem* extensæ, atque impenetrabiles: ergo si hoc habetur sine quantitate à substantia, se ipsa est quantitas, vel nulla est quantitas. Et sic est, debes assignare effectum formalem eiusdem, scilicet extensionem illam tertiam, & mediam, quæ nec localis sit, nec substantialis, & entitatiua.

§. 14. Ad hunc autem modum soluendum quid refert dicere, partes substantiæ etiam si vniantur medijs indiuisibilibus, adhuc tamen posse penetrari sicut ipsæ partes quantitatis de potentia Dei absoluta penetrantur? Nihil certè: iam enim admittis partes substantiæ independenter à quantitate esse æquè penetrabiles, vel impenetrabiles, vt sunt partes quantitatis: Rursus non negasti sequelam, quam negare debebas. Thomista enim arguens non intendit, quod sequeretur, substantiæ partes non esse de potentia Dei absoluta penetrabiles, neque id somniauit: sed quod sequeretur, substantiam esse extensam, & impenetrabilem sicut ipsa quantitas, sine quantitate, proindeque superfluam, vel nullam fore quantitatem: quod & ipse ex Thomistis tibi obieceras, & pauloantè scripsisti per hæc verba. *Sequeretur, quod substantia ex se esset impenetrabilis, & sic quod nullus daretur effectus particularis, aut vsus quantitatis*. Hanc sequelam negare debebas, exhibendo effectum particularem, & vsum quantitatis præter extensionem, & impenetrabilitatem propriā substantiæ: quod non facis, ac proinde hæc responsio à solutione argumenti, toto Cœlo distat. Miror tamen quod dicas, nullam prorsus habere difficultatem, cum alioqui fateatis, te potiùs negaturum, quantitatem distingui realiter à substantia: si nulla est prorsus difficultas, quid rogo, te cogit ad eius modi dogma Aristotelicum, & Scoticum negandum,

§. 15. Secundo respondent alij, inter quos etiam Merinerus, Valera, & est communis aduersariorum solutio: Quod licet substantia habeat partes extensas in ordine ad se, adhuc tamen non sequitur eam seipsam fore quantam, seu ipsam quantitatem, quia eiusmodi partes essent entitatiuæ, & substantiales, quæ à quantitate nullatenus proueniunt, at verò effectum quantitatis dicunt, esse extensionem accidentalem earumdem, quantitas enim habet partes accidentales, & quantitatiuas: Vnde argumentum non probat substantiam fore quantitatem, cum quantitas debeat habere partes accidentales; non substantiales.

§. 16. Sed contra primo, hæc solutio est clarissima petitio principij. Nam argumentum intendit probare, substantiam fore quantitatem eo quod ex se haberet extensionem in ordine ad se, in qua formaliter consistit essentia quantitatis: vel ideo, quia substantia seipsa haberet impenetrabilitatem, seu exigentiam, impenetrationis, in qua secundum alios Aduersariorum consistit essentia quantitatis. Respondes, substantiam non fore quantitatem, quia non haberet partes quantitatiuas, & accidentales; sed tantum entitatiuas, & substantiales: Atqui hoc ipsum petit argumentum, scilicet, eas entitatiuas fore quantitatiuas, & accidentales, quia haberent extensionem in ordine ad se, & impenetrabilitatem à se ipsis: ergo dicere non fore quantitatiuas, quia sunt entitatiuæ, est petere principium. Probo consequētiam: Nam ideo negas, substantiam fore quantitatem, quia quamuis haberet extensionem partium, tamen illæ partes non essent quantitatiuę & accidentales; Sed hoc ipsum quod exhibes pro ratione est in controuersia: nam argumentum ex eo quod essentia quantitatis consistat in extentione in ordine ad se, colligit optimè omnē extensionem in ordine ad se debere quantitatiuā esse: Ergo petitur principium. Consequentia videtur manifesta: Quia si diceres substantiam non esse quantitatem, quia non est quantitas, proculdubio peteres principium; atqui idem est eam esse quantitatem, ac habere partes quantitatiuas à se, est idem, ac dicere, substantiam non esse quantitatem, quia non est quantitas.

§. 17. Protinus hinc sequitur absurdum illud, quod Thomistæ (vt Complutenses, M. Parra, & alij) benè deducunt: Nam si substantia re ipsa haberet disgregare visum, profecto non distingueretur albedo à re alba: ergo eo ipso, quod substantia à se ipsa haberet extensionem, & impenetrabilitatem ita esset quantitas, vt nulla suppeteret ratio distinguendi substantiam à quantitate. Consequentia est liquida. Nam si substantia se ipsa disgregaret visum certè esset ridiculum dicere substantiam adhuc distingui ab albedine, quia substantia solum disgregabat visum entitatiuè, & substantialiter; Albedo vero disgregaret qualificatiuè, & accidentaliter: ergo in pręsentiarum æque ridiculum est dicere substantiam corpoream distingui à quantitate, quia altera est extensa entitatiuè, altera vero quantitatiuè: æqua enim est ratio vtrobique.

§. 18. Occurrit Poncius, conceditque antecedens hypothesis, nempè ridiculum esse distinguere album entitatiuum ab albo qualificatiuo, & negat consequentiam, quia ad illud nulla est ratio, nec experientia; at vero ad asserendum extensum entitatiuè, & independenter à quantitate sunt (inquit) vrgentissima fundamenta; vndè hoc debet asseri, etiam si illud primum non asseratur. Sed contra. Abstineo ab eo quod sit ridiculum, vel non ridiculum, non enim omne falsum est risu dignum. Profecto Poncius non euadit vim argumenti. Disparitas enim ab illo data vel nulla est, vel petit principium. Tum quia nec Poncius, nec aduersariorum vllus habet experientiam substantiæ habentis partes extensas sine quantitate, seu extensæ substantialiter dumtaxat: ergo male negat consequentiam ex eo quod nulla est experientia albi substantialiter sine albedine qualificante. Cum æquè deficiat experientia ad asserendum extensum substantialiter tantum, ac album substantialiter tantum. Tum etiam quia non sat est dicere, te habere fundamenta vrgentissima adhoc asserendum, si non reddis disparitatem. Nam Thomista etiam dicit, se vrgentissima habere pro se, & de hoc est tota concertatio, quisnam habeat vrgentiora? Immò Lalemandetius, alijque neutrius, vel contrariæ Scholæ Doctores ingenuè dicunt, nostra pauciora quidem, sed efficaciora, fortioraque esse argumenta: ergo qui pro ratione negandi consequentiam solùm dicis, te vrgentissima fundamenta habere, petis principium.

PROTASIS ALTERA.

§. 19. Dico secundò. Substantia nullas habet partes entitatiuas radicaliter integrantes, confusas, & inuicem penetratas, quas adueniens quantitas ordinat, digerit, siue distinguit, sumendo distinctionem pro ordine tollente confusionem, non pro tollente vnitatem, vt tenet tertia sententia. Hanc assertionem statuo contra Thomistas illos tepidos, seu temperatos, qui vtramque extremam sententiam hoc explicatu temperare, aut fœderare tentarunt citati supra §.4. quorum sententiam dixi, neque Thomisticam esse, neque veram, vtrumque iam ostendo. Primo. Hæc sententia palinodiam recantat, concedit enim iam essentiam quantitatis consistere in impenetrabilitate, seu in exigentia impenetrationis, quod antea prorsus negauerat; Atqui essentiam quantitatis constituere in impenetrabilitate Thomisticum non est, igitur eiusmodi sententiam non est Thomistica. Minor, & consequentia constant. Maiorem probo. Per vos substantia à se, & præcisa quantitate non est res omninò simplex; sed constat ex partibus substantialibus realiter distinctis, distinctione tollente vnitatem; effectus verò quantitatis circa illam consistit in distinctione tollente confusionem, & penetrationem. Idest quantitas solum facit, quod vna pars sit extra aliam, vt non penetretur, & confudatur cum illa. Atqui hoc nil aliud est, quàm formalissima impenetrabilitas: Ergo hæc sententia effectum formalem primarium, seu essentiam quantitatis in impenetrabilitate constituit. Probo minorem. Confundi, & penetrari vnam partem cum alia in illo statu præcisionis substantiæ à quantitate nil est aliud, quam vnam partem tangere aliam secundum se totam, & non tantum secundum illud indiuisibile, quod est terminus communis vtriusque extremitatis; sed per vos adueniens quantitas nil aliud facit, nisi quod vna pars substantiæ non tangat aliam secundum se totam; sed tantum secundum illud indiuisibile, quod est terminus communis vtriusque extremitatis: Ergo effectus formalis quantitatis nil aliud est, nisi tollere penetrationem. Consequentia est bona, neque enim aliter explicare potestis hoc quod est tollere confusionem, & partem ponere extra partem, quam per ordinem ad impenetrationem.

§. 20. Probo secundò iam assumptum. Per vos extensio formalis quantitatis consistit in extreitate partium substantiæ; sed non in extreitate entitatiua: ergo in extreitate situs, vel loci. Minor est euidens, quia ad extreitatem entitatiuam sufficit distinctio realis entitatum, eo enim ipso, quòd vna entitas non sit alia, entitatiuè est extra illam: Ergo si ponitis aliam extreitatem, quæ non sit entitatum, in qua consistat essentia quantitatis formaliter, illa erit extreitas in ordine ad situm, siue locum, alioqui si negatis hanc consequentiam, debetis assignare tertiam, & mediam extreitatem partium, quæ nec entitatiua sit, nec situalis, in qua essentialiter consistat ratio formalis quantitatis.

§. 21. Meum hunc discursum, quo inferebam, ipsam distinctionem realem partium esse extreitatem illarum, ac effectum primarium quantitatis, proindeque aliam quamlibet extreitatem non nisi in ordine ad locum concipi posse. Post hæc scripta vidi approbari à doctissimo Cardinali Aureolo in 2. Distinct. 12. artic. 4. vidi, & gauisus sum, eumdem enim ab hinc quarto ferè sæculo prosequutus fuerat ille sub his verbis: *Habere enim partes* (inquit), *& habere partes extra partes est omninò idem, nec partibilitas realiter distinguitur à partium extensione, siue distantia earum. Hoc autem probo specialiter primo, quia pars eo ipso, quod distinguitur realiter ab alia parte, est realiter extra illam. Quæro enim, quid intelligitur per esse extra aut situatiuè, aut realiter? Si primo modo, patet quod eo illa est extra, quo est pars. Da nempè oppositum, sequitur quod duæ partes possint esse in eodem situ, & qua ratione duæ, eadem ratione omnes, & tunc vnum totum poterit esse in eodem puncto. Si vero intelligas esse realiter, patet, quod eo ipso, quod est pars distincta à parte, quod est extra partem. Prædicatum enim clauditur in subiecto. Formo ergo ex his talem rationem: Illa sunt eadem, quorum effectus formales sunt idem; sed idem est habere partem, & habere partem extra partem: ergo idem est partibilitas, & extensio, quæ est habitio partis extra partem.* Hæc ille oportunè. Partibilitatem vocat rationem habendi partes, seu extensionem in ordine ad totum, vt se ipse explicuit supra Dissertatione nostrâ præcedenti Theorem. 2. §. 20.

§. 22. Dices, non satis esse entitates partium substantiales esse realiter distinctas, adhoc vt habeant extreitatem inter se. Quia enim partes graduales qualitatis v.g. calor vt duo, & calor vt tres sunt realiter distinctæ, & tamen non habent extreitatem, nec faciunt extensionem, sed omnes confunduntur in eadem parte subiecti. Et hoc exemplum est *Murus aheneus* huius sententiæ.

§. 23. Sed contrà primò. Exemplum non iuuat Aduersarios, sed potiùs vexat. Nam semel data distinctione partium gradualium qualitatis in eadem parte subiecti, nil aliud exigitur ampliùs vt faciant extensionem, nisi quòd non sint in eadem parte subiecti, seu quòd habeant extreitatem situs indistinctis partibus eiusdem subiecti: Ergo semel admissa distinctione entitatiuâ partium substantiæ, nil amplius petitur vt habeant extreitatem quantitatiuam, seu extensionem, nisi quod vna non sit in eadem parte spatij, ac alia; atqui hæc exigentia est formalissima impenetrabilitas: ergo in impenetrabilitate constituitur primaria extensio quantitatis.

§. 24. Contra secundò. Non iuuat exemplum: Non enim est similis ratio inter partes graduales qualitatis, ac inter substantiales entitatiuas quoad præsens institutum extensionis. Nam partes graduales sunt indiuisibiles, nec vllum est absurdum, quod calor componatur ex gradibus indiuisibilibus realiter distinctis. At verò substantia corporea non componitur ex meris punctis, aut indiuisibilibus, vt ipsi

cum

cum Aristotele docetis in 6. Physicorum. Rogo igitur, hæ partes entitatiuæ substantiæ vel sunt indiuisibiles, vel diuisibiles? Si primum, jam corpus constat ex solis indiuisibilibus. Si secundum, iam substantia non distinguitur à quantitate, quippèquæ proprietates illius habet, vt si leo esset risibilis, esset item homo. Dices esse diuisibiles radicaliter. Contra, vna pars entitatiua per vos realiter distinguitur ab alia: ergo est extra illud indiuisibile terminans illam. Probo consequentiam, quod distinguitur realiter ab vna parte, realiter distinguitur ab omni illo, quod illam partem entitatiuè constituit; sed illam partem constituunt entitatiuè indiuisibile vniens, & indiuisibile terminans: ergo pars quæ realiter distinguitur ab alia parte, distinguitur realiter etiam ab indiuisibili vniente, & terminante illam: Ergo hoc indiuisibile A. v. g. quod terminat vnam partem, non terminat alteram, distinguitur enim pars vna ab altera secundum omnia constitutiua vnientia, & terminantia illius per te: Ergo vna pars entitatiua substantiæ formaliter est extra aliam. Probo. Pars quæ non vnitur, neque terminatur per vnionem, & terminum alterius partis est formaliter extra terminum illius. Quid enim est esse extra illam, nisi non claudi eiusdem termino; Sed vna pars realiter distincta à parte terminata per indiuisibile A. non terminatur etiam, neque vnitur per indiuisibile A. ergo est formaliter extra indiuisibile A. & extra partem terminatam per indiuisibile A. Ergo eiusmodi partes sunt formaliter diuisibiles, quippèquæ sunt partes extra partes, & extensæ à se præcisa quantitate, proindèque hæc sententia quantitatem à substantia non distinguens neque vera, neque Thomistica est. Mitto alia, quia ad sextum Physicorum spectant.

§. 25. Confirmatur efficaciter ex verbis, & sensu Thomistarum, quos impugnamus. Nam M. Ioan. à S. Thoma explicans, quomodo quantitas præstet suum effectum formalem partibus substantiæ, & tollat confusionem illarum, & non vnitatem, hæc scribit: *Et potest tolli vnitas* (inquit) *quando fit multiplicitas, & potest tolli confusio quando fit ordo, nam ea dicuntur confusa, quæ sunt sine ordine. Distincta autem quæ ordinatè, & debite collocata*. Prome quæso ly *debite collocata*. Ecce collocatio, & ordo localis: ergo semel admissa distinctione partium entitatiuarum substantiæ, nil præstat quantitas, nisi ordinatam collocationem. Item Mag. Lynceus quartam sic statuit conclusionem: *Extensio partium in ordine ad se, seu earum ordo situalis in toto est essentiale constitutiuum quantitatis*. Nota, quod pro eodem vsurpat extensionem in ordine ad se, & ordinem situalem. Ast ni fallor, res sunt diuersæ, nam extensio partium in ordine ad se respicit totum absolutè, & ordo situalis partium respicit situm earum: ergo malè confundit extensionem primariam quantitatis cum situalitate earum, quæ posterior est. Rursus infra explicans essentiam quantitatis dicit, quod hàc: *Non tollitur identitas earum, sed solum modò opponitur confusioni, aut penetrationi partium inter se*. Ecce essentiam quantitatis constituit in oppositione cum penetratione: ergo in impenetrabilitate: Ergo hæc sententia defendi non potest, nisi deseratur Thomistica de constitutiuo quantitatis. Denique Mag. Parra commendans probabilitatem huius sententiæ, & Auctores, quos pro se habet, hæc subiungit: *Estque communis apud Patres Societatis*. Atqui Patres Societatis non nisi in impenetrabilitate quantitatem constituunt, immo reijciunt omninò, impugnantque sententiam Thomistarum docentium, illam consistere in extensione in ordine ad se: Ergo sententia admittens partes entitatiuas substantiæ præcisa quantitate non est communis, nisi Doctoribus Thomistarum aduersarijs.

THEOREMA III.

Argumenta contendentia substantiam præcisa quantitate habere partes, diluuntur.

§. 26. Pleraque Aduersariorum argumenta nituntur falsa eorum apprehensione. Profectò, vt optime notarunt PP. Complutenses sicut illi non percipere se dicunt quomodo diuisibile recipiatur in subiecto indiuisibili, sic intelligere non poterunt, quomodo *vbi* circumscriptiuum, seu præsentia localis recipiatur in subiecto non existente in loco, aut quomodo potentia ad intelligendum recipiatur in subiecto non potente intelligere. Sed verò hoc non solum non est inintelligibile, sed oppositum manifestè est impossibile, ante receptionem enim actus necessariò antecedit priuatio actus, & non actus ipse, id quod non solum prædicti notauere Thomistæ, sed & Mag. Durandus: *Non oportet* (inquit vbi supra) *quod præter quantitatem sit in materia aliqua extensio, secundum quam habeat plures partes, quæ subijciantur pluribus partibus quantitatis. Immò secundum istos non est possibile si benè considerentur dicta eorum, quantitas enim non præexigit in materia illud quod ipsa facit, aut quod ad ipsam consequitur, &c.* Producimus non nunquàm Doctores externos, vt Aureolum, Durandum, &c. vt videas, egregia ingenia etiam nobis adstipulari, tametsi Thomistæ non sunt. Vndè non moror Poncium aientem, sibi mirum esse, *cur Complutenses vtantur supradictis exemplis, quæ prorsus nihil faciant ad rem, neque vllam habent proportionem cum re controuersa*. Non moror inquam, quoniam æquus, ac prudens Lector rectè videbit, Poncium falli, & hæc omnia proportionem inter se magnam habere: *Forma diuisibilis non potest recipi in subiecto non diuisibili, forma potens intelligere* (id est potentia intelligendi) *non potest recipi in subiecto non potente intelligere, forma præsens* (id est præsentia localis) *non potest recipi in subiecto non præsente*. Quæ omnia vera sunt si oppositio inter formam, & subiectum sumatur contradictoriè. Decipiuntur verò aduersarij, quia in extensionem, seu indiuisibilitatem substantiæ secundum se apprehendunt vt contradictoriè, seu contrariè oppositam extensioni, & diuisibilitati quantitatis, cum non opponatur illi nisi priuatiuè. Omnis enim potentia receptiua dum non est sub actu, cuius est

capax, necessariò habet priuationem illius, proindèque substantia ante quantitatem non extensa; sed extensibilis, non vbicata debet esse, sed vbicabilis. Dicitur nihilominus indiuisibilis, quia cum diuisibilitas proxima sit propria passio extensionis, vt supra exposuimus, dum substantia non est extensa, neque est proximè diuisibilis, sed potiùs proximè indiuisibilis, sumpta indiuisibilitate pro priuatione, non pro negatione diuisionis, quo sensu loquitur Diuus Thomas, & producit Aristot. 1. physicorum. Hæc communiter Thomistæ.

§. 27. Quæ si benè & pacato animo perpendant aduersarij, multa eorum argumenta nullius esse roboris animaduertent, vt Merinerus vidit in argumento vulgari, quod si Deus auferret quantitatem in vnico instanti à substantia Occeani, adhuc illa maneret extensa, & sic habetur intentum, quod si maneret indiuisibilis, hæc sequerentur absurda. *Primò*. Iam tota illa aquæ substantia conflueret in punctum, moueretur que localiter in instanti, quod est impossibile. *Secundò*. Non esset maior ratio, cur confluxus huius substantiæ fieret potiùs in hac Occeani parte, quàm in alia. *Tertiò*, qui biberet vnam guttam huius aquæ, totum etiam biberet Occeanum, res enim indiuisibilis tota attingitur, si semel attingitur.

§. 28. Fassus est Merinerus, hoc argumentum nullius roboris esse, & ex falsa imaginatione procedere, cum aqua tunc nec conflueret in punctum, nec moueretur localiter, nec guttas haberet, nec bibi, aut tangi posset, cum ad hæc omnia exigatur extensio, & situatio quantitatiua. Vndè miror, Poncium illo vti tanto verborum apparatu, de quo infra.

§. 29. Similiter paruipendit secundum argumentum, quod sic formari solet. Diuidatur lignum v.g. in duas partes, auferat, tum Deus ab illis partibus quantitatem, proculdubio remanebunt duæ distinctæ substantiæ. Rursùs Deus restituat eisdem quantitates ablatas, & ambas vniat vt antea, & tandem post vnionem spolientur iterum quantitate. Tunc quæritur, an illæ partiales substantiæ vnum, & idem fierent? an duo, & diuersa manerent? Si primum dicas, fatendum est, dictas partes substantiæ sua principia indiuidualia amisisse, ipsis permanentibus eisdem, quòd est inaudibile. Si dicas alterum, tuam sententiam relinquis. Subdit Merinerus, Thomistam consequenter ad suam doctrinam docere, eiusmodi substantias remota quantitate, quæ erat tota ratio distinctionis, iam non mansuras distinctas, quæ responsio etiam si falsa sit, tamen eius falsitas hoc argumento non ostenditur, sed potiùs præsupponitur: quare omissis, contemptisque alijs, dicit, suam sententiam non posse meliùs probari, quam duobus his argumentis, quæ iam exhibeo, & sit.

§. 30. Tertium argumentum. De facto pars substantiæ, quæ est in manu sinistra Petri est distincta à substantia Pauli, quæ est in dextera eiusdem; sed modò non distinguitur ab illa per quantitatem, sed se ipsa: ergo etiam præcisa quantitate ab vtraque parte substantiæ adhuc illæ distinguerentur. Minor probatur: si eiusmodi partes substantiæ differrent solum per quantitatem, non rectè dicerentur duæ partes substantiæ, sed eadem numero substantia, sub diuersis quantitatibus sicut de corpore, per diuinam potentiam existente in duobus locis, non est verum dicere, esse diuersa corpora, sed esse idem numero corpus sub diuersis locis, eo præcisè, quia differentia oritur ex sola diuersitate loci. Alterum argumentum est ratio à priori, vt ille dicit, quod sit.

§. 31. Quartum argumentum. Per id, per quod aliquid habet esse tale ens, habet esse vnum, & consequenter esse indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; sed substantia sinistræ habet, quod sit ens substantiale non per quantitatem, sed per suam intrinsecam entitatem: ergo ab intrinseca sua entitate, & non à quantitate habet esse vnam, id est indiuisam in se, & diuisam à quolibet alio. Minor est manifesta, quia vnum est passio entis.

§. 32. Respondeo ad primum. Nego minorem, cuius probationis etiam nego antecedens, non enim dicimus, substantia manente indiuisa solam diuidi quantitatem, neque substantiam esse totam in tota quantitate, & totam in qualibet parte quantitatis. Sed dicimus, illam realiter, & entitatiuè diuidi per quantitatem, ita quidem, vt tot sint, & fiant partes substantiales, quot ipsi præstat quantitas. Vndè diuisio verè est substantialis materialiter, & pro substracto, & non solum extrinseca, & merè accidentalis, vt est diuersitas locorum.

§. 33. Ratio autem illa à priori, quam vt omnibus efficaciorem promisit Merinerus, certè est vetustum argumentum Ochami teste Sanchezio, quo postea vsi sunt ex modernis Suarezius, Albertinus, Hurtadus, Oniedus, &c. & quod iam pridem eneruarunt antiqui Thomistæ, vt Soncinas 5. Metaphys. quæst. 19. & alij; Sed lubet solutionem refferre Sanchezij: [*Respondetur* (inquit) quòd partes per se non sunt ens, quia per se non sunt partes, sed per quantitatem. Illa enim negatiua: *Partes per se non sunt ens*, est vera, quia est de subiecto non supponente, quia partes non sunt sine quantitate. Sicut enim quamuis Petrus per se sit ens, non per se est albus, sed per albedinem, ita materia licet sit ens per se, non habet per se partes sine quantitate, & sicut additur realitas vt sit albus Petrus, ita additur realitas, vt partes materiæ *sint distinctæ*,] ita ille. Igitur data maiore. Nego minorem. Nam substantia sinistræ est pars, & licet vt ens substantiale formaliter, sit ens à se, tamen vt substantia sinistræ est, seu vt pars, non est substantia per se, sed per aliquid aliud. Vides, Merinerum nihil hoc argumento promouisse, nec veterem eiusdem solutionem impugnasse.

§. 34. Quintò Poncius arguit: Substantia naturaliter, & à se habet extensionem inordine ad se, & in ordine ad locum, vt homo naturaliter exigit manum non esse vnitam pedi, &c. ergo etiam præcisa quantitate substantia habet extensionem,

sionem, tàm in ordine ad se quam in ordine ad locum. Si dicas, substantiam eiusmodi extensiones naturaliter quidem exigere, sed non per se, sed ratione quantitatis, quam immediatiùs exigit. Contra instat *primo*. Priùs competit substantiæ habere partes extra partes &c. quam habere quantitatem: quia in conceptu substantiæ corporeæ completæ vt sic, vt distinguitur à spirituali inuoluitur pluralitas partium substantialium integralium. Contra *secundo*: Certum est substantiam Elephantis exigere maiorem quantitatem naturaliter, quam substantiam hominis. Cuius nulla potest assignari ratio, nisi quod substantia Elephantis plures partes exigit, quam humana: ergo prius est, substantiam habere plures partes, quam exigere quantitatem.

§.35. Probat secundò idem antecedens. Substantia manus distinguitur essentialiter à substantia oculi; sed hanc distinctionem nequeunt habere à quantitate: ergo à se. Rursus substantia vnius partis aquæ distinguitur, ità realiter à substantia alterius, vt etiam sine quantitate pars vnius aquæ conseruaretur in Hibernia, & altera Romæ: ergo ex se habet substantia plures partes. Probat tertio idem antecedens ratione illa, quæ primo loco argumentorum proposuimus, quæ soluunt Thomistæ iubendo corrigere imaginationem, vt Caietanus 1. p. q. 52. art. 1. & alij ità, vt & Merinerus dixerit, illam nullius roboris esse: illa enim substantia, siue hominis sit, siue Occeani; semel sublata quantitate, nec distans, nec indistans esset positiuè, nec alicubi esset, sed solum haberet super extensionem sine loco, sicut res extra Mundum, & Angelus non operans.

§.36. Contra instat *primò*: Hæc responsio supponit falsa principia, scilicet Angelum non esse in loco nisi operetur, & quod esse in loco sequatur quantitatem. Contra *secundò*: Certum est, quod illa substantia hominis si non moueretur ab hoc loco, & ab ipsa separaretur quantitas, ità sit indistans à corporibus in hac Schola locatis, vt si oculi possent illam videre, illam viderent oculi hic existentium, & non possent illam videre oculi existentiam in Hibernia: & è contra, ità posset hinc esse distans, vt videretur ab oculis in Hibernia existentium: ergo esset in loco, siuè positiuè, siuè negatiuè, quod nihil facit ad rem.

§.37. Confirmatur *primò*. Certum est, quod Angelus posset intuitiuè videre talem substantiam, & si posset destruere eius partes, posset destruere vnam partem, relictis alijs. Confirmatur *secundò*. Destructa quantitate illius substantiæ, succederet ipsi aer, qui penetraretur cum illa: quæro tum, an cum vna parte istius aeris tota substantia penetraretur, an solum pars ipsius? Si tota: ergo admittitur confluxus partium ad vnam partem; Si pars tantum? ergo admittitur pars extra partem cum correspondentia ad partes loci. Contra *Tertio*: Tàm verum est illam substantiam esse in loco, quam ipsam quantitatem: nec vlla prorsus ratio est, quæ probet, substantiam illam non esse in loco positiuè, quæ similiter non probaret, neque quantitatem esse in loco positiuè. Hæc ille satis prolixè, quæ similiter non probaret, neque quantitatem esse in loco positiuè. Hæc ille satis prolixè, quæ nos ideò non nihil contraximus.

§.38. Profectò Poncius per inde augumentatur, vt penè videatur, neque Thomistas legisse, neque eorum solutiones obseruasse, vt ipsas impugnaret, & vbi probatio non suppetit; non nisi pronuntiat *Certum est, certum est*, cum sciat, vel saltem scire debeat, Thomistam eiusmodi certitudines rotundissimè negare: Respondeo ad argumentum negandum antecedens ob rationem ibidem datam: & ad primam instantiam etiam nego antecedens: Nam vt substantia corporea distinguatur à spiritali, satis superque est, quod sit per quantitatem extensibilis, non actu extensa, nec ideò illa præcisà quantitate remanet indiuisibilis negatiuè, & contradictoriè, vt Angelus; sed priuatiuè dumtaxat. Ad alteram instantiam Elephantis concesso antecedente; nego consequentiam: nequaquaquam enim ex eo quod substantia Elephantis exigat maiorem quantitatem, sequitur bona consequentia: Ergo priùs est, substantiam habere plures partes, quam exigere quantitatem. Hoc augumentum sibi objecerant complutenses formalius quidem, & concinnius, & eius solutionem viderat Poncius apud ipsos, & tamen illam non impugnat. Aiunt communiter Thomistæ, substantiam Elephantis, vel Cæli esse equidem solum radicaliter maiores, seu esse radicem maioris quantitatis, non maioritate actuali, quam substantia Muris.

§.39. Sed quæres, cur materia muris non exigat quantitatem Cæli, seu cur non sit etiam radix maioris quantitatis, cum materia prima sit vna, & eadem in vtroque? Respondeo: Materiam primam vt talem solum esse impotentia ad formas, quas naturaliter habere potest, & quæ de facto sunt in rerum natura, vel per principia naturalia educi possunt, proindèque non potest recipere maiorem quantitatem, quam est quantitas Mundi, vt docet Angelicus Doctor in 2. Distinct. 30. quæst. 2. artic. 1. Author autem naturæ illam pro varietate formarum diuisit, & quælibet portio materiæ non exigit nisi illam quantitatem, quam sibi forma determinata præscribit. Vndè à materia determinata muris non benè arguitur ad exigentiam totius materiæ vt primæ, & absolutè consideratæ: *Quia quando loquimur* (ait Doctor Sanctus) *de materia existente in hac re, iam dimittimus considerationem materiæ absolutè, non enim potest accipi illud materiæ, quod est in hac re, nisi secundum quod est diuisum ab alia parte materiæ, quæ est in re alia. Diuisio autem non accidit materiæ, nisi secundùm quod consideratur sub dimensionibus saltem interminatis, quia remota quantitate, vt in primo Physicorum dicitur; substantia erit Indiuisibile. Vndè consideratio materiæ huius rei est consideratio non materiæ absolutè, sed materiæ, sub dimensione existentis; vndè non oportet, vt quod conuenit materiæ in quantum est absoluta, & prima, quod conueniat materiæ existenti in hac re, pro vt accipitur in hac re existens, quia ex hoc ipso receditur à consideratione materiæ primæ, vnde materia, quæ* est

est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi; sed vsque ad determinatum quid, &c. Hæc illæ, quibus habes, cur materia muris, non sit radix quantitatis Elephantinæ.

§. 40. Ad alteram probationem eiusdem antecedentis principalis, nego maiorem, & minor etiam falsa est. Deindè quod addit, partem substantię sine quantitate conseruari posse vnam in Hibernia, & alteram Romæ, etiam est falsum, & contradictorium, supponit enim, locum Romæ, & in Hibernia, cum alioqui remoueat locum, qui omnem quantitatem remouet.

§. 41. Tertia probatio de vulgari confluxu substantiæ in punctum solutione ibidem data euanuit. Ad primam instantiam respondeo, permittimus Poncio, Angelum non esse in loco per operationem. Sed cur tacuit primum exemplum, & transijt ad secundum? etenim res extra Mundum, vt Anima rationalis si crearetur in spatio imaginario, veré esset nusquàm, & de facto nunc Mundus quoad superficiem conuexam vltimi cæli nullibi est, nullo enim loco circumdatur. Sic ergo esset substantia si quantitate omninò destitueretur: ergo non supponimus falsa principia. Deindè nego, nos falso supponere, quòd esse in loco sequatur quantitatem, id enim docuit Aristoteles, qui *locum* inter species quantitatis numerauit. Ad secundam instantiam nego, certum esse quòd illa substantia esset distans, vel indistans. Nam cum esset nullibi, prorsus careret fundamento proximo relationis distantiæ, vel indistantiæ, quod est locus, vel situs.

§. 42. Ad primam confirmationem respondeo. Transeat, quòd Angelus posset illam substantiam videre, vt distinctam ab alijs substantijs: Sed nego, certum esse, quòd ex illa posset vnam partem destruere alijs relictis, de hoc enim est tota quæstio, an habeat partes? & qui arguendo dicit, hoc esse certum, certè petit principium.

§ 43. Ad secundam confirmationem respondeo, Poncium non impugnare solutionem datam, nam apud Complutenses viderat, Caietanum hæc scripsisse; *Quoniam seclusa quantitate, aqua illa nusquàm remaneret, quia nullam habitudinem haberet ad locum, & ideò non oportet quærere, quò ierit, sed vas plenum aëre reperiretur, aqua indiuisibili redditâ, & nusquàm existente.* Et paulo ante dixerat, *quod sicut hæc aqua secluso colore implicat contradictionem, quod sit visibilis, ita seclusa quantitate quod sit locabilis*, non ergo dicimus, substantiam indiuisibilem penetrari cum aëre in eodem loco, equidem si aër est in vase, & substantia nusquàm existit, quomodo possent penetrari? Tertia instantia etiam est futilis, & negato vtroque eiusdem antecedente, euanescit. Mitto alia eiusdem Authoris, quia leuioris sunt momenti.

§. 44. Sextò obijcit Hurtadus. Nam materia realiter distinguitur à quantitate, rogo ergo (inquit) de illa entitate materiæ, vt à quantitate distincta habeat partes, nec ne? si habet, habetur intentum, si non habet partes; non est entitas simplex sicut animus rationalis, patet consequentia, quia compositio, & simplicitas includunt terminos contradictoriè oppositos.

§. 45. Dices materiam solam non habere partes, eas tamen habere à quantitate, in quo differt à re spirituali, vt est animus rationalis, qui neque à quantitate eas habet. Contra *primò*, quia anima rationalis etiam habet partes quantitatiuas. Contra *secundò*. Illæ partes sunt accidentales: ergo non possunt componere substantiam intrinsecè, quia hæc est essentia substantialis. Dices, partes materiæ esse substantiales, eas tamen habere *distinctionem* à quantitate. Contra *primò*, Illæ partes vel sunt iam in materia distinctæ, & sic illa habet partes, & earum distinctionem. Si non habet: ergo non possunt à quantitate distingui, nam duo conceptus semel realiter identificati, neque diuinitus possunt inuicem realiter distingui. Contra *secundò*, vnaquæque res distinguitur ab alia per eam rationem, per quam constituitur; sed partes materię non constituuntur per quantitatem: ergo neque distinguuntur. Contra *tertiò*, ad hominem, contra Thomistas opinantes, materiam primam priùs natura vniri formæ substantiali, quam quantitati, in illo priori intelligitur materia prima cum suis partibus, & non intelligitur quantitas: ergo partes materiæ sunt priores quantitate, patet consequentia, quia materia prima est natura prior quantitate, quia est subiectum illius. Hæc ille, quibus arbitratur, nostram sententiam euidenter impugnari.

§. 46. Respondeo, hoc antiquum argumentum esse, quod etiam sibi obiecit Aureolus in 2. distinct. 12. artic. 4. folio mihi 167. ad illudque respondi supra §. 38. ex doctrina veterum Thomistarum. Ad primam instantiam, nego antecedens. Nam anima rationalis subest partibus quantitatiuis citrà sui diuisionem. Ad secundam *instantiam*, dico partes substantiæ solum esse accidentales pro formali, cum sint substantiales secundum totum quod important de materiali, quod si hoc sibi velit illa responsio, quam ibi impugnat Hurtadus, illam amplectimur, & ad primam instantiam respondeo, substantiam ante quantitatem non habere vllam distinctionem integralem, neque ideò hinc sequitur, partes identificatas, posteà realiter distingui. Nam vt optimè notat Capreolus in 2. distinct. 18. quæst. 1. artic. 3. (vide, quàm annosa sit obiectio hæc) quando aufertur quantitas desinunt esse caput, & brachia, &c. & per consequens substantia desinit habere partes, quare (attende nunc Lector) neque identificantur, quæ erant distincta, neque quæ erant idem, distinguntur, quia talis identitas, & distinctio sunt relationes inter partes, & ita vbi non sunt partes, non est distinctio, aut identitas. Ad alteram instantiam dico, partes substantiæ, vt tales formaliter constitui, & distingui per quantitatem: vndè nego minorem, quod si velit Hurtadus, quod partes substantiæ in esse entis substantialis non constituantur per quantitatem, ad

hoc iam suprà respondi cum Mag. Sanchezio §. 33. Ad tertiam instantiam iam pridem responderat Mag. Soncinas 5. Metaphys. quæst. 22. [Ad argumentum ergo dicitur (inquit) quod forma præcedit quantitatem secundum esse simpliciter, & est posterior quantitate in esse distincto; sed quia *esse* est simpliciter priùs, quam *esse distinctum*, quia esse ad se est priùs esse ad aliud, ideò forma substantialis est simpliciter prior in materia, *quàm quantitas*.] Vides mutuam causalitatem, atque prioritatem inter formam substantialem, & quantitatem. Id verò quod addit Hurtadus, quòd materia est subiectum quantitatis: ergo prior ipsa habet suas partes, nullius momenti est, & negat consequentiam Sanchezius: [*Quia formaliter* (inquit) habet partes per quantitatem, radicaliter autem habet id, vndè possit habere partes adueniente formâ, & quantitate. Sicut non valet priùs natura est aurum, quàm figura annuli: ergo habet esse annulum ante figuram. Solum sequitur, quod est potentialitas, vt indè educatur *Annuli figura*.] Hæc ille. Volui autem veterem Thomistarum solutionibus huiusmodi argumenta diluere, vt ostenderem, recentes hosce Authores tam Scoticos, quàm Nominalistas nihil noui de sua penu ad illas impugnandum attulisse.

THEOREMA IV.

Cætera Aduersariorum argumenta eneruantur.

§. 47. Septimo objiciunt: Materia prima distinguitur realiter à quantitate, vel ergo distincta ab illa, vel est entitas omninò simplex, vel est composita? si dicas primum: non potest accipere partes à quantitate: Quia causa accidentalis nequit præstare nisi effectum accidentalem; sed quantitas secundum se non est substantia formaliter: ergo non potest tribuere formaliter materiæ partes substantiales. Deindè neque vt causa efficiens potest illas præstare; non enim est causa efficiens respectu materiæ, & quamuis esset, tamen eo ipso, quòd materia esset res omninò simplex, illam non posset efficienter diuidere, sicut animam rationalem nulla efficiens causa in duas dissecare potest. Si dicas alterum: ergo materia vt distincta realiter á quantitate debet coalescere ex partibus substantialibus. Patet consequentia: Quia totum compositum nil aliud est, quam suæ partes vnitæ: materia est totum substantiale: igitur partes eius substantiales debent esse.

§. 48. Dices: materiam vt à quantitate distinctam habere partes in potentia, & non in actu, atque ideò compotum esse in potentia, & non actu, quod sat est, vt non sit res omninò simplex. Sed contra: materia vt distincta à quantitate est eos non merè possibile, sed existens; non enim existit per quantitatem: ergo prout ens existens inuoluit plures partes, & est composita actu, alioqui est res omninò simplex: sic magno animi feruore argumentatur Alphonsus.

§. 49. Respondeo, materiam in rigore loquendo, neque simplicem esse, neque compositam simpliciter, quia huiusmodi prædicata rebus competunt completis, non entibus incompletis, quæ essenlialiter ad compositionem totius ordinantur. Sic vnio, sic punctum, sic forma Equina, albedo, & neque sunt entia omninò simplicia, neque composita, id quod, & pueris notum est. Nihilominus quia materia continet partes in potentia, quas per quantitatem agens naturale educet: dici potest composita in potentia: & arguens inepte confundit potentiam subiectiuam cum obiectiua possibilitatis, de quibus alibi sermo fiet. Materia autem (si loquamur de compositione essentiali physica) res simplex quidem est, quia est pars potentialis, quæ alia materia non constat: Quod autem forma accidentalis præstet effectum accidentalem, omninò certum est: habitio etenim partium integralium accidentalis est substantiæ, non ipsæ partes. nam *Pars* concretum quoddam accidentale est constans ex substantia, & quantitate vt *album*: non tribuit quantitas substantiam, sed distribuit: non præstat substantiam capitis, brachij, &c. sed formaliter facit quod hæc substantia conglobetur in caput, ducatur in brachium solidetur in ossa, &c. quod fit medijs etiam qualitatibus, id quod Thomistæ explicant per hoc, quod quantitas non tribuit partes *subiectiuè*, sed tribuit illas *formaliter*: similiter dicunt quod partes subiectiuè sumptæ non accidunt materiæ, accidunt verò formaliter. Vndè ad formam primi syllogismi datis præmissis, distinguo consequens sub explicato glossemate: quantitas non tribuit partes substantiales, formaliter nego, subiectiuè, seu materialiter, transeat, cætera nil vrgent.

§. 50. Octauò objiciunt. Sit lignum palmare. Potest Deus spoliare hoc lignum sua materia, & facere, quod solùm remaneat ibi quantitas. Tum sic: Deus videt, in quanam parte substantiæ erat pars quantitatis, nam potest iterum eamdem materiam sub illa quantitate ponere, adeò, vt quæ pars materia erat priùs sub parte A quantitatis, denuò sub eadem sit: Ergo in materia debent esse suæ partes præter partes quantitatis.

§. 51. *Mirum est quàm torquantur Thomistæ hoc argumento*, (inquit Spinula) sed ego neminem vidi tortura eiusmodi laborantem, sed nec vllum, qui argumentum istud adducat. Respondeo admissa hypothesi, nego antecedens. Deindè concedo quòd substantia sub eisdem partibus, ac anteà poni possit, & nego consequentiam. Nam Deus non vidit in quanam parte substantiæ fuerit hæc pars A quantitatis, cum negemus in substantia vllas remanere partes, & quod non est, non videtur à Deo. Sed videt Deus in materia indiuisibili esse virtualitates quasdam, seu potentiam virtualiter extensibilem, & æquiualentem multis partibus, quas per quantitatem habere potest, exemplo res clarescet. Existit per possibile, vel impossibile materia omni forma substantiali spoliata. Rogo, videret ne Deus, quænam portio materiæ fuerat Solis, quænam arboris, quænam ignis, &c?

Et

Et tamen hæc est mala consequentia: Ergo tunc essent in materia portio solaris, portio arboris, ignis, &c. Sicut enim eo euentu nil esset in materia, nisi sol in potentia, ignis in potentia, idest virtualis informabilitas, quæ per respectum ad formas aduenturas ratione nostra multiplex concipi posset, quin verè, & realiter esset vlla forma in actu, haud secùs contingeret in prædicta suppositione, & Deus nil actualis extensionis videret, nisi virtualem æquiualentiam, & potentialitatem partium integralium.

§. 52. Nonò obijciunt. Substantia capitis non est substantia pedis; sed hæ duæ substantiæ non distinguntur tanquam duæ substantiæ totales: ergo vt partes substantiæ. Probatur maior. Substantia pedis corrumpitur, manente substantia capitis: ergo distinguitur ab illa. Dices, substantiam pedis distingui à substantia capitis non ratione sui, sed ratione quantitatis. Contra, substantia, quæ est sub quantitate pedis, & constituitur in esse partis per hoc quod est sub quantitate pedis, seclusa illa ratione formali, ratione cuius est sub quantitate pedis, & sumpta tantum pro materiali corrumpitur, non corrupta substantia capitis secundùm aliquam rationem; sed permanente secundùm omnes: Ergo. Hanc obiectionem prolixè nimis prosequitur Ouiedus irrito labore, nihil enim probat, nisi substantiæ partes inter se etiam esse distinctas per quantitatem, non minùs quam partes ipsius quantitatis, quod facilè concedimus ipsi, nec indè aliquid contra nos, quæ nè à me superbè dicta putes, testem produco Spinulam: *Alia argumenta* (inquit) *fusè congerit Ouiedo difficilia sanè, quæ tamen contra nos non sunt, solum enim conuincunt in materia affecta quantitate præter partes quantitatis esse partes materiæ, quod concedimus*. Sanè non dicimus, substantiam non esse diuisibilem; sed esse diuisibilem per quantitatem, non à se. Deindè multus est hic Scriptor in refricandis eisdemmet instantijs antiquis, quas Hurtadus obiecerat, vt quod materia præcisa quantitate non est simplex: ergo habet partes. Item, ante quantitatem partes præcessera secum idemtificatæ: ergo nulla potentia possunt distingui realiter, &c. quæ omnia nunquam Thomistis visa sunt solutu difficilia, vt suprà monstraui.

§. 53. Decimò obijcit, ipsemet Ouiedus rationem à priori, vt ipse ait, quantitas non se communicat subiecto per idemtitatem, sed per vnionem, forma enim subiecto vnita non fit eadem cum subiecto: ergo quantitas tantùm habet hoc quod est se ipsam, & suas partes vnire substantiæ: ergo si substantia ex se partes non habebat, per vnionem quantitatis illas habere nequit. Probat consequentiam. Esse vnitum extremo habenti partes non est habere partes, sed substantia per vnionem ad quantitatem solum habet hoc, quod est esse vnitam extremo habenti partes: ergo substantia per vnionem ad quantitatem non habet hoc, quod est habere partes.

§. 54. Respondeo, nihil posse contra nos languidius obijci, hoc enim argumento simili ter posset probari, corpus organicum anima informatum non esse vitale, seu viuens: & sic de cæteris formis, quod est absurdissimum: ecce: Corpus non idemtificatur cum anima viuente, sed solum vnitur illi, manente eorum reali distinctione: ergo non est viuens: Probatur consequentia: esse vnitum cum extremo habenti vitam, non est habere vitam: sed corpus per vnionem ad animam solum habet hoc quod est esse vnitum extremo habenti vitam: ergo corpus per vnionem ad animam non habet vitam, quid ad hęc respondeat Ouiedus? id certè nos reponemus ad suum discursum. Negatis igitur consequentijs, ad probationem distinguo maiorem: Esse vnitum extremo habenti partes vt *quod* trãseat: habenti vt *quo*, seu vt rationi formali habendi partes, nego maiorem, quantitas enim est ipsa ratio formalis causandi partes, seu ipsa partibilitas substantię, cui nequit vniri substantia; quin reddatur actu diuisa. Ast verò vniri corpus v. g. cum Leone viuente non est habere vitam, quia Leo est viuens *quod*, non ipsa ratio formalis viuendi, vt est anima, sic vniri cum albo non esset esse album, vniri cum albedine, est esse album, &c.

§. 55. Obijciunt vndecimo substantia corporea per nutritionem, successiuè producitur: ergo habet partes respondentes partibus motus productiui: nec valet si dicas, substantiam tunc quidem partes habere, quarum vna post aliam producatur, sed ratione quantitatis; nam contra est, quia nutritio est prior natura quam augmentatio, & in illo priori specificatur per terminum, qui est substantia formaliter, prout distinguitur à termino augmentationis, qui quantitas est: ergo in illo priori ante quantitatem substantia intelligitur cum pluralitate partium.

§. 56. Confirmatur: Nam etiam actio consecratiua tendere potest in partem substantię independenter à quantitate, vt si Sacerdos consecraret medietatem Hostię à se designatam, procul dubio illa conuerteretur in Corpus Domini, ac pro inde diuideretur ab alia medietate substantię; quin quantitas diuideretur: ergo substantiam diuidi tunc non prouenit à quantitate sed à se ipsa, quod autem quantitas non diuideretur, patet manifestè: nam transubstantiatio solum terminatur ad substantiam, & nequaquam in quantitatem.

§. 57. Respondeo, solutionem argumento adhibitam esse idoneam: ad instantiam dico, sat esse, quod nutritio, prout intelligitur prior natura augmentatione specificetur per substantiam prout potentem recipere partialem extensionem quantitatis, seu vt radicem illius. Nutritio enim nunquam intendit producere substantiam nisi sub quantitate, à qua formaliter partibilitatem habet. Ad confirmationem dico, non nisi per quantitatem posse medietatem hostiæ designari, & distingui, vt vna possit conuerti, alia non conuersa. Cæterum (vt benè notarunt Complutenses) illud non est in rigore diuidi substantiam, repugnat enim substantiæ propriè diuidi, nisi ad diuisionem quantitatis; sed

sed est desinere esse ex vi actionis supernaturalis conuertentis talem substantiam in Corpus Domini, quod nullam inuoluit repugnantiam; Sed verò mihi non videtur, nisi commigrationem esse substantiæ totalis ex vna quantitate in aliam. Equidem ex quantitate panis, quam substentabat, transit, vt sit sub quantitate Corporis Dominici: Ergo nunquam diuiditur, nec fit alia portio substantiæ, nisi vtrobique sub quantitate, & per quantitatem.

§. 58. Objiciunt duodecimo argumentum, quod Mag. Parra ait, reuerà esse difficillimum. Substantia media quantitate est diuisibilis substantialiter in plura in diuidua, & ex pluribus indiuiduis potest vnum fieri, quod patet quando ex vno indiuiduo aquæ possunt fieri plura, si diuidatur in plures guttas, & ex pluribus guttis potest fieri vnum indiuiduum, si commisceantur, at hoc esse non posset, si aqua actu non contineret distinctas portiones aquæ entitatiuè, & substantialiter à parte rei distinctas, quia prima diuisio Entis est in vnum, & plura: Ergo substantia actu continet in se distinctas partes.

§. 59. Respondeo, nullam hoc argumentum difficultatem facessere, quæ aduersarios, similiter non premat, tota enim consistit in eo, quod videtur, admitti contra rerum vnitatem, & distinctionem, quòd duo indiuidua, realiter distincta, identificentur realiter ad solam conjunctionem partium aquæ, & è contra, quòd vna numero, & indiuidualis res fiat realiter duo tota, duoque indiuidua distincta ad facillimam diuisionem aquæ in duas portiones. Hoc si difficilè videtur, certè siue substantia habeat à se partes, siue non habeat, semper difficultas subsistet vtrisque. Ostendo, Aduersarius sic arguit. Ex hac numero aqua per solam diuisionem illius resultant duo tota, duæque substantiæ: ergo ante diuisionem in hac aqua erant duæ substantiæ, alioqui ex illa non fierent duo tota substantialia realiter distincta. Reponit Thomista sic. Hæ duæ portiones aquæ per solam vnionem fiunt realiter vnica, & indiuidualis substantia: ergo non erant duæ substantiæ in esse substantiali distinctæ, alioqui per solam eiusmodi commistionem non fierent vna, & eadem realiter substantia. En seruit vtrisque communis difficultas. Sed facilè rem dirimo. Non assero, substantiam materialem remanere indiuisam sub partibus quantitatis; sed omninò in partes realiter separabiles distinctam, quamuis substantia formalis, seu ratio specifica naturæ sit vna, & indiuisibilis in illis (quo sensu intelligendus est Doctor Angelicus, quandocumque aliud docere videtur, vt alibi pleniùs monstrabo.) Totum autem materiale quantum, & integrale est vnum in actu, & multa in potentia, nec mirum, quòd accedente diuisione tanquam conditione; ea, quæ erant multa in potentia, fiant multa in actu, & è contra, id, quod perspicuè docuit Aristoteles loquutus de partibus componentibus substantiam 7. Metaphys. text. 49. *Quæ enim* (inquit) *duo sic actu sunt, nunquam vnum actu sunt; sed si potentia duo sunt, erunt vnum, vt duplum ex duobus dimidijs potentia?* Et 1. Physicor. Text. 17. dicit, quod *continuum est multa*. Et infra Text. 21. Concedit, quòd in sensu identico *vnum est multa*. Docuit ex illo sæpissimè Doctor Angelicus ad citatum locum Metaphys. lectione 13. *Dico enim* (inquit) *quæ sunt in actu, nunquam sunt vnum in actu; sed duo, quæ sunt in potentia sunt vnum actu, sicut patet in partibus continui, duo enim dimidia vnius lineæ, sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est vna in actu*. Et secundo de Anima, ad Text. 20. lectione 4. *Sicut enim accidere videtur* (ait) *in formis corporum naturalium in animatorum, ita in eis, quæ propter sui imperfectionem non requirunt diuersitatem in partibus, quod in aliquo vno toto anima est in actu vna, & plures in potentia, sicut patet in aere, aqua, & in corporibus mineralibus*. Ad formam argumenti concessis præmissis, distinguo consequens: Ergo substantia actu continet in se distinctas partes, distinctas per quantitatem concedo, distinctas à se, nego. Nec enim vnquam negabo, substantiam materialem, totalemque per quantitatem habere partes substantiales, seu substantias partiales in se, quæ sint actu partes, & in potentia tota. Fortasse aliquid ampliùs volebat Parra, siquidem hoc sibi valdè difficilè videtur.

§. 60. Vltimò contra nostram secundam Assertionem objicit Mag. Dominicus Lynceus. Quod si effectus formalis quantitatis consisteret in distinctione entitatiua partium substantiæ, nullum esset ens includens extrema realiter non identificata, quod non esset quantum. Sed hoc est falsum, quia Angelus v. g. constat ex natura, & substantia realiter distinctis, & tamen non est quantum quantitate corporea: Ergo distinctio entitatiua partium non est effectus quantitatis, sed prouenit à substantia.

§. 61. Respondeo ad hanc obiectionem à Nominalibus mutuatam, distinguo maiorem. Omne ens includens partes non identificatas esset quantum, includens partes eiusdem rationis concedo, diuersæ rationis, nego. Quantum enim est diuisibile *in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, &c.* quæ explicans D. Thomas subdit: *Et hæc dicit ad remouendum diuisionem in partes essentiales, &c.* Recole Dissertat. 41. Theorem. 3. §. 25.

§. 62. Alia argumenta vide si lubet apud Complutenses idoneè quidem soluta, quidquid obganniat Poncius num. 23. à quibus id rectè adnotatum Tyronibus habes num. 40. quòd quando dicitur substantiam cum quantitate habere partes non est formalis locutio, sed denominatiua, & materialis faciens hunc sensum. Id quod habet partes est substantia. Sic cum dico, calefactione fieri substantiam calidam, non significatur substantiam se tenere à parte termini formalis, sed tantum à parte termini materialis, & sensus est, quod in substantia sit calor. Sic quantitas non ita tribuit partes substantiales, quòd totum hoc sit eius effectus formalis, sed tribuit substantiæ habere partes. Rursus illa propositio, partes caput, & manus substantialiter distinguntur eodem sensu est concedenda

denoa, ideſt, illa, quæ diſtinguuntur ſunt ſubſtantiæ. Nam in ſenſu formali, quod ſcilicet principium cauſans diſtinctionem inter caput, & manus eſt ſubſtantia, propoſitio eſt omninò falſa, ob ea quæ nos ſupra §.49. breuius explicuimus.

DISSERTATIO XLIII.

De ſpeciebus quantitatis continuæ, & diſcretæ.

Breuiſſimè ab his, quæ apud omnes ſunt in propatulo, & difficilia non putantur, me expediam, contentus quæ tyronibus indicanda duxero, pro Ariſtotelis doctrinæ captu inſinuare.

THEOREMA I.

Num linea, ſuperficies, & corpulentia ſint ſpecies quantitatis continuæ?

§. 1. Linea (vt ſupra in Synopſi exhibui) eſt longitudo ſine latitudine, & profunditate. Superficies verò eſt latitudo ducta ex lineis ſine profunditate, corpulentia denique eſt profunditas ex ſuperficiebus compacta. Solent clarius ſic definiri: *Linea eſt quantitas continua punctis. Superficies eſt quantitas continua lineis. Corpulentia eſt quantitas continua ſuperficiebus.* Terminus communis, id eſt nexus continuans huiuſmodi partes quantitatis corporeę debet eſſe omninò indiuiſibilis ſecundum rationem, qua illas vnit, & terminat. Sic punctum eſt omninò, & vndèquaque indiuiſibile nec eſt, nec dicitur continuum, ſed principium continui, eſtque terminus communis, quo partes lineæ colligantur, linea item non eſt diuiſibilis ſecundum latitudinem, ideòque ſecundum illam eſt terminus, ſeu nexus ſuperficiei, & ſub ea ratione nec etiam eſt ſpecies quantitatis, niſi reductiuè, & materialiter ſicut pes, vel hepar hominis diceretur ad humanam ſpectare ſpeciem, ſimiliter ſuperficies prout eſt indiuiſibilis ſecundum profunditatem, eſt nexus corpulentiæ, nec etiam eſt formaliter ſpecies quantitatis ſub ea ratione indiuiſibilitatis.

§. 2. Hinc facilè dilues, quæ vulgo obijci ſolent, nempè. Non poteſt vna ſpecies aliam intrinsecè includere. Superficies includit lineam, & corpulentia ſuperficiem: ergo non ſunt ſpecies quantitatis. Confirmatur: Ens incompletum non conſtituit ſpeciem in Prædicamento quantitatis, ideò enim motus non eſt ſpecies quantitatis, nec punctum, quia motus eſſentialiter ordinatur ad terminum, & punctum ad lineam. Sed ita ſimiliter linea ordinatur ad ſuperficiem, & ſuperficies ad profunditatem: Ergo ſunt quid incompletum, & quaſi partes corpulentiæ, & non poſſunt cum illâ diſtinctas ſpecies quantitatis conſtituere. Sed verò vtriuſque ſyllogiſmi minor falſa eſt, ſi linea, & ſuperficies conſiderantur, vt ſunt diuiſibiles ſecundùm longitudinem, & latitudinem, nam ſub hac ratione extenſionis ſunt veræ ſpecies quantitatis; tametſi non ſint, quatenus ſunt indiuiſibiles, vt ſupra explicuimus.

THEOREMA II.

Num tempus, locus, atque motus ſint ſpecies quantitatis continuæ?

§. 3. Ad Libros Ariſtotelis de Phyſica Auſcultatione ſpectat plena horum notitia, nunc non niſi eorum definitiones pro tyronum captu delibabimus. Tempus eſt *Numerus motus ſecundùm priùs, & poſterius*, hoc eſt extenſio, vel menſura motus, eius partes ſunt Præteritum, & Futurum, quæ copulantur inſtanti præſente tanquàm termino communi, & earum continuatiuo, hoc enim inſtans præſens, ſeu *nunc* vnit præteritum tempus cum futuro iam illud inſtans ſequente.

§. 4. Locus eſt: *Vltima ſuperficies corporis continentis immobilis primò*: duo vltima verba ad Philoſophiam mitto. Locus præter rationem ſuperficiei, habet dicere ordinem ad corpus locatum, ſiue ille ſit ordo relationis, ſiue ſit merum fundamentum, ſeu capacitas ambiendi locatum. Nam præciſo huiuſmodi ordine, eiuſmodi ſuperficies non erit locus, ſed *vacuum*, ſic ſuperficies extima aëris, quæ immediatè hanc circundat chartam, erit chartæ locus: *Motus* denique *eſt Actus entis in potentia, prout in potentia*, ideſt actus eſſentialiter tendens ad vlteriorem perfectionem, vt eſt calefactio ſuapte natura in calorem tendens.

§. 5. Non poſſum Ariſtotelem clarè loquentem non ſequi, ille enim hoc capite enumerans ſpecies quantitatis continuæ præter lineam, ſuperficiem, & corpulentiam, etiam vt cæteras ſpecies addidit tempus, & locum. Vndè aio, tempus, & locum eſſe formaliter ſpecies quantitatis. Audi Philoſophum: *Continuum autem, vt linea, ſuperficies, & corpus, & inſuper præter hæc tempus, & locus.* Ego autem à contrarium ſentientibus nil aliud petam, niſi quod explicent quid ſibi velint ea verba: *Et inſuper præter hæc?* iuxtà verſionem Argyropili. Rurſus inferius ſubdit: *Porro autem & tempus, & locus generis huius ſunt*, id eſt ſunt ſpecies generis ſupremi quantitatis, reddit rationem: *Tempus enim præſens cum exacto, futuroque copulatur, Rurſus & locus continuus eſt, &c.* Vndè tempus, & locum eſſe quantitatis veras ſpecies ex mente Ariſtotelis luce meridiana clariùs mihi videtur, id enim ille hoc capite non ſolum aſſeruit, ſed etiam probauit. Aſt verò quem locum inter ſpecies huius prædicamenti obtineant? & cur poſt primas enarratas, quaſi per additamentum poſtremò loco has ſubiunxerit: *Et inſuper præter hæc tempus, & locus?* hoc poteſt in quæſtionem verti. Caietanus docet, Philoſophum id dixiſſe, quia *Tempus, & locus non eodem modo quantitates ſunt, ſicut aliæ prænumeratæ. Aliæ enim ſunt hic quantitates quia ſunt menſuræ intrinſecæ: Tempus autem, & locus ſunt menſuræ extrinſecæ.* Vnde ratio extrinſeci poteſt eſſe diffe-

ferentia constituens Tempus, & locum sub genere quantitatis mensurantis, & non relatio, vt nonnulli objiciunt, vt excludant locum ab hoc genere.

§. 6. Rursus dubitabis de tempoec, sit ne quantitas continua, an discreta? de quo alij multa: sed relictis aliorum placitis, mihi magis arridet M. Masii sententia, videlicet, quod Tempus applicatum motui primi Cœli mobilis est quantitas continua, contra Soncinatem, & Ferrariensem: Ratio: quia partes illius termino communi scilicet instante copulantur. Si vero tempus applicetur actionibus Fluidis, et discretis, vt intellectionibus, & volitionibus, est quantitas discreta. Ratio ferè est eadem à contrario: Quia partes intellectionum, scilicet intellectiones nullo termino communi copulantur: ergo tempus quod est numerus illarum operationum, quantitas erit discreta. Scias velim, Augustinum 8. super Genesim ad literam cap. 29. Et Diuum Thomam quodlibeto 2. q. 3. artic. 1. est quodlibeto 9. q 4. art. 4. primos adinuenisse videri tempus discretum: sed reuerà id ab Aristotele iam pridem inuentum fuisse, est nomine *Orationis* significatum, adnotauit scitè Caietanus: equidem id genus quantitatis, fortasse (vt non temere suspicatur M. Sotus) ante Aristotelem erat incognitum, & primus ille hanc speciem appellauit orationem de qua infra.

§. 7. Hęc nostra assertio verè Thomistica est, quippe quam expressè docuit Doctor Angelicus 5. Metaphys. lectione 15. vbi sic inquit; *Quod Philosophus in prędicamento possuit tempus quantitatem per se: Cum in Metaphysica ponat ipsum quantitatem per accidens, quia sibi distinxit species quantitatis secundum diuersas rationes mensuræ: aliam enim rationem mensura habet tempus, quod est mensura extrinseca, & aliam magnitudo, quæ est meusura intrinseca: Hic autem considerat species quantitatis quantum ad ipsum esse quantitatis, & ideo illa, quæ non habent esse quantitatis, nisi ex alio. non ponit hic species quantitatis, sed quantitates per accidens*: Hęc ille. Ergo qui Prędicamentum Logicale quantitatis ordinat, debet cum Aristotele tempus admittere tanquam speciem quantitatis *per se* quandoquidem vt loquitur D. Thomas *Philosophus in prædicamento posuit tempus quantitatem per se*.

§. 8. Sed objicit M. Sanchez. In hoc prędicamento non debent collocari, nisi quanta per se: Tempus non est quantum per se: ergo collocandum non est inter species huius prædicamenti: Maior est per se nota, minor liquet: Nam ex Aristotele, habet esse quantum ab extensione spatij, & ratione motus? Dices cum Complutensibus, Aristotelem duos distinguere modos *quanti per accidens*. Aliud, quod verè dicitur tale, quia de se nullam habet extensionem; sed extenditur per ipsam extensionem subiecti, vt musicum, & album: Musica enim, & albedo nullam habent propriam extensionem, vt patet. Alterum verò, quod non tam dicitur quantum per accidens, quam per aliud, vt explicauit D. Thomas citata lect. 15. quia nimirum, licet in se habeat propriam extensionem, illa tamen resultat, & deriuatur ab alia, quam præsupponit, atque non diuiditur per se, sed ad diuisionem alterius, & hoc modo tempus appellatur ab Aristotele quantum per accidens, seu per aliud. Vnde tempus esse quantum per aliud modo explicato, non tollit, quin reuera sit species quantitatis.

§. 9. Sed contra: Nam Complutensium solutionem sibi proposuit M. Sanchez, & ex ipsa explicatione Sancti Doctoris quem illi pro se adducunt, sumit ipse robustiorem instantiam: Esto tempus non sit quantum per accidens: sed solum sit quantum per aliud: at vero hoc quod est esse quantum per aliud explicat D. Thomas per *posterius*: ait enim: *Vnde hæ non solùm quantitates per accidens dici possunt, sed magis per posterius*. Vnde sic argumentatur Ratio quanti dicitur de tempore, & de quanto per se analogicè: ergo tempus non ponitur in hoc prædicamento: consequentia est liquida: quæ enim in prædicamento collocantur quantitatis, debent rationem ipsius vniuocè, & simpliciter participare. Probatur antecedens: quia dicitur per prius, id est simpliciter de quantitate continua, scilicet de linea, corpore, & superficie, & posterius, idest, secundum quid, de quantitate per accidens, scilicet de motu, & tempore: ergo. Non enim (inquit Sanchezius) potest *intelligi ratio* quantitatis conuenire motui, & tempori, nisi per ordinem ad quantitatem spatij, sicut nec accidens potest participare rationem entis, nisi in ordine ad substantiam.

§. 10. Respondeo. Tempus bifariam sumi, & posse diuidi, vno modo secundum partes successionis, scilicet præsens preteritum, & futurum, qui modus diuisibilitatis siue extensionis, ita essentialis, & proprius est tempori, vt ea ratione potissimè sit quantum per se, & secundum ipsam consideratur in hoc prædicamento, alio modo diuiditur secundum spatium, per quod mouetur illud mobile, quod efficit, & causat tempus, & secundum hanc diuisibilitatem est, dicitur ve quantitas por accidens in Metaphysica: hinc dilues instantiam Sanchezij. Dum enim Sanctus Doctor ait, tempus esse quantum per accidens, *& per posterius*: id, quod magis explicat, inquiens: *in quantum quantitatis diuisionem ab aliquo priore sortiuntur*, intelligendus est de secunda diuisibilitate; non de prima, nam secundum hanc tempus habet distinctam extensionem à motu, proindeque illam à motu non habet, sed per se, quod manifestè apparet ex hoc, quod motus potest habere magnam extensionem, & tempus paruam: & è contrario tempus magnam, & motus paruam, vt contingit in velocitate, & tarditate motus: in paruo enim temporis spatio seu extensione potest multa, & maior extēsio motus fieri si velox sit, ergo extensio tēporis successiua distincta est omnino ab extensione motus, id quod apertissimè docuit Aristoteles in 4. Physicorū textu 96. *Mutatio quidem (inquit) omnis velotior auttardior est, tempus autē non est: Tardū enim, & velox tempore diffiniuntur velox enim est quod in pau o tempore multum mouetur. Tardum autem quod in multo parum, tempus autem non definitur tempore*. H s arbitror expedimur à difficultate hac, quæ tota est

est vt Aristotelem liberemus à calumnia contradictionis, & palinodiæ, quippe qui in Dialectica tempus dicit, esse quantum per se, quod negat in Metaphysica, sed vero vt supra diximus in Metaphysica loquitur de secunda temporis diuisibilitate, non de prima.

§. 11. Nec ob hæc explicationem Sancti Doctoris quam supra §. 7. attulimus, videamur vllatenus deserere. Nam illam præcipuè tenemus, & digna veneratione amplectimur, quæ etiam pulchre cum nostra cohæret; mensura enim successiua temporis, est propria illius diuisibilitas, & secundum hanc tempus apud Dialecticum est quantum per se, esse vero quantitatis diuisibilitas per aliud, id est ratione spatij, per quod motus fit, constituit illud quantum per accidens in Metaphysica. Iam vero prædictam solutionem Diui Thomæ dixit Toletus, non esse spernendam, quia est insignium virorum, sed sibi non placere, quia esse mensuram est passio quantitatis ipsius fluens ab eius natura; sed tempori non conuenit per se ratio quantitatis; ergo nec ratio mensuræ competit ipsi per se, consequentia est clara, à quo enim per se remouetur natura, remouetur, & passio.

§. 12. Dices cum M. Io. à S. Thoma. Ex eadem quantitate posse nasci diuersam mensuram secundum diuersam modificationem, & applicationem eius, sicut aliter mensurat quantitas intrinsecè informans, vel extrinsece applicata, & ita quia est eadem quantitas in tempore et in magnitudine, vel motu, non dicunt diuersas species quantitatis; dicunt tamen diuersas mensurationes propter diuersum modum applicandi.

§. 13. Sed contra: Hæc solutio non enodat difficultatem argumenti, quod non contendit, non posse ex vna, & eadem quantitate posse diuersos modos mensurandi oriri: id enim facile do: sed probat, tempus, & locum non esse quanta per se in ratione mensuræ, eo ipso, quod non sint quanta per se in rationè extensionis; remotà enim perseitate ab essentia, remouetur perseitas à passione illius: Ergo ad hoc soluendum nihil refert, quòd ex vna quantitate nescantur mille modi mensurandi, quare.

§. 14. Respondeo. Concessa maiore, distinguo minorem: Tempori non conuenit per se ratio quantitatis, secundum propriam sui extensionem successionis nego, secundum extensionem spatij per quod mobile mouetur, transeat. Secundum enim propriam temporis diuisibilitatem sicut est quantum per se, ita est mensura per se: locus etiam similiter quia est formaliter, & per se superficies, formaliter & per se est etiam mensura: quod si petis, quomodo plures sint mensuræ, quam species quantitatis? ad hæc idonea erit responsio M. Ioa. à S. Thoma, quam §. 12. retulimus.

§. 15. Locus est vera species quantitatis formaliter inadæquatè distincta à cæteris speciebus. Probo: locus supra rationem superficiei, vt sic addit rationem mensuræ ambientis, & continentis locatum, Superficies verò in communi solum dicit latitudinem continuantem, & terminantem; non dicit ambientem: ergo aliquid amplius formaliter distinctum addit locus: ergo quamuis in ratione superficiei, non sit adæquate alia distincta species: tamen in ratione prædicati mensurantis, est aliud à cæteris prædicatis huius generis, & sufficit ad institutum logicale prædicamentorum, quod solum speculatur diuersos prędicandi modos mensuræ siue intrinsecos, siue extrinsecos, &c.

§. 16. Motus non est quantitas per se, vt Porphyrius lib. 2. interrogat. & Ammonius rectè docent: Immo Aristoteles illum ad Post-prædicamenta reiecit; est enim actus quidam omninò imperfectus, seu via, & fluxus ad terminum; species autem in prædicamento collocanda res debet esse completa, vt tradunt communiter Dialectici: Est igitur quantus per accidens tùm ratione diuisibilitatis, seu extensionis, quia diuiditur ratione spatij, quod est inter terminum à quo, & terminum ad quem. Tum etiam ratione mensuræ quia mensuratur per tempus: sed de motu latius in Physicis.

DISSERTATIO XLIV.

An numerus sit vera species quantitatis discretæ? & quid constituat numerum prædicamentalem inesse entis per se?

§. 1. NVmerus diuiditur primò in numerum numerantem, numeratum, & numerabilem. Numerus numerans vulgo dicitur intellectus, numerus numeratus est res ipsa, quæ numeratur vt materia, siue sit substantia, siue sit accidens, lapides, vel lineæ &c. numerus numerabilis sunt ipsæ vnitates rerum numeratarum, secundum quas seorsim discontinuantur, in quantitate, vt prima vnitas lapidis primi, & secunda secundi. Rursus numerus alius transcendentalis, qui competit omni enti, quatenus ab intellectu numerari potest secundùm suam transcendentalem vnitatem: sic enim numeramus Angelos, & Diuinas personas. Alius verò est prædicamentalis, id est qui ad prædicamentum quantitatis spectat, hic debet ex rebus quantis omninò constare, seu vnitatibus quantitate discretis, estque etiam numerus numerabilis, de quo præcipuus nunc sermo.

§. 2. Numerum esse speciem subalternam quantitatis vt sic, id est discretam apud Aristotelem, res est, quæ lectore solum, non explicatione indiget in hoc capite. Diuidit enim ille genus, & prædicamentum quantitatis in continuum, & discretum. *Est autem discretum quidem* (inquit) *vt numerus, et oratio*. Sequitur Phylosophum Sanctus Doctor, aitque numerum esse ens per se, & non per accidens vt est aceruus lapidum v.g. vel exercitus. Sic Metaphyc. 5. lect. 15. *Ponit species quantitatis* (inquit) *inter quas primæ sunt duæ, scilicet multitudo, siue pluralitas, & magnitudo, vtrumque autem eorum habet rationem quanti in quantum multitudo numerabilis est, &c.* Et infra: etiam hæc habet: *Distingui t quantum per se, quod duplex est: quædam enim significantur per modum substantiæ et subiecti, vt linea, superficies, vel numero.* Et 8. Meta-

taphys. lect. 3. infert pro absurdo quod si *Numerus non esset simpliciter vnum, sed per modum coaceruationis, non esset aliqua species entis*, & quodlibeto 10. art. 1. D. Thomę adhæret Scotus in 3. dist. 22. q. vnica: *Neque quinarius* (inquit) *est vnitates quinque. sed est illud totum, quod resultat ex quinque vnitatibus; aliter si esset illæ quinque vnitates, esset vnum, sicut aceruus*. Hæc ille. Et ratio præsto est: quia numerus est extensio partium quantarum nullo termino communi copulatarum: ergo est species quantitatis discretæ. Consequentia est euidens: Essentia enim quantitatis consistit in extensione partium vt sic, abstrahitque à partibus copulatis, & disiunctis sicut abstrahit à continua, & discreta, ex Aristotele.

§. 3. Dices cum Suarezio, alijsque neotericis: Numerum esse ens per accidens, quia constat quantitatibus, quæ non habent inter se vnionem aliquam realem, imò constituitur per negationem talis vnionis: quod autem hæc vel illa vnitas sit prima, vel vltima prouenit ab operatione intellectus, ac proinde numerum non esse propiam speciem entis, neque Prædicamenti, sed quia à nobis concipitur per modum vnius, dici posse, habere aliquam vnionem sufficientem, vt de illo loquamur vt de specie entis, illumque in prædicamento collocemus.

§. 4. Sed contra: De conceptu essentiali quātitatis vt sic, solum est habere partes extensas, seu (vt aduersarij volunt) impenetrabiles: ergo habere illas vnitas, vel non vnitas termino communi, formaliter spectat ad rationes differentiales *continui* atque *Discreti*. Consequentia in doctrina Aristotelis est irrefragabilis: Ergo numerus formaliter participat essentiam quantitatis vt sic, seu genericè sumptæ: Probo. Quod numerus non habeat vnionem realem suarum partium solum excludit rationem quantitatis continuæ formaliter, vt continua est: ergo non excludit rationem essentialem, & genericam quantitatis vt sic. Consequentia est euidens. Antecedens probo: Ideo numerus non habet vnitatem realem requisitam ad speciem prædicamenti per se, quia non solum caret vnione partium, sed etiam constituitur essentialiter per negationem talis vnionis: atqui negatio illa vnionis, qua constituitur numerus est negatio termini communis copulantis partes continui: ergo excludis numerum à ratione quantitatis vt sic, solum ex eo, quod non habeat vnionem partium quantitatis continuæ: ergo probas, numerum non esse quantitatem, quia non est quantitas continua, quæ tam mala consequentia est, quam hæc: *Non est leo, ergo non est animal* quod si contendas, quantitatem essentialiter consistere in eo, quod habeat partes vnitas, & non solutas, cum de hoc tota sit quæstio, petis principium.

§. 5. Sed quæres, quid tribuat vnitatem specificam, & perseitatem numero? seu per quid constituatur numerus tanquam per formam in specie quantitatis? quo circa Lalemandetius syluam integram affert diuersarum opinionum, dicitque ne vagetur per tot, & tam varia Autorum placita se pedem figere in opinione Aureoli, quæ tota ad hæc capita reducitur. *Primo* quod numerare nil aliud est, quam distincta mensurare, mensurare autem nihil aliud, quam in certitudinem, quam habent distincta, mente certificare. *Secundo* quod summare est actus intellectus reflexus præsupponens alium actum intellectus accipientis aliquam vnitatem, & statim, ac alia accipitur, super ambas reflectit se, & eas redigit in summam dualitatis: deinde assumens aliam, distinctam reflectit se supra priores distinctas, & hanc cum illis reducit ad summam trinitatis, & sic deinceps. *Tertio*, quod numerus nil est aliud, quam huius modi summa. *Quarto*. Quod ex mente Aristotelis forma numeri est in anima, quia numerus venit à numerare, & numerare à numerante: ergo cessante numerante, cessat numerare, & numerans, ergo numerus venit ab anima. Consequentia liquet. Nec forma numeri est illa summatio, ast summatio tantum est in mente summante, ergo forma numeri tantum est in anima. Hanc summationem, quam Aureolus vocat clausionem distinctorum, seu terminationem mentalem eorum, dicit non esse reale, quia quelibet distincta sunt clausibilia multis modis pro libito voluntatis. Aureolū secutus est M. Sotus, qui relationem rationis formam docet, esse numeri, id est vnitatem vltimam secundū considerationem intellectus, q. 2. conclus. 2

§. 6. Non video, cur Lalemandetius in hac Aureoli sententia figat pedem, non habita ratione Scoticæ opinionis, quam iam propono ex Merinero, & alijs: docet, numerum esse vnum per se vnitate sufficiente ad constituendam veram speciem quantitatis: quia etiam si pro materiali, & denominato dicat vnitates quantitatiuas discretas, & separatas, ac proinde non valentes vt sic vnum per se constituere; tamen pro formali, & pro per se significato dicit discretionem vnitatum numerabilium quæ est forma à qua vnitates illæ numerus denominantur: quæ discretio vnitatū non solum illis cōuenit à parte rei, sed est etiam forma per se vna, & constans ex genere, & differentia. Rem explicat Merinerus in vnitate Sacramenti, quod apud Scotum in 4. dist. 1. est vnum per se non obstante, quòd pro materiali, & denominato dicat res diuersorū prædicamentorū non valentes vnum per se constituere: nimirum quia formale, & per se significatum Sacramenti scilicet *signum sensibile gratiæ, &c.* est vnum per se. Sequitur Scotum Complutensis Murcia disput. 3. q. 2. sed omissis aliorū sententijs.

§. 7. Dico: Numero speciem, & perseitatem prouenire ab vltima vnitate, quæ est veluti forma quædam determinatiua indifferentiæ cæterarum vnitatum ad speciem compositi Arithmetici, est expressa D. Thomæ sententia loco citato supra §. 8. Metaphysice lect. 3. *Est enim* (inquit) *per se vnum numerus in quantum vltima vnitas dat numero speciem, & vnitatem, sicut enim in rebus compositis ex materia, & forma, per formam est aliquid vnum, & vnitatem, & speciem sortitur*. Vt probem commune Thomistarum assertum suppono *primo* cum eisdem, rationem *vnius per se* non consistere in indiuisibili; sed habere plures gradus: quod manifestè apparet in Deo, qui est magis ens per se, & vnum quam Angelus, & Angelus magis,

quam substantia materialis, & hæc magis quam quantitas continua, &c. *Secundò* suppono, hanc latitudinem *vnitatis per se* formaliter definiri seu terminari per habere speciem ab aliquo simpliciter vno, quoniam res dummodò ab vno habet suam speciem, & non ab ipsa multitudine non erit vna secundum quid. Vndè fieri potest, quòd aliqua multa habeant ordinem inter se, & saltem in infimo gradu perseitatis sint vnum per se, eo præcisé quòd speciem, & formam sumant ab aliquo simpliciter vno, & non ab ipsa multitudine, quod expresse docuit Angelicus Magister 7. Metaphysicæ lect. vltima: *Compositum* (inquit) *quandoque sortitur speciem ab aliquo vno, quod est vel forma, vt patet in corpore mixto, vel compositio, vt patet in domo, vel ordo, vt patet in syllaba, & numero, & nunc oportet, quod totum compositum sit vnum simpliciter. Quandoque verò compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine partium collectarum, vt patet inaceruo, & populo, & in talibus compositum non est vnum simpliciter; sed tantum secundum quid.*

§. 8. Ex quibus vtrumque probo, nempè numerum esse per se vnum, & ab vltima vnitate speciem, & perseitatem vnitatis sortiri. Vt aliquod compositum non sit simpliciter multiplex, & solum secundum quid vnum, sat est, quod non habeat speciem ab ipsa multitudine rerum collectarum: Numerus non habet speciem ab ipsa multitudine rerum collectarum: ergo numerus non est simpliciter multiplex, & tantum secundum quid vnum. Ergo est per se. Vtraque consequentia ni fallor, est legitima: Maior præterquamquod traditur à Diuo Thoma, est euidens supposita gradatione rerum in vnitatis perseitate. Nam fluuium v.g. habere vnitatem per se, res comperta est, eo præcisè, quod illam non sumat ab ipsa labentium fluctuum multitudine, sed ab vnitate loci, seù distantia ad eumdem terminum, scilicet ad Polos Mundi, ita vt Iordanis, qui nunc fluit sit vnus, ac ipse, in quo Christus Dominus instituit olim Baptisma, & nefas esset dicere, illum non fuisse lotum in hoc flumine, quod Iudæa habet pro Iordane nunc. Minor etiam est certa, nam multitudo vnitatum vt talis non potest facere vnum per se, cum sit indiferens ad omnes, & quia vnum, & multa sunt primo opposita. Secunda autem consequentia ritè deducitur exprima; Nam ideò Flumen, Domus, &c. sunt vnum per se in infimo saltem gradu perseitatis, quia sumunt speciem, & vnitatem ab vno: sed numerus ex D. Thoma sumens speciem ab vltima vnitate, ab vno vtique sumit, ergo est vnum per se saltim in infimo gradu perseitatis.

§. 9. Dices, non explicari à nobis, quomodo vltima vnitas det speciem numero. Non enim est forma Physica, quia omnes vnitates sunt eiusdem rationis, & cum discretæ sint, nullam habent vnionem Physicam inter se. Item non est forma Metaphysica, quia hæc est differentia, de cuius ratione est prædicari vt totum de specie, quam constituit, quod vltimæ vnitati repugnat. Tandem quod aiunt PP. Complutenses, scilicet omnem vnitatem prædicamentalem ex natura sua simul esse determinabilem per alias; & determinatiuam illarum sub diuersis formalitatibus, ac proindè inuicem habere rationem materiæ, & formæ: quemadmodum in matrimonio vterque consensus se habet vt materia, & forma, secundum quod se inuicem determinant, & determinantur. hoc equidem falsum est omninò, ita vt Merinerus dicat, nihil potuisset absurdius excogitari, atque exemplum matrimonij non esse ad rem, quia matrimonium non est compositum Physicum; sed morale.

§. 10. Contra insurgo *primo*, & ab hoc vltimo gradum facio. Et verò Merinerus incidit in foueam, quam fecit, ille enim vnitatem, & compositionem numeri exemplo etiam probabat compositionis sacramẽti in communi: atqui sacramentum non est compositum physicum, sed morale, sicut matrimonium: ergo nihil absurditatis habet explicatio Complutensium in matrimonio, et quam etiam non habeat explicatio Merineri in Sacramento. *Secundo* modus, quo vltima vnitas det formam numero apparet ex hoc, quod ternarius tertia veniente vnitate fit ternarius, quaternarius addita quarta, quinarius similiter non nisi adiacente vltima, quæ quinta est, quinarius euadit, & sic deinceps: ergo vltima vnitas vltimo constituit numerum, vt forma quidem, seù quasi forma partialis: nam forma totalis ex toto vnitatum complexo desumitur, quam dicimus quaternitatem, ternitatem &c. Sicut in substantijs forma totalis hominis est humanitas, & equinitas equi, &c. *Tertio*, Vltima vnitas non est forma intrinseca numeri, quia vnitas quantitatis discretæ non est vnitas formæ, sed ordinis, qui quidem ordo non est respectus prædicamentalis alioqui numerus non esset vnũ per se, cum sui constitutiuum ex alio prædicamento sibi mutuaret, sed est ordo extensionis discretæ cuius partes tanquam aliquid contrahibile ordinantur ad vltimam vnitatem, illamque vt sui determinatiuam exigunt, vltima autem vnitas vicissim exigit essentialiter, supponitque priores, nec aliter, nisi sub huiusmodi mutua dependentia (in diuerso tamen genere) possunt numerum constituere. *Quarto* Vltimitas vnitatis non est sumenda formaliter prout intellectus numerans vnitatem postremò loco statuit, id enim est per accidens, cum pro libito possit quispiam vltimam prima sede statuere, & vndè maluerit numerum inchoare: Sed sumenda est pro vltimitate reali, & fundamentali, quæ reuera, & ante opus intellectus in ternario est tertia, & in binario secunda, &c. nec vltima vnitas, quæ realiter talis est, definet esse vltima per hoc solum quod intellectus illam primò accipiat, seù numerum ab ipsa inchoet: nam vt supra præmissi, designatio intellectus per accidens, & de materiali se habet; cum realiter detur vltima, tamet si nos ignoremus, quæ nam illa sit determinatè, vt benè notant M. M. Masius, Sanchez, alijque grauissimi Thomistæ. Hæc sunt, quibus explicamus hanc numeri specificationem, quorum probatio erit facilis argumentorum factionis aduersæ solutio.

Probo

§. 11. Probo *secundo* idem assertum euertendo Scotium fundamentum: Nam discretio partium continuarum in numero nil est nisi diuisio, discontinuatio, siuè separatio earum: ergo nequit numero specificationem, & vnitatem præstare. Antecedens est manifestum. Consequentiam probo: mera carentia, & negatio non potest formam, & specificationem enti positiuo præstare: Separatio, diuisio, vel discontinuatio partium continuarum, in qua consistit ipsa discretio, est mera carentia, & negatio vnionis, siuè continuitatis earum: ergo non potest formam, nec specificationem numero præstare. Probo secundo eamdem consequentiam. Constitutiuum vnius oppositi nequit esse pars formalis compositiua tribuens specificationem, & vnitatem alteri opposito: sed discretio est ratio constitutiua pluralitatis, & multitudinis formaliter vt talis, ergo non potest constituere numerum in ratione vnius per se, quando quidem vnum, & multa sunt inter se primo opposita. Probo tandem: Tot sunt discretiones quot sunt vnitates: ergo potiùs indigent discretiones aliqua ratione, quæ eas faciat vnum, quam quod præstent vnitatem numero: Consequentia est euidens: Antecedens probo: si discretiones non sunt plures, & tot, quot vnitates: ergo vna discretio numerum specificat: rogo igitur in Binario, quæ nam discretio numerum constituat? non prima, scilicet qua prima disiungitur mutuò à secunda: quia prima vnitas non est numerus, sed principium numeri, & licet numerus esset, certè non esset binarius. Ergo altera est, quæ numerum constituit, scilicet discretio secunda, qua vnitas manet diuisa à qualibet alia vt vltima.

§. 12. Aureoli sententia eo ipso, quod numerum constituat per ens rationis, illum facit ens per accidens, & non vnum specificè, & prædicamentale, quod omninò abhorret sententia Aristotelis, nostra tamen assertio verè est Aristotelica, & omninò germana doctrinæ Diui Thomæ, qui illam perspicuè docuit, perpetuoque, neque vnquam Sancto Doctori in mentem venit asserere formam numeri esse aliquid distinctum ab vnitatibus, vt sinistrè censuit M. Sotus delusus illis verbis septimi Metaphys. lect. 13. *Quod dualitas non est duæ vnitates, sed aliquid ex duabus vnitatibus cõpositum, aliter numerus nõ esset ens per se, & verè, sed per accidens, sicut quæ coaceruuntur*, hæc enim à Thomistica sententia toto cælo ab errant quoad primam propositionem: Quoniam Sanctus Doctor non nisi commentatur Aristotelem, qui ibi loquitur contra Platonem pro Democrito, & Democriti sententiam excusat, ita vt vterque tam ipse Aristoteles, quam Interpres Angelicus solum explicuerit sententiam Democriti, & nihil de sua mente docuerit. Vndè miror, M. Ioannem à S. Thoma prædicta verba pro sua sententia semel, iterumque citasse; cum potiùs illam destruant, & constitutionem vltimę vnitatis euertant! Redeo ad Sotum, quę mens Diui Thomæ in prædicto loco certè non latuit, ait enim: [*Respondetur primo quod* Sanctus Thomas non dicebat hoc ex propria opinione, sed vt exponeret opinionem Democriti, quam illic *impugnabat Aristoteles*] fallitur Sotus: non enim impugnat, sed propugnat Democritum, ait enim: *Secundum hunc modum, quæ rectè Democritus dixit*. Certè si impugnaret, iam id ex sua sententia dixisset: & Sanctus Doctor ibidem interpretatur: *Rectè inquam dixit Democritus supposita sua positione, &c.* Pergit Sotus, & iratis (vt aiunt) Musis, hæc subiungit [*Et quando*, S. Thomas id credidisset, quod numerus est res simplex distincta à rebus numeratis, nihil perdet autoritatis, licet rem tam parui momenti *non credamus*.] Vellem mehercle, doctissimum virum illas duas, vel tres lineolas non scripsisset, idoneè etenim, recteque iam responderat? meritò quidem iure illum castigauit, M. Sanchez
„ lib. 5. q. 22. [*Fateor quidem* (inquit) nihil perdere
„ auctoritatis D. Thomam, cuius auctoritas tan-
„ ta est, vt firmam radicem in Concilijs, in gra-
„ uissimis doctrinis Fidei emisserit: sed ipse Sotus
„ auctoritatem perdit, qui magis suo sensui in-
„ nititur, & grauissimo Ecclesiæ Doctori non
„ fidem adhibet. Quamuis, vt verum fatear
„ non ex illis Doctoribus est Angelicus Magi-
„ ster, qui non rationibus firmissimis suam ful-
„ cit doctrinam, quas si intellexissent aliqui ex
„ eius discipulis in vna, aut altera re minima
„ non ab illo discessissent, nec præbuissent oc-
„ casionem alijs malè affectis discedendi à lumi-
„ ne Ecclesiæ in suam *ipsorum perniciem*.] Hactenus ille.

§. 13. Obijcies primo: Ex multis entibus in actu nequit fieri vnum per se vt species: Numerus constat ex multis entibus in actu, puta hominibus: ergo non est ens per se. Dices partes numeri, licet materialiter sint quid completum in quantitate continua; tamen respectu compositi discreti, & Arithmetici esse entia incõpleta: Sic & miles licet respectu suarum partiũ sit totũ completum, tamen comparatione cohortis, quam componit quid in completum est. Sed contra, quia exercitus v. g. est ens, & vnum per accidens, tamet si miles sit pars in completa respectu illius similiter *album* non ideò non est ens per accidens, quia albedo, & paries sunt entia in completa respectu totius concreti: ergo non quia homines componentes numerum sint respectu illius partes in completæ, ideò numerus non erit ens per accidens.

§. 14. Respondeo, datam solutionem esse idoneam, & ad instantiam de Exercitu, & de albo concesso antecedente; nego consequentiam: nam non sat est, partes esse entia in completa ad rationem vnius per se, sed amplius ex D. Thoma ex igitur, quod sumant speciem ab aliquo vno simpliciter, vt mixtum à forma, Domus à structura, numerus ab ordine ad vltimam vnitatem &c. Exercitus autem sumit ab ipsa multitudine speciem, sicut Populus, iuxta ea, quæ docuit S. Doctor supra §. 23. Album autem ex rebus constat diuersorum prædicamentorum proindeque, nec ens per se, neque vnum est.

§. 15. Obijcies secundo. Quod non habet formam nequit constitui vt species sub aliquo genere prædicamentali: sed numerus non habet

for-

formam, nam vltima vnitas illius forma esse non potest: ergo. Minor probatur: nam vltima vnitas, vel constituit numerum vt est vnitas, & sic quælibet poterit constituere, omnes enim sunt vnitates: vel quia est vltima formaliter: & sic relatio constituet numerum: nam vltimitas est formalis relatio ad medias, & priores: dices; vltimam vnitatem esse formam numeri, non vt vltimam formaliter relatiuè; sed vt vltimam fundamentaliter. Sed contra insurgit Murcia Complutensis cum alijs: Tum. Quia quælibet vnitas in ternario v. g. est vltima fundamentaliter: quælibet enim accipi, & numerari potest vt vltima: ergo non vltima determinatè, sed quælibet illarum ternarium constituet. Tum etiam quia Deus creare potest simul tres lineas in vnico instanti, quarum nulla quidem erit determinatè vltima: tum denique quia certę, ac determinatæ rei, certa quoque, & determinata debet esse forma: sed nulla est determinatè, & certè vltima vnitas ob iam dicta: ergo vltima vnitas non est forma numeri.

§.16. Respondeo vltimitatē fundamentalem dupliciter accipi posse; primo provt est fundamentum relationis rationis, quam intellectus producit ex comparatione ad medias, & priores. Secundo: sumitur absolutè pro eo, quod est esse terminum terminantem, & non pertinennentem ad prædicamentum Relationis, sed omninò ad genus quantitatis, quamuis ex penuria terminorum res absoluta nomine explicatur relatiuo: vt infra agentes de Relatione dicemus: Iam verò vltimitas primo modo sumpta omni vnitati conuenire potest ob rationem supra memoratam: at verò si altero modo sumatur, nequaquam conuenit cuilibet vage, sed certè, & determinatè in Binario conuenit secundæ, in Ternario tertiæ &c. sic ad primam instantiam: Ad secundam dico, in tribus illis lineis à Deo simul creatis vnam dumtaxat re vera esse vltimam, nempe Tertiam, quia realiter, verè, & ante opus intellectus existerent prima, secunda, & tertia: Denique tertia instantia futilis est, neque ab hominibus Scotista nobis obijci potest, aut debet, neque in hoc Murcia Scotum rectè sequitur: Nam si pro certa, & determinata forma intelliges formam nobis cognitam, falsum est prorsus, numeri formam à nobis certè cognosci debere: quare Scotus cum non potuisset assignare formam discretæ Orationis de illa dixit *Illa tamen non est nota, immo vix alicuius speciei specialissimæ est nobis differentia nota*. Cum ergo nunc gestis, vt tibi assignem differentiam vltimitatis, vt certam, & notam? Instabis: Ergo numerus non dependet ab intellectu numerante: quod nemo dicat, cum numerare sit opus intellectus. Distinguo: pendet ab intellectu formaliter quoad ordinem prioris, & posterioris concedo; entitatiuè, & quo ad effectum terminandi, & claudendi numerum, nego: intellectus equidem designat, inchoat, & finit pro libito: sed per accidens est ad ipsum realem effectum terminandi qui independenter à designatione mentis datur in rebus. Exemplum, quo vtitur M. Ioann. à S. Thoma pulchrum est. In circulo v.g. eo ipso, quod non sit quantitas infinita reuera datur principium, medium & finis, & hoc quidem fixè, atque determinatè, & tamen liberum est intellectui designare in qualibet eius parte rationem principij, medij, vel finis. His (vt reor) satis diluuntur fundamenta Aureoli, & Soti: Alia argumenta soluunt M.M. Arauxo, Sanchez, & Ioan. à S. Thom. quos vide.

DISSERTATIO XLV.

An oratio sit vera species quantitatis ab alijs distincta?

§. 1. Difficiliorem dixit Rubius esse hanc quæstionem de oratione: immò Cardinalis Toletus illam appellauit *insignem difficultatem*: nos pro virili rem conabimur breuiare, & emollire.

Non sumo orationem hic vt Rhetor, nec vt Summulista: Nam quælibet articulatio vocis etiam non significantis Oratio est: excludit mentalem Aristoteles per illa verba: *Dico autem orationem cum voce prolatam.* Vnde hæc vox *Blitiri* non minus pertinet ad hanc speciem quantitatis, quā hæc *Dominus*, in qua non aer labijs verberatus, quæ est *Substantia*, nec sonus ipse, qui est *Qualitas*, nec ipsa verberatio, quæ *Actio est*, sed morulæ illæ quibus extenditur, & dilatatur vox, dicitur esse quantitatem discretam, cuius partes sunt ipsæ syllabæ quarum vna post aliam successiuè fluit. Orationem esse discretam quantitatis speciem dissertis verbis tradit Aristoteles hoc capite aiens *Quod enim quantitas est oratio manifestum est*. Probat: *Mensuratur enim syllaba longa, & breui*, rectè quidem, quia longitudo, & breuitas sunt passiones quantitatis. Rursus probat, esse quantitatem discretam: *Ad nullum* (inquit) *communem terminum partes eius copulantur: non enim est communis terminus, ad quem syllabæ copulentur, sed vnaquæque diuisa est ipsa secundum seipsam.* Hinc Definitionem Orationis ita formo: *Est extensio discreta, vocis morulas successiuè mensurans secundum earum longitudinem, & breuitatem*: Ni fallor, leges seruat optimę Difinitionis: locum generis habet *extensio discreta* id, quod etiam numero conuenit. Cætera vicem obeunt differentiæ, quibus à tempore, numero, cæterisque quantitatis speciebus determinatur. Sequitur Aristotelem Angelicus Doctor, qui in secundo de Anima lectione 8. *Manifestum est (inquit) quod humana loquutio non est continua: vnde & in libro Prædicamentorum Oratio, quæ in voce profertur ponitur species quantitatis discretæ.* Et in 4. distinct. 3. artic. 2. quæst. 4. ad 1. Non moror opusculum 48. quia dicunt, illud non esse D. Thomæ. Sequitur subtilis Scotus de quantitate quæst. 2. §. *Dicendum primo.* Cum tota eius schola. Oratio igitur in communi conuenit vniuocè orationi tum vocaliter dearticulatæ, tum inanimatæ, vt sunt soni fistulæ, Cytharæ, immò & saltationis numerosæ si ly *vocis* in ampliori significato vsurpetur, quibus etiam (teste M. Soto) communis est ratio, naturaque orationis. Hæc est secundum suas species sub alternas obiectum Poeticæ, & Musices, ambitque non solum carminum mensuras, vt Hexametri, Saphici, Iambici

bici &c. atque eorum metricos pedes, vt Pyrrichium, Spondeum, Anapæstum, Molosum &c. Sed etiam Tonorum consonantias, vt Diapente, Diapason, Bisdiapason &c.

§. 2. Aduerte Aristotelem dum docet, partes Orationis esse syllabas, non esse intelligendum de syllaba sumpta pro motu prolationis, sed pro morula, quæ insumitur in illa proferenda quæ sunt Tempuscula quædam successiua, secundum quæ vox breuis dicitur, aut longa, de huiusmodi tempore loquutus est Nebrissensis Grammaticus: *Syllaba longa duplo, breuis vno tempore fertur*. „ Vnde Toletus recte monet [*Quando audis* (in„ quiens) syllabas habere tempus, non intelli„ gas de tempore, quod dicitur dies, annus &c. „ sed de ista intrinseca extensione, & vocis dila„ tatione, quæ maior est in vna, quam in altera, „ secundum quod breuis, altera *longa dicitur*.]

§. 3. Assertum Aristotelis, ab ipso probatum non nisi soluendo aduersariorum argumenta amplius possumus roborare inter quos M. Ioan. à S. Thoma, Lalemandetius, & M. Lynceus ex recentioribus Peripateticis communem, & veram sententiam luxare conantur obiectionibus quas faciles quidem dilutu jam in summam redigo.

§. 4. Obijciunt primo: Oratio est numerus, vel mensura discreta motus prolationum, seu syllabarum: ergo non est species quantitatis à Numero essentialiter distincta. Dices cum Complutensi Murscia, Orationes à numero differre, quia Numerus mensurat quantitates permanentes, at oratio mensurat successiuas. Contra *primo*; Ergo non distinguitur formaliter à numero, sed tantum materialiter, & penes res, quæ numerantur, ac proinde non essentialiter, & per differentiam essentialem. Consequentia est optima: quia alioqui etiam binarius linearum distingueretur specificè, & essentialiter à binario superficierum, eo quòd linea, & superficies distinguantur specie; ergo differentia penes materiam mensuratam non distinguit specie mensuras. Contra. Contra *secundo*, quia etiam datur numerus horarum, dierum, & quod caput est, etiam ipsas vocis syllabas numeramus, vocem enim dicimus dissyllabam, trissyllabam, tetrasyllabam &c. atqui horæ, dies, & syllabæ sunt entia successi ua; ergo esse numerum entium successiuorum non distinguit, neque extrahit orationem à ratione numeri.

§. 5. Dices *secundo* cum Arauxo, Complutensibus, Parra, & alijs, orationem differre essentialiter à numero, quia dicit extensionem secundum multitudinem ordinatam, harmonicã, & sonoram, quam Numerus non dicit. Contra: quia harmonia, concentus, seu sonoritas pertinet ad proportiones vocum, & ad prædicamentum Relationis, vel qualitatis: ergo species quantitatis non potest essentialiter constitui, nec differre per differentiam pertinentem ad prædicamentum diuersum; sed tantum accidentaliter, sicut differt locus à superficie. Dices *tertio* orationem à Numero essentialiter differre non per differentiam materialem; sed per differentiam formalem, quæ tamen nobis ignota est. Sed contra insurgit M. Ioan. à S. Thoma aiens, quod hęc solutio ignorantia se defendit, quæ impugnari non potest.

§. 6. Respondeo igitur. Prima solutio argumenti rectè impugnata est, illamque reijcimus. Secunda Thomistarum responsio idonea est, si amplius explicetur, vt faxo. Interim luce clarius apparet, Orationem à Numero distingui essentialiter; quoniam non variato numero syllabarum, variatur propria quantitas orationis, vt patet in pede Spondæo, & Iambo, quod non vidit Linceus. *Tertia* solutio, quam cauillatur Ioan. à S. Thom. est Scoti quæst. 2. aientis: *Quod oratio essentialiter differt à numero, & à quacumque specie quantitatis, non tantum differentia materiali, sed formali, & specifica: illa tamen non est nota; immò vix alicuius speciei specialissimæ est nobis differentia nota* &c. Porro vt hanc Scoti ignotam differentiam aliqualiter in lucem deducat Merinerus, ad Thomistarum solutionem confugit, illaque vtitur vt ratione à posteriori, & ex signo „ [Quod hoc sit „ verum (inquit) manifestè colligitur à posterio„ ri, & à signo; Siquidem in oratione aliquid „ semper videmus, quod nunquam in numero „ reperitur, scilicet harmoniam, & concentum „ quemdam in extensione: qui concentus, & „ harmonia licet non sit differentia perse inge„ nere quantitatis, est tamen signum euidens, „ quod in numero, & oratione sint differentiæ „ intrinsecæ, & specificæ *nos latentes*.] Hæc ille disput. 3. de quantitate quæst. 2. num. 11. Iam ergo solutio Thomica præstabilior est: sed tamen non expedit nodum instantiæ: nempe quod harmonia est proportio, & relatio inter voces, seu syllabas, ac proinde oratio erit ens per accidens constans ex quantitate discreta, & relatione tanquam modo contractiuo differentiali; maximè cum Toletus clarè fateatur, quod hæc oratio est numerus Musicus, & harmoniens, quæ Musica speculatur. Ergo oratio non est ens perse, neque species quantitatis. Quod autem multitudo harmonica quantitatis discretæ, quæ numerus Musicus est, sit quantitas relatiua, seu quantitas dicens relationem, & comparationem ad aliud, est certo certius in Musicis, idque docuit perspicuè Seuerinus Boethius (cuius Aristotelicam explicationem nunc sequimur) libro 2. de Musica cap. 3. *Discretæ verò quantitatis* (inquit) *alia sunt perse, vt tres, vel quatuor, vel cæteri numeri. Alia verò ad aliud, vt Duplum, Triplum, aliaque, quæ ex comparatione nascantur: sed immobilis magnitudinis Geometria speculationem tenet: mobilis verò scientiam Astronomia persequitur. Perse verò discretæ quantitatis Arithmetica auctor est. Ad aliquid verò relatæ Musica probatur obtinere peritiam*. Et statim cap. 4. agit *de relatiuæ quantitatis differentijs*. Constat ergo, harmoniam, seu concentum orationis esse quantitatem discretam relatiuam. Ergo si per harmoniam, seu consonantiam differt à numero, certè per aliquid pertinens ad diuersum prædicamentum differt, consonantia enim est formalissima relatio.

§. 7. Ad hæc respondeo, consonantiam non debere sumi pro formali proportione vocum, seu syllabarum, sed pro longitudine, & breuitate

te morularum, prout proximè fundant consonantiam formalem siue metricam, siue Musicam, quam possumus fundamentalem consonantiam appellare, quæ reuera sub genere quantitatis consistit: fundatur tamen formalis consonantia, quæ relatiua est supra eiusmodi morulis, vt longis, & breuibus, arte posterius speculante, atque dirigente, quæ cum sit natura posterior, non constituit essentialiter orationem. Sic res innumeras explicamus absolutas quidem; sed nominibus relatiuis, quia aliter cognosci non possunt, vt dicitur de Omnipotentia Dei, de speciebus insensatis brutorum, quæ relationem dicere videntur &c. Quod si Scotus nominare non potuit, & ignotam esse dixit huiusmodi differentiam; nil mirum, omnes enim eadem laboramus ignorantia, immò ille nobis accinit, qui differentias specierum atomas à nemine mortalium hactenus agnitas docuimus supra cap. de Different. Dissertat. 24. . . . ad quam prouoco Ioan. à S.Thom.& quoscunque contrarium sibi persuasum habuerint.

§. 8. Objiciunt secundò Lalemandetius, & alij. Nullum ens per accidens est vera species cuiuspiam Prædicamenti. Oratio est ens per accidens, extensio enim illa syllabarum potest variari ad placitum hominum. Nam cur dicamus *Dominus* penultima breui seu Do-mi-nus, penultima longa Poetarum libito factum est. Patet hoc. Tum quia dantur syllabæ indifferentes quantitate, id est, quæ pro libito produci possunt, vel corripi. Tum etiam quia vna, & eadem syllaba, iuxta diuersam significationem vocis potest longa, vel breuis proferri, vt in hoc verbo *irrito*. Dum sonat non habere ratum, corripitur penultima, producitur vero dum significat prouocare iuxta illud.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Atqui potuissent homines vice versa quantitatem huius syllabæ variare, quid enim obstaret? Ergo Oratio non est vera species quantitatis, sed ens per accidens, quod hoc vel illo modo constitui potest. Vel aliter, quod dependet ex placito hominum, non est vera species Prædicamenti, nam Prædicamentum est ordo rerum naturalium, seu series realis naturarum, quæ pro libito mutari non potest, atqui extensio, seu dilatatio syllabarum Orationis omninò dependet à placito hominum, immò dicit ens rationis: ergo solum metaphoricè, & non re vera est species quantitatis.

§. 9. Respondeo negando minorem vtriusque syllogismi, vel vtriusque argumenti, ad probationem, quantitas syllabarum dependet ab hominum placito, distinguo, tanquam à principio disponente causas Orationis, concedo, tanquam à causa immediatè effectiua morularum, nego, hæ enim causantur ab ipsis sonis longis, & breuibus, deindè nego consequentiam. Hinc M.M.Arauxo, Parra, & alij, exemplo respondent Imaginis pictæ, quæ realiter quidem prototypum repræsentat, tametsi dependeat ab arte, & voluntate Pictoris, quòd his, vel illis coloribus, & lineamentis fiat. Immò ex voluntate pendet mea, quod lignum, v.g. fiat longum vel latum, ast semel illi data quantitate, vel figura, realiter & naturaliter pertinebit ad Prædicamentum. Haud secus quod sic, vel aliter pronuncietur vox, pro libito sit, ast semel pronuntiata, nequeunt eius syllabæ non insumere longum, vel breue tempus realiter, & verè.

§. 10. Obijcit tertiò Mag.Ioan.à S.Thoma. Ideò Oratio dicitur quantitas, quia constat syllabis longis, & breuibus, id quod pertinet ad pronuntiationem vocis cum velocitate, & tarditate, atqui velocitas, & tarditas sunt modi consequentes motum, qui si constituerent quantitatem in Oratione, etiam constituerent in motu, & tamen non constituunt: ergo.

§. 11. Dices, quantitatem Orationis non consistere dumtaxat in velocitate, & tarditate pronunciationis; sed in ipsis morulis, seu durationibus successiuis syllabarum, quarum multitudo facit extensionem, adhuc præcisa omni velocitate, vel tarditate pronuntiationis, longitudo etenim, & breuitas syllabarum sequitur quasi modus differentialis, ad constituendam harmoniam, seu consonantiam Orationis. Sed contra. Morulæ istæ in re non sunt aliud, quam tempus, quod est duratio motus, at tempus, & motus sunt quantitates per accidens: ergo est Oratio.

§. 12. Respondeo solutionem datam esse idoneam, & ad instantiam nego, quòd istæ morulæ sint tempus illud extrinsecum, continuum, & vniformè mensurans motum primi Cæli; sed sunt multa tempora discreta, & intrinseca vnicuique syllabæ, quæ quidem discontinua sunt, licet sensus non percipiat interruptionem propter minimam quietem *illas* disiungentem, vndè quælibet syllaba habet suum tempus, id est extensionem, quæ maior est in longa, quam in breui, & ratione huius ordinantur ad consonantiam supra explicatam à qua sumitur vnitas, & essentia Orationis sicut in numero sumitur ab ordine, & numerabilitate quantitatum continuarum, vt supra explicuimus.

§. 13. Objiciunt tandem, cuiuslibet syllabæ quantitas est continua; sed Oratio est multitudo syllabarum: ergo est multitudo rerum continuarum; ergo non est ens per se quantum, neque discretum, vel vt plurimum erit numerus, dato quod sit quantitas discreta.

§. 14. Respondeo, distinguo maiorem, quælibet syllaba est quantitas continua, materialiter, & respectu sui, transeat, formaliter vt componit quantitatem discretè successiuam, nego maiorem. Res est clara. Numerus componitur ex indiuisibilibus vnitatibus, v.g. ternarius ex tribus hominibus, quilibet homo est vnitas indiuisibilis in ordine ad ternarium, tametsi materialiter homo sit in se quantus, continuus, & diuisibilis in alia ratione. Sic enim linea quamuis materialiter sit diuisibilis secundum longitudinem, attamen non componit superficiem ea ratione qua diuisibilis, sed quatenus secundum latitudinem est indiuisibilis. Igitur Oratio non componitur ex syllabis, quatenus vna-

vnaquæque est diuisibilis, & continua in se, & materialiter, sed quatenus vnaquæque est indiuisibilis, & caret compositione, & totalitate successiua, & harmonica Orationis, non secùs, ac vnus homo est indiuisibilis, & caret compositione, & totalitate Ternarij quando Ternarium componit.

DE PRÆDICAMENTO RELATIONIS.

D. Seuerino Boethio Interprete.

TEXTVS. *Ad aliquid vero talia dicuntur quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipsum, quod est alterius dicitur, &c.*

Synopis Literæ.

I. TRia præstat hoc capite Philosophus. *Primò* definitionem Relatiuorum, quæ sua tempestate celebris habebatur depromit, quæ talis erat: *Ad aliquid* (idest Relatiua) *talia dicuntur quæcunque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Sic duplum ad dimidium dicitur, & maius, altero quidem maius est. Assignat denique huiusmodi Relatiuorum proprietates quatuor, vt antiquitus ferebantur. *Prima*, habere contrarium, vt virtus, & vitium, scientia, & ignoratio, &c. Porrò cum ad eiusmodi Relatiuorum classem venirent, habitus etiam, atque potentiæ, facilè erat Relatiua contrarietati esse obnoxia deprehendere. Altera suscipere magis, & minus, vnum enim sæpè magis alicui simile dicitur, quam aliud. *Tertia*, quod Relatiua inter se reciprocentur, seu inuicem conuertantur, quæ quidem conuersio non pro conuersiua prædicatione vsurpanda est, vt Magnus monet Albertus, falsum enim est, Patrem de Filio tralatitiè, enuntiatione prædicari mutuò, neque Filius de Patre in rectò (vt aiunt) dici valet, sed verò oblique alteruter debet alterutrum inferre, vt si Pater est, Filij est, si Filius, vtique Patris filius est. Vltima proprietas, quòd Relatiua sint naturæ simultaneæ, cæterùm hæc duas exigit conditiones, vt rata sit, atque subsistens, primam Stagirites noster attigit hoc capite, nempè quòd vno in rebus existente, è vestigio, & alterum existat, itidemque vno sublato, & alterum extinguatur in esse saltem relatiui, tametsi secundum aliquid sui superstes perseueret. Sic Filius exiltit existente Patre, sic Pater non manet Pater, etsi homo supersit, filio interempto, quod tetigit Lasciuus Vates lib. 2. de Arte, dum Dedalus Icaro vndis demerso clamasse decantatur.

At Pater infælix, non iam Pater Icare clamat,
Icare clamat, vbi es? quouè sub exe volas?

Altera conditio? quam cap. 3. Post prædicamentorum tradit Aristoteles, est quòd vnum Relatiuum non sit alterius causa secundum illud relatiui munus, & specimen licet alioqui eiusdem causa existat. Sic Pater prout Pater causa filij non est; sed prout homo. Duabus his conditionibus perspicua, fit quarta Relatorum proprietas, nempè *simul esse natura*. Hæc quoad primum.

II. *Secundò*, quæstionem exitat circa præfatam veterum definitionem, videlicet, An ipsa competat substantiæ? idque negat, quoniam substantia secundum se totam alterius dici non potest. Homo enim nullius homo est, nec Bos alicuius bos est, nisi possessoris. Verum enim verò substantiæ partibus conuenire illam affirmat, vt capiti, brachio, &c. Caput quippè alicuius animalis caput est, brachiumque haud secùs. Subindè colligit, obsoletam illam Relatiuorum definitionem non rectè traditam, quia substantia prorsus est res absoluta, diuersumque omninò à Relatiuo Prædicamentum constituit. Hæc de secundo.

III. *Tertiò*, postremòque monstrat, difficilè esse valde, aut impossibile iuxta prædictam definitionem euadere, quòd substantia partialis non sit relatiua, quamobrem definitionem, quæ Relatiuis dumtaxat, & non absolutis congruat, tradere dicit oportere, illam sic compingit: *Relatiua sunt quibus hoc ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere.* Hinc proprietatem Relatiuorum deducit, videlicet, quod non solum sint natura simul, vt vetus explicatio ferebat, sed *simul definitione*. Ita scilicet, vt qui vnum definitione cognoscit, & alterum definitè cognoscat necessè sit. Vndè etiam ab eo motam quæstionem enodat. Substantiæ etenim partes relatiua non esse, vel indè liquet, quippè quibus proprietas huiusmodi genuina non inest, quoniam qui caput clarè, & definitè cognoscit, tamen cuius sit caput clare, & definitè noscat necessum non est. Hæc de tertio.

IV. Cur autem Aristoteles prius de Relatione, quam de qualitate, quæ perfectius est ens, sermonem instituerit? multi multa comminiscuntur. Nobis Mag. Masij ex Ammonio, & Boethio arridet explicatus, id sanè præstitit, quoniam superiore capite indubitatione illa de Magno, & Paruo relatiua memorauerat, ne igitur audientium animos diutiùs teneret suspensos, post declaratam quantitatem, mox de Relatis censuit germano esse tenore tractandum, de quibus infra pro more differemus.

DISSERTATIO XLVI.

Quid, & quotuplex sit Relatio, & an quæ in Prædicamento collocatur, sit ens reale?

THEOREMA I.

Nonnulla pro communi doctrina præmitto.

§. I. PRæ oculis habenda semper, quæ supra in nostra Synopsi monstrauimus. Relatiua porrò, idest, quæ dicuntur *Ad aliquid* non nisi concreto nomine efferuntur ab Aristotele, ob minimam huius Prædicamenti entitatem, vt non pauci autumant, quorum antequam definitionem explicemus, diuidenda est Relatio, in latissima sui amplitudine primo in Realem & ra-

& rationis, quæ sit harum vnaquæque facilè capies, si ens reale ab ente rationis discernere scias. Fit autem relatio rationis multipliciter, primo inter extrema, quæ non sunt verè entia, & nullum habent fundamentum, vt inter chymeram, & non chymeram, & inter Adamum, & Antichristum relatio prioris, & posterioris non nisi rationis, & ficta est. Secundò inter entia, quæ fundamentum habent in re, vt relatio generis ad species. Tertiò inter entia realiter existentia, quorum alterum est incapax recipiendi accidentia, vt Relatio Creatoris ad creaturam. Quartò inter res, quæ etiam si sunt veræ res, non tamen realiter duæ sunt, nisi per considerationem intellectus, vt identitas mei ad me ipsum, & distinctio, quæ inter attributa Diuina versatur, &c.

§. 2. Rursus Relatio realis diuiditur in Relationem secundum *dici*, & relationem secundum *esse*. Hæc diuisio ex ipso Aristotelis textu depromitur, vbi definitionem antiquam reijcit, quæ sic habebat: *Relatiua sunt quæ id, quod sunt aliorum esse dicuntur*. Et aliam nouam, atque correctiorem tradit, nempè, *Relatiua sunt quibus hoc ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere*, obscurior est Argyropili versio: *Ea sunt ad aliquid, quorum esse idem est ei, quod est, ad aliquid aliquo modo se habere*, quæ vulgò sic iam effertur: *Relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud se habere*. Aristotelis ratio explodendi antiquam definitionem est, quia illa conuenit substantiæ saltim partiali, nam caput quidem capitati dicitur esse caput, cum tamen substantia absolutissimum sit ens, & prædicamentum absolutorum constituat, vt in synopsi vidimus, quare Relatio aliter ab ipso definitur, vt nullatenus rebus absolutis conuenire possit. Et hinc emanarunt hæ voces *secundum dici*, & *secundum esse*, sumuntur enim ex differentijs definitionum, quas Aristoteles adducit, quarum prima traditur per ly *aliorum esse dicuntur*, ecce *dici*, altera vero per *esse ad aliud*. Ecce *esse*. Vides, quantum differt dici, ab esse neque enim omnia, quæ aliorum res, vel cum alijs comparata, & relata dicuntur, sunt reapsè relatiua, dignoscunturque in eo quod Relatiua *secundum esse*, significant ipsas habitudines, quibus extrema inuicem respiciuntur, vt Paternitas, & similitudo nil aliud significant, quam ipsosmet Patris, & Filij, & similium respectus. Relatiua vero *secundum dici*, efferuntur nominibus impositis per se ad significandum res absolutas, vt substantiam, qualitatem, &c. quas consequuntur aliquæ habitudines, & respectus. Sic scientia, quæ est cognitio obiecti, relatiuum quidpiam est secundum *dici*, quia hoc nomen *scientia*, non est per se impositum ad significandam habitudinem illius ad obiectum, sed ipsam qualitatem, seu perfectionem intellectus, sic caput non significat respectum, neque tendentiam ad capitatum, sed principale corporis membrum sub tali figura, &c. accipe à Diuo Thoma 1. parte quæst. 13. artic. 7. ad 1. *Quædam relatiua* (inquit) *sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas, vt Dominus, Seruus, Pater, Filius & huiusmodi, & hæc dicuntur relatiua secundum esse. Quædam vero sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens, & motum, caput & capitatum, & alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundum dici*. Vno verbo rem explicuit Mag. Sotus. Relatiuum secundum *dici* est res, cuius essentia non est esse ad aliud; sed tamen non potest explicari nisi per ordinem ad aliud. Relatiuum vero secundum *esse* est illa res, cuius essentia nil aliud est quam esse ad aliud.

§. 3. In hanc eamdem diuisionem recidit illa, qua Relatio in Transcendentalem secatur, & Prædicamentalem. Relatio enim Transcendentalis, quæ quia propriè relatio non est cætera prædicamenta transcendit, seu cuilibet ex decem generibus absolutis conuenire potest, ipsa est quæ secundum dici relatio nuncupatur. Et quia Relatio propriè dicta, id est, *secundum esse* in Prædicamentum serie contra omne absolutorum genus, vt proprium, & genuinum Relatiuorum Genus statuitur, nomen *Prædicamentalis* sibi meritò vendicauit. Iam vero Prædicamentalis relatio diuiditur in mutuam, & non mutuam, Relatio mutua est, cui ex parte termini reciprocè alia respondet relatio, vt Paternitas, cui quidem Filiatio à termino occurrit. Relatio non mutua est, cui terminus non alia relatione respondet, vt seruitutis relatio, qua creatura Deum respicit, qui tamen nulla reali relatione ad creaturam ordinatur. Insuper Relatio mutua dispertitur in relationem *Æquiparantiæ*, & relationem *Disquiparantiæ*. Relatio æquiparantiæ ea est, quæ versatur inter extrema, quæ eodem modo, & simili relatione inuicem respiciuntur, qualis est relatio similitudinis inter duo Alba, quorum vnum est simile, sicut & alterum. Relatio vero Disquiparantiæ est quando extrema diuersimodè respiciuntur, & relationibus disparis rationis, talis est Paternitas, & Filiatio, Petrus enim v.g. Pater Pauli, Paulum quidem respicit, vt filium, & Paulus è regione non respicit Petrum, vt filium, sed vt Patrem, ac consequenter diuersimodè, alias Relationis sub diuisiones non ita vtiles vide, si lubet apud Titelmannum, & alios.

§. 4. Cæterùm Cum Relatio accidens quoddam sit, necessariò dicit dependentiam à subiecto, & in hærentiam, quæ dependentia dicitur: *Ratio in*, id est secundum quam Relatio inhæret subiecto, seu recipitur in illo, & hoc sibi cum omni accidenti reali habet commune. Rursus sibi peculiariter habet, quòd explicitè respiciat aliud, seu subiectum faciat respicere aliud formaliter, & hæc dicitur: *Relatio ad*, quæ quidem est expressio illius formalissimæ tendentiæ, seu ordinationis ad terminum. Vocatur autem terminus illud extremum, ad quod primò & per se relatio ordinatur, seu quod essentialiter, & directè illa respicit, vt est Filius, ad quem quidem ipsa Paternitas primò tendit, & respicit. Extremum autem habens Paternitatem, & filium respiciens, id est homo generans apud nonnullos dicitur proprie subiectum relatio-

tionis, & non nisi impropriè *Fundamentum*. Nam fundamentum apud ipsos est illa forma, cuius ratione relatio inest subiecto, & illud ressert ad aliud. Vt in similitudine alborum est albedo, non paries, & in Paternitate est generatio, non homo, &c. Et ratio est, quia substantia non fundat immediatè, neque recipit relationem, alioqui Relatio non esset genus imperfectissimum inter Prædicamenta, neque debilissimæ entitatis inter accidentia realia, vt omnes cum Commentatore dicunt. Quoniam omne accidens eo perfectius est, & constantioris entitatis, quo magis ad substantiam accedit & immediatiùs inhæret illi: Ergo fundamentum Relationis similitudinis alborum v.g. non est substantia parietis, sed albedo, quæ est ratio fundandi similitudinem in extremis albis, &c. Nonnulli vero è contra subiectum relationis dicunt non nisi proprijssimè dici fundamentum, quia nullum accidens potest ratione sui, seu vt *quod* fundare, seu recipere aliud accidens. Alij tandem distinguunt, aientes subiectum esse fundamentum remotum, & rationem fundandi esse fundamentum proximum; Sed quęstio hæc de nomine est, Tu rem tene, & loquere, vt malueris. Porrò vt oportunè notarunt Complutenses, Carmelitæ. Sic hæc nomina propriè accipienda sunt, habent se *subiectum, ratio fundandi, & Fundamentum* sicut corpus, Albedo, & album.

§. 5. Conditiones, quæ ad relationem prædicamentalem exiguntur sunt. Fundamentum, terminus, & ratio fundandi realia: Termini existentia, & realis distinctio inter extrema. Tum quia ens non potest realiter ordinari, neque respicere non ens. Tum etiam quia eiusdem ad se ipsum non est dabilis vera, & realis habitudo. Et quidem maximum, atque præcipuum inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem discrimen hinc desumitur, quòd Prædicamentalis perpetuò tendit in terminum extrinsecum realiter existentem. At verò transcendentalis ferri potest ad terminum futurum, fictum, vel non existentem, vt visus ad colorem possibilem, caput ad capitatum etiamsi iam non existat in rebus, &c.

§. 6. Censuit Suarezius disput. 47. Metaphys. sect. 3. num. 9. Diuisionem in Relationem secundum *esse*, & secundum *dici* non esse eamdem ipsam, ac in Relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Quia etiam extra hoc prædicamentum existimat ille, verè dari alias relationes reales, & secundum esse, vt inter Materiam & Formam, inter subiectum, & accidens, inter Deum, & Creaturas, &c. Ast fallitur Author ille, quoniam Relatio, quam materia prima dicit ad formam nil est aliud, quam ipsa materiæ substantia in formam naturaliter propensa. Neque enim hoc nomen materia aut forma, neque nomen subiectum, aut accidens, Deus neque Creatura imposita quidem sunt ad significandas eorum habitudines, quod est vnica ratio dignoscendi relationes secundum esse, vt expresè docuit Magister Angelicus supra §. 2. laudatus. Hæc apud alios prolixiùs explicata vide si lubet.

THEOREMA II.

Dantur relationes reales creatæ.

§. 7. DAri in rebus creatas relationes, nullo eas fabricante intellectu res adeò certa est, vt oppositum error in Philosophia videatur non paucis, ijsque grauissimis Doctoribus, id negarunt nonnullij ex antiquis Philosophis, quos sequitur Aureolus in primo distinct. 30. vbi acriter defendit, res omnes, quæ ad inuicem referuntur, non nisi per relationem rationis, quæ sola apprehensione intellectus consurgit, & non per realem habitudinem refferri. Alij vero licet concedant, relationes prædicamentales esse quid reale, eas tamen dicunt non distinctam vel à fundamento, vel ab vtroque extremo realitatem habere, vt M. Heruæus, Nominales, eorumque sequaces, de quibus dum de distinctione relationis agamus, infra disputabimus.

§. 8. Communis hæc & vera sententia omnium Peripateticorum censetur, satis efficaciter probari à nemine. Et quidem mirabile est, quasi argumentorum inopia laborent moderni Scriptores, vt non nisi duobus, vel vt plurimum tribus illam fulcire soleant, dum apud veteres tot suppetant & rationes, & auctoritates, quibus illa non validè posset roborari. Sanè vnus Aureolus vndetriginta congerit argumenta, vbi supra, quæ ingeniosè quidem soluere conatur articulo tertio §. *Ad ea ergo, quæ superiùs*. Iam vero ex Scotistis, Poncius argumentorum communis sententię imbecillitatem ostendere pergit Disputatione 15. num. 20. Probari solet illa primo. In Deo dantur verè relationes reales, vt Paternitas, & Filiatio; ergo etiam in Creaturis admittendæ sunt relationes reales. Antecedens Fide sanctum est. Consequentia ostenditur. Ideò Pater æternus habet relationem realem Paternitatis ad Filium, quia verè, & realiter generat illum, & est principium illius, atqui in creatis homo verè generat hominem, & Equus equum, estque principium illius: ergo verè dantur in creatis relationes reales.

§. 9. Occurrit Poncius, aitque, ex Relationibus Diuinis non probari relationes dari prædicamentales. Tum quia Diuinæ sunt substantiæ, prædicamentales verò sunt accidentia. Tum quia relationes inter producens, & productum adhuc in creatis satis probabiliter sunt relationes extrinsecùs aduenientes (id est transcendentales) ergo ex eo, quòd in Deo dentur illæ, & in creaturis denominationes similes illis denominationibus, quæ proueniunt à relationibus illis Diuinis non sequitur, dari relationes reales prædicamentales.

§. 10. Probari solet secundò. Quia certum est, res aliquas inuicem applicari independenter ab omni cognitione intellectus, vt ignis appli-

applicatur ligno, materia à parte rei vnitur formæ, & partes integrantes continuæ vniuntur sibi inuicem: sed approximationes, & vniones huiusmodi sunt relationes reales: ergo dantur relationes reales à parte rei independenter ab intellectu, & omni simili potentia.

§. 11. Sed similiter ait Poncius, non probari hoc argumento, dandas esse relationes reales prædicamentales ex eo, quod in rebus dentur eiusmodi approximationes, & vniones, quia illæ sunt relationes extrinsecus aduenientes, seu transcendentales, quibus non conuenit definitio relationis huius prædicamenti: Ergo ex eo quod dentur illæ (inquit) non solum non sequitur formaliter, quod dentur relationes reales huius prædicamenti; sed neque sequitur à paritate rationis: quia est maxima disparitas inter vtrasque, ratione cuius disparitatis posset fieri, quod quamuis darentur vnæ; non darentur alteræ.

§. 12. Tertia tandem probatio communis sententiæ est: Quia entia rationis non ponuntur in prædicamento: sed huiusmodi relationes ponuntur in prædicamento: ergo non sunt entia rationis. Hæc probatio (inquit Poncius) valet contra admittentes authoritatem Aristotelis: Sed si quis eam negaret, & diceret, vel malè assignari hoc prædicamentum ab Aristotele, vel entia rationis spectare ad prædicamenta, nihil vrgeret: qua propter.

§. 13. *Melius* omnibus, se probare, dicit ille hoc argumento: Reuera à parte rei dantur aliqua, quæ sunt sibi inuicem similia, & dissimilia, æqualia, & inæqualia independenter ab omni intellectus operatione, vt patet de duobus albis, albo, & nigro, duabus quantitatibus palmaribus: vna quantitate palmari, & alia bipalmari; ergo dantur à parte rei realiter illa, à quibus proueniunt istæ denominationes: sed illa sunt, quæ vocamus relationes prædicamentales: ergo dantur à parte rei relationes prædicamentales.

§. 14. Sed verò hæc Poncij melior probatio non solum præcedentibus melior non est, sed omninò illis est inefficacior, suponitque pro præmissa idipsum, quod sibi probandum erat, nempe dari a parte rei similia, & æqualia independenter ab intellectu; cum tota quæstio sit, an detur in rebus similitudo, æqualitas &c. quod rotundissimè negat Aureolus: *Supponit* ergo Pontius, vt certum id ipsum, quod est in controuersia. Cæterum præcedentes probationes facilè difflant aduersarij: Et quidem Gabriel Biel in primo distint. 30. q. 4. Hæc habet [*Conclusio quinta*. Dabiles sunt viæ negandi omnes respectus tam in Diuinis, quam in Creaturis. In Diuinis patet sustinendo quartam opinionem de Constitutione personarum supra Distinct. 26. quæst. 1. tactam, quæ condemnata non est tanquam erronea, vt latius deducit Scotus ibidem. In creaturis de vnione naturæ Humanæ ad verbum dici posset sicut in Diuinis, quod propter aliquam qualitatem absolutam, puta gratiam vnionis in humana natura productam, perfectiore vnione, & respectu diceretur verbum nunc vnitum, & primo non vnitum. De vnione formæ ad materiam, seu subiectum diceretur, quod quandocumque forma est intimè præsens materiæ, vnitur materiæ: & ità quod vnio formæ, & materiæ nihil aliud dicit, quam intimam vnitorum præsentiam. De vnione partium continui dicit Ochamus (quæst. præsenti) rationem ad quartam conclusionem inductam non concludere: Solutionem tamen remittit. Facile etiam omnes authoritates ad opositum sonantes *solui possunt*] Hactenus ille, quibus ad prima fundamenta respondet.

§. 15. Redeo ad Aureolum, qui negat antecedens Poncij, & eorum omnium qui eiusmodi argumento vtuntur vt Albertinus, Complutenses, Merinerus, vterque Lynceus, Conimbricenses, M. Parra, Tellezius, & alij, tenenturque probare illud *reuera*, seu illud *independenter ab intellectu*. Namque similitudo duarum albedinum (inquit Aureolus) nihil est aliud, quam eorum apprehensio in distincta; non quidem apprehensio actus, sed apprehensio obiectiua, quæ incipit ab vna albedine, & terminatur ad alteram, & è conuerso, & ideò est habitudo respiciens pro fundamento illam, à qua incipit, & pro termino reliquā, & similiter è conuerso.... apprehendit autem intellectus duas albedines in singulari, & simul indistinctionem earum, quæ indistinctio non est mera negatio. Quia omne indistinctum est in aliquo indistinctum. Illud autem aliquid non potest esse natura Albedinis in communi, alioqui similitudo, quæ est relatio, & conceptus specificus essent idem, quare necessè est, quòd illud sit iudicium obiectiuum, vel apprehensio. Vndè non est aliud *similitudo* inter duas albedines, quam iudicium inter eas, sicut per contrarium Dissimilitudo est Iudicium discrepans, & diuersum. Actui enim apprehenso correspondit apprehensio obiectiua, propter quod cum intellectus duas albedines Iudicat indistinctas, correspondet obiectiuè inter illas iudicium indistinctum. Cum verò indicat, eas esse dissimiles, correspondet quoddam iudicium discrepans, & diuersum, & hoc vocatur dissimilitudo. Et hæc sunt interualla inter qualitates, non quidem in re existentia; sed in anima solum obiectiuè, cum non sint nisi quædam apprehensiones, seu iudicia, indistincta quidem quantum ad similitudinem, & conformitatem, distincta verò quoad dissimilitudinem, & difformitatem. Variatur autem hæc indistinctio, & iudicium indistinctum secundum diuersas qualitates, alia est enim conformitas alborum, & alia nigrorum. Similiter etiam iudicium indistinctum duarum quantitatum appellatur *æqualitas*, & est relatio alia genere differens à similitudine ratione illius positiui, quod clauditur in illo iudicio indistincto, illo enim modo iudicantur duæ quantitates indistinctæ in esse quantitatiuo,

„ tiuo, quod cum altera neque exceditur, neque excedit, & alio modo in qualitatibus, & etiam alio modo in substantijs, in quibus tale iudicium indistinctum obiectale *identitas* nominatur, vndè patet à priori, quod similitudo æqualitatis, & identitatis sunt ab apprehensione, & non sunt in *re extra*.] Hactenus Aureolus, quibus relationes primæ classis reales inficiatur.

§. 16. Haud secùs expungit à rebus Relationes secundi generis, vt est Paternitas, & Filiatio, &c. docens quod solus intellectus facit habitudinem producentis ad productum. „ Tum quia, si Paternitas, v.g. esset res aliqua, non dependeret à non re, nec fundaretur in ea. Relationes enim secundi generis fundantur super egisse, quod transit in præteritum. Vndè Paternitas manet, generatione transeunte, non ergo est quid reale. Tum etiam quia Relationes producentis, & producti non sunt aliud, quam ipsummet producere, & produci, nisi quod tunc concipiuntur per modum habitus, & quietis, qui quidem modus non competit ipsi producere, & produci in se,] immò magis oppositus, scilicet concipi per modum fieri, &. positionis causatiuæ, quare non induunt modum relationum, nisi ex solo opere intellectus. Ita ille, idque etiam alijs confirmat argumentis.

§. 17. Quod si obijcias. Circumscripto omni opere intellectus, Cælum est sursum, & vna manus est dextera, & alia sinistra, & Petrus est Pater Pauli: ergo eiusmodi relationes sunt in rebus siue intelligantur, siue non intelligantur, absurdum enim est, quòd non sit inter fratres fraternitas, & inter Patrem, & Filium Paternitas, nisi quando intelliguntur.

§. 18. Rursus. Nemo sanæ mentis dicat, Creaturas non dependere realiter à Deo, alioqui intellectus faceret, Creaturas dependere à Deo; sed dependentia est quædam relatio: ergo aliqua relatio est in re sine opere intellectus. Item destruitur veritas Fidei quoad Sacramentum Eucharistiæ. Quia Corpus Christi non habebit realem præsentiam ad species magis post consecrationem, quam ante, neque quoad Incarnationem, quia non esset realis, eo ipso, quod vnio realis tollitur: Ergo aliquæ relationes sunt admittendæ in rebus.

§. 19. Respondit. Verum esse, quod circumscripto omni opere intellectus Cœlum est sursum, manus est dextra, & ille est Pater, & hic Filius, sed non quidem propter actualem habitudinem, quæ existat in rebus; sed propter hoc, quod res sunt in potentia propinqua ad huiusmodi habitudines .... & ea, quæ sunt in potentia vltimate in rebus dicuntur realiter denominare, quia imperceptibilis est reductio eorum in actu, per intellectum, & quia non percipit hoc intellectus, ideò videntur esse in rebus sine opere intellectus .... vnde de omnibus istis cum dicitur de aliquo, quòd est realiter Pater, vel idem realiter sibi ipsi, intelligitur quod habet realiter fundamentum Paternitatis, & fundamentum identitatis, vt statim intellectus cogatur ad reducendum habitudines istas in actum, non vero realitate Paternitatis, neque identitatis.

§. 20. Ad alteram obiectionem respondit, quod Creaturæ dependent à Deo conseruante. Conseruatio autem non est sola habitudo, aut respectus de genere relationis, immò est ipsum conseruari, vel accipere esse à Deo continuè secundum aliquos, aut fortè aliqua alia operatio, secundùm quam Creatura manutenetur. Dependentia ergo creaturarum realis est, & arguit, quòd prædicamentum actionis, & passionis sit quid reale, non autem de prædicamento relationis. Deinde negat, existentiam Christi in Eucharistia esse respectum præsentialitatis, & quod vnio Verbi ad naturam humanam sit habitudo de genere relationis, sed illam dicit esse potiùs quidditatiuam vnitatem. [Sed hæc de vnionibus iam satis diluerat Gabriel supra §. 14.

§. 21. Instabis ex communi Philosophorum, atque Theologorum consensu, qui diuidunt Relationem in Realem, & Rationis, quod perperam fecissent, si omnes essent relationes apprehensæ. Insuper, Aristoteles corrigit definitionem Platonis, qua dicebatur relatiua esse, quæ *aliorum dicuntur*. Docetque, dici debere *quæ aliorum sunt*: ergo relatiua realiter habent *esse ad aliud*, & non solum intelligi, vel dici. Confirmatur. Quia alioqui non differrent relatiua secundum *esse*, & secundum *dici*, cuius oppositum seriò docet Philosophus.

§. 22. Respondet. Distinctionem illam famosam Relationum esse de rebus, quæ sunt in propinqua potentia, ita, vt intellectus subitò, & quasi vnica transmutatione imperceptibiliter reducit eas in actu, sicut similitudo, Paternitas, & similia, quæ circa res concipit intellectus de necessitate etiam subito, & quasi experitur primo aspectu; esse in rebus, tales autem relationes appellantur reales. Alia vero Relatiua rationis, dicuntur, quia in rebus non habent fundamentum propinquum, nec sunt in potentia vltima, sicut patet de sinistro in columna, hæc non format intellectus nisi ex collatione ad aliquid aliud, vnde non apparet primo aspectu esse in re, immò quilibet statim discernit, quod sunt ab opere intellectus; & idcircò appellantur secundum rationem.

§. 23. Vrgebis: Ergo vtraque Relatio est quid fictum, seu est secunda intentio, quod est contra Commentatorem 11. Metaphys. Comment. 19. Vbi affirmat, Relationem esse debilioris entitatis præcæteris Prædicamentis, ita quòd quidam putàuerint, ipsam *esse de secundis intellectis*, id est esse entia rationis, seu secundas intentiones: Ergo id affirmandum non est.

§. 24. Respondet, quod secundæ intentiones non sunt in rebus nec actu, nec in potentia propinqua; sed tantum in remota mediantibus primis intellectis, habitudines verò sunt in rebus in propinquissima potentia, statim enim intel-

intellectus duobus albis apprehensis, assimilat vnum alteri, & ideò Commentator rationabiliter reprehendit illos, qui dixerunt, relationes esse de secundis intellectis. Sic Aureolus, qui multa, eaque varia argumenta, inibi similiter soluit.

§. 25. Hæc aliquantò longiusculè proposuimus, Tum vt videas, non debere supponi, vt certum, quòd à parte rei multa sint similia, æqualia, &c. sine opere intellectus, sed esse difficile valdè id efficaciter probare. Tum etiam, vt propalarem Aureoli sententiam obliuione delitescentis, qui non nisi apud Capreolum citari solet, & occasionem præstarem præclaris recentiorum Peripateticæ Scholæ ingenijs, vt illam solertiùs impugnent, & communem sententiam communiant. Pergo iam ad rationem Sancti Doctoris, quam expendere, atque deffensare nostri nunc est instituti.

Fundamentum, & probatio Diui Thomæ.

§. 26. IAM vero Ratio Thomistica sic formatur. Non potest bonum, & perfectio Vniuersi, vt existentis realiter consistere in opere nostri intellectus, neque in ente rationis. Atqui non solum res absolutæ, sed etiam ordo vnius rei ad aliam constituunt bonum, & perfectionem vniuersi, vt existentis à parte rei: ergo Ordo vnius rei ad aliam in vniuerso non potest consistere in opere nostri intellectus, neque in ente rationis: Sed talis Ordo est ipsissima relatio: ergo eiusmodi relatio non potest consistere in mera mentis apprehensione. Consequentiæ sunt legitimæ: Maior patet, quia vnumquodque dicitur perfectum, quatenùs est ens in actu: ergo actualis perfectio vniuersi non potest consistere in opere intellectus, neque in potentia reducibili ad actum entis rationis. Minor probatur primò. Quia eisdemmet rebus absolutis remanentibus, si tolleretur omnis ordo, quem habent inter se ad constituendum totum vniuersi, non maneret perfectum vniuersum, vt est euidens. Probatur secundò, quia Aristoteles 12. Metaphys. lect. 12. comparat bonum, & perfectionem vniuersi cum bono exercitus, atqui bonum, & perfectio exercitus ex ipso Aristotele consistit etiam in ordine partium exercitus, & in ordine exercitus ad Ducem: ergo etiam ordo vnius partis ad aliam vniuersi constituit bonum, & perfectionem vniuersi. Do verba Aristotelis iuxta versionem Bessarionis Cardinalis: *Perscrutandum etiam est* (inquit) *quonam modo natura vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum, vnum separatum quiddam, & ipsum, an per se, an ipso ordine. An vtroque modo, quem admodum exercitus? etenim benè eius esse in ordine, & dux ipse est, ac magis ipse. Non enim ipse propter ordinem, verùm ordo propter ipsum est. Cuncta autem coördinata quodam modo sunt, &c.* Hæc ille, ex quibus Angelicus Doctor deduxit argumentum quod supra formauimus quæst. septima de Potentia artic. nono, ibi: *Perfectio, & bonum* (inquit) *quæ sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundùm aliquid absolutè inhærens rebus, sed etiam secundùm ordinem vnius rei ad aliam, sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit. Huic enim ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi 12. Metaphys. Oportet ergo in ipsis rebus ordinem quemdam esse, hic autem ordo relatio quædam est. Vnde oportet, in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundùm quas vnum ad alterum ordinatur.* Hæc ille, quæ adeò certa sunt, vt & Subtilis Scotus præter morem hanc eamdem Doctoris Sancti rationem fuerit amplexus in secundo distinct. 1. qu. 4. num. 11.

§. 27. Dices primò cum Aureolo vbi supra. Quod bonum vniuersi dicitur consistere in ordine, non quia ordo relationis sit bonitas vniuersi, sed ipsæ naturæ gradualiter distinctæ, super quas intellectus fondat respectum ordinis, dicuntur facere ad bonum vniuersi. Et est simile huic de bono exercitus Ciuitatis, vel Domus, quod simili modo consistit in ordine, vt Philosophus dicit 12. Metaphys. Manifestum est autem, quod licet Ciuitas benè ordinata reputetur bona, & male ordinata dicatur mala, nihilominùs ordo ille non est nisi ex imperio Ducis, nec habet esse, nisi ex opere intellectus. Similiter, & vniuersum est realiter bonum sicut, & Ciuitas, vel Domus dicuntur realiter bonæ, & tamen, vt hic, & ibi non est relatio ordinis extra apprehensionem. Sic ille ad 3.

§. 28. Dices secundò, cum Suarezio Disput. 47. sect. 1. numer. 14. Quod ordo pertinens ad perfectionem vniuersi tantum est, quod singula corpora in suis naturalibus locis sint constituta, quod quidem absolutum est in singulis, & in omnibus simul dicit coëxistentiam eorum, quod verò adhoc consequatur peculiare accidens, quod sit relatio realis, nihil videtur refferre ad vniuersi perfectionem.

§. 29. Sed contra *primo* (Aureolum impugno) perte bonitas, & perfectio vniuersi dicitur consistere in ordine; non quia relatio sit bonitas, & perfectio illius; sed ipsæ naturæ gradualiter distinctæ: At qui hoc ipsum quod admittis ante omnem operationem intellectus, est bonitatem, & perfectionem vniuersi consistere in ordine relationis, siue rectè, siue oblique: ergo ante omnem operationem intellectus perfectio, & bonitas vniuersi consistit in ordine relationis siue rectè, siue oblique. Discursus bonus: Minorem, in qua est difficultas, facile ostendo. Naturæ gradualiter distinctæ dicunt concretum quod ex natura, & distinctione graduali: Quid enim rogo intelligis per ly *gradualiter*? contra modus est superadditus naturis omnino absolutis, inordinatis, seu non gradualiter distinctis: At qui ipsa gradualis distinctio, quam dicunt eius modi naturæ est ordo relationis importatus in rectò vel in obliquo: Ergo perfectionem vniuersi consistere in naturis gradualiter distinctis ante omnem intellectum, est consistere in aliqua relatione saltem gradualitatis, importatæ in rectò, vel in obliquo. Contra *Secundo.* Quod ordo exercitus, vel Ciuitatis sit ex imperio Ducis, non est

est ratio sufficiens ad hoc, vt talis ordo sit ens rationis, fit enim imperio, & voluntate Ducis tanquam à causis disponentibus extrema referenda: alioqui omnis res artefacta, vt Domus, statua &c. & omnis actus liber imperatus vt ferit bere, currere, canere, &c. essent entia rationis quia prouenient ab intellectuali Idæa, & imperio rationis. Contra *Tertio*: quod intellectus apprehendat, similitudinem statim, ac ponuntur duo alba potius indicat, intellectum conformari cum similitudine obiectiua, in qua conformitate consistit veritas iudicij, quam quod intellectus fingat similitudinem quæ non existit in rebus: Ergo potius intellectus prædicat, duo alba esse similia, quia reuera sunt, quam quòd duo alba sint similia, quia intellectus id iudicat. Contra *quarto* quia vos impugnatis Thomistas dicentes quod si de absoluta potentiâ Deus, separaret relationem similitudinis à duobus albis, illa remanerent alba solum fundamentaliter, & non similia formaliter, impugnatis inquam, & dicitis, illam non fore nisi formalissimam similitudinem eo quod formalis similitudo nil est aliud, quam hoc album habere qualitatem eiusdem rationis ac aliud, proindeque fundamentalem similitudinem falsò intrudi: ergo positis duobus albis iametsi remoueretur omne iudicium intellectus non solum interea consurgeret fundamentalis tantum sed formalissima similitudo.

§. 30. Contra *quinto*, & Suarezii solutionem refello. Nam quod singula corpora sint constituta in suis locis naturalibus, nihil aliud est, quam dispositio eorum secundum exigentiam, seu dependentiam suæ naturæ à loco, vel explica, quæso, quid est constitui in loco naturali? at qui hæc ipsa exigentia loci, seu dependentia à loco fundat relationem realem *Ibi enim est realis relatio, vbi realiter aliquid dependet ab altero, vel simpliciter, vel secundum quid. Et propter hoc scientia est realis relatio ad scibile non autem è conuerso, sed secundum rationem tantum.* (Verba sunt Angelici Doctoris quæst. 7. de potentia art. 1. ad nonum) ergo ipsa constitutio corporum, in qua consistit bonum vniuersi fundat aliquam relationem realem. Contra *sexto* falsò dicit Suarez, quod ordo constituens perfectionem, & bonitatem vniuersi solum sit corporum in suis locis naturalibus constitutio. Probo: Quia alioqui in sola quantitate consisteret tota perfectio, & bonitas vniuersi, quod ridiculum est: locus enim est species quantitatis, & quidem omnium imperfectissima, & accidentia: ergo debet consistere etiam in ordine cæterorum generum. Consequentia est euidens: Immò D. Thomas, qui docuerat, perfectionem vniuersi consistere in ordine, illicò designat ordinem rerum, & contra Suarezium docet, illam non solum poni debere in quantitate. *Ordinatur autem* (inquit ille quæst. citata de potentia art. non) *vna res ad aliam vel secundum quantitatem, vel secundum virtutem actiuā, seu passiuam ex his enim solum duobus attenditur aliquid in vno respectu extrinsecè. Mensuratur enim aliquid non solum à quantitate intrinseca, sed etiam ab extrinseca per virtutem etiam actiuam vnum quodque agit in alterum, & per passiuam patitur ab altero.* Cætera etiam omninò legenda, quia aurea quidem ad institutum concludit tandem: *Et propter hoc Philosophus 5. Metaphys. species assignans relationis, quasdam ponit ex quantitate causatas, quasdam vero ex actione, & passione. Sic ergo oportet quod res habentes ordinem ad aliquid, realiter referantur ad ipsum, & quod in eis aliqua res sit relatio.* Contra septimò. Quia ideo Suarezius dicit, nihil videri referre ad perfectionem vniuersi, quod ad constitutionem corporum in suis locis consequatur peculiare accidens relationis: Quia relatio non esset res per se primo intenta, sed resultaret per accidens, & esset quid ad aliud: at qui etiam actio, aut passio, & omnis motus non sunt res per se intentæ, sed per accidens, & ratione termini producendi, & in ordine ad illum: ergo similiter probaret, motus, & actiones, rerumque generationes nihil referre ad perfectionem vniuersi, quod absurdissimum est. Contra *octauo* Nam falsò supponit, consequi peculiare accidens relationis non nisi ad constitutionem corporum in suis locis naturalibus: etenim ex corporum naturali collocatione solum resultat relatio distantiæ, & indistantiæ, propinqui, vel remoti, & alia huius modi: ergo omnino prætermittit omnes relationes fundatas in actione, & passione, & in mensura, vt sunt rerum omnium generabilium relationes causæ, & effectus, producentis ad productum, scientiæ ad obiectum, &c. quæ perfectionem vniuersi afferre vel cæcus videat. contra tandem *nono* quia coexistentia duorum est formalissima relatio primi generis fundatur enim in vnitate temporis rerum existentium, seu simul durantium, ergo falsè supponit, coexistentiam corporum in suis locis naturalibus esse quid absolutum.

THEOREMA III.

Expenduntur cæteræ rationes Thomisticæ quibus relationes reales creatas dari suadetur.

§. 31. IAm verò primum communis sententiæ argumentum à Diuinis Relationibus petitum, quod Poncius vt inefficax supra reiecit §. 9. nunc multò robustius apparebit, quam suum. Hæc enim est legitima illatio à posteriori. Dantur in Deo relationes reales: ergo etiã dantur in creaturis: quoniam Fides Ortodoxa ex Paternitate creata, & filiatione, quas videt increatis realiter fundari in generatione, & natiuitate viuentium, facilè percipit, quod Paternitas Diuina adhuc secundum vltimum conceptum relationis, quem exprimit ratio *Ad* etiam est quid reale, & positiuum, & sic alia ad genus relatiuum spectantia commodius explicat in hoc Mysterio iuxta illud Apostoli *Inuisibilia Dei &c.* Tollit igitur, vel luxat naturale fundamentum Fidei Trinitatis qui relationes negat creatas, vt benè obseruauit Illustrissimus M. Arauxo lib. 5. Metaphys. quæst. 3. artic. 1. num. 2. Cæterum Tellezius disput. 42 sect. 1. dicit, nimis rigorosè affirmari ab hoc Autore, negantes Paternitatem realem fundari in generatione actiua creata (hæc enim solum dixerat ille) *labefactare, aut debilitare funda-*

fundamentum nostræ Fidei quia habemus (inquit) firmius fundamentum. At vero fallitur Teliezius qui quidem nullum assignabit in creaturis firmius fundamentum: neque enim Arauxus loquebatur de fundamento super naturali, seu Prophetico, sed de eo, quod creaturæ exhibent ad credibilitatem illius Mysterij, vt patet ex mente, & verbis eiusdem artic. 2. num. 8. [Rursus intellectus (inquit) fide instructus non inueniret in relationibus creatis fundamentum, ex quo manu duceret ad credendum Diuinarum personarum constitutionem, distinctionem, & oppositionem ex proprijs relationum *realitatibus prouenientem*] vnde etiam contraria sententia meritò censetur ab Albertino periculosa in Fide. Quia (inquit) sequeretur, posse negari relationes Diuinas, & à M. Arauxo *erronea* appellatur.

Addo etiam, negantes relationes reales increatis non solum tenere sententiam, ex qua sequeretur, posse negari relationes Diuinas, vt Albertinus deducit, sed de facto (vt aiunt) & re apse in eiusmodi errores inciderunt circa relationes Diuinas realiter idemtificatas cum Deo, easque dixit, esse extrinsecus assistentes, & affixas, eo quod sibi persuaserat, relationes creatas secundum conceptum *Ad*, & peculiarem rationem relationis nullam dicere realitatem: ergo hæc sententia non solum potest inducere suos Patronos in hæreses circa Diuinas relationes, sed de facto iam non paucos induxit: nempe Theologos Porretanos, quos memorat S. Doctor quęst. 8. de Potentia artic. 2. ergo negare realitatem creatæ relationis est debilitare, seu tollere fundamentum naturale, quo Theologus, vel Metaphysicus manu ducitur ad explicandum constitutionem, distinstionem, & oppositionem Diuinarum personarum, vt M. Arauxo inferebat. Consequentiæ sunt liquidæ: Antecedens traditur clarissimè à S. Doctore 1. parte q. 28. artic. 2. *Dicendum* (inquit) *quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse; sed errorem suum post modum in Rhemensi Concilio reuocasse. Dixit enim, quod relationes in Diuinis sunt assistentes, siue extrinsecus affixę.* Pergit, et rem Theologicam satis Phylosophicè, immò Angelicè explicans, hæc subdit: *Si igitur consideremus etiã in rebus creatis relationes secundum id quod declarationes sunt sic inueniuntur esse assistẽtes, non intrinsecus affixæ quasi significantes respectum quodam modo contingentem ipsam rem relatam prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretue relatio secundum quod est accidens; sic est in hę rens subiecto, & habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus considerauit relationem primo modo tantum.* Hæc ille. Vides, Doctorem Angelicum pro causa erroris Gilberti assignasse, quod non considerauerit in telatione quod *sit accidens in hærens subiecto, & habens esse accidentale in ipso*: sed solum considerauit significationem tendentiæ in aliud, quatenus nullam dicit realitatem in subiecto: Ergo negantes realitatem relationis in subiecto eiusmodi erroribus fuerunt obnoxij.

§. 33. Nec prorsus valet effugium Suarezij, à quo fortasse suam Poncius delibauit instantiam) ait enim num. 13. Argumentum à Diuina Paternitate sumptum non esse multum efficax: quia Paternitas Diuina non est prædicamentalis neque resultans, vel consequens generationem, sed potius constituit personam, quæ est generationis principium, & ita sicut substantialis est, potius existimari debet quasi transcendentalis, vnde ex huiusmodi relationibus non possunt, colligi relationes prædicamentales, sed ad summum respectus reales transcendentales.

§. 34. Non valet inquam, contra est enim primo: Relatio Diuina tametsi propter suam infinitudinem æquiualeat formæ substantiali, et personalitati constituenti Patrem æternum, eo ipso etiam æquiualet nostræ relationi prædicamentali: ita quidem, vt in priori signo, in quo Paternitas Diuina obit munus constituendi personam, non dum censeatur referre Patrem ad filium in actu exercito quousque supponat generationem tanquam rationem fundandi, atque in hoc signo posteriore intelligitur referre Patrem ad Filium exercitè, vt communiter docent Theologi, & quantum ad hoc omninò conuenit cum nostra relatione prædicamentali: Ergo male infert Suarez, eo quod Diuina Paternitas ob suam infinitudinem æquiualeat relationi transcendentali, quod ab ipsa non benè colligatur prædicamentalis, cum ob eandem infinitatem non minus æquiualeat prædicamentali, quam transcendentali relationi: Contra *secundo* Ergo neque relatio transcendentalis colligi potest ex relationibus Diuinis, quod est contra te: Probo. Ideo perte non colligitur prædicamentalis; quia Diuina paternitas æquiualet transcendentali, at qui etiam æquiualet subsistentiæ, & personalitati infinite constituenti personam, quod transcendentali relationi vt tali non conuenit; Personalitas enim, & subsistentia est in ordine ad se, & relatio vt talis in ordine ad aliud: ergo ex Paternitate Diuina neque relatio transcendentalis rectè colligi potest, si prædicamentalis non potest. Contra *tertio*: quia neque intellectio creata rectè colligi poterit ex Diuina intellectione Probo: intellectio Diuina est substantia: ergo solum ęquiualet substantijs creatis, non qualitati intellectionis creatæ: quod est falsum: quod si nihilo minus intellectionem creatam rectè ab increata colligimus, etiam si æquiualeat substantiæ: ergo etiam rectè inferimus relationem prædicamentalem ab increata, esto, quod hæc æquiualeat etiam transcindentali.

§. 35. Denique tertia, & vltima probatio communis sententiæ, quam quidem primo loco proposuerat Doctor Angelicus, reiecitque Poncius §. 12. sic habet: *In nullo prædicamento ponitur aliquid nisi res extra animam existens: Nam ens rationis dicitur contra ens diuisum indecem prædicamenta, vt patet 5. Metaphys. Si autem non esset in rebus exra animam, non poneretur ad aliquid vnum genus prædicamenti.* Sunt verba Diui Thomæ citata quæstione de Potentia art. nono. Et quidem hæc Philosophi auctoritas à Diuo Thoma in argumentum deducta multum ponderis apud Cordatos viros habere debet, cum reuera nec Aristoteles, nec Sanctus Doctor leuiculis vnquam nitantur fundamentis. Porrò cum Philosophus tum contra res absolutas, tùm contra

ens rationis constituerit speciale prædicamentum relatiuorum, non solum deserunt, impugnantque Aristotelem qui relationem dicunt, esse ens rationis, vt Aureolus, sed etiam quicunque docent, eam nihil reale esse distinctum à rebus absolutis, in quibus fundatur, vt Nominales. Hoc enim entymema mihi semper visum est efficax: Relatio nihil est realiter præter absoluta, ergo realiter nihil est relatiuum. Sed de his infra pleniùs agemus, cum de distinctione relationis à fundamento disputabimus.

§. 36. Firmum sit igitur, in rebus dari relationes creatas, quod non futilibus probamus argumentis, quæ si neotericis aduersarijs non videntur euidentiæ, id certè pendimus floici, quandoquidem nec illi pro sua sententia vllas afferunt demonstrationes, vt infrà eorum argumenta diluendo mostrabo: Vt enim benè Rubius notauit in sua vberiora logica q. 2. num. 19. satis est, rationes valdè probabiles afferre, quibus si auctoritatem Aristotelis, ac D. Thomæ, totiusque Scholæ adiunxeris, inuenies profectò, non solum firmem sententiam efficere, sed tanti ponderis futuram apud viros prudentes, & doctos; vt ab ea recedere non liceat sine aliqua singularitatis, aut leuitas notâ. Hæc Rubius.

§. 37. Definiunt communiter relatiua sic *Relatiua sunt quorum totum suum esse est ad aliud se habere*, quæ descriptio relatiuis dumtaxat huius prædicamenti conuenit primo, & per se, idest relatiuis secundum *esse*; excluditque relatiua secundum *dici* quia horum esse, seù ratio formalis tametsi non nullum respectum inuoluat, aut connotet, & tamen in se res, quædam absoluta, & non ipse respectus vt supra ex D. Thoma explicabamus §. 2. abstactim verò sumpta relatio sic describitur: *Est accidens reale formaliter, vnum in aliud ordinans*, quod secundum conceptum *In* id est accidentis omninò suam explicat realitatem quia esse, & realitas accidentium est in esse, at verò quatenus dicit *Ad*, quæ quidem est propria ratio relationis, illam non explicat, qua propter nonnulli dixere, relationem secundum illum vltimum conceptum *Ad* importare quid rationis, & fictum, quod omninò longè ab est à sententia D. Thomæ: sed quia eiusmodi error imputari Caietano solet à non nullis, rem oppotter explicare, & Thomistam egregium ab impostura defendere.

THEOREMA IV.

Caietanus à non nullorum impostura liberatur, & obscuro D. Thomæ loco fax adhibetur.

§. 37. MAgister Bañes 1. par. q. 28. art. 1. Suarez lib. 5. cap. 1. Vasquez Disput. 114. Hurtadus Metaphys. disput. 15. sect. 4. §. 49. & alij Caietano tribuunt quod art. 1. prædictæ quæstionis docuerit, Diuinas relationes quatenùs dicunt rationem *Ad* non esse aliquid reale. Præbuit occasionem huic imposturæ locus ille difficilis D. Thomæ 1. par. qu. 28. artic. 1. aientis *Quod solum in his, quæ sunt ad aliquid inueniuntur aliqua secundum rem, & aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem. Quod non est in alys generibus: quia alia genera (vt quantitas, & qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens; Ea verò, quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud*, id quod sæpè aliàs docuerat ille quodlibeto primo, quæst. 2. art. 1. & quodlibeto 9. q. 2. art. 3. atque etiam in primo distinct. 20. quæst. 1. art. 1. quibus sentire videtur, relationis propriam rationem esse quid abstrahens ab ente reali, & rationis, quod Caietanum dicunt, affirmasse.

§. 38. Cæterū relatio tametsi accidens quoddam sit, dicatque essentialiter conceptum *in*, quod quidem omnibus etiam accidentibus absolutis commune est, tamen non explicat hanc suam realitatem per conceptum formalem *Ad*, ideoque dicitur à D. Thoma secundum conceptum proprium, & peculiarem relationis non inhærere subiecto, non facere compositionem cum illo, non dicere realitatem &c. Quoniam illa formalitas, secundum quam exprimit propriam rationem relatiui idest dicendi *Ad*, non exprimit inhærentiam: sed verò hic modus significandi relationem non tollit quod illa adhuc secundum illam formalitatem sit quid reale, simpliciter subiecto inhærens: sicut etiam cum albedo v. g. significatur abstactim, & per modum per stantis, non ideò non est accidens realiter, & secundum rem significatam inhęrens: & ratio est, quia conceptus *In* qui constituit realitatem relationis, non dicit *In* absolutum, sed *In* simpliciter relatiuum, non sistit in inhærendo, sed inhærendo subiectum refert ad aliud, itaut simul semelque referendo inhæreat, & inhærendo referat. Nec ex eo, quod in conceptu *Ad* non exprimatur, aut reluceat realitas inhærentiæ sequitur bona consequentia: Ergo relatio secundum conceptum *Ad* non est ens reale. Committitur enim fallacia accidentis à modo significandi ad rem significatam, de secundum quid ad simpliciter: equidem etiam ea parte, quatenùs terminum respicit realis est, atque (vt etiam ad verbijs M. Ioannis à S. Thoma vtar) *ibi* realitatem habet, quamuis non *indè*: nec aliud vult Sanctus Doctor vt sese explicuit quæst. 8. de Potentia, art. 2. *Quidam attendentes* (inquit ibi) *modum significandi in relatiuis dixerunt, ea non esse inhærentia subiectis, sed quasi eis assistentia, quia significantur vt quoddam medium inter substantiam, quæ refertur, & id, ad quod refertur, & ex hoc sequebatur, quod in rebus creatis relationes non sunt accidentia, quia accidentis esse est in esse*: deindè non nullis de re Theologica inter iectis subdit. *Sed ad hanc opinionem sequitur, quod relatio non sit res aliqua, sed solùm secundum rationem omnis enim res, vel est substantia, vel accidens: Vndè etiam quidam antiqui posuerunt, relationes esse de secundis intellectis, vt Commentator dicit*, idest relationes esse secundas, intentiones. Item quodlibeto nono supra citato hæc habet: *Et quamuis ad aliquid* (idest relatio) *ex ratione sui generis non habeat, quod ponat aliquid; non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione quod nihil ponat, quia sic nulla relatio esset aliquid in rerum natura, vndè ad aliquid non esset vnum de decem generibus &c.* Hæc eadem tradit in primo ad Anibaldum distinct. 26. quæst. 2. artic. 1.

§. 39. Ex dictis autem patet, quàm sit expressa mens, & sententia D. Thomæ, quod for-

malitas vltimo constituens relationem prædicamentalem idest conceptus *Ad*, est quid reale, & nullatenùs quid fictum secundum ratione, & iure potiore in Diuinis relationibus alioqui enim, *sequeretur quod distinctio personarũ non erit realis, quod est hæreticum*, vt idem S.Doctor rectè infert qu.8. supra indicata; ac proindè contrarij contrarium opinantes, idq; ex doctrina eiusdẽ Doctoris colligi arbitrantes seuerè increpat M.Flandrensis vocatque *Thomistas nomine, & non re, qui antequam ad discere sciuerint, alios docere præsumunt*. Caietanus igitur à prædicto errore prorsus ab est, & toto cœlo distat quoniam conceptum *Ad* qui est formale constitutiuum relationis prædicamentalis dupliciter concipit: primò secundum rationem communissimam essendi *Ad aliud* præcisè, & indeterminatè sumptam, quæ quidem in hac latitudine conuenit analogicè cum relationibus rationis, ac proindè sub ea præcisione non est determinatè realis, sed *permissiuè*: vt ipse loquitur, in determinatèque, & realem, & fictam confundit intellectus. Secundo concipit prædictam rationem *Ad* vt constituit relationes determinatas. V.g. Paternitatis, Filiationis, &c. non iam sub illa communissima anologia, & præcisione, & sic illam docet, esse aliquid reale, illum audi §. *Ad has dubitationes*. Vbi satis apertè se se explicat. *Propterea* (inquit) *cautè loquendum est, nam aliter loquendum est de speciebus, & vniuersaliter de relationibus necessariò realibus ex proprijs rationibus, vt Paternitas, & Filiatio, & alia huiusmodi; & aliter de relationibus absolutè, istæ enim significant tantum ad aliquid; illæ verò ad aliquid reale*. Hactenus Caietanus, quæ sanam, & veram continent doctrinam, quamuis Bañesius dicat, eam nimia peccare subtilitate.

§. 40. Pergo nunc ad explicationem Diui Thomæ, qui prædictis locis assignat discriman inter relationem. & alia genera accidentium, quod in sola relatione reperitur speciale hoc quod sua propria ratio scilicet respectus *ad* inter dum sit realis, interdum per rationem tantum. Premit etenim communis obiectio. Nam vel S.Doctor loquitur de Relatione prædicamentali, vel de Relatione analoga, quæ abstrahit à reali, & rationis. Si loquitur de prima, falsum est, quòd in Relatione Prædicamentali ratio constitutiua sit ens rationis, seu quod relationes rationis collocentur in Prædicamento; immò contra ipsum D. Thomam, vt patet ex dictis §.35. & §. 38. Si loquitur de secunda, verum est, quòd in relatione sic abstracta inuoluatur relatio realis, & etiam rationis, falsum vero est discrimen assignatum à D. Thoma, scilicet, quòd hoc solùm reperiatur in relatione, quandoquidem etiam fingi potest quantitas, vt solet in spatio imaginario, qualitas, vt tenebræ aerem de nigrantes, &c. Ergo etiam in alijs generibus reperitur ratio eorum ficta per rationem.

§. 41. Prima ergo solutio sit Caietani iuxta ea, quæ supra ex eius mente explicuimus, dicit, D.Thomam loqui de Relatione prædicamentalis, cuius propria ratio constitutiua est duplex, vna superior, & in adæquata per quam distinguitur ab omni ente absoluto, scilicet esse ad aliud, quod quidem sub ea præcissione conuenit analogicè cùm relatione rationis, altera est determinata, & conuertibiliter adæquatè cùm ipsa relatione prædicamentali, per quam non solùm distinguitur à generibus absolutis, sed etiam à relationibus rationis, quod est *Ad reale*. Deindè negat, hoc posse reperiri in alijs Prædicamentis, quia cum Relatio in communi diuiditur in realem, & rationis, diuisio fit iuxta Caietanum in veras relationes, (nam relatio in ratione est vera relatio, non autem Rosa in ratione, neque angulus in ratione: *Nec distinctio* (inquit) Rosæ in esse naturæ, & esse rationis est distinctio diuersarum quidditatum, quarum vna sit ens reale, & *altera sit ens rationis, vt in relatione contingit; sed est distinctio vnius, & eiusdem secundùm diuersos modos essendi silicet simpliciter, vel secundum quid*. Sic ille. Cui sub scribunt Mag. Araujo PP.Complutenses M.Parra, & alij, quæ autem contra hanc solutionem vulgò obijciuntur, infra diluemus.

§.42. Secunda solutio est Mag. Bañesij, quem sequitur Mag. Ioannes à S.Thoma quæst.17. artic.2. aiens, D.Thomam loqui de relatione in tota sua latitudine, vt abstrahit a reali, & rationis, non enim dixit (inquit) quod in Prædicamento *Ad aliquid* inueniantur aliqua secundum rationem, sed absolutè dixit *In his, quæ sunt ad aliquid*, quibus indicat, se non loqui de relatione, vt est genus, quod deberent (subdit prædictus Author) aliqui attendere, qui minùs soliciti legunt S.Doctorem.

§. 43. Sed contra primò. Et vt ab hoc vltimo incipiam, ægrè credidero, Mag.Ioannem à S. Thoma magis solicitè legisse S. Doctorem, quam Caietanus.

——— *Credat Iudæus Apella;*
Non ego ———

Contra secundò. Quia D. Thomas expresè dicit: *Quod non est in alys generibus, quia alia genera, vt quantitas, & qualitas, &c.* Ergo comparat genera cum generibus, quid enim speciale doceret ille, si diceret genus reale non esse ita commune enti rationis, sicuti ratio analoga, quæ abstrahit ab ente reali, & rationis? id enim esset tam ridiculum, quam aduertere, quòd ens reale minùs extenditur, quam Ens in tota sua latitudine prout abstrahit ab vtroque. Contra tertiò, quia solicitudo Caietani in legendo D.Thomam satis apparet ex his, quæ ille scribit præuensens solutionem Ioannis à S.Thoma: *Si dicatur* (inquit) *quod hic non est sermo de Ad aliquid, vt est vnum genus, sed vt est analogum quoddam ad omnia relatiua*. (Ecce solutio Mag.Ioannis:) *Repellitur* (inquit Caietanus) *hæc responsio ex littera distinguente Ad aliquid contra alia genera. Constat enim, distinctum contra genera vnum ex generibus esse*. Ergo Caietanus non minùs solicitus legerat S.Doctorem.

§. 44. Tertia solutio est Doctoris Suarezij supra sect.3.num.5. explicat discrimen traditum à D:Tho. per hoc quod solum quòd natura relationis realis est talis, vt per similitudinem, & proportionem ad illam possint entia rationis per modum relationum confingi ab intellectu cum aliquo fundamento in re potiùs, & faciliùs quàm

quàm per modum quantitatis, & qualitatis, &c. non quia D. Thomas sentiat, quòd in relatione rationis sit vera habitudo, neque verum esse ad aliquid, cum solùm apprehendatur, ac si esset ad aliquid.

§. 45. Sed contra primò. Explicatio hæc prolibito conficta est, & facilitate, quam dicitur, eadem euanescit. Nam vt benè aduertit Illustrissimus Mag. Arauxo, nemo vnquam experietur, suum intellectum faciliùs confingere relationes, quàm cætera entia rationis; quinimmò contrarium se expertum esse testatur ipse in secundis intentionibus, quæ sicut abditissimæ, & à rebus abstractissimæ sunt, ita difficiliùs ad inueniuntur: Ergo talis maior facilitas, fingendi commentitia est. Contra secundò. Intellectus noster æquali pollet virtute confingendi quodlibet, ita vt Suarezius teneatur assignare, vndè proueniat eiusmodi inæqualitas virtutis fictiuæ saltem ex parte ipsius intellectus adhoc, vt potiùs, & faciliùs relationes confingat, quod ille non præstiterit: ergo. Contra tertiò. Quia cum D. Thomas absolutè negauerit, quòd secundum propriam rationem aliorum generum detur aliquod ens rationis. Certè nec eius mens explicatur, nec nodus discriminis soluitur dicendo, quod etiam in alijs Generibus similiter dantur entia rationis, minùs facilè tamen conficta, quàm relationes rationis: Ergo solutio hęc potiùs pugnat cum D. Thoma, quam illum explicet.

§. 46. Quarta solutio, & quam multum laudat Hurtadus, est Gabrielis Vasquesij tom. 1. 1. par. Disput. 144. aientis, S. Thomam solùm esse loquutum de relatione rationis non in re, sed tantum in voce, & conceptu. Nam intellectus fingens relationem, refert per suos actus vnam rem ad aliam, & sic illam dicitur referre, & videtur imitari hoc prædicamentum, at vero intellectus faciendo entia rationis, non dicitur quantificare, & substantiare, &c.

§. 47. Sed contra primò. Nam falsò, & contra S. Thomam supponitur, nomen Relationis esse æquiuocum relationi reali, & rationis (id quod ebiberat Vasquezius à Mag. Heruæa, qui nullam nisi in nomine eorum conuenientiam admittit,) est autem nomen analogum proportionaliter vtrumque significans: ergo S. Thomas non fuit loquutus solum de voce, & conceptu relationis. Probo antecedens. Præter hoc, quod eodem nomine significantur relatio realis, & ficta, habent hoc ampliùs, quòd assimilentur in re significeta, quæ est esse *Ad*, seu respectus ad terminum. Et quidem *esse Ad* formaliter in suo conceptu nihil aliud dicit, quàm respicere terminum, nam quod sit reale, vel rationis, iam accidit respectui, vt tali formaliter considerato, idque prouenit à modis contractiuis, patet hoc, quia esse reale non est intra latitudinem respectus, vt respectus expressè cognitus est: Ergo præter conuenientiam in nomine relatio realis, & ficta habent aliquid commune analogum, de quo loquitur S. Doctor. Contra secundò. Malè, & ferè pueriliter constituis discrimen assignatum à Diuo Thoma in eo solùm quòd intellectus dicatur, per suos actus vnam rem ad aliam referre, at verò faciendo alia entia rationis non dicatur *quantificare*, & *substantiare*, *&c.* Malè inquam, qui si fingens Chymeram, facit substantiam Draconis, Leone mixtam, quid prohibet quòd dicatur intellectus Chymeram substantiare, si venia sit verbo? & si lineam fingat infinitam, quidni dicatur intellectus eam infinitè quantificare? Ergo prædictum discrimen non in eo dumtaxat consistit, quòd intellectus non dicatur substantiare, quantificare, &c.

§. 48. Igitur Caietani explicatio vera est, & rem acu tetigit, cui subscribo, nec in meritò illa ratio *Ad* analogicè conueniens rebus ita diuersis, vt sunt ens reale, & rationis, dicitur ratio propria relationis prædicamentalis, est enim primum, & essentiale distinctiuum illius ab omni re absoluta, quamuis per *Ad reale* rursùs à relatione rationis distinguatur tanquàm per adęquatam, & conuertibilem eius rationem. Hoc est illud inadæquatum, & proprium Relationis prædicamentalis, quod suprà Dissert. §. 14. dicebamus conuenire Deo, & Creaturæ, id est Paternitati Diuinæ, & Creatæ, enti reali, & ficto cuius consideratione explicuimus Augustinum docentem, Filiationem Diuinam *esse in Prædicamento relatiuo*. Discrimen autem Diui Thomæ omninò verum est. Nam substantia, quantitas, & qualitas, vt apprehensæ, seu fictæ non sunt entia rationis obiectiuè; sed subiectiuè tantùm, vt liquet exemplis Caietani de Rosa apprehensa in hyeme, & de Homero in opinione, quorum nulla est quidditas ficta, sed modus existendi dumtaxat in intellectu diuersus. Vide etiam Mag. Ioannem à S. Thoma, qui scitè explicat, cur non detur substantia ficta, & relatio ficta detur §. *Quando verò*. Quorum potissima ratio est, quam tradit Sanctus Doctor nempè quia quantitas, qualitas cæteraque accidentia secundùm propriam rationem præseferunt suam realitatem, significant enim *aliquid alicui inhærens*, quod non est intelligendum ita, quod inhærentia, seu *esse in* sit propria ratio vnius cuiusque, nam potiùs illa communis omnibus est, eaque transcendens: Sed quia non solùm absolutè, & secundum rem significatam sunt entia realia; sed etiam secundum expressum modum significandi dicunt diuersos modos afficiendi substantiam, seu quasi differentias inhærendi, quamobrem non exhibens fundamentum, vt intellectus confingat entia rationis quantitatis, qualitatis, &c. sicut præstat relatio ex ea parte, qua solum dicit *Ad* nullam exprimendo realitatem, vndè arripit ansam intellectus, vt eodem conceptu realem cum ficta confundat, vt benè discurrunt P P. Salmanticenses Carmelitæ Tomo 2. Tract. 6. Disput. 4. dub. 2. §. 4.

§. 49. Patet etiam prædictum discrimen (vt nostrum etiam Lapillum in Mercurij aceruum iaciamus) rectissimè enim dicitur, ex entibus rationis solum inueniri relationem; & non alia prædicamenta: quia solùm de relationibus rationis doctrinaliter disputatur, æquè sunt obiectum

ctum scientiæ realis, & artium, vt Dialecticæ, Rectoricæ &c. agimus seriè de secundis intentionibus, easque à supremo genere relationis rationis tanquam à prædicamento alterius ordinis deducimus, secamus per differentias, distribuimus in species, &c. Ast verò de substantia. de quantitate, & qualitate fictis nullus sermo scientificus, nec mentio, nisi vt exempla Chymeræ. &c. exhibeamus.

§. 50. Rursus reor, hoc discrimen rectè assignari, quia prædicamentum relationis in tota eius amplitudine, & vt relationis tertij generis ambit, non nisi relationibus rationis complectur; non quidem quia relationes rationis per se collocentur in prædicamento, id enim in Schola Aristotelis est prorsùs intolerabile; sed quia termini relationum non mutuarum sunt omnes respectiui relatione rationis: sic scibile refertur relatione apprehensa ad scientiam, sensibile ad sensum, Deus ad creaturam, &c. vt infrà pleniùs docebimus; iam verò dum Thomistæ asserunt, omnem relationem prædicamentalem terminari ad respectiuum, & nullatenus ad absolutum, contra Scotistas, non nisi per terminos relatione rationis respectiuos suam possunt expedire sententiam. Admiscetur igitur inter prædicamentales respectus necessariò relatio rationis, vel vt quid connexum cum illis, vel quasi resultantia quædam multùm ad huius prædicamenti naturam explicandam necessaria; quod minimè reperies in prædicamentis quantitatis, qualitatis &c, neque enim quantitas ficta complet vllum genus quantitatis, neque in illius scientifica notitia necessario admiscetur, vt fit in relatione rationis connexæ cum prędicamento *ad aliquid*, qua propter, & magni nominis Thomistæ eiusmodi relationes quasi reductiuè ad hoc prædicamentum vt patergon quoddam, seù appendicem venire docuere non insipidè. Hùc aduoco Thomistarum in re Philosophica Principem M. Flandrensem Metaphys. lib. 5. quæst. 16. art. 14 [*Et sic relatio* (inquit) considerata secundum eius propriam rationem non dicit aliquid reale vt sic, nec etiam dicit ens rationis, sed abstrahit ab vtroque. Et talis ratio potest dici propria per reductionem, ex eo, quod illa relatiua rationis, quæ referuntur, quia alia referuntur ad ipsa; & non quia ipsa referuntur ad alia, aliqualiter reducuntur ad relationem prędicamentalem ratione alterius extremi, in quo *est relatio realis*] Hæc ille, quæ & clariùs explicuerat Articulo octauo ad primum. Vbi loquens de relatione scibilis ad scientiam, quæ ficta est, hæc subdit [*Non tamen est* intelligendum, quòd contineatur sub tertio modo relationis secundum quod est rationis; sed secundum quod est realis in altero extremorum. Vndè propter hoc decepti sunt aliqui credentes, quòd relatio rationis continetur sub genere, seù *prædicamento relationis*.] Hactenus Flandrensis.

§. 51. Objicies: Relatio in ratione, seù per rationem ficta non est vera relatio; alioqui esset realis, & non ficta; sed realiter referret: ergo est purum nihil, & conuenire non potest analogicè cum ente reali, proindeque falsò dicit Caietanus, quòd relatio in ratione est vera relatio, & quòd esse in ratione non est conditio diminuens. Nego antecedens, nec Caietanus sumit veritatem pro entatiua, quæ cum realitate conuertitur, sed tantum pro veritate formali, & obiectiua; sic genus verè est vniuersale, & non realiter sic definitio verè est clarior suo definito, & non realiter &c. Relatio igitur rationis verè est relatio quia proportionali similitudine refert in intellectu Deum ad creaturas, sicut creatura refertur ad Deum. Concedimus tamen Suarezio, quod relatio rationis est nihil: idest nihil reale; sed non ideò est purum nihil: quia obiectiuè, & cum fundamento in re existit saltem secundum quid in intellectu, ibique exercet suum actum referendi: potest ergo ens reale conuenire analogicè cum ente aliqualiter, & secundum quid quidditatem habente.

§. 52. Objicies item. Nullus conceptus potest esse communior, quam conceptus entis: sed in conceptu entis non conueniunt analogicè ens reale, & rationis: ergo nec in conceptu relationis conueniunt analogicè relatio realis, & rationis. Nego minorem. Objicies tandem numerus Angelorum est quantitas rationis: ergo non solum in prædicamento relationis inueniuntur aliqua secundum rationem tantum. Etiam nego minorem de numero numerato transcendentali. Nam quamuis intellectus numeret formaliter, non ideò numerus numeratus, idest multitudo Angelorum habet esse obiectiuè tantum in illo, quod ad ens rationis omninò exigitur.

THEOREMA V.

Argumenta contendentia, non dari relationes reales creatas diluuntur.

§. 53. Pleraque aduersariorum argumenta æquè pugnant contra distinctionem realem relationis à suo fundamento, quæ infra suo loco enodabimus. Obiiciunt primo: omne ens reale (excepto Deo) habet aliquid productiuum sui: relatio non habet: ergo non est ens reale. Minor probatur; si aliqua relatio v. g. Paternitas haberet productiuum, aut produceretur ab ipso Patre, aut à termino, scilicet à Filio; sed à neutro producitur: ergo. Probatur, quòd non producitur à Patre; nulla relatio producitur nisi producto aliquo absoluto; alioqui daretur per se motus ad relationem contra Aristotelem; sed Pater nihil absolutum producit in se: ergo. Probatur item, quòd non producatur à Filio, quia nihil Filius imprimit Patri. Sic Aureolus.

§. 54. Respondet communis Schola negando minorem, aitque cum Capreolo quod cum relatio non possit esse per se terminus motus, opportet ad hoc, vt illa producatur, produci aliquod absolutum, ad quod sequatur relatio, & sic per accidens terminet motum; Vndè causa prima, seù remota relationis v. g. similitudinis est id, quod causat vtramque albedinem, vel alterutram. At verò causa efficiens proxima est

fun-

fundamentum, & terminus illam producentia per simplicem emanationem, nec alia excogitanda est eorum causalitas, nec ideò excluditur causalitas formalis; quia terminus in hoc genere causæ etiam specificat relationes. Ad probationem dicunt, illud absolutum, ad quod sequitur relatio, non oportere semper, vt sit in eodem subiecto, in quo est relatio; Vndè Pater producit aliquid absolutum in filio, ad quod sequitur in Filio filiatio, & in Pater Paternitas. Item Filius saltem partialiter etiam concurrit ad Paternitatis productionem; sed Pater principaliter, quia producit illud absolutum, ad quod sequitur relatio. Sic fermè Capreolus.

§. 55. Obijciunt secundo, & potest esse replica contra præcedentem solutionem. Nullum accidens reale aduenit alicui sine mutatione subiecti; sed relatio aduenit denuò alicui absque illius mutatione: ergo non est ens reale. Minor patet quia existente Petro albo, si ponatur apud Indos aliud album, statim Petrus absque vlla illus mutatione incipit, esse similis nouo albo. Probatur & efficacius minor, quæ tradit expressè Aristoteles aiens, *ad relationem non dari per se motum* quinto Physicorum Text. 10. atque item D. Thomas lect. 3. *Nihil (inquit) aduenit mihi denuò per hoc, quod incipio esse alteri æqualis per eius mutationem*, id quod etiam docet 3. par. quæst. 16. art. 6. ad 2.

§. 56. Respondet vtraque Schola concessa maiore de mutatione in omni eius latitudine, negando minorem; ad cuius probationem dicit, Aristotelem loquutum de motu per se, quin neget motum per accidens terminatum ad relationem, res est clara; eamque ostendit Scotus primò auctoritate simplicij quod sicut relatio non est forma ad se, sed ad alterum ita ille, cui aduenit non mutatur in se, sed mutatur ad aliud: vndè si mutari sumatur communiter pro aliter se habere tam in se, quam ad aliud tunc verè datur mutatio, ad relationem. Philosophus autem solum intendebat assignare prædicamenta, ad quæ datur per se motus, & ad quæ non datur. Secundò quia Aristoteles similiter dixerat ad substantiam non dari per se motum; & tamen pater, quòd ad illam detur mutatio: ergo ex intentione Philosophi non potest colligi nisi quod ad relationem non est per se motus, cum quo tamen stat, quod ad illam detur mutatio. Tertiò ex auctoritate Ambrosij 1. de Trinitate cap. 5. vbi ait: *Si priùs erat Deus, & posteà Pater, generationis accessione mutatus est: auertat Deus hanc clementiam à fidelium mentibus*. Ergo per solam accessionem relationis realis fieret mutatio in persona Diuina secundum Ambrosium, ac proindè relatio mutatione, accedit. Hæc pro Scotistis.

§. 57. Mihi verò nulla videtur esse difficultas in explicandis Aristotele, & Diuo Thoma, eos enim dabo luce meridiana clarius sese pro nostra sententia explicantes: vnde minor, Thomistarum pro ceres Capreolum, Flandrensem, Caietanum, &c. hunc Sancti Doctoris locum non inspexisse, cuius sola consideratione machina aduersariorum funditus diruitur. Audi Aristotelem vndecimo Metaphys. lect. 12. *Si igitur Prædicamenta* (inquit) *substantia, qualitate, loco, facere, pati, ad aliquid, & quantitate diuidantur, tres esse motus necesse est, qualis, quanti, & loci*: ecce genera ad quæ datur per se motus: Deinde subdit: *Secundum verò substantiam, minimè: propterea quod substantiæ nihil est contrarium: Nec eius quod ad aliquid: etenim altero mutato, verificatur alterum nullatenus mutatum, quare secundum accidens horum motus erit*. Nusquam luculentius loquutus Aristoteles: clarissimè docet, ad relationem, seù ad aliquid dari motum per accidens: Accipe nunc Thomam: *ostendit (inquit) non per se esse motum in genere ad aliquid; sed solum per accidens sicuti enim aliquid mouetur per accidens quando non fit motus in eo, nisi quando altero moto, ita & in aliquo dicitur esse motus per accidens, quando non fit motus in eo nisi quodam altero moto, hoc autem inuenimus in genere ad aliquid, quod nisi aliquid alterum permutetur, non verum est dicere, quod in eo fiat permutatio. Sicut non fit de æquali &c.* ponit exempla; & concludit: *Relinquitur igitur, quod in ad aliquid non est motus nisi per accidens*. Hæc ille aduenit ergo relatio ad mutationem termini, vel alicuius rei absolutæ in extremis idest resultat emanatione quadam, quæ dicunt metaphysicam mutationem, ad distinctionem generationis *substantiæ*, augmentationis *quanti*, alterationis *qualitatis, &c.* quæ physicę mutationes sunt, & per se.

§. 58. Obijciunt tertio, omne coniungens aliqua duo si sit ens reale impeditur per aliquam distantiam, vt patet in Actione, & Passione, quæ quia coniungunt agens, & passum requirunt approximationem: sed relatio coniungit relatiua, & non impeditur per quamcumque distantiam nam album in Oriente potest esse simile albo in Occidente: ergo relatio non est ens reale hæc Aureoli ratio proponitur ab alijs per terminos sphæræ actiuitatis, quę in causis debet esse determinata, & certa: ergo &c.

§. 59. Respondent communiter Thomistæ, & Scotici distinguendo maiorem; eamque concedunt de causis per se effectiuis; negant autem de causis formaliter attingentibus duo, nihil ponendo de sua ratione intrinseca in illis (vt loquitur Capreolus in primo, distintione 3. q. 1.) solum etenim in causis per se requiritur approximatio, quippe quæ sua virtute attingere debent immediatè passum: non verò in causis per accidens, & est euidens in Auo, qui per accidens idest per generationem sui filij potest Romæ causare nepotem in Antipodibus. In quacunque igitur distantia ponatur alterum Coalbum, statim consurget per simplicem resultantiam similitudo, quam quidem non per se, sed per accidens elicit causa alborum productiua.

§. 60. Obijciunt quarto contra Relationes Dominij, & seruitutis: id, quod consistit in mutua obligatione, non est; ens extra animam apprehendentem talem obligationem: sed dominium, & seruitus sunt huiusmodi: nam Dominus est obligatus seruo quo ad actus rationis, vt est dirigere, & gubernare; & seruus est obligatus Domino quo ad actus corporis, ergo.

§. 61. Ricardus Lanceus vt huiusmodi Rela-

lationes defendat esse reales, dicit, dominium, & seruitutem realiter consistere in voluntate præterita moraliter perseuerante, hoc est acceptata; & non rettactata, qua Princeps, aut ius gentium, aut ipse seruus titulo aliquo efficaciter se vult subijcere. Metaphys. tractatu 6. cap. 21. num. 304. Contra: Lynceus non inuenit fundamentum reale: Nam omnia quæ assignat, sunt denominationes extrinsecæ, vel mera entia rationis: ergo non possunt fundare relationes reales: quod recte colligit Aureolus: non igitur recedendum à Sancto Doctore.

§. 62. Respondent Thomistæ cum D. Thoma quæst. 7. art. 10. ad 4. Dominium fundari supra potentiam coercendi: quæ (vt bene aduertit Capreolus) si veniat a natura fundat relationem realem: sicut est in aliquibus creaturis: si vero à sola voluntate proueniat, relationem fundabit rationis, qualis est in Deo creaturarum respectu: licet enim omnis potentia in Deo, sibi sit naturalis; hoc tamen quod creaturæ sint, quas possit coercere, dependet à sua voluntate, & per consequens etiam potentia coercendi vt sic. Vnde contra Lynceum habes, quod omnis Dominus per electionem, vel quia quispiam voluntariè eidem subditur, sola relatione rationis ad seruum refertur. Sed de his infra vlterior sermo redibit.

DISSERTATIO XLVII.

Quænam, & quot sint fundamenta Relationis, & de alijs eius diuisionibus.

THEOREMA I.

Data communi Doctrina Protases Thomisticas statuo.

§. 1. REm Metaphysicis Vberius discutiendam Tyroni dialectico qua possumus breuitate perstringemus. Aristoteles 5. Metaphysicæ cap. 15. enumerat tria genera fundamentorum, seù rationum fundandi Relationē. Primum est *quantitas*, quæ explicatur per vnitatem, & numerum. Secundum genus fundandi est *Actio, & Passio*: Tertium est *Mensura, & mensurabile*, quæ omnia luculenter enucleat S. Doctor ibidem lect. 17. omninò videndus. Per quantitatem intellige omnem multitudinem, & vnitatem, siuè numericam, siuè specificam, siuè genericam, Per actionem, & passionem quodlibet genus actionis, & passionis: denique per mensuram intelligè mensuram cuiuslibet perfectionis, quæ à D. Thoma appellatur *mensura veritatis* ad distinctionem mensuræ quantitatis exhibeo exempla. Relationes æqualitatis, vel inæqualitatis secundum quantitatem: similitudinis, aut dissimilitudinis secundum qualitatem: identitatis, aut diuersitatis secundum substantiam primo genere fundamenti fulciuntur. Relationes autem Paternitatis, & Filiationis, producentis, & producti actu, vt etiam productiui, & producibilis in potentia secundo fundamenti genere constabiliuntur, denique relatio imaginis ad proto typum, scientiæ ad obiectum, signi ad significatum, &c. tertio genere fundamenti consurgunt. Nec mensura capienda est secundum quantitatem, quia illa, ad primum genus pertinet, *in quo vtrumque ad vtrinque dicitur* (inquit S. Doctor) *nam duplum dicitur ad dimidium, & dimidium ad duplum: sed secundum mensurationem esse, & veritatis; veritas enim scientiæ mensuratur à scibili, ex eo enim quod res est; vel non est, oratio scita vera, vel falsa est; & non è conuerso; similiter etiam imago dicitur ad id, cuius est imago tanquam mensurabile ad mensuram, veritas enim imaginis mensuratur ex re, cuius est imago, sic ille.*

§. 2. Quapropter alij dicunt, primum genus Relationis fundari in vnitate, & numero, quia vnitas, quæ est principium numeri dicit in diuisionem, & proindè fundat relationes, quæ dicunt in diuisionem, & conuenientiam, vt est identitas in substantia, æqualitas in quantitate, & similitudo in qualitate. Numerus vero, quippe qui dicit multitudinem è conuersò fundat relationes, quæ præseferunt diuisionem, & discrepantiam; vt est diuersitas in substantia, inæqualitas in quantitate, & dissimilitudo in qualitate. Hæc autem vnitas non debet esse necessariò quantitatiua, sed sat est, quod sit transcendentalis: quare cum Aristoteles ait, relationes identitatis, & diuersitatis fundari in vnitate, & multitudine substantiæ: *substantia* capienda est pro essentia quemadmodum capitur in definitione vniuocorum, & æquiuocorum; proindeque non substantia dumtaxat, sed etiam quodlibet accidens prædicamentale ratione suæ essentiæ fundare potest etiam identitatem specificam, & diuersitatem.

§. 3. Ex prędictis apparet satis, fundamentum relationis, siuè rationem fundandi esse debere quid intrinsecum ipsi subiecto relato, vt videmus in similitudine, quæ necessariò exigit albedinem v. g. intrinsecè in hærentem parieti; vnde si relatio mutua sit, debet in vtroque extremo statui duplex ratio fundandi realiter distincta, sicut etiam extrema sunt realiter distincta. Hinc est quod S. Thomas negat, similitudinem, & æqualitatem in Diuinis esse relationes reales: quia scilicet ratio fundandi similitudinem, nempe essentia Diuina non est in vtroque extremo realiter distincta; sed vna, & eadem numero; requirebatur autem ad hoc, vt relatio mutua similitudinis Diuinæ esset realis, quod etiam alterum extremum esset realiter distinctum in ratione fundamenti, quod vt supra admonui, est concretum quid constatans ex subiecto, & ratione fundandi, ac proinde opus erat; quod perfectio essentiæ esset alia in alio extremo, sicut perfectio albedinis est alia in parietibus candore similibus; quod est impossibile. Hinc etiam est, quod quamuis relatio videntis ad obiectum visum sit relatio, & forma realis in vidente; tamen relatio obiecti visi ad animal videns non est realis relatio, neque forma inhærens, sed mera denominatio extrinseca, cuius non alia est ratio nisi, quia visio, quæ est tota ratio fundandi eiusmodi relationes, non est intrinseca obiecto viso, sed residet in animali vidente: quo pacto autem hoc non exigatur in

rela-

relationibus secundi generis; quæ fundantur in actione: Paternitas enim v. g. non fulcitur generatione, quæ subiecto generanti inhæreat, sed quæ in aliud transeat, infra dum obiectiones repellamus commodius explanabimus. Duo nunc restant aliquali discussione digna videlicet: An Relatio fundari possit immediatè super substantiam? Et an supra relationem alia possit fundari relatio? quoad primam partem controuersiæ sit.

PROTASIS PRIMA.

§. 4. PRobabile est in Schola D. Thomæ, Relationem immediatè fundari non posse supra substantiam tanquam in ratione fundandi: nam quod fundetur in substantia tanquam in subiecto, seu fundamento remoto, dubitat nemo. M. Ferrara, M. Mercadus, & alij eius qui Doctores, & ex modernis. M. Ioan. Martinez, M. Dominicus Lynceus, &c. Hæc Sententia habet fundamentum in D. Thoma, qui 3. Physicorum lect. 1. eo probat, relationem super substantia immediate fundari non posse, *quia cum Relatio habeat esse debilissimum, quod consistit tantum in hoc, quod est ad aliud se habere, oportet quod super aliquod aliud accidens fundetur: quia perfectiora accidentia sunt propinquiora substantiæ, & eis mediantibus, alia accidentia insunt substantiæ*. Sic ille: ex quibus habes, quod si relatio immediatè super substantia fundaretur, & esset maximæ entitatis, & omnium accidentium perfectissimum, quod admittit nemo: ergo relatio non fundatur immediatè in substantia.

PROTASIS ALTERA.

§. 5. PRobabilius tamen est, Relationem prædicamentalem fundari immediate in substantia. Sic tenent Caietanus 1. p. q. 28. M. Flandrensis 5. Metaphysicæ q. 16. art. 16. M. Arauxo eodem libro Metaphys. q. 5. art. 5. M. Nazarius q. 13. Complutenses disput. 14. q. 4. & M. Parra tract. 4. dub. 5. §. 2. pro se citans MM. Masium, Sanchezium, & Sonzinatem habet hæc protasis fundamentum in D. Thoma quæst. 7. de Potentia articulo nono: ibi *Per substantiam* (inquit) *& qualitatem ordinatur aliquid ad se ipsum tantum; non autem ad alterum, nisi per accidens, scilicet secundum quod qualitas, vel forma substantialis, aut materia habet rationem virtutis actiuæ, vel passiuæ, vel secundum quod in eis causatur aliqua ratio quantitatis, prout vnum in substantia facit idem, & vnum in qualitate facit simile; Et numerus, siue multitudo dissimile, & diuersum in eisdem*. Hæc S. Doctor ex quibus liquet, non exigi ad rationem fundamenti proximi relationis, quod illa sit vera quantitas, aut actio secundum rem; sed sufficit quod habeat modum, & similitudinem quantitatis, & actionis: at qui substantia habet modum, & similitudinem quantitatis, quatenus etiam in genere substantiæ reperitur vnitas, & multitudo: ergo tamet si in substantia vt tali, & per se nequeat fundari relatio, attamen per accidens, & secundum quod vices obit quantitatis, poterit substantia relationem succollare. Sic substantia dicit relationem creaturæ ad Deum: sic relatio identitatis genericæ, & specificæ in substantia immediate fundatur: dixi autem *genericæ*, & *specificæ* nulla mentione facta identitatis numericę, quia hæc non est relatio realis, sed tantum rationis, id quod egregie animaduertit S. Doctor 1. p. q. 28. art. 1. ad 2. *Relatio* (inquit) *quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis, si accipiatur simpliciter idem; secus autem est, quod dicuntur aliqua esse eadem non numero, sed in natura generis, aut speciei*. Hæc ille: vnde habes, idemtitatem genericam, & specificam esse relationes reales: atqui illæ fundatur immediatè in duabus vnitatibus formalibus substantiæ; igitur in substantia immediatè fundari potest relatio.

§. 6. Hinc facile soluitur argumentum oppositæ sententiæ, ad cuius euidentiam, valdè notandum est, quod quando docemus, vnitatem, & numerum esse fundamenta immediata relationum primi generis, non est sensus, quod eiusmodi relationes immediatè inhæreant ipsis vnitatibus essentialibus; & mediatè subiectis illas habentibus: id enim falsum est, immò impossibile: quia gradus vniuersales, & abstacti nequeunt accidentia sustentare, sed dicimus, illas immediatè quidem inhærere subiectis, idest substantijs indiuiduis, quæ referri dicuntur, quatenus prædictas vnitates formales habent, & sub ratione conueniendi, vel differendi in eiusmodi gradibus substantiæ: vnde tales relationes tametsi in substantia indiuidua fundentur: v. g. in Petro, semper tamen præsupponunt non solum quantitatem, & qualitatem illius; sed & omnia accidentia, quæ ad Petri indiuiduationem concurrunt, quandocunque relatio identitatis specificæ inter Petrum, & Paulum consurgit: id, quod perspicuè docuerat S. Augustinus Categoriarum cap. vndecimo. *Vt hæc Categoria manifestius dignoscatur* (inquit) *hæc via est, qua debemus aduertere, non rectè dici ad aliquid nisi cum singulare ad singulare refertur, ac propterea tunc verè ad aliquid Categoria est, quoties verbi gratia Socratem Chrysippo dicimus esse vultu consimilem*. Hæc ille, quæ ad identitatem similiter, & diuersitatem applicanda sunt. Hinc negandum est assumptum argumenti, nempè quod sequatur, relationem fore magnæ entitatis, & perfectissimum accidens: nam quamuis in substantia fundetur immediate modo superius explicato, supponit tamen omnia alia accidentia substantiam indiuiduantia, eo quod fundetur in singularibus ratione vnitatis, vel multiplicitatis participatæ. Et hęc de prima parte controuersiæ: quoad secundam.

PROTASIS TERTIA.

§. 7. PRobabile est in Schola Sancti Thomæ, vnitatem, & multitudinem transcendentalem ipsius relationis fundare non posse aliam relationem identitatis; aut diuersitatis: tuentur hanc Sententiam M. Ferrara 4. contr. Gentes cap. 11. Sonzinas Metaphys. 5. q. 29. tribuitur Caietano 1. p. q. 42. art. 1. ex modernis PP. Complutenses, M. Ioan. à S. Tho. qu. 17.

art. 2.

art. 2. Illustrissimus M. Godoy tomo 3. disput. 97. §. 9. M. Parra tract. 4. dub. 5. num. 21. & alij censentes, id Sanctum Doctorem expresse tradidisse 1. p. q. 42. artic. 1. ad 4. per hæc verba *Neque iterum* (inquit) *vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod Paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter Paternitatem, & filiationem: quia vtroque modo multiplicaretur in infinitum*, quod repetit q. 45. art. 3. ad 2. & explicatius quæstione 7. de Potentia art. 9. ad 2. Probant etiam ratione: *Primo* à priori: quia docet Diuus Thomas dicto articulo nono relatio essentialiter est relatio: ergo seipsa refertur, & non media alia relatione: sicut quia actio essentialiter est actio, seipsa fit, & non media alia actione distincta; ex stentia seipsa existit, vnio seipsa vnitur, albeido non alia albedine fit alba, &c. Sic cum alijs PP. Complutenses.

§. 8. *Secundo*. Sequeretur processus in infinitum in relationibus. Nam si Paternitas v. g. fundat relationem similitudinis ad aliam paternitatem, etiam fundabit relationem dissimilitudinis ad filiationem, vel ad aliam relationem: Et rursus illa relatio dissimilitudinis fundabit aliam similitudinis ad similem speciem relationis, & relatio similitudinis fundabit dissimilitudinem ad aliam speciem. Et sic alternando in infinitum similitudo fundabit dissimilitudinem ad aliud, & dissimilitudo ad simile. Dices: processum sistere in relationibus, quæ referuntur secũdum eandem rationem: sicut duæ paternitates fundant relationem identitatis, verumtamen relatio identitatis sic fundata non fundat aliam relationem identitatis; sed se ipsa respicit omnem identitatem. Sed contra insurgit M. Ian. à S. S. Thoma. Quia in vna relatione non solum fundatur relatio similitudinis, quæ vtrique seipsa ad alias refertur similitudines: sed etiam fundatur relatio dissimilitudinis; & tunc alternando sequitur processus in infinitum, cum super relationem dissimilitudinis fundemus similitudinem, & super relationem similitudinis fundemus dissimilitudinem: Et iterum commutando inuenimus semper nouam relationem in infinitum, quod ista solutio non euacuat, quæ solum loquitur de relatione vnius rationis. Sic prædictus M. vbi supra, & Albertinus de prædicamento *Ad aliquid*, quæst. 14. eodem ferè argumento vtitur Illustrissimus M. Godoyus. Nonnulli autem ex Nominalistis aliter hunc processum promouent, quibus occurram Dissertatione sequenti. Confirmatur ex eodem Præsule doctissimo Nam relatio similitudinis referri potest relatione effectus ad causam: Sed relatio effectus non est eiusdem rationis: ergo relatione à se distincta indigeret: rursus hæc relatio est similis alteri relationi effectus ad causam, & consequenter posset ad illam relatione similitudinis, & hæc posset relatione effectus referri: ergo non vitatur processus in infinitum.

§. 9. Tertio relatio est debilissimum ens, seu minimæ entitatis inter omnia accidentia: ergo non sufficit ad fundandas alias relationes. Antecedens est commentatoris, & D. Thomæ. Consequentia probatur: nam fundamentum debet esse perfectius eo, quod fundatur: Ideò enim vnum accidens nequit substare alteri sustentando illud, quia non habet perfectiorem modum essendi: at qui omnes relationes sunt æquales in modo essendi relatiuo: ergo vna non potest esse fundamentum alterius. Sic Albertinus, & M. Ioan. è S. Thoma est argumentum Alensis 5. Metaphysicæ Textu 13. quo etiam vtitur M. Lerma, &c.

PROTASIS QVARTA.

§. 10. Longè tamen probabilius est, transcendentalem vnitatem, & numerum Relationis fundare alias relationes identitatis, & diuersitatis. Profitentur hanc sententiam ex Thomistis M. Flandrensis hactenus à nemine citatus 5. Metaphysicæ quæst. 16. art. 10. ad 3. M. Sanchez lib. 4. quæst. 34. M. Oña, quæst. 2. de relatione art. 3. M. Særnas disput. 3. sect. 6. de relatione art. 3. D. Rubius ad cap. 7. quæst. 12. M. Moneda disput. 6. quæst. 4. & alij. Est hac tempestate inter Iuniores communior, doceturque à viris doctissimis, vt testatur Serna, quibus lubens subscribo. Non probatur testimonio Diui Thomæ, nisi efficacibus dumtaxat rationibus: quia S. Doctor in hac controuersia nihil asseruit, nec negauit: falluntur que moderni Thomistę, qui illum verbis supra §. 7. recensitis id expresse negasse affirmant. Ibi enim solum loquitur ille de ipsa actuali oppositione. qua relatio exercita opponitur termino sibi debito, id est ad quem illa est essentialis ratio referendi: Nam ad hoc vt paternitas v. g. opponatur filio, atque filiationi, se ipsa illa opponitur, & alia non indiget relatione oppositionis, alioqui hęc etiam alia indigeret, & sic in infinitum abiretur: Hoc sanè non est dicere, relationem paternitatis non posse fundare relationem diuersitatis ad seruitutem, vel ad Magisterium, &c. sed illam non opponi filio per distinctam relationem, quod ab illo tantum abest, quantum distat Ortus ab Occidente, vt ex ipsis met Thomistis contrarium sentientibus fatetur ingenuè M. Lerma lib. 7. quæst. 21. verba S. Thomæ sole sunt clariora *Cum enim dicimus quod Paternitas opponitur filiationi* (preme nunc sequentia) *oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem quia vtroque modo multiplicaretur in infinitum*, quæ ratio est euidens, immo est demostratio, vt ait M. Sanchez, qui etiam Suarezium sic carpit. *Vnde malè Suarez explicat* (inquit) *Diuum Thomam disputatione 47. quod teneat nullam relationem super aliam posse fundari*: Ergo apud nobiles hosce Thomistas falsum est prorsus. S. Doctorem id negasse. Audi nunc M. Flandrensem, qui vnus pro mille Thomistis. *Dicendum* (inquit) vbi supra) *quod relatio potest accipi dupliciter: vno modo vt relatio, id est vt medium, quo vnum relatiuorum refertur ad reliquum, & sic non refertur ad aliam relatione reali: Alio modo potest considerari vt est vna essentia conueniens cum alia, aut differens ab alia in natura speciei, aut generis, & sic non est inconueniens. quòd vna relatio realis referatur ad aliam, & quod super vna relatione fundetur alia. Nec hoc est*

con-

contra id, quod supra dictum est, articulo quinto. Quia superius erat loquutio de relatione vt relatio; non autem vt essentia in se considerata, vt hic sumitur. Hæc ille.

§. 11. Ferre tamen non possum Cauellum, & Scotistas qui eiusmodi sententiam Diuo Thomæ imposuerunt falsò. Aperiam originem imposturæ. Cum Scotus in 4. dist. 6. q. 10. doceret, Characterem Sacramentalem consistere in relatione contra Diuum Thomam id meritò negantem, ponit quidem conclusionem D. Thomæ per hæc verba: *Hic dicitur, quod character est forma absoluta*, quam probat Scotus quatuor rationibus, quas ad illam probandum adduci dicit: Sed à quo nam Autore adducantur, non dicit. *Ad quod adducuntur quatuor rationes.* Harum secunda ratio sic hàbet: *Relatio non est fundamentum relationis, quia tunc esset processus in infinitum: sed character est fundamentum multarum relationum .... ergo.* Pergit, & infra num. 5. soluit hoc argumentum, dicens, maiorem esse falsam, scilicet quòd relatio non possit fundare relationem. Priùs tamen in scholio ita proloquitur Hugo Cauellus: *Refutat secundam rationem Diui Thomæ ostendens. vnam relationem fundare aliam.* Sed verò fallitur Cauellus, quippe qui D. Thomam hoc loco non vidit, nec legit: Nam Scotus soluit argumenta, quæ ipse è suo cerebro fabricauit, vt in vtramque partem disputaret; rationes verò D. Thomæ non modò non soluit; sed neque meminit, etenim eius modi argumentum nec per somnium venerat in mentem Sancto Doctori.

§. 12. Hæc si egrè credas, & audire cupias rationes D. Thomæ: ecce tibi illas propono in 4. distint. 4. quæst. 1. art. 1. *conueniunt in hoc* (inquit ille) *quod omnes dicunt, per characterem importari relationem triplicem. Est enim character signum distinctiuum, & configuratiuum. In quantum ergo est signum, importat relationem ad signatum: in quantum autem est distinctiuum, importat relationem ad ea, à quibus distinguit: In quantum autem est configuratiuum, importat relationem ad ea, quibus assimilat. Differunt autem in hoc, quia quidam ponunt istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediatè in animâ fundari istas relationes. Hoc autem esse non potest, quia signum per formam, quam sensibus, vel intellectui imprimit, facit aliquid in cognitionem venire.* Ecce prima ratio: *Similiter etiam nihil distinguitur ab alio, nisi per aliquam formam.* Ecce secunda ratio. *Similitudo etiam est relatio super vnitate qualitatis fundata, vt dicitur in 5. Metaphys. vnde patet quod quælibet illarum relationum, quam importat character, requirit aliquam formam substratam, & cum non sit forma substantialis, quia forma substantialis in Sacramentis non datur, relinquitur, quod forma substrata sit qualitas quædam, cuius vnitas consignificationis similitudinem facit.* Ecce tertia: Quartam etiam atteruit non quidem hoc loco, sed 3. p. q. 63. art. 2. ad 3. *Relatio* (inquit) *quæ importatur in nomine signi, oportet, quod super aliquid fundetur: Relatio autem huius signi, quod est character non potest fundari immediatè super essentiam animæ: quia sic conueniret omni animæ naturaliter: Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, & hoc est essentia characteris. Vnde non oportebit, quod sit in genere relationis, vt quidam posuerunt.* Hęc magister Angelicus.

§. 13. Venio iam ad rationes, quibus Scotus probari dicit, characterem non esse relationem. *Prima* est: Mutatio non est nisi ad formam absolutam: ad characterem datur mutatio, vt in baptizato fictè, qui nihil nouum recipit, nisi characterem: ergo *Secunda*: Relatio non est fundamentum relationis, quia tunc esset processus in infinitum: Character est fundamentum multarum relationum: ergo *Tertia* relatio non est potestas actiua, nec passiua: Character est potestas aliqua: ergo *Quarta* in quolibet Sacramento causatur aliqua relatio; & tamen in quolibet non imprimitur character ergo character non est talis relatio. Confer quæso amice lector hæc argumenta cum rationibus D. Thomæ, & vide, an Scotus soluat, aut eneruet eas, & qua fronte, aut veritate dixerit Cauellus de Scoto suo: *Refutat D. Thomam primò. Refutat secundam rationem D. Thomæ. Recipit quartam rationem D. Thomæ, quia destruit primam, &c.* Certè vt cernis, nec Scotus refutat S. Doctorem hoc loci sed hostem furfuraceum, quem ipse finxerat, & Cauellus ignauia legendi D. Thomam, & cum Scoto conferendi turpiter lapsus est. Hæc dixerim, vt nemo putet, hanc propositionem *vna relatio non potest aliam fundare* esse D. Thomæ locis à Cauello citatis.

§. 14. Probatur nostrum assertum primo; Duo Magistri sunt similes in Magisterio, & duo patres sunt similes secundum paternitatem: item seruus, & Magister, Pictor, & sensus sunt dissimiles in relatione: ergo eiusmodi relationes fundant relationes prædicamentales similitudinis, & dissimilitudinis. Antecedens negari non potest: maximè quia Caietanus contrariæ factionis Dux hoc eodem medio probauit substantiam fundare relationem, neque vllus aduersariorum aliter id probabit. En argumentatio Caietanica, qua ille intentum affirmat *ratione conuinci.* 1. p. q. 28. art. 1. *Non minus duæ humanitates similes sunt in natura, quam duæ albedines: Sed relatio similitudinis specificæ inter duo alba est realis: ergo, & inter duos homines, &c.* Vnde subdit: *Habes hinc quòd relatio immediatè fundatur in substantia.* Sed cur rogo, non habebo etiam, relationem immediatè fundari in *relatione*, sit???? eadem ratione argumentor ad hominem? Consequentiam negat M. Ioannes à S. Thoma aiens, quod relationes eiusdem speciei habent quidem similitudinem, & conuenientiam quasi transcendentalem; non relatiuam prædicamentalem: Inferius autem ad argumentum Scoti, concedit, æqualitatem inter duas relationes proportionis esse transcendentalem absolutè, demptâ iam particula *quasi.*

§. 15. Contra: & probo consequentiam: Non est apud Thomistas relatio quasi transcendentalis media inter transcendentalem simpliciter, & prædicamentalem: ergo illa similitudo inter paternitates v. g. omnino transcendentalis est id est, quæ identificatur cum essentia extremi relati, quod nihil est, quem dicere, duas illas paternitates se ipsis essentialiler referri, de quo est tota quæstio. Tum sic: Paternitas essentialiter est ratio referendi patrem ad filium ergo per aliquam aliam relationem, & non se ipsa referretur ad aliam paternitatem, quia esset essentialis ra-

ratio referendi ad paternitatem: atqui eo ipso, quòd Paternitas sit essentialis ratio referendi patrem ad filium, non potest esse ratio essentialis referendi paternitatem ad alteram paternitatem: ergo paternitas non se ipsa transcendentialiter, sed per aliam relationem refertur ad illam; consequentia videtur manifesta, nam paternitati solum est essentiale quòd referat ad filium: quod verò ad magisterium referat, omninò est accidentale illi. Probo minorem: duo effectus formales essentialiter diuersæ rationis non possunt prouenire essentialiter ab eadem causa formali, sed à diuersis: atqui essentialiter referre ad filium & essentialiter referre ad paternitatem, & ad Magisterium sunt effectus formales essentialiter diuersæ rationis: ergo eo ipso, quòd Paternitas sit essentialis ratio referendi patrem ad filium, non potest esse ratio essentialis referendi paternitatem ad aliam paternitatem, vel ad magisterium. Maior, & consequentia probatu non indigent: Minor inde liquet, quod termini essentialiter specificantes eiusmodi habitudines, sunt diuersæ omninò rationis, & speciei, vt filius, & Magister: & non nunquam sunt termini oppositi essentialiter, vt æquale, & inæquale, simile, & dissimile: ergo referre ad filium, & referre ad magistrum, seu ad paternitatem, sunt in paternitate effectus formales omninò diuersæ rationis: qui proinde ab eadem paternitate prouenire non possunt.

§. 16. Probatur secundo Paternitatem non esse rationem essentialem referendi ad aliam Paternitatem: Si non esset possibilis alia generatio viuentis præter vnam: hæc Paternitas haberet suam essentiam simpliciter, & adæquatè constitutam per esse rationem referendi Genitorem ad suum filium: atqui tunc esset impossibilis alia Paternitas: ergo non esset de eius essentia dicere identitatem, aut similitudinem ad aliam paternitatem: ergo Paternitas in sua essentia non constituitur etiam per esse rationem referendi ad aliam potentiam, consequentia mihi videtur ita euidens, vt dicere, vnam, & eamdem Paternitatem esse essentialiter, & simul identitatem, coexistentiam, distantiam, dissimilitudinem, æqualitatem, & sexcenta alia, non solum sit incredibile, sed ridiculum.

§. 17. Confirmatur. Quia Paternitas non dat aliam denominationem subiecto nisi eam, quæ in abstracto importatur, idest esse patrem: ergo non potest esse ratio formalis denominandi similem, æqualem, diuersum, &c. ac proinde simile, seu diuersum non nisi à distinctis relationibus denominantur. Igitur quandocumque Paternitati accidentaliter contingit esse æqualem, vel dissimilem, non est ratio essentialiter referendi ad terminos æqualitatis, & similitudinis, ac proinde non transcendentaliter, & seipsa, sed medijs relationibus æqualitatis, & similitudinis ad illos refertur. Neque enim qui super relationem fundari aliam opinamur, id volumus de relatione, prout est ratio referendi, quod addo; ne mihi obtrudas, vnionem, existentiam, vbicationem, &c. quorum exempla nunc prorsùs inepta sunt: immo si vnionem contingat, non esse rationem formalem vniendi, respectu diuersorum alia etiam vnione connecti oportebit: linea enim v.g. est vnio partium superficiei, & quamuis sub ea ratione nequeat per aliam vnionem ipsis vniri; attamen respectu substantiæ, cui tota linea vnitur, alia indigebit ratione formali, quam dicimus actualem inhærentiam, media qua ipsi copulatur: Ergo haud secus, &c.

§. 18. Iam verò diluamus oportet argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum ex testimonio D. Thomæ deductum respondeo, Sanctum Doctorem intelligendum esse de relatione, prout est ratio referendi subiectum ad terminum suæ exercitæ oppositionis, & denominationis, quod ex ipso Angelico Doctore ostendo, quæst. 5. de potentia artic. 3. ad 2. *Hæc autem relatio* (loquitur ille de Creatione) *Creatura quædam est, accepto communiter nomine Creaturæ pro omni, quod est à Deo: Nec oportet procedere in infinitum, quia creationis relatio non refertur ad Deum alia relatione; sed seipsa: nulla enim relatio refertur alia relatione, vt Auicenna dicit*, hæc ferè eadem repetit quæst. 7. artic. 9. ad 2. assignando rationem. *Quod relationes ipsæ non referuntur ad aliud per aliam relationem, sed per seipsas, quia essentialiter relationes sunt*: quæ quidem respondet ad argumentum, quo intendebatur, dandum esse processum in infinitum, si relatio ad Deum sit res aliqua. *Relatio enim illa aliquid creatum erit, si est res quædam, & ita erit alia relatio ipsius ad Deum pari ratione, & sic in infinitum.* Vides ergo ex ipsis verbis S. Doctoris, & ex ipso scopo argumenti, quod soluit, sermonem esse de relatione, prout est essentialis ratio referendi ad terminum suæ actualis oppositionis, scilicet de creatione respectu Dei Creatoris, sicuti etiam in loco primæ partis loquitur de Paternitate respectu filiationis; non comparatione termini disparati, seu diuersæ denominationis: nec aliud voluit ille, nisi quod res absoluta referatur ad aliud, idest ad terminum oppositum media relatione, & relatio opponitur ipsi non oppositione, quæ sit alia relatio, sic enim abiretur in infinitum; sed seipsa, quia ipsa ad hoc est ratio formalis essentialiter referendi, vt diximus supra §. 10.

§. 19. Ad secundum. Respondeo, non sequi processum in infinitum, eo quod relatio fundetur supra relationem, sicut non sequitur, eo quod accidens subiectetur in accidente (vt & alij dixerunt) deuenitur enim tandem ad relationem, quæ non fundet relationem, sicut deuenitur ad accidens, quod immediatè subiectatur in substantia. Vnde solutio in argumento data idonea est: ad impugnationem alternationis dico, ex comparatione similitudinis cum dissimilitudine, non resultare dissimilitudinem, sed diuersitatem: relatio enim fundat aliam, non quatenus relatio est, set quatenus habet rationem quantitatis, sicuti substantia, quæ similiter non fundat relationem, nisi quatenus dicit vnitatem, vt numerum: Vnde similitudo ad similitudinem, quæ est eiusdem vnitatis essentialis, dicit, & fundat identitatem; & ad dissimilitudinem dicit, & fundat diuersitatem: hanc autem si compares cum altera diuersitate non alia relatione, sed seipsa ad illam referetur, quia est ratio formalis essentialiter

tia-

tialiter diuersificandi: quod si illum compares cum cum alia identitate, etiam talis diuersitas se ipsa ad illam referetur: Identitas vero media alia diuersitate opponetur primæ diuersitati: hæ verò inuicem diuersitatem nonnisi seipsis tandem referentur: Vnde vel in identitates, vel in duas diuersitates deueniendum est, ibique necessariò sistendum. Ad confirmationem Illustrissimi Godoij respondeo, nullam difficultatem adijcere supra prædictum commune argumentum: quinimmò principium assumit magis falsum, nempe relationem referri posse relatione effectus ad causam, quod nemo non negabit. Nō enim datur actio per se productiua relationis, neque ad relationem datur motus per se: Relatio autem effectus fundatur in actione per se terminata ad illum. Vnde licet vnitas, & numerus relationum fundent alias relationes primi generis, vt sunt identitas diuersitas, &c. non tamen ideo admittimus alias alterius generis.

§. 20. Ad Tertium: Respondeo, concesso antecedenti, nego consequentiam, & ad probatum dico, satis esse, quod fundamentum vltimum, & vt quod, scilicet substantia sit perfectioris modi essendi, vt ad fundanda cætera accidentia exigitur: Etenim si ad causam efficientem propriè, & vniuocam non petitur maior perfectio, sed sat est, quod sit æqualis perfectionis cū effectu: certè fundamentum etiam si quasi actiuè concurrat ad productionem relationum, non id facit propia, & rigorosa actiuitate, sed solum exigitur maior, aut perfectior entitas ad huiusmodi causalitatem. Adde, quod in sententia multorum ex aduersarijs vnitas substantiæ nil est, nisi mera negatio, quæ proculdubio est debilioris, immo nullius entitatis respectu relationis; & tamen est ratio fundandi relationes primi generis.

THEOREMA II.

Argumenta contra fundamenta relationum secundi, & tertij generis dissoluo.

§. 21. Obijcies primo contra fundamentum relationis secundi generis ab Aristotele assignatum: Actio non potest esse fundamentum Paternitatis, neque relationis producentis ad productum: Quia relatio fundata eatenus existit, quatenus fundamentum eius subsistit, & manet; sed generatio, transit, & non existit, Paternitas vero manet: ergo non fundatur in actione. Hoc argumentum propter Aureolū mihi videtur accuratiùs debere solui, quam ab omnibus soluitur: eo enim probat ille, Relationem secundi generis non esse ens reale, quia Paternitas, v.g. fundatur in *genuisse*: sed genuisse non est ens reale: ergo Paternitas non est ens reale. Consequentia est bona, nam ens reale non potest fundari, idest dependere in existendo à non ente, seu à mera denominatione extrinseca, ex actu autem generationis transacto nihil manet entis, nisi vel ens rationis, vel denominatio extrinseca: ergo ens reale fundari non potest super egisse, quod transiit in præteritum. Rationem hanc proposui supra Dissertat. præcedenti Theorem. 2. §. 16. commodius hoc loco enodandam.

§. 22. Respondet primo Scotus, prædicto argumento conuictus in 4. Dist. 6. qu. 10. num. 11. fundamentum relationum secundi generis non esse Actionem, & Passionem, sed potentiam actiuam, vel passiuam, actionem vero, & passionem non esse nisi conditiones, seu dispositiones præuias ad hoc, quod prædictæ potentiæ sint fundamentum eiusmodi relationum. Scotum tota sequitur Schola, cui ex nostrir adhæret M. Arauio. Vbi supra Articulo 9. num. 76. falsò pro se citans Flandrensem art. 4. potius dicentem oppositum, docet enim ille, actionem esse principium, quo Paternitatis infieri, principium autem *quo* non est conditio, nec dispositio.

§. 23. Sed contra *primo*. Quia Aristotelis clarissimis verbis distinguit relationes, quæ fundantur in potentia actiua, & passiua, vt est calefactiuum, & calefactibile, à relationibus, quæ fundantur super actione, & passione, vt sunt relationes facientis ad factum, & Patris ad filium: ergo hæ secundæ non habent eamdem rationem fundandi, ac primæ. Porrò sola conditio non potest rerum essentias intrinsecè diuersificare: ergo actio non est sola conditio, & si est, non diuersificat secundas relationes à primis. Contra *secundo* insurgit Murcia Complutensis. Quia potentia generandi residet indeterminatè parte subiecti, nempe in testiculis, quibus abcisis, tollitur potentia generatiua Petri v.g. & tamen remanet ille pater: ergo. Non vrget hæc instantia Scotistas, qui potentiam agendi identificant cum substantia, scilicet cum forma, & principio essendi, vt videbimus in Physicis. Vnde dicunt, etiam amputatis generationis instrumentis, manere tamen potentiam generatiuam: quamuis organa ad expediendum eius actus deficiant. Vrgebit autem Thomistas, apud quos potentia agendi est qualitas: ergo relationem, quam Aristoteles docet fundari in actione, fundant in Prædicamento diuerso qualitatis. Vel vni, atque eidem relationi tribuunt fundamentum aggregatum ex duobus diuersis prædicamentis; cum tamen relatio vna in specie nequeat fundamentis consistere genere distinctis.

§. 24. Respondet secundo Suarezius, ipsam substantiam, quæ est radicale principium generationis, esse fundamentum Paternitatis; Contra *primo*. Hæc solutio non discrepat in re ab Scoticá, easdemque patitur instantias. Contra *secundo* est contra expressam D. Thomæ doctrinam loco Metaphysices supra indicato, & 1. p. qu. 28. artic. 4. Contra *tertio*. Nemo dubitat substantiam radicaliter generatiuam esse fundamentum *quod* Paternitatis, id enim Suarezio lubenter damus: difficultas tota est de fundamento *quo*, seu ratione fundandi, quam Philosophus docuit esse actionem, idque pungit, quo modo paternitas perseueret actu; transacta generatione, quæ fundamentum constituebat in esse fundamenti? cum tamen in cęteris relatiuis ratio fundandi simul cum relatione perduret, quod hæc solutio non expedit.

§. 25. Tertio respondit Capreolus, & M. Flan-

Flandrensis ex M. Ptolomæo Torcellano Episcopo Brixiensi, quem D. Antonius D. Thomæ auditorem fuisse refert 3. parte Historiar. titulo 18. cap. 10. §. 2. quem sequuntur Sotus, Complutenses, Parra, & alij, generationem esse fundamentum Paternitatis solum *in fieri*; & non in *facto esse*: nequit enim, resultat Paternitas in suo fieri, nisi posita actuali generatione: Quod prius docuerat Scotus vbi supra per hæc verba: *Respõdeo; Actus potuit esse causa infieri ipsius relationis, & quidem quando fuit causa, tunc relatio infiebat? sed non est causa inesse, sicut non manet manente relatione fundamentum autem non tantũ est causa infieri relationis; sed inesse*. Sed contra *primo*. Hæc solutio fugit, sed non vitat difficultatem: tenentur enim hi Authores assignare fundamentum Paternitatis in facto esse: etenim fundamentum relationis non solum in fieri, sed etiam in facto esse illam debet fulcire, vt & credidit Scotus modo citatus: atqui apud illos, neque substantia, neque generatiua potentia est fundamentum illius, contra Scotũ: ergo illud assignare non possunt. Contra *secundo*. Quia Paternitatem dependere in fieri à generatione tanquam à fundamento proximo est dependere ab ipso actu, & exercitio generationis, sed hoc negauit relationi Paternitatis D. Thomas in 3. Dist. 8. qu. 1. artic. 5. vbi expresse docet, huius modi relationes fundari in actibus *non secundum quod sunt in actu; sed magis secundum, quod fuerunt, sicut aliquis dicitur Pater postquam ex actione est effectus consequatus* Item citata lectione 17. *Relationum* (inquit) *quæ dicuntur secundum potentiam actiuam, & passiuam attenditur diuersitas secundum diuersa tempora. Quædam enim dicuntur relatiuè secundum tempus præteritum, sicut id, quod fecit ad id, quod factum est, vt Pater ad filium; quia ille genuit, iste genitus est. Quædam vero dicuntur relatiuè secundum tẽpus futurum, sicut facturus refertur ad faciendum. Et ad hoc genus relationum reducuntur illæ relationes, quæ dicuntur secundum priuationem potentiæ, vt impossibile, & inuisibile: dicitur enim aliquid impossibile huic, vel illi, similiter inuisibile*: Hæc ille, ex quibus liquet; Paternitatem non fundari *in fieri* super generatione; sed ingenuisse de præterito, & quidem genuisse semper cum Paternitate in facto esse perseuerat: ergo Paternitas nullatenus fundatur in fieri super generare; sed super genuisse, quod est dependere à non ente, vt Aureolus inferebat non malè.

§. 26. Quarto respondet M. Soncinas 5. Metaphys. qu. 25. ad secundum: Quod Paternitas non fundatur super generare, neque super genuisse, licet actus generandi sit huic potentiæ ratio fundandi paternitatem quoad fieri eius, & non quoad conseruari. Quod si illi obijcias, Aristotelem expresse docuisse huius modi relationes fundari in actione, & passione. *Negatur* (inquit) *Sed Philosophus dicit, quod consequuntur actionem, & passionem: nec insunt agenti, aut passo ante agere, aut pati*: Sed contra: Hæc solutio licet saluare videtur; ne dicam eludere dictum Philosophi, tamen est contra D. Thomam locis supra §. 24. & 25. indicatis. Identificat hic Autor Paternitatem realiter cum potentia generatiua, in quo eius solutio recedit ab Scotica.

§. 27. Quinto respondet M. Ioannes à S. Tho. quem sequitur M. Lynceus cum alijs. Fundamentum harum relationum esse potentiam generatiuam non nudè sumptam, sed determinatam ab actione, etiam ipsa actione transacta, & sic verè super actionem fundatur (inquit) non vt in fieri, sed vt in sua determinatione manet in causa. Sed contra *primo*. Quia determinatio actionis transactæ nihil reale ponit in causa, quæ iam causauit, nisi vt plurimum denominationẽ extrinsecam, siue relationem rationis ad actum præteritum. Vnde Thomistæ in 1. 2. qu. 86. artic. 1. rectè contra Bassolim negant, maculam peccati esse actionem præteritam peccati actualis non dum dimissi: Quia hinc *sequeretur. Peccati maculam nihil esse reale in Anima; Sed meram denominationem extrinsecam à peccato præterito, siue relationem rationis ad illud*: Ergo determinatio potentiæ generatiuæ per genuisse nequit esse fundamentum reale relationis prædicamentalis. Contra *secundo*. Actio productiua per te adhuc quando actu existit nihil ponit in causa, neque subiectatur in illa, sed in passo: ergo multominus postquam desijt esse, ponet aliquid reale in determinatione potentiæ, ac proinde determinatio potentiæ per actionem transactam non est fundamentum relationis.

§. 28. Sextò respondet Ouiedus, sufficere, vt virtualiter dicatur permanere actionem in effectu, quod terminus illius perseueret, quia non solùm vocamus Patrem Ioannẽ, qui genuit Petrum in instanti, in quo illum actu gignit, sed toto tempore, quo existunt Ioannes, qui genuit & Petrus, qui fuit genitus, in quo moraliter perseuerat actio generatiua, ratione alterius actionis conseruatiuæ, quæ succedit loco generationis. Sic ille Metaps. controu. 9. punct. 3. n. 11. Sed contra *primo*: quia quod Paternitas Ioannis permaneat tòto tempore, quo Petrus à se genitus existit, non prouenit ex eo, quod illa dependeat ab actione generatiuâ tanquam à ratione fundandi moraliter perseuerante in Petro, sed quia dependet ab ipso Petro tanquam à termino essentialiter ipsam constituente. Contra *secundo*. Actionem generatiuam moraliter perseuerare in termino, nempè filio, nihil est aliud (vt vulgò dici solet) quam illam existimatione prudentum in illo appræhendi vt existentem, quæ moraliter reuerá est purum, pectum ens rationis. Contra *tertiò*, Actio conseruatiua est causalitas causæ æquiuocæ, communis, atque omni effectui creato indifferens: ergo non potest fundare Paternitatem nempè relationem causæ vniuocæ: sed etiam simul omnes tam primi, quã tertij generis relationes: Dices, conseruationem vt fundet paternitatem non considerari, in ea amplitudine, seu quatenus conseruatio vt sic: sed prout succedit generationi Ioannis, siue quatenus illam connotat. Contra: Supponere, vel connotare actionem præteritam, & non existentem nil ponit in conseruatione, nisi denominationem extrincecam, vel relationem rationis: ergo nihil reale, aut positiuum habet conseruatio ad hoc, vt potius fundet Paternitatem, quam cæteras alias relationes primi, & tertij generis.

§. 29. Se-

§.29. Septimò respondet Poncius disput. 15. num. 64. Quinimmò non respondet; sed prædicto argumento victus Aureolo herbam porrigit. Concedit, Paternitatem nihil esse nisi ipsam generationem actualem, quæ cum iam sit transacta, dicit, esse Patrem actu non esse aliud, quam esse hominem illum, qui generauit, id est denominationem extrinsecam à forma non existente. Rationes, quibus in huiusmodi opinamentum adducitur, sunt duæ: *Prima*, Quia nulla est necessitas admittendi paternitatem distinctam à generatione actuali. *Altera* Quia in Diuinis Paternitas non distinguitur à Generatione, ergò nec in creatis. His contra Aristotelem, atque Scotum pronunciatis, animosè tria subdit: *Cum non placet hoc, satisfaciat meis rationibus, & teneat oppositum præsertim propter autoritatem Philosophi, & Scoti*. Sed contra *primo*. Generatio actualis iam non existit, sed Paternitas actualis nunc existit. ergo vel Paternitas actualis non est generatio actualis; vel Paternitas est ipsa transacta generatio apprehensa quasi existens, quæ est ipsissima ratio Aureoli; vt teneat Paternitatem, & cæteras relationes secundi generis esse entia rationis, quam Poncius deuorat. Contra *secundo* Rationes Poncij sunt prorsus futiles, & nullius momenti: Nam prima est fundamentum nominalisticum, quod ipse tenetur soluere, vt adstruat similitudinem inter duo alba creata: & iuxa Scoticum suum dogma similitudinem, & æqualitatem inter Personas Diuinas; *Secunda ratio* ex vero antecedenti pessimam infert consequentiam arguit enim à simplicitate Diuina ad Creaturas, præ posterè quidem, & ordine Theologandi inuerso. Rationabilius, & magis Scoticè argueret sic, Generatio, & Paternitas in Diuinis distinguuntur formaliter ex natura rei: ergo in Creatis realiter entitatiue distinguuntur esset bona consequentia, quia maior simplicitas ponenda est in Prædicatis Diuinis, quam in Creatis. Poncij autem consequentia tam mala est, quam hæc: *Paternitas Diuina constituit personam: ergo, & creata. Generatio Diuina est substantia, ergo, & creata, &c.* Vide lector, an sit valde operosum satisfacere rationibus Poncij, vt teneamus oppositum, certè hæc illius imaginatio tam falsa, & improbabilis est, quam Aureoli sententia.

§.30. Octauò tandem Respondeo; Relationem secundi generis fundari quidem supra rem, quæ permaneat, quandiù relatio existit. Fatebor enim, etiam in facto esse; & non solum in fieri illam suo debere fulciri fundamento, quando quidem hæc sola difficultas tot viros doctos in varias distraxit sententias, vt supra monstraui. Porrò actio vt fundet totum genus relationum huius secundæ Classis debet etiam in tota sui latitudine sumi, & non solum vt est actio actualis, & siue transiens, sed prout est possibilis; vel repugnans, prout est futura, prout est præsens, & prout est præterita: Nam vt supra dixi *impossibile & inuisibile* fundantur in priuatione actionis. *Calefactiuum* in possibilitate *Calefacturum* in futuritione agendi calefactionem *Calefaciens* in actu, & *Pater* in egisse, seu præteritione generationis, quæ monia dedi ex D. Thoma §. 25. ità perspicuè docentis, ea omnia pertinere ad hoc secundum genus relationis, vt mirer M. Ioannem à S. Tho. & Parranvilla ad tertium genus releuasse. Restat nunc soluendus nodus ille, nempè, quo pacto egisse, seu actio præterita sit res permanens in Patre, nam in fieri certum est Paternitatem essentialiter subsequi generationem. Dico igitur, actionem post suum fieri relinquere in Agente aliquid positiuum permanens, egisse enim non solum dicit desitionem agendi, & non ens; sed etiam quid reale per modum habitus, vel dispositionis relictum ex ipso influxu in agente. Quemadmodum, quando dicitur Natura esse principium, motus, & quietis apud Philosophus, non sumitur *Quies* pro merà carentia, seu desitionem motus, sed propositiuà acquisitione perfectionis relictæ in mobili. Dices: ergo Pater agit, & causat in se ipsum. Respondeo: Et tu teneris eam consequentiam retundere, qui concedis etiam, Paternitatem causari à Genitore: ergo in se ipsum causat. Respondeo directè: Distinguo, agit per se, & directè nego; indirectè, & per accidens, transeat: directè, enim, & per se non nisi tendit ad productionem filij. Non ergo confundenda est relatio Paternitatis cum relationibus, quæ fundantur in ipsa præsentaneà actione, vt est relatio Calefacientis, quia quamuis hæ, & aliæ supra memoratæ pertineant ad fundamentum actionis, attamen in ipso modo fundandi in actione est varietas, illa, & amplitudo, quam tradit S. Thomas laudatus supra, à quo, & hanc accepi solutionem. Audi illum in tertio Sentent. vbi supra §. 25. *Quædam relationes non innascuntur* (inquit) *ex actionibus secundum, quod sunt in actu: sed magis secundum, quod fuerunt, sicuti aliquis dicitur Pater postquam ex actione est effectus consequitus* (Attende lector) *Et tales relationes fundantur, super id, quod in Agente ex actione relinquitur siue sit dispositio, siue habitus, siue aliquid ius, aut potestas, vel quicquid aliud est huiusmodi*. Hæc ille. In argumento autem confunditur Paternitas cum relatione producentis: quæ diuerso modo fundatur. Vnde ad formam eius nego antecedens ad probatum, data maiore: nego suppositum minoris, quod Paternitas fundetur in ipsà præsentaneà actione prout dicit actualem fluxum, seu transitum: Vnde etiam euanescit suppositum Aureoli, quia *egisse* modo à nobis explicato non est non ens.

§.31. Obijcies secundo. Datur relatio æquiparantiæ qualis est verbi Diuini vniti ad naturam humanam, quæ tamen non fundatur in vllo ex tribus fundamentis ab Aristotele traditus: ergo illa non rectè diuiduntur. Quod sit relatio æquiparantiæ patet, quia eodem modo denominat vtrumque extremum scilicet *vnitum* quod autem ad nullum ex tribus fundamentis pertineat, facile ostenditur, non ad primum vt omnes fatentur, non ad secundum, quia non est mutua, quando quidem ex parte verbi non respondet, nisi relatio rationis, neque denique ad tertium genus fundamenti, quia in hoc genere solum collocantur relationes non mutuæ, Relatio

latio autem æquiparantiæ mutua est ergo ad tertium genus minimè spectat: Confirmatur. Calidius dicit relationem ad minus calidum, sed illa non fundatur in vnitate neque in actione, neque mensura: ergo.

§.32. Respondet Caietanus suis insistendo principijs 2.p.q.3.art.8. (cui subscribo Relationem *Vniti* si sumatur vt est realis, non esse mutuam, ac proinde neque æquiparantiæ: Si verò sumatur in ea, quà solet latitudine, abstrahente à relatione reali, & rationis, id est prout præcisè dicit *Ad* posse dici æquiparantiæ secundum illam, quà gaudent Analogiam, de quibus videndus M. Arauxo. Ad confirmationem nego minorem Relatio enim calidioris non fundatur in qualitate prout tali, sed quatenus qualitas habet rationem quantitatis, id quippè alio calidius dicitur, quod habet excessum quodam modo quantitatis in qualitate.

§.33. Objicies tertio Relatio scientiæ ad scibile non fundatur in mensurà nulla enim relatio realis fundari potest in non ente, vt sæpe replicatum est. Atque ex Aristot. 6. Metaphys. & Commentatore Comment. 54. Scientia potest esse de re non existente, & omninò destructà: ergo scientia supra mensuram scibilis fundari nequit.

§.34. Respondeo cum Capreolo in primo Dist.30.quest.1. ad 10. scientiam referri bifariam ad scibile, à quo causatur, vno modo sicut effectus ad causam, & ista relatio est realis, destruitur que distructo scibili: alio modo sicut mensuratum ad mensuram, & hoc dupliciter, quia si est cognitio rei quantum ad suum esse, sic etiam est relatio realis, & desinit etiam esse destructo scibili: Si autem est cognitio rei, quoad eius vniuersalia, & necessaria prædicata sic est relatio rationis, cum talis cognitio possit esse de re non existente.

§.35. Objicies tandem: Relatio effectus ad causam finalem est realis prædicamentalis, & tamen non est primi, neque secundi, neque tertij ordinis: ergo diuisio relationum penes tria fundamenta est diminuta. Maior est euidens, quia effectus verè, & realiter dependet à causa finali: ergo in eiusmodi dependentia passiuà fundatur realis relatio. Minor etiam patet primò, quia non fundatur in quantitate. Neque in actione, neque in mensura. Secundò: Quia effectus plerumque dependet à fine non existente realiter, sed apprehenso dumtaxat, quod est contra rationem relationum primi, secundi, & tertij generis, quæ essentialiter exigunt existentiam realem sui termini, alioqui Prædicamentales non erunt.

§.36. Respondeo datà maiore; nego minorem: fundatur enim prædicta relatio in causalitate habente se ad modum actionis, quamuis reuerà non sit actio, sicut substantia fundat relationem prout se habet instar quantitatis: proindeque relatio effectus ad finem ad secundum genus relationum ad numeranda est. Vide M. Arauxo, qui hoc argumentum solutionibus Suarezij, Iauelli, & Fonsecæ confutatis, optimè enodat, sicut, & alias obiectiones, quibus, vt negotio prorsus Metaphysico lubens super sedeo.

DISSERTATIO XLVIII.

Vtrum Relatio prædicamentalis distinguatur realiter à suo fundamento?

INter omnes, quas de Relatione Dialecticus versat quæstiones, prorsùs difficilimam aggredimur. Hanc magnis olim agitarunt clamoribus antiqui Philosophi, vt refert Masius, de hac iure merito M. Flandrensis, id reliquit scriptum *An autem* (inquit) *quilibet de eà mentionem faciens, sciat eam, vt sapiat, nescio; Deus scit: Tamen vnum scio, quod hæc materia est difficilis, & ambigua, & sapiens est qui eam intelligit, & de numero philosopantium benè, meritò prædicabitur*. Hæc ille, & quod caput est, ipse ingeniorum apex summus que Philosophiæ Mystes Aristoteles semel, iterumque doctrinam recoquens de distinctione Relationis à substantia ereperus, anceps, dubitabundus que ad finem præsentis capitis in huiuscemodi verba prorupit, *Fortasse autem* (inquit) *difficile sit de eiusmodi rebus vehementer asserere, nisi ea sæpe per tractata sint, dubitasse autem de horum vnoquoque non est inutile*. Hæc ille. Quid igitur nos? Sed tamen pro nostri tenuitate ingenij non tentabimus expedirè, & pro maiore eiusdem claritate magnorum iudicia virorum proferemus in medium, præsertim cum neotericis pugnaturi.

THEOREMA I.

Doctorum sententiæ referuntur.

§.2. TRes sunt præcipuæ sententiæ Doctorum, ad quas cæteræ aliæ reducuntur: Duæ quidem oppositæ, & extremæ, & tertia media: Prima docet nullam relationem prædicamentalem distingui realiter, & citra operationem intellectus à suo fundamento, itaut fundamentum & relatio sint vna, & eadem res, quæ sola ratione distinguantur formaliter inter se, quam tenuere Alexander Aphrodiseus lib. 5. Metaphys. ad cap. 15. Simplicius ibidem, & ex antiquis Thomisticis, M. Heruæus in 1. dist. 30. q. 1. M. Gratiadeus in prædicam. cap. de relatione, quibus adhæserunt Nominales, quorum tamen Princeps Ochamus multum fauet oppositæ, & affirmatiuæ sententiæ: tametsi omnia eius argumenta dissoluat, teste discipulo, & abbreuiatore Gabriele Biel in secundo dist. 1. qu. 1. §. Ratio mouens. Sequuntur de more Societatis Scriptores, qui Nominalisticæ Scholæ sese addixerunt, Suarez, Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Alonsus, &c. qui in modo hanc sententiam defensandi sunt diuisi: quidam enim illorum relationem adæquatè cum solo fundamento identificant, addita sola connotatione termini: dicunt enim similitudinem albi; v. g. esse realiter ipsam albedinem fundamenti, vt connotantis coalbum, alij verò relationem ex æquo cum vnoquoque extremo identificant, aientes, simili-

litudinem esse ipsa duo alba à quibus simul sumptis dicunt, impossibile esse, relationem distingui; quamuis à quolibet eorū realiter inadæquatè distinguatur, vt solet de toto dici respectu suarum partium: Et hos quidem dicendi modos etiam vtrique à nostræ Scholæ Doctoribus didicerunt, vt infrà ostendam.

§. 3. Altera, & opposita sententia affirmat, relationem prædicamentalem à suo fundamento distingui realiter per distinctionem actualem rerum, & seclusa omni intellectus operatione: hanc profitetur vniuersa Thomistarum Schola; paucis ijsque nutantibus exemptis; nam proceres quidem Capreolus, Caietanus Flandrensis, Ferrara, & alia magna nomina illam constanter defendunt, expressam Sancti Doctoris sententiam esse arbitrantes, de cuius mente infrà Theoremate 5. disputabo. Diuisi sunt quoque huius distinctionis assertores: nam alij illam realem entitatiuam tanquam rei à re esse existimāt: alij verò realem modalem, scilicet qua modus à re distingui solet, vt vnio à partibus, sessio à sedente, &c.

§.4. Tertia, & media sententia est Scoti, & Discipulorum distinguentium duo genera relationum, nam quædam (dicunt) non possunt separari à suo fundamento, vt est relatio creaturæ ad Creatorem, relatio inhærentiæ accidentis ad substantiam, &c. aliæ verò separari possunt à suo fundamento, vt similitudo, æqualitas, &c. potest equidem manere album, v.g. quin simile sit, & quantùm, quin sit æquale destructis terminis: ita ille in 2. dist. 1. q. 4. & 6. & in 3. dist. 8. quæst. vnica, & in quodlibet. q. 3. Hanc primus excogitauit subtilis Doctor, proindeque hęc sententia cæteris est minus antiqua, quod addo contra Ouiedūm, qui controuers. 9. puncto 4. num. 8. & 19. Sententiam Thomisticam, vt obsoletam despicit, vanumque suscipi laborem, aut in ea defendenda, qua propter ille primam sententiam tuetur, quam dicit, tenere omnes politiores recentes huius temporis; sed mehercle illa multò obsoletior, quàm Thomistica est, quippe quam Zeno, alijque Platone antiquiores Sophistæ docuerunt, quamque diù emortuam suscitarunt post Alexandrum Thomistæ illi vetustissimi, quos citaui supra §. 1. & S. Antoninus Florentinus Præsul (quem Flandrensis vocat Antonellum Archiepiscopum) deinde Nominales Ochamistę ab illis acceptam inueterarunt, teste Fonseca Metaphys. 5. cap. 15. qu. 2. sect. 4. Rursus à Thomistis, & Scoticis modernis ad Læteas vndas relegatam, Suarezius tandem, & Hurtadus in lucem reuocarunt. Hæccine rogo est illa potissima Recentiorū nouitas, vt Thomisticum dogma Nominalistis videatur obsoletum? sed age, & sententias iam memoratas exploremus.

THEOREMA II.

Scoti, & Scotistarum sententia refellitur.

§. 5. SCotica sententia multis mihi nominibus displicet. Primò non videtur ad præsentem quæstionem respondere; nam relatio, quæ realiter identificatur cum suo fundamento, siue id sit substantia, siue quantitas, qualitas, &c. per omnia vagatur prædicamenta, proindeque transcendentalis erit, & non prædicamentalis, idest non ad certum prædicamenti genus determinata. Item relatio, quæ realiter distinguitur ab eiusmodi fundamentis, erit prorsus prædicamentalis: ergo dicere, relationem aliam esse, quæ identificatur cum suo fundamento, & alia, quæ non identificatur, nihil aliud est, quam dicere relationem aliam esse transcendentalem, aliam verò prædicamentalem, quod nemo non dicit, & non est ad rem, cum præsens disputatio sit de relatione prædicamentali, quam Aristoteles omninò vult esse distinctam realiter à primo prædicamento absolutorum, vt vidimus in nostra Synopsi num. 2.

§.6. Secundò: Scotus non tradit rationem à priori distinctionis, nec identitatis relationum à suo fundamento, sed solùm à signis posterioribus, ijsque fallacibus colligit. Tum quia hæc consequentia, Relatio separatur à fundamento: ergo distinguitur, est præpostera, & colligit causam à suo effectu; distinctio equidem est causa separationis, non enim ideò distinguitur, quia separatur, sed è conuerso hæc causalis est vera; quia distinguitur, separatur relatio: ergo assignanda erat causa huiusce modi distinctionis. Tum etiam quia neque non separatio est causa identitatis; hæc enim est mala consequentia. Relatio non separatur à fundamento: ergo non distinguitur ab illo. Committit enim fallatiam consequentis: nam causa inseparabilitatis non solùm est realis identitas, sed etiam dependentia essentialis, simultas naturæ, &c. suntque alia sexcenta, quæ non possunt separari; & tamen sunt realiter distincta, vt sunt omnes partes lineæ à punctis; quantitas terminata ab omni figura, & in sententia ipsius Scoti totum realiter distinguitur à suis partibus vnitis, & tamen ab ipsis separari non potest, neque vna Persona Diuina ab alia, &c.

§.7. Dices: Scotum ipsum ab illa propositione *omne inseparabile ab alio est idem cum illo* excepisse illa, quæ habent dependentiam essentialem à causis intrinsecis, vt est totum, & quæ sunt simul natura, vt sunt relatiua, & cum hac limitatione illum arguere; alioqui non rectè concluderet argumentum; sed contra, quia vt opimè reponit Caietanus 1. p. q. 28. art. 2. sicuti Scoto licuit excipere dependentiam essentialem, ita alijs licebit excipere connexionem necessariam, &c. ergo eodem iure, quo ille possumus, & nos inseparabilitatem relationis à fundamento tribuere dependentiæ necessariæ, & connexioni essentiali, quam habet relatio à fundamento, & termino.

§.8. Tertio: nam (vt etiam alij aduerterunt) inseparabilitas relationis à fundamento non probat identitatem realem cum illo; sed vt plurimùm arguit distinctionem realem modalem ab illo: ergo etiamsi relatio esset modus realiter distinctus à fundamento, adhuc tamen esset inseparabilis realiter ab illo: proindeque ex insepara-

rabi-

rabilitate illius malè colligitur identitas cum fundamento: ergo solùm à signis posterioribus, iisque fallacibus hanc distinctionem, & identitatem relationum infert Scotus, patet hæc consequentia. Nam quærenti, an relatio distinguatur realiter à fundamento? Respondet hæc sententia valdè confusè, dubitanter, & a posteriori: si separetur ab illo, distinguitur; si non separetur, non distinguitur: quænam autem sint, quæ separari possunt ab extremis, & quænam non possint, minimè explicat.

§. 9. Quartò: quia rationes, quibus Scotus conatur suadere, relationem distingui realiter à fundamento; tum non probant intentum; tum si aliquid euincunt, solùm probant distinctionem relationum *secundum dici*, seù earum, quas ipse vocat extrinsecus aduenientes, quod non est ad rem, cùm totus nunc sermo sit de relatione prædicamentali, & intrinsecus adueniente, vt ipse loquitur. Si relatio (inquit) non distingueretur realiter à fundamento, sine qua posset esse fundamentum, sequeretur non dari Incarnationem, nec separationem accidentium in Eucharistia. nec compositionem, nec causationem in rebus, quæ omnia sunt absurda: sequelam probat ille quæst. 4. citata. Profectò, vt dixi, hæc ratio solùm probat, distingui à fundamento vnionem hypostaticam, inhærentiam actualem accidentis, vnionem materiæ primæ, & formę, & approximationem causarum ad causandum, quæ omnes sunt relationes secundùm dici, & extrinsecus aduenientes, & nihil euincit de relatione prædicamentali, vt ex suis met discipulis fatetur ingenuè Poncius disput. 15. n. 35.

§. 10. Quintò denique, quia cęteras Scoti rationes vel ipsi deserunt Scotistæ, vt prorsùs inefficaces, vnde & prædictus Poncius postquam dixit, illas Scotum proposuisse non tanquam conuincentes, sed tanquam topicas, nec illas debere Scotistas defendere, sed tantùm tueri conclusionem Doctoris: tandem reiectis, & solutis illis, alia longè diuersa antiquorum ratione suâ probat conclusionem num. 40. Ergo sex illæ rationes Scoti, quibus relationes nonnullas probat, à fundamento realiter distingui, vel id non probant, vel non sunt ad rem. Aduerte tamen apud Scotum tametsi relationes separabiles distinguantur realiter entitatiuè à suis fundamentis, secus verò inseparabiles, nihilominùs inseparabiles, & realiter identificatas cum suo fundamento, distingui ille docet ante omnem operationem intellectus ab ipso distinctione formali ex natura rei: vnde tota nunc controuersia manet inter duas extremas sententias, inter scilicet nostram affirmantium Thomistarum, & negantium Nominalium, quibus cum iam manus conserendæ.

THEOREMA III.

Nominalium, atque Nominalistarum sententia confutatur.

§. 11. NOminales, eorumque Sequaces (vt supra præmonui) in duas sunt diuisi factiones: primi vulgò vocantur *Connotatores* quos ita refert Stephanus Spinula: Recentiores alij (inquit) duce Suarez relationem constituunt in solo fundamento, non quomodocunque, sed prout connotante terminum: dicunt enim, quod per hoc præcisè, quod fundamentum connotet terminum, intelligitur vera relatio prædicamentalis, neque aliud plus requiritur, & licet relatio sit separabilis à fundamento quomodolibet, non tamen à fundamento connotante terminum; sed fallitur Spinula, hic enim dicendi modus nec Recentiorum inuentum est, neque duce Suarezio inuectum. Author huiusce opinionis est M. Hæruæus supra citatus cum alijs suæ ætatis Thomistis, vt etiam ipse Doctore Suarez fatetur disput. 47. sect. 2. nu. 22. *Inter has sententias* (inquit ille) *mihi maximè probatur quinta, quam Herueus, & nonnulli alij Thomistæ docuere, à quorum sensu ferè nihil discrepant Nominales, &c.* illamque referunt, & impugnant Durandus, Flandrensis, aliique Suarezio antiquiores.

§. 12. Nunc breuiter contra illum sic arguo: stante fundamento similitudinis, v.g. albedine, si destruatur terminus, perit relatio similitudinis: ergo eiusmodi similitudo realiter distinguitur ab albedine. Consequentia est bona; nam si similitudo identificaretur realiter cum albedine, periret albedo, realiter pereunte similitudine: ast non perit: non ergo realiter identificantur. Dices, stante albedine, etiam remanere similitudinem quoad entitatem, at veró deffectu connotati non præstare effectum formalem *similis*; ideòque illum solum perire quoad formalitatem denominationis.

§. 13. Sed contra arguunt communiter Thomistæ, primò connotatio termini, vel est quid reale intrinsecum fundamento, vel est quid rationis extrinsecum? si primum: ergo deficiente connotatione, deficit relatio secundùm aliquid sibi intrinsecum, & reale quin aliquid albedinis deperditum sit: ergo est quid realiter distinctum. Si secundum, ergo adhuc illa connotatione deficiente, manet realiter similitudo: immò etiam præstabit subiecto suum effectum formalem, quandoquidem nullum ens rationis potest formæ reali dare quod tribuat suum effectum formalem; effectus enim formæ est ipsa forma realis, &c. Contra secundo: formalis denominatio similis est ne quid realiter distinctum ab ipsa albedine, vel est realiter idem cum ipsa? Si primum: habemus intentum, nempè effectum formalem denominandi simile esse realiter aliud ab albedine, seu prouenire à forma realiter distincta. Si secundum: explica quæso, quomodo eorum, quæ sunt realiter identificata vnum pereat, & aliud existat, id enim contradictionem inuoluit.

§. 14. Rursùs eadem est difficultas de ipsa connotatione. Quia licet hoc nomen *Similitudo* connotet aliquid in pariete, quod non connotat nomen *albedo*, at vero si albedo, & similitudo reuera sint vna, & eadem entitas realiter in essendo, impossibile est, quod vna res connotet terminum, & sic sit relatio, & non

con-

connotet, & sic sit fundamentum. Probo, impossibile est, quod vni, & eidem rei respectuque eiusdem conueniant simul connotare, siue exigere aliquid, & non connotare, neque exigere illud, nisi eidem rei, respectuque eiusdem conueniant simul duo prædicata contradictoria: ergo albedo realiter, & in essendo identificata cum similitudine, etiam connotabit terminum in essendo, vel non est realiter eadem cum ipsa Dixi *in essendo*. Quia in significando, licet ad verificandum hoc nomen similitudinis de pariete requiratur aliquid aliud sibi coexistens, quod non requiritur ad verificandam albedinem de ipso, eo quòd vnum nomen sumitur ex conceptu vnius rei præcisè, scilicet nomen albedinis, aliud autem sumitur ex conceptu duarum, scilicet nomen similitudinis. At verò si sermo sit (vt reuera est) de re ipsa significata, & non de modo significandi, impossibile est, quod illud, quod realiter, & verè est essentia, entitas, siue realitas alicuius connotet, vel exigat aliquid realiter, & simul non connotet, nec exigat realiter illud idem ipsum: Ergo. Cæterum, quia hunc dicendi modum fusè impugnant Nominalistæ cæteri, vt Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, & alij, tametsi hi vltimi non nisi Hurtadi argumenta diuersis verbis refricant, illis hanc prouinciam lubens relinquo. Notare tamen non desinam, eos non expugnare solutionem *Connotatorum* aientium, formam relatiuam non tribuere denominationem formalem relati, nisi dependenter à positione termini. Quoniam (vt benè aduertit Poncius num. 34) id assequi non potest, nisi ostendendo, quòd nulla forma inhærens subiecto possit dependere quantum ad denominandum à conditione sine qua non extrinseca, & sine qua posset ipsa forma existere in subiecto, quod est valdè difficile.

§. 15. Alteri autem Nominalistarum adhuc magis improbabilem sequuti sunt sententiam Relationem cum fundamento, & termino simul identificantes Ochamo Duce, cui ansam præbuit Opusculi 48. Caput secundum, quod falsò tribuitur D. Thomæ, & citra dubium est alicuius veteris Thomistæ, vt de huiusmodi Opusculis autumat Mag. Ortizius Physicor. Tract. 3. Confer. 4. num. 325. Principio hanc sententiam toto Cœlo aberrare à doctrina Aristotelis, vel cæcus videat. Primò, quia tollit prorsus vnum genus entis, nempè Relatiuorum, & non nisi absoluta ponit in rebus, dum astruit, relationem Paternitatis, v.g. nihil esse, nisi aggregationem rerum absolutarum, scilicet duos homines, & generationem. Similitudinem esse duas albedines, & nihil ampliùs, &c. id, quòd post Fonsecam ex eorum Societate notarunt, Comptonus, Pallauicinus .... & alij fatentes, de medio tolli omnem Relationem.

§. 16. Sed respondet Arriaga. Esto auferatur in re vnum Prædicamentum, quid indè? Nunquid aufertur (inquit) ab Ecclesia aliquod Sacramentum, aut Præceptum Decalogi? Sed contra. Sententia omninò tollens relationem creatam à rebus, censetur à viris doctissimis errori proxima, etenim Mag. Illustrissimus Arauxo illam appellauit *erroneam*, Albertinus *periculosam in Fide*. Fonseca *Non cohærentem cum his, quæ nos docet Orthodoxa Fides*. Talemandetius *non tutam in Fide* Disput. 11. Metaphys. part. 1. Clypeo 4. §. *His tamen*, *&c.* Fortassè, quia etiam si non tollat vllum Sacramentum, aut præceptum Decalogi, est tamen in periculo tollendi vnum Articulum Fidei, nempè asserentem, dari relationes Diuinas, qui enim relationes creatas ab absoluto distinctas non agnoscunt, non longè absunt, vt errent circa Diuinas, & reipsa iam pridem multi errarunt, vt testatur Angelicus Doctor S. Thomas, & nos ostendimus supra Dissert. 46. Theoremate tertio: Ergo non debet esse solationis, quòd non tollatur Sacramentum ab Ecclesia, vel præceptum Decalogi, si aliundè hæc opinio erroris periculo obnoxia est.

§. 17. Secundò Aristoteles hoc capite Textu 6. & 7. dissertis verbis antiquam Relatiuorum definitionem damnat ex eo solum, quòd ex illa sequeretur Accidentia absoluta dici *Ad aliquid*, idest fore relatiua, vt Habitus, Dispositio, & sex vltima prædicamenta, & vt absurdum infert, quod secundum illam definitionem etiam ipsa substantia esse relatiua, vt caput respectu capitati, ala respectu alati, &c. Denique sæpiùs rem inculcans docet, quod admissa antiquorum definitione, omninò est difficile, aut impossibile ostendere, quod substantia est res absoluta, & non relatiua, quam ob rem dicit Relatiua sic esse definienda: *Quorum totum esse est ad aliud se habere* per quam definitionem ait, vitari, quod substantia, & alia prædicamenta absoluta sint relatiua *secundum esse*, tametsi secundum priscorum definitionem possint esse relatiua *secundum dici*: Ergo totum inconueniens, quod Aristoteles vitarè conatur, scilicet, ne substantia admittatur relatiua, deuorant hi Scriptores, totamque huius capitis doctrinam euertunt, & dum Philosophus contra Zenonem laborat, vt probet, prædicamenta absoluta non debere comprehendi in definitione relatiuorum, isti docent, duas substantias, duas quantitates, qualitates, &c. non solum relatiuas esse, sed ipsas met relationes prædicamentales. Infero rursus, quòd qui hoc Aristotelis caput, vel oscitanter legerit, statim ridebit Arriagam sic scribentem: *Relationes prædicamentales in rigore non sunt relationes*, & paulò inferiùs: *Censeo, relationes prædicamentales esse tantum secundum dici*, quod perindè est, apud Aristotelem, ac si diceret: *Censeo homines tantum esse canes*, vel *Censeo leones non nisi Simias esse*. Hoc enim capite Relatio *secundum esse*, & Relatio *secundum dici*, idest absolutum, & relatiuum multò plus sanè diuersa sunt, quam homo, & leo, &c. Arriagæ vestigia sequitur Ouiedus, de quo infra.

§. 18. Tertiò. Aristoteles definit Relatiuum: *Cuius totum esse est ad aliud se habere*. Quæro nunc, quid sit, vel pro quo supponat ly *aliud*? Dicent, terminum esse quod significatur per ly *aliud*; Ergo terminus est extra totam relationem, quæ respicit illum tanquam quid in-

trinsecum, ac proindè ipse non est, neque inadæquatè relatio ad se ipsum. Probo consequentiam. Terminus neque inadæquatè respicit se ipsum, neque tendit ad se ipsum, vt ad aliud: ergo neque inadæquatè componit relationem ad se ipsum: Ergo definitionem Aristotelis vitiant quicumque ly *aliud* positum, vt aliud à relatione adæquata, intrudunt ad constitutionem intrinsecam ipsius relationis.

§. 19. Quartò. Aristoteles impugnando Zenonem relationes vagè cum omnibus prædicamentis identificantem totus est, vt probet, debere admitti relationes ab absolutis distinctas: ergo aliquid aliud voluit præter duo extrema absoluta comparabilia per rationem. Consequentia est euidens; Nam Zeno non negabat, dari extrema absoluta, vt duas quantitates, duas albedines, &c.

§. 20. Quintò, tandem Aristoteli renuntiare hosce Nominalistas ostendo testimonio ipsius Nominalium Principis, & Doctoris Ochami, qui in 1. Distinct. 30. quæst. 2. ita scribit: *Si quis vellet relinquere authoritatem omnium, negare posset Relationem, & dicere nihil aliud esse, quam entitatem fundamenti, & termini*: ergo ex mente, Iudicioque sui Ochami Aristotelem, & omnes antiquos relinquunt, qui hanc tuentur sententiam. Rursus infero: Ergo Nominalismus omninò tollet relationem à rebus, & nihil aliud agnoscit præter entia absoluta, hæc consequentia patet si perpendas ly *nihil aliud esse*.

§. 21. Ostendimus prædictam sententiam ab Schola Aristotelis longissimè exulare, nunc argumentis, è ratione petitis impugnanda secundo est. Nam quidem fundamenta, quibus illa innititur ruinosa sunt. Hurtadus nulla ratione illam probat, nisi impugnatione dumtaxat *Connotatorum*. Arriaga ratione à priori illam ait, se probare, quia Petrum esse similem Ioanni in albedine idem est, ac Petrum, & Ioannem esse albos, quod formaliter dicit vtriusque albedinem: Sed vero hæc ratio à priori assumit probandum, seu petit principium, nam tota quæstio est vtrum Petrum, & Ioannem esse similes sit solum eos esse albos, an aliquid ampliùs? Ouiedus probat ex inseparabilitate, quam habet relatio ab vtroque extremo, clumbe quidem argumentum, quod supra contra Scotum diluimus Theorem. 3. à §. 6. idque in suum instauratorem validiùs retorquemus in vnione, quæ omninò est inseparabilis à materia, & forma simul, & tamen Ouiedus vult, quod sit realiter distincta ab vtraque, ex eo præcisè, quod ab alterutro extremo separaretur. Cur igitur hæc ipsamet separatio relationis ab alterutro extremorum non arguat distinctionem realem illius ab extremis, sicut arguit in vnione? Consequentiam desidero.

Tertiò. Si Relatio prædicamentalis nihil sit realiter præter entitates fundamenti, & termini sequetur, nullum ens respectiuum dari increatis, atqui hoc non solum est contra Aristotelem, & Sanctum Thomam, sed à Theologis damnatur seuerissima censura, vt fusè ostendi Dissertat. 46. —— Theoremate, tertio citato: ergo. Probo maiorem. Album v. g. antequam coalbum existat est, quid simpliciter absolutum, atqui coalbum postea, existens est etiam quid absolutum simpliciter: ergo nihil respectiuum consurgit expositione termini, nempè coalbi: ergo fundamentum, & terminus solum sunt aggregatio rerum absolutarum. Maior probatur non indiget. Minor liquet, nam terminus adueniens est eiusdem rationis, & prædicamenti, ac fundamentum, sed fundamentum est, quid simpliciter absolutum: ergo & terminus est absolutus simpliciter. Consequentia apparet manifesta, ratio enim respectiui consurgens expositione fundamenti, & termini non est quid fictum per intellectum, id enim negatis omnes contra Aureolum, neque quidem est quid reale, quod realiter absolutum extrahat à ratione absoluti, nam absolutum additum absoluto id relinquit absolutum, vt antea: ergo relatiuum nil est realiter nisi aggregatio absolutorum.

§. 22. Huius argumenti vi coactus duo respondet Ouiedus viro Philosopho indigna. Primum, nihil reperiri in relationibus, quod realiter, & intrinsecè sit respectiuum prædicamentaliter, sed ad summum transcendentaliter. Alterum, relationem prædicamentalem nihil aliud esse, quam aggregatum rerum absolutarum, earumque respectum esse tantum quid fictum, & conceptum à nobis. Contra primò. Hæc propositio *Relatio prædicamentalis, est relatio transcendentalis*: est omninò, falsa, & contra Aristotelem, vt ostendi supra §. 17. Est contra ipsos Nominales, ipsumque Ouiedum, qui controuers. 9. Metaphys. puncto 4. §. 4. num. 30. hæc docuerat, & postea sibi met contrarius controuers. 10. puncto 1. assignet discrimen, diuersitatemque relationis prædicamentalis à transcendentali, vt omnes faciunt, tenenturque facere. Contra *secundò*, si respectus relationis est quid fictum, & conceptum à nobis, incidis in sententiam Aureoli, & non solum subiaces acribus Theologorum censuris; sed te præmunt omnia argumenta Diui Thomæ, & Subtilis Scoti probantium, dari in rebus relationes creatas, & non esse fictas ab intellectu, quas teneris soluere, vt videbis supra Dissert. 46. ...... iam citata. Contra *tertiò*; assigna quæso duas res omninò absolutas, & nullatenus respectiuas adhuc transcendentaliter. Deindè ego exhibebo duas albedines, quas dicis non prædicamentaliter, sed tantum transcendentaliter esse relatiuas, atqui duæ albedines nullam addunt rationem realiter, neque aliquid ampliùs habent, quàm illæ duæ res absolutæ à te assignatæ: ergo sicut illæ ita sunt entia absoluta, vt neque transcendentaliter sint respectiuæ, vt supponimus, ita duæ albedines neque transcendentaliter erunt relatiuæ: ergo similitudo, quam dicis, nihil esse, quàm duas albedines, ita est res absoluta, quod neque transcendentaliter sit quid respectiuum, vt dicebas. Proindèque in rebus nihil erit neque transcendentaliter relatiuum.

§. 23. Dices secundò, cum eisdem neotericis, Relationem non esse quidem aliquid aliud rea-

realiter distinctum ab entitatibus fundamenti, & termini, sed distinctum formaliter, id est distinctione virtuali, & ratione ratiocinata ab ipsis, quod non est omninò tollere de rebus Prædicamentum Relationis, sed illud asserere identificatum cum suis extremis, quod longè aliud est. Etenim etiam apud Thomistas Actio, & Passio sunt realiter vna entitas, & tamen diuersa constituunt Prædicamenta ob diuersum modum prædicandi, qui sufficit ad diuersificanda Prædicamenta: Sed contra. Per te Petrum esse similem Ioanni nihil aliud est, quam Petrum habere albedinem, sicut Ioannes habet albedinem, hoc autem nihil reuera aliud est, quam si dicas. Petrum esse similem Ioanni nihil est, quam asserere. Sicut hæc propositio est vera *Petrus est albus*, ita etiam hæc est vera *Ioannes est albus*. Atqui hæ sunt duæ propositiones pertinentes eodem modo prædicandi ad Prædicamentum qualitatis: ergo nullus est nec prædicandi modus diuersus, ob quem sit opus constituendi prædicamentum diuersum Relationis: ergo non solum in modo essendi diuersum, sed neque in prædicandi modo, id est neque per rationem ratiocinatam distinctum, admittis prædicamentum Relationis.

§. 24. Quartò. Ex eò, quòd Relatio consistat essentialiter in entitatibus fundamenti, & termini, sequitur etiam identificatio, & confusio relationum inter se, etiamsi alioqui numero, siue specie distinguantur; sed hoc est contradictorium: ergo Relatio non consistit essentialiter in complexo entitatum fundamenti, & termini. Probo maiorem. Similitudo Petri ad Ioannem, quæ numero distincta est à similitudine Ioannis ad Petrum constat essentialiter ex eisdem numero partibus intrinsecis, siue rationibus constitutiuis, ac illa: ergo est eadem numero cum illa. Antecedens patet. Nam similitudo Petri ad Ioannem, per te nil est aliud, quam substantia Petri, & substantia Ioannis simul, atqui similitudo Ioannis ad Petrum est ipsissima numero substantia Petri, & substantia Ioannis, quæ essentialiter constituebant alteram similitudinem: ergo vna similitudo numero ab alia distincta, simul identificatur numerò cum alia, quod implicat, contradictionem. Haud secus conflatur, idem argumentum in relationibus *Disquiparantiæ*, & specificè distinctis, vt sunt Paternitas, & Filiatio. Nam Paternitas, v.g. Æneæ nil aliud est, quam ipse Æneas, & Ascanius, & generatio; sed etiam Filiatio Ascanij nihil est aliud, quam ipse Ascanius, Æneas, & generatio, quæ essentialiter constituebant Paternitatem Æneæ: ergo Paternitas realiter, & specie distincta à Filiatione simul est, realiter specificè eadem cum ipsa filiatione, quod est impossibile.

§. 25. Hæc, quæ antiquis Doctoribus, virisque doctissimis absurda visa sunt, facilè deglutiunt Hurtadus Arriaga, &c. concedentes, in re ita verum esse, licèt solùm in modo significandi hæc similitudo Petri non sit illa Ioannis, & hæc Paternitas non sit Filiatio. Dicunt insuper Patrem non esse Filium, quia Paternitas dicit in rectò generantem, & in obliquo genitum, Filiatio verò è contra dicit in rectò genitum, & in obliquo generantem, quæ responsio etiam antiqua est, veterum Nominalium, quam retulit, & impugnauit Durandus in primo, distinct. 30. quæst. 2. num. 10. Sed contra *primò*: Ergo erit vera hæc propositio Pater est Filius, & Filius est Pater. Probo. Qui habet constitutiuum Paternitatis quidquid illud sit est Pater, sed Ascanius v.g. eo ipso, quòd sit Filius Æneæ, habet constitutiuum Paternitatis, scilicet sespsum, & Æneam, & generationem: ergo Ascanius eo ipso, quod Filius, est Pater. Consequentia est euidens, quia si Filiatio, & Paternitas sunt vna, & eadem res à parte rei, vna prædicabitur de altera in sensu identico, & vero, & sicut hæc est vera Paternitas est filiatio, erit etiam vera hæc. Pater eo ipso est Filius, non enim ob aliam rationem hæc propositio est vera: *Totum est suæ partes simul vnitæ*, & hæc: *partes vnitæ sunt totum*, nisi quia totum, & suæ partes vnitæ in re sunt idem. Contra *secundò*. Nam Angelicus Doctor quæst. octaua de Potentia artic. 1. eo probat, Paternitatem, & Filiationem esse realiter distinctas in Diuinis, & non solum secundum rationem, quia si solùm per rationem, & non realiter essent distinctæ, possent de se inuicem prædicari, ita vt verum esset dicere *Pater est Filius*, & *Filius est Pater*, sicut dicimus principium est finis in puncto, tametsi esse principium & finem distinguantur per rationem in eodem puncto: *Quia ea, quæ sunt sola ratione distincta* (inquit S. Thomas) *nihil prohibet, de se inuicem prædicari*: Ergo Paternitas Nominalistica est Filiatio, & tam vera est hæc: Pater est Filius, quam illa Dominus, est seruus, &c. etenim non nisi sola ratione, immò in modo significandi tantum distinguuntur, at vero in re sunt idem Pater, & Filius, Paternitas, & Filiatio, Seruitus, & Dominium, &c. Contra *tertiò*, hæc solutio recidit in sententiam Connotatorum, deuoratque, quod ante respuerat. Connotatores enim dicunt, Paternitatem non æquè significare, seu importare Genitorem, & genitum; Sed in rectò significare Genitorem, & in obliquo connotare genitum, & vice versa Filiationem in rectò genitum, & in obliquo genitorem, quod impugnabat solerter Ouiedus. Nunc autem hi authores, vt fugiant concedere Filium esse Patrem iam dicunt, Filium solum esse in rectò hominem genitum, & Patrem connotari in obliquo, & quod mirum est! Hurtadus nec voci connotationis pepercit, ait enim, §. 41. *Nam filius dicit in rectò hominem genitum, & inobliquo connotat genitorem*. Ecce Connotatorem.

§. 26. Respondet Alonsus disput. 19. sect. 5. num. 40. Non posse vere dici, quod Pater est idem, ac Filius, quia vt prædicatio aliqua sit vera, est necessarium, quod identificentur realiter ea, quæ ex parte subiecti, & ex parte prædicati dicuntur in recto. Ast Pater dicit in recto genitorem, & filius dicit genitum in recto, qui non identificantur.

§. 27. Sed contra primo: quia licet ad veritatem

tatem prædicationis in sensu formali id requiratur; non vero ad veritatem in sensu identico: Patet in hac prædicatione identica, verissima *Principium est finis*, quæ vt verificetur de puncto nihil aliud requirit, nisi quod punctum secundum rem sit principum, & simul sit finis; ergo non exigitur, quod prædicatum, & subiectum identificentur etiam secundum id, quod in recto dicunt. Consequentia est bona: Probo antecedens. Punctum vt principium dicit se in recto, & finem in obliquo, est enim principium respectu alicuius finis, & idem punctum vt finis dicit se in recto, & principium in obliquo. Nihilominus hæc propositio *Principium est finis* est vera identicè de puncto: ergo ad veritatem identicæ propositionis non exigitur identitas inter recta prædicati, & subiecti. Contra secundo. Patet in altero Diui Thomæ exemplo: Etiam Pater Diuinus diceret in recto Genitorem; & in obliquo personam genitam: & è contra Filius diceret substantiam genitam in recto, & genitorem in obliquo. Atqui ex D. Thoma si Pater, & Filius sola ratione distinguerentur, & realiter essent idem, Pater prædicaretur realiter de Filio, & è contra: ergo sola distinctio rationis, penes rectum, & obliquum non tolleret, quin vna relatio creata prædicaretur de opposita, si realiter essent idem.

§. 28. Contra *quarto*, nam vt optimè animaduertit Durandus ista solutio non est ad mentem quæstionis: quæstio enim in præsentia est de reali differentia, vel reali identitate relationis, & sui fundamenti: quæ quidem est quæstio Metaphysica, & non de differentia nominum, quæ est quæstio Grammaticalis. Atqui res absoluta, vel relatio in suo esse reali non habet rectum, nec obliquum, sed solùm voces significatiuæ, quæ pertinent ad Grammaticam: ergo ad quæstionem de identitate, vel diuersitate rerum secundum suam realitatem non est respondendum per distinctionem inter rectum, & obliquum. Ita Durandus ex antiquis. Ergo tametsi inter Patrem, & filium nonnulla detur distinctio Grammaticalis; tamen quoad realitatem obiectiuam datur sufficiens identitas Metaphysica, vt Pater de Filio prædicetur. Seruus de Domino &c.

§. 9. Quinto denique ex modernis Thomistis alij non contemnendo argumento hanc sententiam confutant. Quoniam nullo nituntur fundamento prædicti opinatores, vt relationem cum extremis realiter identificent, nisi quod relatio exigit vtrumque extremum, tam ad suam existentiam quam ad cognitionem; atqui hæc essentialis connexio, seu concomitantia relationis cum extremis minimè arguit identitatem realem cum ipsis; ergo stante eiusmodi exigentia potest relatio ab vtroque extremo realiter distingui: Minor ostenditur sicuti prædicamentalis relatio, v. g. Paternitas nequit existere, neque concipi quin simul concipiatur *Filius*, ita cognitio actualis cuiuslibet obiecti nequit esse, neque concipi, quin simul concipiatur eius obiectum, neque productio actualis alicuius termini v. g. caloris esse, vel concipi potest, quin simul coexistat, & concipiatur productus calor: Et tamen (vt in confesso etiam apud aduersarios est) neque cognitio, neque productio constituitur essentialiter ex complexo entitatum principij, & termini: non enim Visio Beata v. g. constituitur essentialiter ex intellectu, & Deo clarè viso neque realiter identificatur cum Deo, & intellectu; sed consistit in actione vitali realiter adæquatè distincta ab vtroque neque actualis productio caloris constituitur per ignem, & calorem productum, quem exigit, sed per actionem realiter adæquatè distinctam ab igne, & calore: ergo essentialis concomitantia, seu exigentia termini, vt relatio existat, & cognoscatur minimè arguit identitatem relationis cum termino. Profecto (vt optimè notauit M. Lynceus) huiusmodi argumenta quibus prædicti opinatores probare conantur, relationem constitui essentialiter partialiter ex termino, aut eius denominationem esse extrinsecam, aut partim intrinsecam partim extrinsecam solum modo euincunt, Relationem non esse formam, aut modum absolutum, sed habitudinem intrinsecam, quæ de connotato, aut in obliquo exigit terminum extrinsecum, quod vel me iudice est certo certius, præter enim dependentiam necessariam, siuè essentialem à termino, nec solum probant.

THEOREMA IV.

Thomistica sententia relationem prædicamentalem à fundamento realiter distinguens adstruitur.

§. 30. Relationem prædicamentalem à fundamento realiter distingui citra omnem intellectus operationem cum communiore Thomistarum consensu profitemur. Assertum hoc efficaci ratione probare haud facile est. Et ratio est, vt bene notauit M. Parra, quia procedit circa propositionem immediatam, & res diuersorum prædicamentorum, quæ cum in nullo genere conueniant, nisi in confuso entis conceptu, non habemus vnde à priori probetur eorum identitas, vel distinctio nisi à diuisione entis: & hoc equidem fundamentum facile ruit cum diuisio entis in prædicamenta apud plerosque Thomistas non sit diuisio in decem res actualiter à parte rei distinctas; quando quidem vna, & eadem scientia pertinet ad prædicamentum qualitatis, & relationis ex ipsomet Aristotele. Vt infra ostendam: idem realiter Motus ad duo prædicamenta Actionis, & Passionis spectat &c. Hinc apparet imbecillitas argumentorum, quibus nituntur aliqui nostræ sententiæ sectatores, quale est illud: quæ pertinent ad diuersa prædicamenta realiter distinguntur inter se: Fundamentum, & relatio pertinent ad diuersa prædicamenta; ergo realiter distinguuntur interse. Maiorem non solum negant rotundè Aduersarij, sed multi etiam Thomistarum non concedunt ob supra dicta. Secundo alij sic probant, per aduentum relationis realiter, & intrinsecè mutatur fundamentum; ergo realiter distinguuntur. Antecedens inde probant: quia alioqui possent poni relationes reales in Deo

respe-

respectu creaturarum, ideo enim illas negant Deo Theologi, quia immutaretur Deus. Debile quidem argumentum: cuius antecedens non probatur: nam Nominales, Durandus, aliique plures Theologi, quos Hurtadus citat §. 19. defendunt, in Deo dari relationes reales ad creaturas, sine vlla sui mutatione: Et potius arguunt hinc contra nos, quia sicut in Deo non faciunt mutationem, possent etiam in creaturis illam non facere. Et vero sicut Deus per creationem realem denuò, & ex tempore terminatur ad creaturas manens immutabilis, dici posset, relatione reali etiam citra sui mutationem ad ipsos terminari, quæ dirimere nec facile est, nec nostri instituti. Tertio alij inter quos Scotus. Potest intendi entitas, quæ est albedo, non intensa similitudine, vt cum album, vt quatuor comparatum ad album, vt duo, postea deperdit duos gradus albedinis: Tunc enim similius quidem erit albedo, vt duo ergo habebit minorem albedinem, & maiorem similitudinem, quod fieri nequit, si albedo, & similitudo non distinguantur realiter. Eorum enim, quæ realiter identificantur nequit vnum realiter exercere, alio non excrescente realiter. Respondent Aduersarij, esse quidem impossibile, vnam, & eandem formam simul intendi, & remitti sub vna, & eadem ratione: at vero sub diuersis rationibus nihil id habere in commodi, vt si vnum ei accidit absolutè, & aliud comparatiuè, vnum propriè, & alterum impropriè, vt in albedine contingeret: Esset verò inconueniens, si vtrumque ei conueniret eadem ratione, & propriè, vt si albedo quatenus albedo simul intenderetur, & remitteretur.

§. 31. M. Moneda postquam etiam alias rationes, vt parum efficaces reiecisset, hanc vt validam proponit. Esse *per se*, & esse *in alio*, sunt modi oppositi, & se inuicem excludentes: sed fundamentum relationis identitatis est per se, & relatio est in alio, cum hæc sit in prædicamento accidentis; ergo realiter distinguuntur. Si dicas, quod relatio substantiæ est substantia, & relatio accidentis est accidens. Vnde minor est falsa. Insurgit contra: ergo relatio vt sic abstrahens ab his relationibus est vniuoca ad ens perse, & ens in alio, quod est omnino falsum, & impossibile, quia ad ens perse, & in alio solum potest dari vnitas communis analoga.

§. 32. Vulgare argumentum, quod secundo loco sibi objecit Hurtadus §. 6. soluitque §. 32. quæ tamen Moneda non impugnat: deinde memoria lapsus est, oblitus quidem sebellum gerere, cum Nominalibus, qui enti perse, & enti in alio sexcentas deuorabunt rationes vniuocas, ac proinde nec argumentum, nec instantia illos vrget, eodem languore claudicat hoc entymena: relatio facit compositionem cum fundamento; ergo distinguitur ab illo. Negant enim antecedens, quod ratione non probatur, nisi petendo principium: Et quidem posset etiam relatio distingui ab illo, quin faceret compositionem, vt dicunt de actione transeunte, quæ cum subiecto, idest agente compositionem non facit. Magis ergo operosum est probare compositionem, quam distinctionem. (Compositionem relationis cum fundamēto infra ex auctoritate D. Thomæ astruemus, nunc rationes excutimus.) Tandem illud, quod in confirmationem nostræ sententiæ afferri solet. Relatiuum, & absolutum opponuntur contradictorie ergo idem à parte rei non potest simul esse relatio, & res absoluta; hoc inquam argumentum nisi deducatur ad formam, quam nos deduximus supra dissert. 46. Theorema 2. & 3. & in hac dissert. §. 17. ostendentes nihil fore in rebus relatiuum, haud premit Aduersarios.

§. 33. Probatur igitur ratione fundamentali, quam vt ab antiquioribus Philosophis excogitatam laudauit Talemandetius: sumitur ex noua, & reali acquisitione relationis, atque ex reali amissione eiusdem; dum Album v.g. posito coalbo realiter fit denuò simile, atque corrupto coalbo realiter desinit esse simile, quam in hanc formam instauro. Primo albo accidentaliter contingit esse simile realiter per productionem coalbi, cum antea realiter non esset simile, quamuis esset album; atqui esse simile realiter denuo ex habere formam relatiuam realiter ab ipso albo distinctam; ergo primum album realiter accidentaliter est simile per formam relatiuam à se distinctam. Maior est perse nota; primum enim album ante productionem termini non erat simile: & si nullum produceretur coalbum in natura per totam æternitatem, primum album adhuc quidem esset album, & per totam æternitatem non esset simile; ergo primo albo accidit realiter esse simile. Minorem probo: non minus dependet ab aliqua forma effectus denominandi *simile*, quam effectus denominandi *album*; sed effectus denominandi album dependet à forma realiter distincta, & denuò accidētaliter informante subiectum non album, ergo effectus denominandi simile dependet etiā à forma realiter distincta, & denuò accidentaliter informante subiectum non simile. Haud secus etiam è contra corrupto coalbo deperditur similitudo primi albi, quod iam non est simile, & tamen manet album: ergo amittit formam realiter distinctam ab albedine.

§. 34. Dices primo: ad productionem coalbi nihil nouum reale acquirere primum album; sed solùm denominari simile denuò, ita, vt nouum extremum connotet, quod antea non connotabat. Sed contra, per te producto coalbo primum album de non simili fit simile; & de non connotante fit connotans; ergo id habet per aliquam formam intrinsecam denuò accidentaliter facientem illud assimilari, & connotare. Probo consequentiam: denominatio realis noua, & accidentalis non potest prouenire nisi ab aliqua causa formali intrinseca, seu entitate accidentali: sed esse simile alteri, & connotare aliud est denominatio noua accidentalis, quæ ante omnem operationem intellectus conuenit primo albo, quod realiter antea neque erat simile, neque connotabat aliquid; ergo non potest hoc sibi prouenire, nisi ab aliqua noua causa formali intrinseca, seu entitate accidentali. Maior, quæ est totius difficultatis cardo, adeò certa

certa est, vt etiam ab Aduersarijs contra Connotatores admittatur, annuit clarissimè Hurtadus §. 31. Item Arriaga disput. 12. sect. 8. sub sect. 2. num. 36. *In aduersariorum sententia* (inquit) *repugnat noua denominatio realis sine noua entitate reali, qua doctrina probant, Durationem distingui à re durante: quia hoc, quod est me durare hodie est noua denominatio realis, quam heri non habebam. Ex qua doctrina, quam ego quoque veram censeo &c.* Hæc ille, & quod caput est, Ochamus in primo distinct. 8. quæst. 1. illam propositionem admittit, docetque, esse impossibile, prædicata contradictoria verificari posse de eodem successiuè, nisi aut mutato loco, aut tempore, aut re noua producta; aut destructa, vnde infert denominationes relatiuas vniti, & non vniti non nisi à noua entitate prouenire. Minor etiam satis patet, quia non simile, & non connotans successiuè fit simile, & connotans, quæ prædicata non solum noua sunt, sed etiam contradictoria, & opposita præcedentibus non *similis*, & *non connotantis*. Consequentia tandem legitima est, noua igitur connotatio supponens nouam denominationem realem neque esse, neque intelligi potest sine noua entitate reali denuo superaddita.

§. 35. Dices: Denominationem prædicati contradictorij aduenire posse denuo, quin vlla realis forma inhæreat denominato, vt contingit in Denominatione extrinseca. Columna enim v. g. de non dextera transit ad esse dexteram per solam extrinsecam positionem termini extrinseci, v. g. animalis positi à sinistris. Confirmatur hæc solutio ex doctrina D. Thomæ, apud quem species Angelo indita est repræsentatiua obiecti futuri, & nondum existentis, quæ tamen transit de non repræsentante, ad esse repræsentantem actualiter per solam positionem obiecti existentis, sine vlla forma, vel realitate addita; ergo non omnis denominatio noua accidentalis supponit nouam formam in subiecto, etiamsi contradictoria sit.

§. 36. Sed contra primo: Denominatio extrinseca licet non ponat formam in vno extremo denominato, tamen supponit essentialiter formam realem, & intrinsecam in altero extremo, à quo prouenit talis denominatio, vt Columna supponit dexteritatem in animali. Sed posito coalbo, etiamsi gratis tibi demus, vnum extremum denominari extrinsecè *simile*; nequit alterum non esse intrinsecè simile per formam realem sibi intrinsecam: alioqui aliud extrinsecè denominare nequibit, sicut si animal non esset intrinsecè dexterum, nequiret columnam denominare dexteram; ergo nihil tuam causam promoues contendens, denominationem esse extrinsecam in vno extremo; cum concedere tenearis illam intrinsecam in altero. Vnde in Paternitate v. g. debes assignare relationem, seu formam intrinsecam in Patre, si ex illius positione Filius extrinsecè denominatur talis, vel è conuerso.

§. 37. Contra secundo: Exemplum speciei congenitæ Angelis non est ad rem: Tum quia species illa indita est ratio formalis repræsentandi suum obiectum, atqui albedo non est ratio formalis assimilandi; alioqui illa vnicum album etiam denominaret simile: ergo ex eo, quod species Angelica non sit repræsentans per aliam formam additam, non bene colligis, id etiam debere contingere in *simili*. Contra tertio: Falsum est, talem speciem actu repræsentare suum obiectum actu existens sine vlla realitate super addita: datur enim realis similitudo denuò, quæ non resultauerat ante positionem obiecti, vt optimè notat Caietanus ad primæ partis qu. 57. artic. 2. §. *Quoad secundum*. Contra tandem quarto, quia relatiua denominatio non potest esse extrinseca subiecto denominato ex D. Thoma. 2. Contra Gentes cap. 13. alioqui non habebit Philosophus Christianus, vllam naturalem rationem, qua conuincat Gentiles, & probet, Relationes Diuinas Paternitatis &c. esse Deo intrinsecas, vel da quæso aliquam.

§. 38. Secundò probatur assertum contra M. Lynceum, qui inter Connotatores adnumerandus est, simulque iubendus, soluere tot argumenta, quibus eius sententiam moderni Scriptores lacessunt, quod ille non præstat. Tametsi enim concedat, Relationem prędicamentalem realiter distingui à subiecto *quod* scilicet substantia, propter auctoritatem D. Thomæ, quæ putat, hoc dumtaxat docuisse expressè: negat tamen, illam distingui realiter à fundamento proximo, seu ratione fundandi; vnde apud eum Relatio est realiter quantitas, qualitas &c. idque defendit Connotatorum doctrina lib. 3. qu. 4. artic. 4. num. 18. Profectò Thomista hic sententiam Connotatorum reddidit difficiliorem cum alioqui concedat, Relationem realiter distingui à fundamento remoto, nempe substantia; nam rationes, quibus probat hanc distinctionem, simul conuincunt distinctionem relationis à fundamento proximo, & rationes, quibus suadet, relationem identificari cum fundamento proximo: simul probant etiam, illam identificari cum fundamento remoto, teneturque duas partes defendere, quod Connotatoribus non incumbit. Inconsequenter igitur procedit, eoque euentu à communi Thomistarum orbita deuiauit; vt contra ipsum domesticorum tela omnia, validius liceat contorquere. Agedum id ostendo.

§. 39. Principio sic: Per te ideò relatio non distinguitur à fundamento proximo, quia hoc sine mutatione sui de quanto v. g. fit æquale, qood ait, docere Diuum Thomam; sed etiam Petrus v. gr. sine sua mutatione est similis leoni in natura animalis, & in natura humana est idem cum Paulo, seu dicit identitatem specificam ad Paulum: ergo ob eamdem rationem relatio similitudinis, seu identitatis in natura non distinguitur à Petro, idest à substantia, quod negabas; Dices te prius negasse, relationem fundari immediatè in substantia: sed contra primo: id negasti consulto, vt D. Thomæ auctoritate (suo videri) salua in sententiam nominalium deficeres. Contra secundò: negasti contra Sanctum Doctorem, cuius expressa verba retuli dissertatione præcedenti §. 5. Rursus 1. p. q. 28. artic. 1. ad 2. *Relatio* (inquit)

quæ

quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis tantum, si accipiatur simpliciter idem: quia huiusmodi relatio non potest consistere, nisi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad se ipsum secundum aliquas eius duas considerationes. Secus autem est cum dicuntur aliqua eadem esse non numero, sed in natura generis, siuè speciei. Hæc ille: Ex quibus habes, relationes identitatis genericę, & specificæ esse relationes reales, & non rationis. Atqui illæ fundantur immediatè supra substantiam Petri, non enim est similitudo in vllo eius accidente, sed in gradibus animalis, & hominis: ergo eiusmodi relationes insubstantia fundatæ Petri, realiter identificantur cum illo ob rationem tui argumenti, quod iam repeto. Est enim Petrus similis Leoni, & Paulo sine vlla sui mutatione: ergo non minus identificatur identitas cum substantia, quam æqualitas cum quantitate. Contra tertio: ideò negas, relationem fundari immediatè in substantia, quia (vt ipse scribis num. 10.) Aristoteles docuit 5. Metaph. omnem relationem prædicamentalem fundari supra quantitatem, vel qualitatem, vel actionem, aut passionem, vndè infers, tuam sententiam negantem fundari relationem in substantia esse consonam doctrinæ Aristotelis. Sed falleris me hercle, non enim meminit qualitatem Aristoteles: & potius eodem argumento, si efficax est, posses probare, relationem non fundari in qualitate, non enim illam memorat Philosophus, consequenterque negabis omnem similitudinem, dissimilitudinem &c. quod quidem esset inauditum. At vice versa Nos arguimus rectius; relatio fundatur in vnitate qualitatis tametsi Aristoteles non meminerit qualitatem inter fundamenta relationum: ergo etiam fundatur in vnitate substantiæ, tametsi non memorauerit substantiam.

§. 40. Dices identitatem, & diuersitatem inter substantias esse quidem relationes reales, sed non esse prædicamentales, sed tantum transcendentales, & secundum dici. Contra quia id non probas: nos vero omnes conditiones relationis prædicamentalis possumus illis assignare, quas nunc quia pręter institutum sunt, mittimus. Tu vero nisi petendo principium non potes dicere, vnam ex conditionibus deficere, nempe quod ratio fundandi debet realiter distingui à fundamento *quod*, de quo nunc est quæstio. Contra: nam relatio, transcendentalis per te identificatur cum fundamento eius: sed identitas, seù similitudo quam dicit Petrus ad Paulum in natura humana non identificatur cum ipso: ergo non est relatio transcendentalis. Minor liquet: nam Petrus ita est homo, vt etiam si Paulus destruatur, seù repugnet illum existere, adhuc habebit humanitatem: non ergo illa erat identificata cum identitate ad Paulum. Quod autem id nòn probes, facile ostendo: ecce tua ratio: nam substantia (inquis) secundum se est ens absolutissimum: ergo nequit realiter referri ad aliud relatione pręd icamentali, quin afficiatur aliquo accidente, quo proportionetur ad respiciendum aliud extra se, & consequenter nequit relatio prædicamentalis immediatè conuenire substantię: mala quidem consequentia, & quam nemo non negabit. Tum quia ens absolutissimum per inhærentem relationem prędicamentalem fit formaliter respectiuum, & proportionatur ad respiciendum aliud: ergo adhuc non est opus alio accidente absoluto. Consequentia est euidens, quia absolutum additum, absoluto non illud extrahit a ratione absoluti, neque quantitas facit substantiam esse relatiuam. Tum etiam quia quantitas etiam est ens absolutissimum non minus, quam ipsa substantia: ergo sicut substantia non potest fundare relationem, quia est ens absolutissimum, ita neque quantitas illam poterit fundare. Antecedens est manifestum; nam substantia constituitur inesse entis absolutissimi per essentialē negationem essendi ad *aliud* respectu, & habitudine prædicamentali; non vero habitudine transcendentali, & secundum dici: etenim vt & ipse Aristoteles concedit definiti orelationis secundum dici, & transcendentalis potest optimè conuenire substantiæ, vt ostendi in nostra Synopsi, & sic caput refertur ad capitatum, materia prima ad formam, &c. atqui etiam si quantitas dicat habitudinem transcendentalem, & secundum dici ad subiectum, attamen in suo conceptu absoluto, etiam dicit negationem essentialem essendi ad aliud prædicamentaliter non minus quam substantia: ergo est ens absolutissimum, non minus quam substantia: patet consequentia, nam si respectus transcendentalis, & secundum dici quatenus est ens in alio tolleret à quantitate rationem entis absolutissimi, etiam illam tolleret à substantia quatenus est ens cum alio. Ergo sunt substantia quia est ens absolutissimum non potest fundare relationem, neque quantitas illam fundabit, quod est falsum. Quinimmò hinc rectiùs colligo sic: ergo sicut substantia, quia est ens absolutum non potest esse relatio prędicamentalis, etiam quantitas ob ipsam rationem nequit esse relatio prędicamentalis, proindeque hę propositiones sunt omninò falsæ, & impossibiles *quantitas est relatio prædicamentalis qualitas est respectus prædicamentalis*. Hanc consequentiam confirmat tota doctrina Aristotelis damnantis, corrigentisque antiquam definitionem Relationis, eo quod illa conueniebat etiam enti absoluto, vt est substantia (expendi illam supra §. 17.) quę eo magis vrget Lynceum quam nominales, quo magis Thomistæ colunt, profitentur, quę dogmata Aristotelis, nominales quippe non erubuerunt fateri, se omnem antiquorum auctoritatem relinquere, docendo relationem nihil aliud esse, nisi extrema absoluta, vt supra ostendi §. 20. Immò Gabriel infrà citandus ita quæst. quartę titulum præfigit: *Vtrum secundum rei veritatem aliquis respectus distinguatur ab absolutis: non curando, quæ fuerit intentio Philosophi?*

§. 41. Secundò ex hac ipsa Aristot. definitione correcta, & emēdata sic arguo: *Relatio est, cuius totum suum esse est ad aliud se habere quodammodo*: sed dum quantitas fundat relationē non est id, cuius totum suum esse est aliud se habere: ergo quātitas dum fundat relationē non est relatio: minor est euidens: nam quantitas etiam est quid absolutum:

lutum: ergo aliquid aliud esse habet præter se habere ad aliud. Tertiò; per te ad relationem non est per se motus (quod docuit Aristoteles) sed ad quantitatem, & qualitatem etiam dum fundant relationem datur per se motus, vt patet. Ergo quantitas, & qualitas etiam dum fundant relationem non sunt relatio. Ergo relatio fundata super quantitate, & qualitate distinguitur realiter ab illis, Quartò: per te relatio non terminatur ad absolutum, sed ad relationem termini, alioqui terminaretur ad *albedinem* in simili, ad *actionem* in causa, ad *vbi* in propinquo, &c. quod negas. Ergo neque vbi, neque albedo, aut actio sunt relationes, & tamen sunt fundamenta proxima relationum terminantium. Quinto tandem: per te relatio inter omnia prædicamenta habet debilissimam entitatem (quod docuit ex commentore sæpissimè D. Thomas) sed quantitas, & qualitas dum fundant relationem non habent omnium entium debilissimam entitatem. Ergo quantitas, & qualitas dum fundant relationem non sunt relatio; nisi fingas aliam relationem Philosophis incognitam, quæ habeat entitatem robustam, & Pancraticam qualem quantitas, & qualitas habent. Ecce arma Thomistica in hostem domesticum conuersa.

THEOREMA V.

Mens Diui Thomæ disquiritur.

§. 42. VLtimo probatur nostra Assertio Testimonijs D. Thomæ, cuius Angelicam mentem auspicari huc vsque protraximus. Et quidem Sanctum Doctorem tenuisse affirmantem Sententiam mihi exploratum est. Et Caietanus 1. p. q. 23. artic. 2. *Opimo* (inquit) *dicens, relationem omnem realem distingui realiter à fundamento est sine dubio Sancti Thomæ; quamuis multi Thomistæ ipsum non intellexerint, habetur quæ manifeste ex auctoritatibus suis, & sequitur ex propositionibus suis.* Hæc ille cui lubens subscribo, quidquid muginetur Hurtadus, regerens in Caietanum, quod potius ille S. Thomam non intellexerit: quod quidem dictum ingenuè despiciendum est: infra enim quam leniculum est argumentum, quo nixus id pronuntiauerit, liquidò ostendemus. Porrò tria manifeste docet S. Thomas ex quibus apparet, hanc fuisse illius mentem circa relationes creatas. Primum est quod illæ habent aliud distinctum esse ab esse substantiæ, & quod secundum hoc esse inhærent substantiæ sic ille contra Gentiles libro 4. cap. 14. *In nobis* (inquit) *relationes habent esse dependens; quia earum esse est aliud ab esse substantiæ: vnde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut & in alijs accidentibus contingit.* Et paucis interiectis subiungit: *Propter quod relatio substantiæ adueniens postremum, & imperfectissimum esse habet. Vnde eius esse proprium, quod substantiæ superaddit non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicuius exterioris, &c.* Alterum quod tradit clarissimè est, quod relatio creata ità inhæret subiecto, vt cum eo faciat compositionem realem, qua in relatio Diuina non facit. Sic ille in primo distinct. 33. q. 1. artic. 1. inter Diuinas, atque creatas relationes prædictum discrimen constituit. *In alijs autem relationibus realibus* (inquit) *in creaturis existentibus est aliud esse relationis, & substantiæ, quæ refertur, & ideò dicuntur inesse, & secundum quod insunt compositionem faciunt accidentis ad subiectum, quod conuenit Diuinis relationibus.* Tertium denique, quod in relatiuis creatis, præter id, quod significatur nomine relatiuo, inueniatur aliquid aliud, quod est alia res distincta ab ea, quę significatur per nomen relatiuum, quod scribit 1. p. q. 23. artic. 2. ad 2. *Sicut in relationibus creatis in illo, quod dicitur relatiuè non solum est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita in Deo; sed tamen aliter, nam id, quod inuenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui est, alia res; in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem.*

§. 43. Hæc adeò clara sunt pro distinctione reali relationis à fundamento saltem remoto scilicet substantia, vt mirer M. Sonzinatem dixisse, nullibi haberi, quid expresè S. Thomas senserit, sed M. Sotus id ipsum repetit, immò addit, quod si Opusculum 48. est D. Thomæ contrariam sententiam tenuerit S. Doctor, at vero ipse protestatur, se suam conclusionem habere prò magis certa, quam quod illa fuerit, opinio Aristotelis, vel Sancti Thomæ: M. Iauellus: *Sic enim loquitur iu diuersis locis* (inquit de D. Thoma) *vt difficile sit videre, quod de hoc determinate sentiat.* Mihi vero videtur, Thomistas hoc nobiles nil aliud voluisse, quam quod Diuus Thomas numquam scripserit affirmantem sententiam per verba, quibus moderni Scriptores suam exponunt Thesem, seù quam vocant conclusionem, vt ex M. Soto colligo aiente: *At S. Thomas nusquam hoc formaliter asseruit: sed eius Discipuli illud verbum adiecerunt.* Vnde, & Soncinas vtramque probauit Sententiam, sed quidquid sit de horum defectu, vel sensu Doctorum. Pergo iam ad nostrum institutum.

§. 44. Dixi, ex productis supra testimonijs clarissimè constare, relationem distingui saltem à substantia, in qua fundatur, hoc enim est euidens: id que concedunt etiam qui alioqui negant relationem distingui a fundamento proximo accidentali, seu a ratione fundandi vt M. Lynceus &c. Vnde etiam M. Ferrariensi 4. Contra Gentiles cap. 14. §. *Sed circa primum.* Videtur, id non explicari à S. Doctore in vltimo testimonio primæ partis: Quoniam dicerent, & quidem verè, qui oppositum esse demente D. Thomæ tenent (inquit ille) quod per illud absolutum non intelligit S. Thomas, fundamentum relationis, quod est accidens, sed subiectum, quod est substantia: nam fundamentum talium relationum si est idem, quod relatio non est aliquid præter significatum nominis relatiui, sed benè subiectum, quod est substantia: est enim aliud ab ipsa relatione, & a ratione fundandi.

§. 45. Sed contra: Malam causam tuetur Ferrariensis: Nam eiusmodi responsum minime cohæret cum verbis nec intellectu Diui

Thomæ

Thomæ clarissime docentis esse aliam rem totum illud, quod inuenitur, in relatiuis præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui: atqui non solum substantia, non significatur nomine relatiuo, sed etiam quantitas, qualitas &c. nomina enim relatiua sunt similæ, æquale, &c. ergo etiam quantitas, & qualitas sunt alia res ab ipsa relatione. Vel ostende nomen, aut significationem nominis relatiui in quanto, & albo &c. dicere autem, quod quia accidens fundans est idem cum ipsa relatione continetur sub eius significatione: ni fallor, est pulchra principij petitio.

§. 46. Pergit prædictus Magister, & magis se fidere fatetur testimonio ex quarto contra Gentiles cap. 14. quod supra primo loco citaui suppressis non nullis, quorum contextum subtcui, vt commodius loc. loco simul cum iudicio Ferrariensis illum exiberem. *Propter quod* (inquit S. Doctor) *Relatio substantiæ aduueniens postremum, & imperfectissimum esse habet: postremum quidem, quia non solum præ exigit esse substantiæ, sed etiam aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio, sicut vnum in quantitate causat æqualitatem, & vnum in qualitate similitudinem.* Hæc ille: ex quibus liquido apparet, relationem prælupponere in substantia esse aliorum accidentium, tanquam a se distinctorum, quippe quæ ipsius causę sunt, & quorum esse est prius, & perfectius quam esse relationis. Mitto alium locum ex duo decimo Metaphysicæ, quem etiam laudat Ferrariensis, habetque vt expressum pro distinctione relationis non solum a substantia; sed etiam a fundamentis accidentium, quem videm si lubet apud ipsum: nos enim in hostes properamus.

§. 47. M. Petrus à Iesu Maria aliàs Serna disput. 3. sect. 6. artic. 2. prædicta eludere conatur testimonia, nequicquam tamen: nam ad primum respondet, nihil aliud colligi ex illo, quam quod relatio non fundatur immediatè supra substantiam; sed quia contrarium est probabilius, ait S. Thomam solum velle explicare, quàm impefectum esse habeat relatio ex suo genere; siquidem non solùm fundatur in substantia, sed etiam in quolibet accidentium genere, atque hinc solùm conuinci, relationes fundatas supra accidentia distingui realiter substantia.

§. 48. Sed contra: hæc responsio nec nodum soluit, & sibimet contradicit: non soluit nodum, quia cum omnis causa, quæ non est intrinseca, neque causat per sui compositionem cum alia media vnione reali, & intrinseca, vt materia, vel forma distinguitur realiter à suo effectu, quod suppono vt certum ex 2. Physicorum, sed quantitas, & qualitas ex D. Thoma causant relationem, & per te non intrinsecè; in hoc enim à Nominalibus te recedere dicis: Artic. 3. §. Displicet autem: ergo realiter distinguitur à quantitate, & qualitate seipsam causantibus, quod hæc solutio non expedit: cum tamen in hoc consistat difficultas testimonij prædicti, tum etiam sibi contradicit, quia cum relatio per se etiam fundetur in substantia, iam illa non est imperfectissimum, neque postremum inter accidentia: ergo scopus Sancti Doctoris non fuit solùm explicare, quod relatio sit postremum, & imperfectissimum inter accidentia, sed aliquid aliud.

§. 49. Ad secundum ex primo sententiarum, respondet S. Thomam exponendum esse de distinctione reali secundum terminum, iuxtà expositionem primi loci. sed vellem me hercle, vt ipse exposuisset; nam D. Thomas expresse docet, relationem creatam facere compositionem accidentis ad subiectum, quam non facit Diuina. Ad vitandam autem hanc compositionem, ex qua infertur distinctio realis componentium, quid rogo iuuat, si dicas, relationem solùm esse aliam à fundamento ratione termini? nihil profecto. Dices ex prædictis verbis, solum colligi compositionem per intellectum, non realem entitatiuam: Contra primo: sola distinctio formalis per intellectum non arguit compositionem: alioqui etiam in Deo relatio faceret compositionem: sunt equidem conceptus formaliter distincti per intellectum Essentia Diuina, & Paternitas absolutum, & relatiuum, atqui relatio creata ex D. Thoma compositionem facit cum substantia: ergo realem, & non solùm formalem per rationem facit. Et ne effugias ad relationes, quæ immediatè fundantur in accidentibus, loquor de ijs, quas admittis fundatas immediatè in substantia: cum qua si relatio solùm faceret compositionem formalem per rationem similiter etiam faceret compositionem relatio Diuina, quod Sanctus Doctor negat.

§. 50. Contra secundo: illa compositio colligitur ex verbis D. Thomæ, quæ excludit identitatem realem relationis cum substanita; sed sola compositio formalis per rationem non excludit identitatem realem relationis cum substantia: ergo non colligitur sola compositio formalis per rationem. Minor, & consequentia liquent. Maiorem ostendo ex ipso Doctore Sancto quæst. 8. de Potentia artic. 2. vbi sic ait: *Supposito, quod relationes in Diuinis sint, oportet dicere, quòd sint Essentia Diuina, alias oporteret ponere in Deo compositionem.* Ergo compositio, quam negat D. Thomas relationi Diuinæ, & concedit creatæ, non est alia, nisi quæ excludit identitatem realem relationis cum suo fundamento. Patet hæc consequentia; nam qui diceret relationem in Diuinis non esse Diuinam essentiam, eo ipso poneret compositionem in Deo: sed non compositionem formalem per intellectum, quia cum hac compositione benè cohæret dicere, relationem esse Diuinam essentiam realiter, & entitatiuè: ergo ex verbis D. Thomæ non formalis per intellectum; sed realis compositio colligitur inter relationem immediatè fundatam in substantia, & ipsam substantiam.

§. 51. Ad tertium, quod difficilius esse fatetur, respondet, ex illo colligi, relationem, & fundamentum esse duas res, quod etiam nostra sententia tenetur expedire, quia apud nos hæc distinctio non est rei à re, sed à modo: modus autem non est res rigorosè. Dicit insuper realitatem relationis à fundamento debere intelligi, vt explicat D. Thomas opusc. 48. c. 2. scilicet, quod in eo differt relatio à suo fundamento, quia dicit rem sui fundamenti, & etiam opposi-

tum terminum, quia est alia res à fundamento sicuti dicitur totum à sua parte differre; vnde tota diuersitas relationis à fundamento est ratione termini, quæ non importat fundamentum. Exponit tandem verba Diui Thomæ, docetque in significatione *nominis relatiui* comprehendi etiam ipsum fundamentum, ac proinde id, quod non continetur sub nomine relatiuo, proculdubio est terminus, & sic est alia res; si enim S. Thomas diceret, præter id quod continetur sub nomine absoluto est alias res, tamen significaret relationem, quia relatio non continetur sub nomine absoluto, at sub nomine relatiuo in concreto etiam fundamentum includit.

§. 52. Sed contra primo: nam *alias res* significat distinctionem realem contra distinctionem rationis. Contra secundo, quia ex Nostratibus perpauci sunt qui modalem esse dicant hanc distinctionem. Communior verò consensus Thomistarum est, esse realem, & rei à re, vt tenent Complutenses, & apud ipsos Masius, Acquarius, Capreolus, Deza, Caietanus, Ripa, Ferrariensis, Flandrensis, Zanardus, Sanchezius, Gallego, buibus adde M. Termam. lib. 2. q. 2. M. Parram tract. 4. dubio 4. & alios.

§. 53. Accedit Subtilis Doctor Scotus cum tota Schola. Contra tertio: hallucinatur insigniter Serna, putans ly *relatiui* esse concretum, significans relationem, & suum fundamentum, non enim significat nisi solam relationem, & cum dicitur contineri sub significatione nominis relatiui, ly *relatiui* cadit supra vocem *nominis*, & supponit pro nomine, nomen autem relatiuũ, v.g. similitudo, æqualitas, paternitas, &c. (ecce nomina relatiua, quæ non significant, nisi solas relationes in abstracto) in creatis dicit aliam rem præter ipsam relationem significatam. Audi Doctorem Sanctum iugi tenore se explicantem: *In creatura* (inquit) *præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res: in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem, quæ non perfectè exprimitur relationis nomine quasi sub significatione talis nominis comprehensa.* Ecce nomen relationis: ergo nomen relatiuum nihil nisi relationem significat apud D. Thomam, proindeque non est concretum simul significans fundamentum. Contra quarto: quia in relatiuis æquiparantiæ, vt in simili, & æquali etiam terminus significatur eodem nomine concreto relatiuo: ergo perperàm dicit per ly aliud præter contentum sub nomine relatiuo denotari terminum. De opusculo 48. infrà erit sermo. Sinistrè igitur, & inuita (vt aiunt) Minerua explicat D. Thomam M. Serna, qui tamen huiuscemodi interpretamentis gloriatur, se fregisse alas oppositæ sententiæ, quibus suo videri (inquit) in montem altum doctrinæ, S. Thomæ volabat, &c. Verum tamen nostra sententia ad doctrinam S. Thomæ non volat, sed in illa vti in nido geniali secura cubat: nec si volare cupiat (absit inuidia verbo) quicquam, infausti à Serna timuerit, quippe qui nedum illi non fregit alas, sed nec plumam vulsit.

§. 54. Obijcies primò. Celebrem locum D. Thomæ in quinto Physicorum lect. tertia §. *Si igitur prædicamenta*, ibi *Dicendum* (inquit) *quod si aliquid per sui mutationem efficiatur mihi æqualis, me non mutato, æqualitas prius erat in me quodam modo, scilicet in sua radice, ex qua habet esse, reale. Ex hoc enim quod habeo talem quantitatem, competit mihi, quod sim æqualis omnibus alijs, qui talem quantitatem habent. Ergo cum aliquis de nouo accipit talem quantitatem radix æqualitatis terminatur ad istam. Et ideò nihil aduenit mihi denuò secundum hoc, quod incipio alteri esse æqualis per eius mutationem.* Hæc ille similiaque repetit 3. par. q. 16. art. 6. ad 2.

§. 55. Hanc auctoritatem satis clarè ex ipsomet D. Thoma, explicui supra dissert. 46. Theorem. 5. à §. 56. Iubet tamen attexere aliam explicationem M. Flandrensis, quam quidem elicit ex eodem Doctore Sancto in 4. distinct. 41. q. 1. art. 1. vbi *Quandoque enim* (inquit) *relatio innascitur ex motu alterius extremi tantum: & hoc contingit dupliciter. Vno modo quando relatio innascitur ex motu vnius sine motu alterius, vel præcedente, vel subsequente, sicut in creatura, & creatore sensibili, & sensu scientia, & scibili. Et tunc relatio non est in vtroque secundum rem, sed in vno secundum rem, & in alio secundum rationem. Alio modo quando innascitur ex motu vnius sine motu alterius existente: non tamen sine motu præcedente sicut æqualitas fit inter duos homines per augmentum, aut, motum vnius, sine hoc, quod alius tunc moueatur, aut augeatur; licet tamen priùs adhanc quantitatem, quam habet per aliquem motum, vel mutationem peruenit; ideò in vtroque extremorum est relatio realis.* Hactenus ille ex quibus prædictus Magister superiorem locum explicat. Dicit enim: si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi æqualis, me non mutato sub intellige *in præsenti*, sed tamen me mutato *in præterito* æqualitas priùs erat in me sicut in radice idest fundamentaliter effectiuè, materialiter, & dispositiuè, ex qua radice habet esse reale, scilicet effectiuè etiam materialiter. Ex hoc enim, quod habeo talem quantitatem, competit mihi scilicet effectiuè quòd sim æqualis omnibus alijs, qui talem quantitatem habent: cum ergo aliquis de nouo accipit talem quantitatem, nihil aduenit mihi de nouo simpliciter idest totaliter, sed benè quantum ad rationem completam relationis, per hoc videlicet, quod incipio alteri esse æqualis per sui mutationem, acquiro enim relationem denuò solùm quo ad esse completum eiusdem, non verò quantum ad esse fundamentale, quod in me præcessit, equidem si de nouo totaliter acquirerem relationem, necesse erat in me fieri mutationem. Hæc fermè Flandrensis, quibus non nullos Thomistas asserentes Sanctum Doctorem expresè docuisse contrariam sententiam in citato Physicorum testimonio, vt erant S. Antoninus, Heruæus, Syluester, &c. acerbè sugillat: *Ex prædictis igitur* (inquit) *Discipulis benignis, & humilibus, scilicet non obstinatis, & in propria opinione non submersis manifestè apparet, qualiter prædicta auctoritas Doctoris Sancti ex 5. Physicorum lect. 3. adducta ab aduersario intelligi debeat, &c.* Explicatio hæc valdè probabilis est, viamque sternit ad alias difficultates explanandas; sed nostra prior solutio facilior quidem, atque clarior videtur.

§. 56. Obijcies secundo Opusculi quadragesimi

simi secundi cap. 2. vbi S. Doctor sic habet: *Cum dico, quod similitudo fortis habet albedinem eius vt fundamentum, non est intelligendum quod similitudo fortis sit aliqua res in forte alia ab ipsa albedine; sed solum est ipsa albedo vt se habet ad albedinem Platonis vt ad terminum. Si enim similitudo adderet supra albedinem fortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione.* Hoc testimonio rem contra nos confecisse putant aduersarij. Clariùs à se non posse stare S. Thomam censuit Hurtadus: & superiùs dixerat, tam clarè contrariam sententiam esse S. Thomæ. *Vt merito possit obijci Caietano quod ab ipso multis Thomistis, nempè ab eo non intellectum S. Thomam nec video* (inquit) *in re tam aperta quo animo Thomistæ se tueantur auctoritate S. Thomæ cum illis aperto Marte pugnantis.* Hæc ille, plauduntque Arriaga, Ouiedus Alonius, & alij.

§. 57. Respondeo reiectis aliorum explicatibus, prædictum Opusculum non esse Diui Thomæ, sed incogniti Auctoris suppositij, vt testantur S. Antoninus 3. parte Histor. titulo 18. cap. 10. Antonius Senensis in Bibliotheca Prædicatorum. Sic communiter Nostrates M. Masius, Ripa, Gallegus apud PP. Complutenses, quibus addo Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1265. obseruat. 2. M. M. Patram Lermam, Martinezium Promotores Editionis Romanæ sub Pio V. Pont. Max. Iustinianum Cardinalem, & Marripuesium Sacri Palatij Magistrum, qui ante Opusculum 41. hæc habent: *Cum inter omnes vna; constaret sententia, vt aliqua Opuscula minimè Aquinatis doctrinam saperent, neque stylum, neque ordinem tanto Doctori consuetum retinerent, neque ea maiestate tractarentur, vt Aquinatis ingenium redolerent; sed supposititios fœtus esse viderentur, atque ab Auctore non tanti acuminis composita: ea propter curauimus, ne laudè huius nominis imperito aliquos ornaremus, aut S. Doctorem quorumdam Opusc. gloria priuaremus, vt in diuersis caracteribus legitima à notis, & germana ab apochryphis distincta prodirent, &c.* Viderat sanè Hurtadus Opusculum hoc diuerso ab alijs charactere exaratum, & quod non certa pollebat auctoritate etiam apud Thomistas, qui contrariam sententiam tenebant; etenim Sotus, qui primus illud in hanc disputationem intrusit, dubuit omninò, atque nutabundus, proposuit aiens: *Si est S. Thomæ.* M. Arauxo Metap. 5. quæst. 5. art. 5. *Quod si in certum sit* (inquit) *Opusculum hoc esse D. Thomæ, cuiuscumque tamen sit Auctoris, nostræ sententiæ suffragatur.* Non ergo pro certo habebant, illud esse D. Thomæ. Iam verò nostris temporibus neque in fauorem proprопriæ sententiæ illud non nulli admittunt, vt Martinez de Prado Metaphys. par. 1. controu. 7. num. 32. *Solet etiam probari* (inquit loquens de sua sententia) *ex Opusculo 49. Tract. de Substantia, &c. . . Verum quia hoc Opusculum non est indubitatum S. Thomæ, & vt tale in Editione Romana minoribus characteribus est impressum, ideò non oportet in isto solo vim facere.* Nos itidem quamuis Thomistarum minimi, nec pro nobis, nec contra nos huiusmodi adulterina opuscula vsquam recipimus, iniquam enim timiditatem esse censentus illa admittere pro sententia propria tanquam fœtum Diui Thomæ; at dum ab hoste nobis obijciuntur, ea negare, esse eiusdem Doctoris id, quod in præsentiarum facere videntur PP. Complutenses: quamobrem M. Ioannis à S. Thom. laudo æquitatem, ait enim: *Nec debemus negare hoc Opusculum esse D. Thomæ à quo toties auctoritatem eius petimus.* Sed relictis Iunioribus hisce Thomistis, pergo ad antiquos huius Scholæ Doctores, apud quos magis exploratam fuisse Angelici Doctoris mentem, nemo dubitauerit.

§. 58. M. Flandrensis peculiarum instituit quæstionem de mente D. Thomæ circa distinctionem realem relationis à fundamento sub hoc titule. ARTICVLVS XIX. *Vtrum secundum Scholam, & doctrinam Doctoris Sancti non sit concedendum, quod relatio differat realiter à suo fundamento?* En cõtrouersia tota de mente Diui Thomæ: afferuntur triginta argumenta contraria ex auctoritatibus eiusdem deducta, quibus S. Antoninus probare contendebat, D. Thomam, expresè contrariam sententiam tradidisse: Et certè si opusculum istud esset Diui Thomæ, nullum posset expressius, & clarius pro illa exhiberi testimonium: Sed dum vndè quaque petuntur verba, & auctoritates S. Doctoris neque verbum, neque mentionem istius opusculi facit aduersarius, adeò nè alto sepeliretur silentio, si illud aliqualem haberet auctoritatem? Quinimò Flandrensis, & ipsum Antoninum ob præfatam opinionem quasi non verum Thomistam sic citat: *Quidam asserentes, se esse de Schola Thomistarum, vt Antonellus Archiepiscopus dicunt, esse de mente Doctoris Sancti, quod relatio non differt à suo fundamento; &c.* Et in responsione ad octauum argumentum sic illum grauiter taxat. *Velle enim* (inquit) *certiuè probare, & ostendere, esse de mente Doctoris Sancti, relationem non distingui realiter à suo fundamento &c. Valdè puerile est, & magis est Doctorem Sanctum vituperare, quam clarificare.* Sic ille. Si ergo hæc dixit grauissimus Vir de Scriptoribus, qui suam sententiam deducere arbitrantur ex authenticis, certis, & nobilissimis D. Thomæ operibus; quid rogo dicturus esset de neotericiis, qui non nisi aliena retrimenta, furfures, atque glumas pro fruge Angelica nobis obtrudere volunt? Reuera igitur prædictum opusculum (si cum M. M. Iustiniano, & Marriquesio de ipso censura ferenda est) minimè doctrinam Aquinatis sapit, neque stylum, neque ordinem tanto Doctori consuetum retinet, neque ea maiestatę tractatur, vt Aquinatis ingenium redoleat; sed ab Auctore non tanti acuminis compositum est, proindeque vt notum à legitimis, vt apocryphum à germanis distinctum prodijt in diuersis characteribus. Eat nunc Hurtadus, & quærat, quo animo Thomistę tueantur se auctoritate Diui Thomæ cum illis aperto Marte pugnantis.

THEOREMA VI.

Argumenta contra distinctionem realem relationis à suo fundamento eneruantur.

§. 59. MVlta nimis sunt argumenta quibus nominales nostram impetunt sententiam.

tiam. Vnus Flandrensis plusquam quinquaginta congerit, quorum tamen robur numero non respondet. *Rationes prædictæ* (inquit ille) *licet sint multæ, & variæ in quantitate; paucæ tamen sunt, & modicæ in valore &c.* Non mirir Flandrensem, quippè qui Thomistica fretus doctrina hostilia arma contemnat; sed valdè mirum est, quod ipsi etiam aduersarij suæ opinionis dispiciant argumenta: M. Sonzinas post quatuor, ita subiungit; *Multæ rationes ad hanc conclusionem fieri solent, quarum multæ potius irrisiones sunt, quam rationes, & magis offendunt præclara ingenda; quam illuminent.* Et M. Sotus *Plura congeruntur alia argumenta* (inquit) *vt videre est apud Gregorium primo sentent. d 18. q. 2. sed omnia sunt velut Cathena, cuius si vnum annulum infringas, tota dissoluitur.* Hæc ille. Fortasse pleraque argumenta, quibus neoterici nunc nituntur, & fortissima arbitrantur, de annulis erunt istius cathenæ: & quidem Franciscus Alonso cum ex Hurtado, & Arriaga sua transcribat argumenta, tamen de eorum efficacia ita scribit; *Alijs rationibus impugnari solet opposita sententia, quas quia non adeò firmæ sunt; omitto, videantur apud P. Hurtado, & P. Arriaga.* Nos omnia excutiemus, & cuiusnam Auctoris vtrum quodque sit, breuiter indicabimus.

Thomistarum argumenta.

§.60. OBijcit primo Iauellus, & est vnica eius ratio ex M. Heruæo desumpta: Impossibile, & in intelligibile est, aliquid de nouo aduenire alicui subiecto diuersum realiter ab omni eo, quod priùs inerat eidem; & quod subiectum non sit mutatum secundum tale sibi adueniens; sed relatio aduenit de nouo alicui subiecto ex Arist. 5. Physicor. sine mutatione subiecti, vt patet si hodiè sit tantum vnum album in mundo, & cras fiat aliud album verum erit dicere cras, hoc album est simile illi, & tamen hodiè non est verum, quia non dum est positum correlatiuum; ergo similitudo de nouo aduenit priori albo non facta mutatione in illo, sed sola productione coalbi; ergo relatio non est quid distinctum à fundamento albedinis, ac proinde posito vno solo albo, ponitur tota realitas similitudinis; sed non formaliter donec coalbum producatur.

§.61. Dices cum Caietano supracitato, quod posito fundamento ponitur relatio incompletè, & completur sola positione termini, & ideò potest aduenire de nouo sine mutatione eius, in quo est; adducitque exemplum de actione: subtracto namque calefatibili, si esset calor calefactiuus, calefactio actiua non esset actiualiter, nec inesset agenti vt accidens in subiecto: & tamen apposito calefactibili statim esset, & inesset actio in agente propter eamdem causam, quia scilicet tam relatio, quam actio tollitur actu sub tracto extrinseco termino, vel passo, & remanet radicaliter, seù causaliter.

§.62. Sed contra instat Iauellus: Vel relatio sola positione termini completur quo ad suum esse formale tantum præcisè, vel quoad suam realitatem, Si primum; ergo tota realitas similitudinis inerat subiecto ante positionem termini; sed in subiecto non erat nisi fundamentum nempè albedo: ergo eadem est realitas albedinis, & similitudinis: Si secundum: Non est intelligibile, quòd relatio compleatur posito termino, nisi quia realitas relationis, quæ erat in potentia, posito fundamento, fiat actu in subiecto expositione termini; sed hoc est impossibile sine mutatione subiecti, quod enim transeit de potentia ad actum necessario se habet aliter, quam priùs: Ergo: Exemplum autem de actione non iuuat, nam ideò posito passo, sequitur actio, quia producitur ab agente, & recipitur in passo; ast relatio vt patet, non producitur realiter à fundamento, vt recipiatur in termino: ergo.

§.63. Hoc argumentum esse difficillimum ingenuè fassus est Caietanus, ait enim, illud *maximam rem habere*. Caietani solutionem taxat Hurtadus aiens, ita illud diluere ambiguè, vt quandoque in contrariam nominalium videatur claudicare sententiam; sed fallitur prorsus: Nam nominales constituunt relationem in vtroque extremo formaliter tanquam in causis intrinsecis ita, vt ab alterutro non nisi inadæquatè distinguatur, vt totum à partibus: At verò Caietanus fundamentum docet esse causam effectiuam, & terminum causam formalem extrinsecam, ac proindè dum dicit relationem poni incompletè posito fundamento, loquitur in sensu causali, est enim fundamentum causa effectiua illius, quæ posito termino relationem facit resultare, quod à nominalismo multis distat parasangis. Vndè huius argumenti duplex suppetit solutio: prima quidem, quam dedimus supra ex Flandrensi §. 49. quæ omninò idonea est, retolendaque: alteram recognosce supra *Dissert.* 46. Theorem. à §. 56.

§.64. Obijcit secundo M. Sonzinas: sortem esse Patrem nihil est aliud, quam habere filium; sed Filius non est aliqua entitas in sorte: ergo adhoc, vt ille sit Pater, non requiritur aliqua entitas super addita illi. Dices repugnare esse Patrem, nisi per hanc entitatem, quæ entitas separari non potest à sorte quandiù filiatio est. Sed contra: omne accidens per accidens separari potest sine corruptione subiecti, sed Paternitas in sorte, & Filiatio in Platone sunt accidentia per accidens: ergo separari possunt manente substantia vtriusque. Maior nisi proteruiter negari non potest; patet enim ex definitione accidentis per accidens. Minor etiam patet, quia aliquando sortes per se non habuit hanc entitatem, & si Plato moreretur, ipsa separaretur à sorte. Consequentia est bona. Dices: quod posito isto casu, sortes non esset formaliter Pater; Contra primo: Habet filium à se genitum: ergo sortes est Pater. Contra secundo; Est Pater: ergo est formaliter Pater. Consequentia est euidens: quia nemo potest denominari pater, nisi à paternitate existente in eo, quia Paternitas non denonat extrinsecè.

§. 65. Respondeo: Nego maiorem: quia esse Patrem non tantum est habere filium, sed etiam referri ad Filium; refertur autem per aliam entitatem à filio, quæ quidem inseparabilis est

ab

ab vtroque. Vndè ad instantiam distinguo maiorem: omne accidens per accidens est separabile à suo subiecto: absolutè, & regulariter loquendo: concedo maiorem ex suppositione, & aliunde admissa essentiali dependentia illius à subiecto, nego maiorem: sessio enim v. g. est accidens, & supposito quod Petrus sedeat, impossibile est, quod ab ipso separetur. Sic visio intuitiua est inseparabilis a vidente, & obiecto. Sic calefactio à calore, & calefacto, &c. Sat ergo erit, quod sicut sessio est accidens separabile quoties Petrus steterit, vel iacuerit, sic Paternitas sit accidens separabile quoties sortes non genuerit, vel Plato filius interierit. Vndè non admittimus casum, quo sortes non esset formaliter Pater posita substantia viuente à se genita: de quibus infra vberius.

§. 66. Obijcit tertio idem Sonzinas: Duplicitas, quæ relatio est ex Arist. 5. Metaph. text. comm. 20. non distinguitur à fundamento. Ergo nec cæteræ. Probatur antecedens: duplicitas, qua corpus bicubitum est duplum respectu corporis vnius cubiti, non distinguitur ab ipsa quantitate continua: ergo, antecedens probatur: quia si eiusmodi duplicitas est quid distinctum, vel est tota in qualibet parte quantitatis; vel tota in tota, & pars in parte? Sed non primum, quia iam quælibet pars esset dupla, quod patet esse falsum. Neque etiam secundum, quia inprimis partes duplicitatis non essent eiusdem rationis cum toto; alioqui sequeretur ipsum inconueniens, quod anteà inferebatur, scilicet quod quælibet pars, quantitatis esset dupla; sed neque etiam possunt esse diuersæ rationis: quia quod non habet extensionem, aut diuisibilitatem ex se, sed à quantitate, non est alio modo diuisibile, quàm illa; sed quantitas non est diuisibilis nisi in partes eiusdem rationis: ergo duplicitas, quæ non ex se, sed à quantitate habet diuisibilitatem, non potest diuidi in partes diuersæ rationis.

§. 67. Respondeo: nego vtrumque antecedens: ad probatum aio. Duplicitatem esse totam in toto, & partem in parte. Ad instantiam dico ex M. Ferrariensi quantitatem bicubitam induere rationem discretæ: iam enim ipso nomine præsefert numerum cubitorum: vnde quamuis quantitas continua formaliter, vt continua sit diuisibilis in partes eiusdem rationis, vt linea in lineas, superficies in superficies, &c. tamen discreta id non habet; non enim ternarius in ternarios diuiditur, neque hora in horas, &c. Similiter neque bicubitum erit diuisibile inbicubita, sed in partes diuersæ rationis à toto, idest in quantitates vnius cubiti. Tertium Sonzinatis argumentum tum de relatione distantiæ, quia tangit difficultates de compositione continui, & de inceptione rerum ad Physicos missum facimus. Quantùm denique de duplicitate, quam numerus quaternarius dicit ad binarium, quia etiam obijcitur à M. Soto, infrà cum cæteris eiusdem argumentis diluemus.

§. 68. Quartò obijcit M. Sotus: incredibile est per hoc, quod aliquis incipiat in India esse albus; oriri in me aliquam rem, quam anteà non habebam: illicò enim pullulant innumeræ entitates eo, quod illi incipio esse distinctus, similis, maior, &c. & quoties producitur res aliqua, pullulatim omni creatura mundi in cœlo, & in terra noua entitas, &c. quin etiam quando mouetur aliqua res, resultabunt in omni corpore mundi, & in quolibet instanti motus nouæ entitates, quibus illa est magis, vel minus propinqua, &c. quod ille credat (inquit) qui capere potest.

§. 69. Argumentum hoc antiquum est: adducitur etiam à Durando, & soluitur à Flandrensi, vtuntur eo politissimi Recentiores, vt Arriaga, Ouiedus, Lynceus, Spinula, Izquierdus, &c. Contemnitur ab Hurtado, quia licet inferat absurdum (inquit ille) non tamen habet aliam confutationem præter admirationes, & exclamationes. Addit Caberus *gesticulationes* antiquum exemplum est de motu muscæ, vt apud Flandrensem, eoque vtitur Arriaga; sed Ouiedus ponit motum aristæ, alij motum digiti, & mutato exemplulo, putant, nouum robur argumento addidisse. Respondeo, in me albo statim oriri nouam entitatem ex coexistentia albi denuò producti apud Indos, nec hoc debere esse mirum, quia nouus ille modus resultat simplici emanatione per solam termini positionem sine motu per se terminato ad relationem, qui solùm requiritur ad effectus causæ per se; nam causa per accidens, vt auus v. g. Limæ existens, potest producere nepotem in Antipodibus, vt iam supra diximus dissertat. 16. §. 59. Iam verò si in omni creatura mundi resultent nouæ relationes, tamen illæ adeò tenuis, & minimæ entitatis sunt, vt nullatenus sit timendum, ne earum oneri mundus succumbat. Quinimmò in Aduersariorum sententia etiam resultant penè infinitæ denominationes, connotationes, formalitates, penè infiniti numeri binarij, ternarij, millenarij cum stellis, cum plantis, cum brutis, &c. penè infinitæ terminationes reales cognitionis Angelorum, Beatorum, &c.

§. 70. Hinc ruit instantia Ouiedi aientis, album existens Parisijs valdè distans esse, ad hoc, vt determinat album existens Matriti ad productionem relationis, proindeque naturam debuisse Tabellarios instituisse valdè sollicitos, qui ad productionem nouæ cuiusque entitatis nuntiarent cæteris, vt erumperent in nouas relationes, &c. sed verò hoc vltimum insulsitas est indigna responso. Aio tamen magis distare octauum cœlum sydereum à terra, quàm Matritum à Parisijs, & tamen astra innumeros producere in terris effectus absolutos sine tabellarijs naturę: ergo multò meliùs potest produci tenuissima & exilis entitas relationis à causa distante minus: neque enim vlla determinatione opus est, nisi quod ponatur conditio, nempè coexistentia termini, vt illa resultet: etenim ignis v. g. posita applicatione passi, statim calefacit, quin à tabellarijs admoneatur, neque sciat, positam esse conditionem. Cæterùm antiqua Thomistarum solutio Aduersarijs tollit metum, ne nouis relationibus mundus grauetur: docet, producto albo apud Indos, non nisi duas specie distinctas resultare

tare relationes, vnam similitudinis ad omnia alba vniuersi, & alteram dissimilitudinis ad omnia nigra, vel rubra, &c. itaut Petrus v. g. vnica similitudine respiceret omnia entia vniuersi; si omnia essent alba: Et similiter quodlibet alborum totius mundi non acquireret nouam similitudinem, sed illa ipsamet, qua respiciebat anteà cætera alba, referretur etiam ad nouum album indicum. Porrò musca itidem per motum localem non nisi duas relationes acquireret, distantiæ scilicet, & propinquitatis, quibus ad omnia tum remota, tum proxima referretur. Rursus non resultarent nouæ distantiæ, nec propinquitates in omnibus mundi corporibus (quod Aduersarij falsò imaginantur) equidem omnia corpora mundi etiam priusquam musca volitasset, alioqui sanè erant propinqua, & distantia respectu aliorum: eadem igitur relatione distantiæ, vel propinquitatis respicerent muscam, quam respiciebant montes, flumina, arbores, &c. sicuti eadem paternitate respicitur filius denuò genitus, &c. sic S. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. Caietanus ibidem & q. 3. art. 6. §. Ad hanc.

§. 71. Objicit quintò Sotus: si relatio distingueretur realiter à fundamento posset Deus illam separare, manente fundamento, & termino, idest manentibus albis, potest Deus illam corrumpere; atqui tunc alba adhuc essent formaliter similia sine illa entitate: ergo illa est superuacanea. Est vetus argumentum Aureoli in 1. distinct. 30. & Gabrielis ibidem: soluitur à Capreolo ibidem q. 1. & à Flandrensi art. 18. ad 14.

§. 72. Respondeo nego maiorem: est enim essentialis connexio inter extrema relationis posita ratione fundandi, & ipsam relationem necessariò resultantem emanatione simplici, itavt impossibile sit, Deum illam aliter ponere, vel auferre, nisi ad posituram, vel corruptionem vtriusque, vel alterutrius: alioqui, sequeretur, dari motum per se ad relationem, quod si per impossibile Deus similitudinem alborum illis manentibus corrumperet, iterum alia, & alia in infinitum pullularent durante conseruatione alborum. Nam vt benè Capreolus *Deus ponendo duo alba, ponit similitudinem*, & ideò impossibile est, quod positis duobus albis destruat eam, quia tunc eamdem rem poneret simul, & destrueret, non quidem ratione identitatis formalis, sed essentialis sequelæ, quod clariùs expressit alter Thomistarum Princeps, M. Flandrensis 5. Metaph. q. 16. artic. 4 *Deus* (inquit) *non potest annichilare relationem, ponendo illam; cum autem ponit ea, ex quibus de necessitate sequitur relatio, tunc ponit ipsam relationem. &c.* Accinit Subtilis Scotus in 4. dist. 12. q. 1. Hanc vocant Theologi necessitatem suppositionis.

§. 73. Obijcit sextò: sequeretur, quod duplicitas, qua numerus quaternarius hominum est duplici binario, esset entitas distincta à quaternario, & per consequens, quod vnum, & simplex accidens esset subiectiuè in quatuor distinctis subiectis. Est argumentum Gregorij Ariminensis in 1. dist. 28. q. 2. adducitur etiam à Soncinate, soluitur à Capreolo vbi supra conclus. 2.

§. 74. Respondeo: illam entitatem quæ duplicitas est, habere partes, & esse totam in toto, & eius partem in parte quaternarij; & quatuor homines se habere per modum vnius subiecti adæquati, nec est necesse, quod partes duplicitatis sint eiusdem rationis cum toto, vt supra respondimus ad totum argumentum Soncinatis §. 61. Vide si lubet Capreolum.

Argumenta Nominalistarum.

§. 75. Objicit primo Hurtadus: Petrus, & Paulus sunt similes per suas albedines sine vllo conceptu ab illis distincto: ergo in illis similitudo non distinguitur ab vtraque albedine Probatur antecedens. Primo ex definitione similitudinis. *Similia sunt, quorum qualitas est vna*: Ergo vnitas denominat subiecta similia: atqui vnitas qualitatum non distinguitur ab ipsis ergo. Probatur secundo idem antecedens: Duę albedines sunt æquales per suasmet entitates, quod clariùs patet in quantitatibus. Nam palmus, & semipalmus per suas entitates, & præciso alio quocnmque modò, sunt inæquales: ergo per suas entitates præciso alio modo, habent relationem inæqualitatis. Antecedens patet: quia palmus per suam etitatem exedit semipalmum, quià per suam entitatem habet plures partes, quam simipalmus.

§. 76. Confirmatur: Tollatur per posibile, vel imposibile quilibet modus distinctus; adhuc illæ quantitates erunt inæquales, quia vna quantitas non continet tot partes, quot altera, sed illas supponit in sententia Thomistarum: ergo illa relatio iam inuenit æqualitatem; vel inæqualitatem in illis. Dices, eas qualitates esse inæquales fundamentaliter, & non formaliter: Constitui autem formaliter inæquales relatione ab illis distinctâ. Contra: Quia inæqualitas fundamentalis non distinguitur à formali: inæqualitas enim formalis est forma includens plures partes, quam alia: at palmus non solum fundamentaliter habet plures partes, quam simipalmus, sed formaliter: Ergo: Consequentia est clara: Nam quæro, vtrum per inæqualitatem fundamentalem palmus sit actu maior simipalmò; vel non? Hoc secunpum dici non potest. Nam palmus per se continet plures partes, semipalò: ergo actu est maior, & relatio, quæ fingitur non facit illum maiorem, quia illi nihil addit.

§. 77. Hoc argumento vtuntur Serna, Arriaga, Ouiedus, Alonsus, Spinula, Tynceus, Izquierdus, & alii, est antiquorum Nominalium Ochami, Gabrielis &c. Vide Gabrielem in primo Dist. 3P qu. 1. Respondeo: nego antecedens sd primam probationem distinguo antecedens: Similia sunt qeorum qualitas est vna: sunt causalitèr, vel fundamentalitèr concedo, formaliter nego. Loquitur enim Aristoteles de fundamento causante similitudinem vt benè ibidem interpretatur D. Thomas: *Primo ponit* (inquit) *relationes, quæ consequuntur munerum absolutè: Secundo ponit relationes, quæ consequuntur vnitatem absolute.* Et clariùs quæst. septima de Potentiâ Artic. 9. ad 4. *dicendum* (inquit) *quod*

crea-

creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam, sicut secundum causam relationis, secundum vero ipsam relationem formaliter: sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter; secundum similitudinem formaliter. Hæc ille ergo similitudo non est formaliter vnitas qualitatum, sed illam consequitur, vt effectus: proindeque similia sunt quæ habent formam similitudinis, non quæ habet formam albedinis, nisi in sensu causali. Ad alteram probationem similiter nego antecedens in quo petitur principium: quia excessus ex Aristotele est relatio formaliter, sicut inæqualitas: ergo male assumitur pro medio quod palmus ex se, & sine relatione exedit semipalmum, & est inæqualis illi cum de hoc sit quæstio. Similiter nego quod ex se habeat plures partes quam semipalmus vt mox explicato.

§.77. Ad confirmationem dico admisso impossibili, quod tolleretur inęqualitas à palmo & semipalmo, fore vt verificarentur duo contradictoria, nempè quòd essent formaliter inæquales: quia ponebantur fundamentum, & terminus, & ratio fundandi inæqualitatem: & simul, quod non essent æquales formaliter, quia supponitur ablata formalis inæqualitas. Vndè quando dicimus, duas qualitates se solas non esse, nisi fundamentaliter similes nolumus, dicere in vllo euentu esse possibile, quod positis duobus albis, illa remaneant solùm fundamentaliter similia, quod Mayronius, & alij Scotistæ perperam concessere: sed solum assignamus effectum, quem albedines præstant, vt consurgat formalis inæqualitas, quæ adhuc Diuinitus est inseparabilis à fundamento, & termino, vt supra dixi: Ad instantiam, quod inæqualitas formalis non distinguitur à fundamentali: Respondeo: quod sicut vna quantitas facit vnum quantum, sic duo quantitates faciunt duo quanta, & sicut vna albedo non nisi vnum album facit, sic duæ faciunt duo alba, & non aliud quicquam formaliter: at vero quod ea sint æqualia, vel similia prouenit à formâ realiter distinctâ falluntur que Aduersarij, dum dicunt, nihil esse Petrum esse Paulo similem albedine, quam Petrum esse album sicut Paulus, falluntur (inquam) existimantes, id fieri sine nouâ entitate, nam ly *sicut* significat habitudinem, & ordinem, quæ albedo se solâ non præstat, neque enim albedo in suo conceptu vllam includit *Sicuitatem* formaliter: & dum dicitur palmum habere tot partes, quot alius. Illæ voculæ *tot*, *quot* supponunt pro illa minimâ entitatulâ æqualitatis fundatæ supra his, & illis partibus. Vndè hę propositiones semper sunt falsæ: *Palmus se ipso excedit semipalmum* (id est sine relatione excessus) *Palmus se ipso habet plures partes. Palmus à se ipso est actu maior semipalmo.* Etenim excessus: pluralitas, & maioritas sunt formalissimæ relationes, quas nullatenus in suo conceptu includit quantitas, vt talis. Igitur relatio facit palmum actu maiorem semipalmo id est, est forma afficiens, & denominans eo quod palmus habet quatuor partes vg. & semipalmus duas, quas quidem non præstat maioritas formalis; sed supponit, neque palmum facit maiorem, quia partes addat, sed quia resultat ex earum additione. Et ratio horum est, quia quantitas, & qualitas, & earum vnitas sunt entia absoluta, de quorum ratione est esse ad se; ac proinde nullatenus possunt habere totum suum esse ad aliud, quod essentialiter petitur ad ens relatiuum, vt est æquale simile, maius, &c. qualitas: ergo, & eius vnitas absoluta fundare relationem potest; constituere non potest, indiget que aliâ formâ relatiuâ super additâ, cuius totum suum esse sit ad aliud. Ad vltimum Dilema. Respondeo per inęqualitatem fundamentalem palmum non esse actu maiorem semiplano: sed palmum dumtaxat: ad probatum etiam nego antecedens.

§.78. Objicit secundò. Deus habet ex tempore relationes prędicamentales quas antea non habebat est enim Dominus Petri, dissimilis, & causa: sed Deus nullum habet modum intrinsecum denuò per eiusmodi Dominium, diuersitatem &c. ergo relatio non est modus nouus à fundamento, & termino distinctus. Dices Deum esse incapacem modi intrinseci, non vero creaturas: Contra: Deus non est incapax inæqualitates, & Dominij, quæ sunt relationes prædicamentales, & est incapax modi intrinseci à se distincti: ergo illæ species relationis non sunt modi distincti.

Hoc argumento nituntur etiam, Arriaga Ouiedus, Alonsus, Tynceus, Izquerdus, & alij: sed est vetusta ratio Gregorij, aliorumque Nominalium. Immò istâ Nominalibus antiquior, quippè quam sibi obiecit D. Thomat. quæst. septima de Potentiâ artic. Vndecimo. soluitur à Capreolo, & Flandrensi vbi suprà, & ab ipso Sancto Doctore. Respondeo: nego maiorem, nempè eiusmodi relationes esse reales prædicamentales: quarum Deus est incapax vt in solutione dicitur: cuius ratio est illimitatio simplicitas, & infinita Dei perfectio, quæ sibi identificat prædicta, quæ in creaturis dicunt distinctionem, & compositionem. Ad instantiam nego maiorem, quæ composita est ex duabus propositionibus Categoricis, est que falsa quoad secundam illius partem; nempè ly *quæ sunt relationes prædicamentales*. Iam enim negauimus, Deum esse capacem relationum prædicamentalium: Vndè vt Syllogismus rectè concludat, sic continuandus est. Deus non est incapax inæqualitatis vel Dominij. Sed Deus est incapax modi realis distincti: ergo aliqua inęqualitas vel Dominium non est modus realis distinctus. Bona consequentia, sed non ad rem. Sunt enim relationes rationis. Quomodo autem cum Deus sit realiter Dominus, creator, &c. relationes dominij &c. sint rationis? Disputant Theologi, & eleganter exeluicit D. Thomas quæst. 7. de potentiâ artic. vltimo ad 3. *Sicut aliquis (inquit) est idem sibi ipsi realiter; & non solum secundum rationem, licet relatio sit secundum rationem tantum propter hoc, quod relationes causa est realis, scilicet vnitas substantiæ, quam intellectus sub ratione intelligit, ità potestas cò excedendi subditos est in Deo realiter, quam intellectus intelligit in ordine ad subditos, propter ordinem subditorum ad ipsum. Et propter hoc dicitur Dominus realiter, licèt relatio sit rationis tantum, & eodem*

dem modo apparet, quod Dominus esset nullo existente intellectu. Hæc ille:

§.79. Objicit tertiò. Forma debet habere vt *quo* effectum formalem, quem præstat subiecto vt, *quod*. Nam albedo debet esse ratio disgregandi visum &c.. Sed relatio identitatis inter Petrum, & Paulum est accidens, & non conuenit cum illis in identitate naturæ: ergo non potest facere illos idem in naturà sicut vnio non potest esse ratio vniendi materiam, & formam inter se, nisi ipsa cum illis vniatur.

§.80. Hoc argumentum est Ariminensis, Gregorij, illud contempsit vt inefficax Arriaga Sect.6 num.27. diluitque facilè. Soluerat que iam pridem Capreolus, qui sibi ità illud obiecit [omne accidens est magis diuersum à Platone, quam sit ipse sortes, vt patet: ergo per nullum accidens sortes est idem Platoni secundum speciem] mirà briuitate totam perstringit difficultatem! eàdem que respondet: Negatur consequentia (inquit), sufficit enim, quod fundamentum talis identitatis, scilicet natura specifica sit minus distinctum à Platone, quam ipse Sortes.] Hinc satis euanescunt instantiæ Arriagæ, Alonsi Tyncei, & aliorum sic arguentium Modus ille, seu accidens identitatis non est natura humana, neque aliquid illius, neque facit Petrum, & Paulum esse eiusdem naturæ: ergo non facit illos esse idem, seu similes in natura: falsa consequentia: id enim totum præstat ille modus ratione sui fundamenti, idest naturæ specificæ vt ait Capreolus.

§.81. Objicit quarto: sequeretur, dari infinitas relationes actu: Nam relatio Petri ad Paulum habet aliam relationem diuersitatis ab essentia Petri: Hæc secunda relatio habet diuersitatem, à relatione identitatis, quæ est in Paulo ad Petrum: ergo habet aliam relationem diuersitatis: tam ergo sunt tres relationes in Petro: Deinde hæc tertia relatio est diuersa ab essentia Petri: ergo habemus quartam relationem, & sic in infinitum comparando relationem identitatis cum alia diuersitatis, & relationem cum fundamento &c.

§. 82. Hoc argumentum plusquam centum, & viginti annis ante Hurtadum soluerat M. Flandrensis. Respondeò cum ipso, & alijs Thomistis, relationem accidentis ad subiectum esse transcendentalem: Vndè inter substantiam Petri, & eius relationem nulla interuenit relatio prædicamentalis diuersitatis, quod ille docuit ex Arist.7. Metaph. & D. Thoma, vbi supra artic.19. ad 19. & artic.18. ad 17. Etiam M. Masius inquiens relationem distinctionis inter relationem, & fundamentum non esse relationem Categoriæ, sed transcendentem. Nam idem, & diuersum secundum essentiam sunt quædam proprietates entis: &c. Ratio est: Quia ad rationem relationis prædicamentalis requiritur quod vnum extremum ordinetur ad aliud tanquam ad aliquod extrinsecum: nullum enim relatiuum prædimentale recipitur in opposito sicut filius non suscipitur in Patre, nec seruus subiectatur in Domino.

§. 83. Quinto Arriaga argumenta repetit Hurtadi mutato exemplo inæqualitatis palmi, & semipalmi indissimilitudinem, quam habent album, & nigrum. Et mutato exemplo duarum qualitatum in duos lateres earumdem partium, & duas libras eiusdem ponderis, quæ nihil noui roboris addunt superioribus argumentis: Objicit etiam absolutum de partibus continui, nempè sequi in sententia Aristotelis, quod in Angelo vg. essent infinitę similitudines actu ad omnia puncta, & partes proportionales continui: quæ quidem infinita sunt. Sic etiam Ouiedus, Spinula &c. Respondeo nego antecedens, & suppositum nempè partes proportionales continui esse actu infinitas. Ast sicut in illo sūt infinita fundamenta in potentia diuisionis, non est absurdum, quod etiam contineantur infinitæ relationes in potentià: nunc vero relationes non possunt esse plures, quam sunt partes actuales illius. *Et sanè minor* (inquit Poncius) *nihil aliud potuisse venire in mentem Arriagæ*. Sed antiquà est huiusmodi admiratio, sicut, & obiectio antiqua est: nam similiter Flandrensis de ipsa olim sic scripsit *Maior autem satis* (inquit) *quod viri docti has cauillationes adducant in medium volentes per illas probare conclusionem oppositam*.

§. 84. Sexto objicit Arriaga: Dantur similia absque relatione super additâ, vt sunt duæ relationes; ergo idem de omnibus est dicendum. Dices, non dari relationem ad relationem, sicut nec datur actio ad actionem: Sed Contra: Exemplum actionis non est ad rem: nam ratio, quare actio non fit per aliam à se distinctam est, quia repugnat, illam existere in rebus, & non produci ob hac causa. Respondeo, me Dissert. Præcedenti Protasi quartà assignasse quando detur relatio ad relationem, idest fundetur supra relationem, & quando non: Dixi autem, relationem respectu termini, ad quem illa est ratio formalis referendi, non posse alià relatione opponi quia ad rationem formalem in eo genere quo est ratio formalis, idest essentialiter talis, non potest dari alia formalis ratio, per quam talis fiat: quamuis in alio genere dari possit, vt ibidem explicat. Vndè Arriaga omninò ab errauit à vero assignans non causam pro causa in exemplo actionis. Accipe Diuum Thomam quæst.7. de potentia artic.9. ad 2. *Dicendum*, (inquit) *quod relationes ipsæ non referuntur ad aliud per aliam relationem, sed per se ipsas: quia essentialiter relationes sunt, non autem est simile de his, quæ habent substantiam absolutam*. Hæc ille.

§.85. Septimò Ouiedus contra nostrum assensum arguere se dicit *ex vulgari solido que principio sic*, Vbi nulla est separatio nullum signum est distinctionis; sed posito fundamento, & termino cum ratione fundandi nulla inuenitur, nec inueniri potest separatio relationis ab illis: ergo relatio ab illis non distinguitur.

§. 86. Respondeò, Ouiedi principium nec vulgare esse, nec solidum: non est vulgare, quia est Scoticum: solum enim Scotistæ colligunt identitatem relationis ex eius inseparabilitate. Item non est solidum, quia sexcenta sunt inseparabilia, quæ realiter distinguuntur, vt monstraui Theorem.3. contra Scotum: Vnde maior

est falsa: alia enim esse possunt signa realis distinctionis præter separationem: quando quidem Pater, & Filius in Diuinis inseparabiles sunt; & tamen origo, oppositio &c. sunt signa distinctionis realis eorum. Creaturæ si essent ab æterno, & in æternum duraturæ non separaret à Deo vt tamen millena essent signa distinctionis eiusdem ab illo: ergo falsum est, quod vbi non est separatio nullum sit signum distinctionis. Sed vero adhuc gratis concessis præmissis, consequentia est nulla: & Syllogismus peccat in formâ. Nam ex ijs præmissis non colligitur legitimè ista consequentia. *Ergo relatio non distinguitur à fundamento, & termino*. Sed longe alia, nempe hæc: *Ergo nullum est signum distinctionis inter relationem, & fundamentum atque terminum*. Quià etiam gratis conclusâ nihil contra nos. Possent enim illa realiter distingui, tametsi nullum dare vt signum distinctionis; cum sint longe diuersa distinctio, & signum distinctionis.

§.87. Porrò Ouiedus hanc argumentationem mutuauit ab Hurtado, impari tamen successù. Nam Hurtadus bonâ consequentiâ arguit; & Ouiedus malâ Hurtadus arguit contra distinctionem impugnando fundamentum Thomistarum, qui distinctionem relationis ab extremis colligebant ex eorum separatione in adequata. Valet enim hæc argumentatio: relatio non separatur à fundamento, & termino, ergo inde non sumitur argumentum distinctionis: valet (inquam) ad hominem contra eos, qui ex separatione colligunt distinctionem: Ast non valet ad probandum positiuè identitatem sic: Relatio non separatur ab extremis, ergo non distinguitur ab illis vt arguit Ouiedus. Ista enim consequentia solum erat contra modum arguendi aliorum, quod significauit Hurtadus §. 13. dum inquit: *Probo auertendo oppositæ fundamentum.* In summa: Hurtadus dicit: Non probas distinctionem ex separatione, quam non concedo. Ouiedus absolutè arguit: non separatur relatio ab extremis: ergo ab illis non distinguitur: est mala, & Hurtadi argumentationis vim non assequitur. Cætera autem, quæ Ouiedus obijcit ea ipsa sunt; quæ supra diluimus; Quia non nisi inculcat argumenta Hurtadi, & veterum mutatis exemplis palmorum in vlnas, muscæ in aristam, &c. quod similiter faciunt Arriaga Alonsus Synceus, Izquierdus, cæterique recentes Nominalistæ.

§.88. Octauò obijcies tandem ex Gregorio. Distinctio Sortis à Platone est rellatio, sed illa non distinguitur à sorte: ergo aliqua relatio non distinguitur à fundamento: Minor probatur sortes distinguitur à Platone per differentiam substantialem, & indiuidualem, sicut distinguitur ab equo per differentiam substantialem, & formalem: sed differentia formalis, & substantialis, quâ distinguitur ab equo non est realiter distincta à Sorte, ergo nec distinctio, qua differt à Platone. Minor patet: Tum quia idem est constitutiuum, & distinctiuum essentiale rei: sed constitutiuum essentiale non distinguitur realiter à constituto, vt patet: ergo nec distinctiuum. Tum etiam quia Sortes distinguitur essentaliter realiter à Sorte: ergo distinctio essentialis sortis ab equo non distinguitur realiter à sorte. Quod si distinguatur: ergo per aliam distinctionem, & hæc per aliam, & sic in infinitum.

§.89. Respondeo, quod in quæstione an relatio fundetur immediatè supra substantiam? *Thomistæ certant, & adhuc sub Iudice lis est*, vtraque sententia affirmans scilicet, & negans probabilis est, in negante nullam habet argumentum difficultatem: concedit enim idemtitatem, & distinctionem substantialem non distingui à substantia, vtpote relationes transcendentales eiusdem. In nostra vero affirmante dico cum Capreolo, distinctionem esse duplicem: vna est positiua, cuius fundamentum est quantitas, & hæc est realis, de qua loquendo minor est falsa; alia est negatiua, quæ solam importat negationem vnius ab altero, & hæc est transcendentalis, idem enim, & diuersum secundum essentiam hoc modo sunt passiones entis. Vnde vnitas, & differentia essentialis est fundamentum distinctionis, siue diuersitatis relatiuæ, & non est ipsa diuersitas, seu distinctio relatiua formalis, & prædicamentalis. Et ratio est, quia per rationalitatem homo non est distinctus positiuè ab equo, etenim etiamsi equus non existeret, seu esset impobilis, adhuc homo esset rationalis, & tamen non esset distinctus formaliter ab equo. Est vero distinctus positiuè per aliam entitatem illos referentem, vt distinctos, quæ licet accidentalis sit, dicitur tamen substantialis non quia cum substantia identificetur; sed quia consequitur illos ratione substantiæ, seu fundatur in vnitate essentiali substantiæ: Hæc autem positiua distinctio seipsa distinguitur ab extremis, quia est ratio formalis distinguendi, vt supra diximus, vnde non abitur in infinitum.

§. 90. Reliqua argumenta, quæ solent etiam hoc loco adduci supra diluimus Dissertat. 46. Theor. 5. qui plura volet, adeat Doctores Thomistas à me frequenter citatos, qui nostram sententiam optimè ab aduersariorum vindicant impugnationibus. Ast nescio, quo œstropercitus Basilius Poncius in illam fuerit acerbè debacchatus 1. p. Variarum quæst. 8. cap. 3. sed iu remeritò illum castigat Tellezius disput. 62. Metaphys. sect. 1. num. 5.

§. 91. Notaueris fortasse Lector amice, nos non nisi de Thomistarum veterum penu hactenus proposita argumenta diluisse: id certè data opera fecimus, vt ostenderemus id, quod moderni, & politissimi Scriptores, ægrè crederent, nempe eos nihil noui cudere, eorumque obiectiones, & quidem quas efficacissimas, & (si Deo placet) insuperabiles putant, iam pridem fuisse à nostratibus fractas, eneruatas, protratas.

DISSERTATIO XLIX.

Vtrum Relatio terminetur ad absolutum, vel respectiuum?

THEOREMA I.

Nonnulla suppono, & explico: propriam sententiam aperio, & adstruo.

§. 1. PRima sententia docet omnem relationem terminari ad relatiuum, vt tale. Hanc profitentur plures Thomistæ duce Caieta-

ietano. Altera è regione opposita tenet, relationem terminari ad absolutum, quam profitentur Capreolus, Scotus, & alij. Tertia media quę sententia relationem distingui in mutuam, & non mutuam: mutuam asserit, terminari ad relatiuum, & non mutuam ad absolutum. Sic multi etiam Thomistæ duce Ferrariensi. Vt autem quid nobis arrideat aperiam, suppono primo: in hac quæstione non clare constare ,de mente D. Thomæ teste Salemandetio disput. 11. Metaphys. Partit. 2. nec ipsi Thomistæ conueniunt inter se, vt infra patebit. Suppono secundo. Oppositionem relatiuam esse duplicem. Vna dicitur correlatiua, & est, qua extrema relationis inuicem referuntur, vt contingit in relationibus primi, & secundi generis in quibus terminus semel à fundamento respectus, iterum reciproco ordine respicit fundamentum. Altera est terminatiua solum, & est, qua terminus solum exercet munus terminandi, idest esse passiue respectum à fundamento, neque enim hoc verbum *terminare* debet accipi actiuè quasi quod terminus respiciat etiam fundamentum. Et hic modus oppositionis competit essentialiter relatiuis tertij generis, quę mutua non sunt: Vnde terminus relationis non mutuæ, idest non dicentis relationem est absolutus, vt clarissimè docet Doctor Angelicus qu. 9. de Potentia artic. 8. v. g. Deus, qui etiamsi respiciatur per relationem realem à Creatura, ipse tamen illam relationem terminat, estque illi oppositus oppositione hac terminatiua, quin mutuo relatione reali Creaturam respiciat; vt communiter docent Theologi.

§. 2. Est vero valde notandum cum M. Ferrariensi 2. contra Gentes cap. 11. Aliud esse terminum Relationis esse relatiuum obiectiuè, & secundum se, & aliud esse relatiuum ex modo concipiendi, & deficiendi nostri intellectus, primo modo sunt relatiui termini relationum primi, & secundi generis, quæ mutuæ sunt, gaudent que terminis realiter, & secundum se relatiuis, idest relatione tanquam forma reali, & intrinseca affectes. Altero modo sunt relatiui termini relationum tertij generis, qui quidem licet realiter, & secundum se sint quid absolutum (supponimus etiam adhuc cum ipsis Aduersarijs, illos nullam dicere intrinsecè relationem realem) tamen sunt relatiui per rationem. quia non possumus intelligere siue concipere aliquid sub ratione termini definientis relatiuum, nisi ipsum cum quodam ordine ad ipsum relatiuum concipiamus; atque hoc tantum voluit S. Thomas 2. contra Gentes. Cap. vndecimo dum ait. *Non potest intelligi aliquid relatiuè dici ad alterum, nisi è conuersò illud relatiuè diceretur ad illud.* Vnde colligit quod Deus è conuersò relatiuè ad creaturas dicitur. Et in primo Distinct. 3. artic. 3. *Intellectus* (inquit) *non potest accipere aliquid relatiuè ad alterum dici, nisi ipsum suboppposita habitudine intelligat.* Hinc sumit vim, si vllam habet; illa vulgaris argumentatio terminus, vt terminus est, non potest esse quid absolutum, quia terminus, vt talis alicuius terminus: ergo terminus, vt terminus est quid ralatiuum. Concludit enim verum, si relatiuum sumatur non solum pro relatiuo prædicamentali, idest reali, sed prout abstrait analogicè à relatiuo reali, & relatiuo secundum rationem; & secundum dici. Etenim terminus mutuarum relationum relatiuus erit realiter, vt supra diximus; Terminus vero non mutuarum relatiuus secundum rationem tantum, idest simpliciter absolutus.

§. 3. Suppono tertio: (& est etiam confectaneum ex prædictis) eos, qui dicunt Relatiua etiam tertij generis terminari ad relatiuum, maximè fundari in Textu Aristotelis 5. Metaphys. sect. 17. aientis, quod in hoc genere vnum extremorum dicitur *Ad aliquid*, idest dicitur relatiuum, non quia ipsum dicatur ad aliud; sed quia aliud dicatur ad ipsum. Sic enim *scibile* dicitur relatiuum, quia scientia refertur ad illud, sic Deus dicitur Dominus relatiuè, quia Creatura realiter dicit seruitutem ad ipsum, &c. Sed vero Textus ille cum grano salis est intelligendum: non enim dicitur relatiuum huiusmodi extremum à relatione intrinsecè sibi inhærente, supponunt quippe ipsimet, huiusmodi relationes non esse mutuas, alioqui sibimet, & Aristoteli contradicerent; sed dicitur relatiuum per rationem, eo quod *respectus, siue ordinatio*, v. g. Creaturæ ad Deum est causa, seu *occasio*, vt intellectus statim concipiat relationem rationis: habet enim Deus ex eo præcise, quod terminet relationem Creaturæ ad ipsum, vt concipiatur cum opposita relatione ad ipsam, estque relatio Creaturæ causa denominandi Deum non vt causa proxima denominans extrinseca, vt falsò putauit Caietanus 1. p. qu. 13. artic. 7. Nam cessante consideratione intellectus, cessabit etiam actualis denominatio relatiua Domini, Creatoris, &c quamuis realiter fundamentaliter ipse sit Dominus, & Creator sensu, quem supra Dissertat. precedenti §. 74. deximus ex D. Thoma. Vnde cum relatio rationis apprehendatur in Deo propter imperfectionem nostri intellectus, qui non potest aliter percipere terminationem talis respectus Creaturæ: at reuera tamen Deus, & etiam quilibet terminus relatiuorum tertij generis cognoscetur à Deo, & Angelis sine tali denominatione relatiua, & vt quod simpliciter absolutum. Est igitur certò certius in nostra Schola Deum dici relatiuè ad Creaturas extrinsecè relatione existente in Creatura per relationem rationis.

§. 4. Cæterùm quod terminus relatiuorum tertij generis non solum per rationem, sed etiam realiter extrinsecè denominetur relatiuum à relatione reali alterius extremi potest duplicem habere sensum: Primus, & verus est, quod eiusmodi terminus dicitur aliquid relationis in obliquo. eo quod pertineat reductiuè, & de connotato ad genus relatiuorum, quamuis in se sit simpliciter absolutus. Alter autem est falsus, nempe quod à relatione v. g. existente in Creatura Deus denominetur in recto realiter relatiuus ita quod huiusmodi conceptus relatiui sit ratio terminandi, & specificandi relationem Creaturæ id enim est contra S. Thomam 2. contra Gentes cap. tertio decimo, vbi apertissimè docet à relatione existente in alio nihil posse denominari

sed

ſed ſolum à relatione inhærente, & loquitur S. Doctor de relationibus, quibus Deus refertur ad Creaturas, accipe: *Duplex eſt* (inquit) *modus, quo aliquid denominatiuè prædicatur. Denominatur enim aliquid ab eo, quod extra ipſum eſt; ſicuti à loco dicitur aliquid eſſe alicubi, & à tempore aliquando. Aliquid vero denominatur ab eo, quod ineſt, ſicut albedine albus* (*attende nunc Lector*) *A relatione vero non inuenitur aliquid denominari quaſi exterius exiſtente, ſed inhærente: non enim denominatur aliquis Pater, niſi à paternitate, quę ei ineſt. Non igitur poteſt eſſe, quod relationes, quibus Deus ad Creaturas refertur ſint res aliquæ contra ipſum. Cum igitur oſtenſum ſit, quod non ſint in ipſo realiter, & tamen dicuntur de Deo, relinquitur, quod attribuantur ſecundum ſolum intelligentiæ modum ex eo quod alia referantur ad ipſum.* Ecce D. Thomas totam noſtram comprehendit doctrinam, & inſuper noſtram rationem ſubiungit: *Intellectus enim noſter intelligendo aliquid referri ad alterum eò intelligit relationem illius ad ipſum; quamuis ſecundum rem quandoque non referatur.* Hæc ille. Ex quibus duo habebo euidēter contra Caietanum: *primum* quod relatio qua Deus refertur ad Creaturas eſt res in ipſo conſiderata; & non aliquid extra ipſum, proindeque non eſt denominatio extrinſeca relatiui: *ſecundum* eſt, quod Deo ex eo quod Creatura referatur ad ipſum, attribuitur relatio rationis, & non denominatio extrinſeca: quibus ex doctrina Angelica prænotatis.

PROTASIS I.

§. 5. DIco primo: Hæc propoſitio *Omnis relatio prædicamentalis terminatur ad relatiuum.* Eſt vera in ſenſu ſpecificatiuo, ſi ly *relatiuum* ſumatur in tota ſui latitudine, & prout ambit tam relatiua realia, quam relatiua rationis. Probatur: Nam vel Relatiua ſunt primi, & ſecundi generis ideſt mutua, vel ſunt tertij, ideſt non mutua: Atqui in prioribus datur relatio realis afficiens. Vtrumque extremum, vt ſimilitudo, Paternitas, &c. & in poſterioribus datur relatio realis in vno extremo, & relatio rationis in alio: ergo ſemper hæc propoſitio omnis relatio prædicamentalis terminatur ad relatiuum eſt vera in ſenſu ſaltem ſpecificatiuo, & ſumendo relatiuum in ſua ampliſſima latitudine. Maior, & conſequentia liquent. Minor conceditur quoad primam partem ab aduerſarijs, & quoad ſecundam eſt expreſſa D. Thomæ 1. p. qu. 13. art. 7. docentis, relationem menſuræ ad menſurabile, & ſenſibilis ad ſenſum eſſe relationem rationis.

PROTASIS ALTERA.

§. 6. DIco ſecundo. Hæc propoſitio: *Omnis relatio prædicamentalis muta terminatur ad relatiuum* eo ſenſu, quo aſſeritur, & defenditur à Iunioribus Thomiſtis non pugnat in re cum altera propoſitione: *Omnis relatio prædicamentalis mutua terminatur ad abſolutum.* In ſenſu quo aſſeritur, & defenditur à Suarezio aliiſque recentioribus, ita quidem, vt Thomiſtæ prædicti etiam affirment in re, & obiectiuè relationem terminari ad abſolutum in prædicto ſenſu recentiorum.

Hæc aſſertio non indiget Syllogiſmorum probatu, ſed rei explicatione, & vtrorumque Autorum ſenſus exhibitione. Duo ſunt Axiomata, ſeu principia quibus hæ duæ oppoſitæ (vt videntur) ſententiæ innituntur. Primum eſt. *Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione.* Alterum eſt. *Poſito fundamento, & termino, ſtatim conſurgit relatio.* Sententia aſſerens, omnem relationem mutuam terminari ad relatiuum rueri ſe putat primum axioma: Quia ſcilicet relatiua, vt talia formaliter opponuntur inter ſe, & non aliter. Item definiuntur adinuicem ſine vlla prioritate, & dependentia: Vnum enim relatiuum non eſt cauſa alterius: atqui abſolutum eſt prius omni relatione: ergo terminus relationis. Vt talis nequit eſſe abſolutus.

§. 7. Altera ſententia habet pro ſe axioma ſecundum: agnoſcit dependentiam relationis à termino, ciuſque cauſalitatem quaſi formalem; eſt enim terminus formale conſtitutionum illius, à quo ſuam deſumit ſpecificationem tanquam à forma extrinſeca, &c. Tum quia relatio definitur per terminum: Definitio autem debet tradi per priora, & notoria, vt docet Ariſtot. 6. Topicorum: relatiuum autem nec prius, nec notius eſſe poteſt: non ergo relatiuum, vt tale relationem terminat. Tum etiam, quia poſitio extremorum prior eſt ſubſiſtendi conſequentia, quam relatio. V. g. Ponuntur fundamentum, & terminus: ergo ponitur relatio: eſt bona conſequentia, & non è contra: vnde colligit, quod ſi relatio verè ponitur, & conſurgit poſitis fundamento, & termino: ergo ly *termino* ſignificabit rem abſolutam, & non relatiuam, quæ quidem conſtituitur per relationem ex poſitione termini conſurgentem. Rurſus quælibet harum opinionum ad ſuum ſenſum explicat axioma oppoſitæ ſententiæ. Teſtes iam adhibeo.

§. 8. PP. Complutenſes Carmeli diſput. 14. quæſt. 6. §. 4. notant ex M. Nazario terminum eſſe duplicem: alium radicalem, & alium formalem: radicalem eſſe illam perfectionem abſolutam ſupra quam fundatur ipſa ratio formalis terminandi, vt in Patre eſt generatio: Formalem vero eſſe ipſam relationem, vt Patērnitas, quæ
„ terminat filiationem: [Quando ergo dialecti-
„ ci aſſerunt, (inquiunt illi) expoſitione termini
„ reſultare relationem vel ab illo dependere: lo-
„ quuntur de termino materialiter, ſeu radica-
„ liter ſumpto; non vero de ipſa ratione forma-
„ li terminandi. Si autem de hac fiat Sermo,
„ tunc non eſt aſſerendum, relationem depen-
„ dere à termino; ſed ad terminum, vt loquitur
„ D. Thomas. Opuſc. 37. &c.] Hæc illi Nazarius autem: Dum ex Axiomate. *Poſito fundamento, & termino,* &c. infertur rationem terminandi non eſſe relationem: Negat conſequentiam. *Cuius probatio* (inquit) *non eſt ad propoſitum, procedit enim de termino formali, de quo non loquitur prædictum axioma.* Controuerſ. vnica ad qu. 13. artic. 7. primæ partis. Iàm vero Doctor Suarez diſput. 47. Meta-
„ phyſ. ſect. 16. num. 17. [Neceſſe eſt autem (in-
„ quit) axioma illud intelligi de termino forma-
„ li, & proximo quaſi in actu primo (vt ſic di-
„ cam) de quo nos in præſenti quæſtione diſpu-

„ tamus. Non enim potest intelligi de termino „ terminante quasi in actu secundo (vt ita lo- „ quar) Nam de illo termino, vt sic non est ve- „ rum, quod illo posito cum fundamento, se- „ quatur relatio:nam potius ipse constituitur in „ ratione termini actu terminantis per ipsam- „ met relationem, vt actu tendentem in ipsum, „ & extrinsecè denominantem ipsum denomi- „ natione terminatiua, &c.] Et rursus infra nu. „ 27. hæc habet: Ex his ergo (inquit) satis con- „ stat quomodo relationes oppositę sint *simul na-* „ *tura*, & relatio etiam, & terminus, vt actu ter- „ minans: non vero relatio, & terminus in actu „ primo, seu quantum ad rationem terminan- „ di sic enim etiam tempore antecedere potest, „ &c.]

§. 9. Vnde ergo Thomistas Iuniores asserentes, omnem relationem terminari ad relatiuum; tamen concedere, illam resultare ad positionem termini radicalis, seu rationis terminandi, ab illo dependere, atque per huiusmodi radicalem terminum tanquam per rationem sibi per se primo oppositam vltimo terminari: *Hæc autem* (subiungunt Complutenses) *est id, in quo vltimo sistit respectus alterius relatiui, & per quod per se primo opponitur, & correfertur illi, &c.* Et de hoc solum dicunt verificari illud axioma *posito fundamento, & termino, &c.* non vero de termino formali, seu actuali relatione per quam terminus fit actus terminans: At qui Suarezium etiam docet prædictum axioma non inteligi de termino, terminante, & in actu secundo; nam hic constituitur (inquit) per ipsamet rela tionem vt actu tendentem in ipsum; sed solum intelligi de termino in actu primo: Ergo hi oppositi Doctores nihil inter se discrepant in re: sed altercantur de nomine. Quod enim Nazarius, & Complutenses vocant terminum radicalem, id Suarezius vocat terminum in actu primò: Et quod illi appellant terminum formalem, hoc ipsum Suaresius appellat terminum terminantem, & in actu secundo: Ergo prædicti Thomistæ non negant, immo concedunt relationem terminari ad absolutum in sensu, quo loquitur Suarezius: Similiterque Suarezius non negat, immò fatetur, omnem relationem terminari ad relatiuum formaliter in sensu, quo Thomistæ loquuntur, Consequentia est manifesta si rem attentè inspicias. Sed quidquid sit de eorum consensu, vel discrepantia.

PROTASIS III.

§. 10. Dico tertio. Hæc propositio: *Relatio tertij generis non mutua terminatur etiam ad relatiuum realiter tale per relationem existentem in alio extremo*. Vt asserit Caietanus cum asseclis, est prorsus falsa. Probo primo euertendo fundamentum Aduersariorum: Tota ratio, vt Caietanus, in hoc opinamentum veniret, est Textus ille Aristotelis 5. Metaphysicæ docentis, relatiua tertij generis esse quidem *Ad aliud* non quia dicantur ad aliud; sed quia alia dicuntur ad ipsa vt *scibile*, *sensibile*, *&c.* Vnde colligit, quod si vnum extremum relationis non mutuæ nòn esset realiter relatiuum saltem extrinsecè per relationem existentem in alio extremo: esset contradictio in verbis Philosophi: seu quod Philosophus negaret definitionem de definito, quod perinde est: De sensibili enim, & scibili affirmaret, & simul negaret esse relatiuum seu esse *Ad aliud*: Affirmat autem dum docet, ea esse *Ad aliquid secundum esse*: rursus negat esse ad aliquid, ex eo quod dicantur ad aliud: vnde ne admittatur, Aristotelem sibi contradicere, necesse est dicere, eius modi extremum esse relatiuum realiter per hoc, quod alia dicuntur ad ipsum: idest extrinsecè, quod peculiare est relatiuis tertij generis, quorum hoc modo vtrumque extremum est relatiuum, & tamen ea non sunt mutua, discriminanturque à mutuis per hoc, quod in mutuis vtrumque extremum est relatiuum intrinsecè, idest vtrumque dicitur ad aliud: in non mutuis autem vnum tantum extremorum est relatiuum, quia dicitur ad aliud: at vero alterum non nisi quia aliud dicitur ad ipsum. En totum, Caietani fundamentum. At qui hæc ratio nullatenus conuincit intentum: ergo Caietani sententia falsa est. Minorem ostendo primo: quia supponit relatiua tertij generis omnia sine discrimine esse relatiua secundum esse; quod omninò falsum est, nam scientia, & sensus ex Aristotele, & D. Thoma sunt relatiua secundum dici. Rursus scibile, & sensibile sunt relatiua rationis vt ipsemet S. Doctor tradit 1. p. q. 13. artic. 7. ergo relatiua illa, quæ dicuntur relatiua non quia dicuntur ad alia, sed quia alia dicuntur ad ipsa non sunt relatiua secundum esse, neque prædicamentaliter, quod erat tota basis rationis Caietanicæ consequentia est euidens in Schola Peripatetica: illamque apertè exaduersarijs fatetur M. Flandrensis lib. 5. Metaph. q. 16. artic. 14. *Et talis ratio (inquit) potest dici propria, per reductionem ex eo quod illa relatiua rationis, quæ referuntur, quia alia referuntur ad ipsa, & non quia ipsa referuntur ad alia, aliqualiter reducuntur ad relationem prædicamentalem ratione alterius extremi, in quo est relatio realis*, Hæc ille.

§. 11. Secundo malè commentatur Caietanus Textum Aristotelis dum ex eo quod ille dicat nonnulla tertij generis esse relatiua per relationem alterius extremi: infert quod sint relatiua realia, & prædicamentalia: inde enim non sequitur nisi quod tantum sint relatiua rationis, vt D. Thomas clarius, melius quæ ipsum Textum explicuit: audi *Vnde in eis* (inquit de scibili, & sensibili *non est aliqua relatio realiter ad scientiam, & sensum, sed secundum rationem tantum: in quantum intellectus apprehendit ea, vt terminos relationum scientiæ, & sensus; Vnde Philosophus dicit in 5. Metaph. quod non dicuntur relatiuè, eo quod referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa*. En commentarius D. Thomæ: ergo perperam adstruitur ratio relatiui realiter inscibili, à realitate alterius extremi, quæ sit ratio terminandi relationem, & quæ nec ab ipsis eius auctoribus explicari potest, vt mox ostendam,

§. 12. Probo secundo autoritate ipsius Sancti Doctoris supra §. 4. laudati, expressè enim dicit: *A relatione vero non inuenitur aliquid*

deno-

denominari quasi exterius existente: sed inhærente, &c. Subditque pro nobis: Deum referri ad creaturas relatione rationis, quæ consurgit: *ex eo quod alia referuntur ad ipsum*: Ergo esse relatiuum ex eo quod alia referuntur ad illud non constituitur relatione reali: sed tantum rationis. Respondet primo Caietanus: hoc esse verum formaliter; non vero realiter: Nam scibile v.g. apud ipsum consideratur secundum duplex esse relatiuum, quod habet. Vnum proprium sibi, & hoc est ens rationis secundum quod formaliter dicitur scibile referri, & Deus formaliter esse Dominus. Aliud est esse alienum quod est in opposito extremo, & hoc est esse reale quod non ponitur in termino denominato, sed tantum in relatione terminata, & à realitate huius dicitur terminus realiter relatiuus, sed non formaliter. Addit insuper, sufficere, quod ratio hæc relatiui quam dicitor habere scibile, iudicetur secundum esse alienum, scilicet oppositi, *vt mereatur vt cumque entis nomen*.

§. 13. Contra *primò*: quia terminatio realis exercetur realiter, & per rationem terminandi realem in termino: Sed per te ratio relatiui nihil reale ponit in termino denominato: adhuc considerata secundum esse reale alienum: ergo hæc ratio relatiui considerata in termino non terminat realiter relationem scientiæ v.g. consequentia est manifesta, quia terminatio realis exerceri non potest realiter ab eo, quod nihil reale est formaliter. Et Caietanus ipse aduertit, quod talis denominatio nihil ponit indenominato scilicet in scibili. Contra *secundo*: omninò est imperceptibile quod realitas existens in scientia opposita, & nullo modo existens in scibili, sit in scibili ratio terminandi, seu comprincipium, formale terminandi eamdem realitatem scientiæ. Tum quia non explicas quod sit hæc realitas in scibili non formalis, sed realis: Tum quia solum dicis: illam denominationem terminandi *Vt cumque mereri nomen entis realis* hæc certè vacua sunt verba: nam ens reale non meretur vt cumque esse reale; sed realiter existendo per se, vel realiter inhærendo. Et quale rogo hoc meritum est? quid sibi vult ly *vt cumque*? Tum denique quia Caietanus ipse volens nolens fatetur non posse facile intelligi hæc diminutio entis realis, seu modus realitatis debilissimæ, & quasi mediæ inter ens reale, & rationis, cuius vi scibile dicitur realiter terminare relationem, cum D. Thomas expressè docuerit non esse, nisi ens rationis. Audi Caietanum: *Aduertes quoque* (inquit) *quod nouitijs compatiens Autor* (Sanctus Thomas) *magis vsus est relatiuis istis secundum esse rationis quam secundum illam essendi diminutionem non facile intelligibilem*. Igitur præstabilius est sequi D. Thomam nouitijs compatientem, quàm Caietanum etiam prouectos vexantem. Contra *tertio*. Per te ipsa relatio realis scientiæ licet non sit formaliter in termino; est tamen ita realiter in eo vt sit ratio terminandi relationem existentem formaliter in opposito fundamento: ergo hæc relatio realiter terminat seipsam, & realiter opponitur sibimet; quo nihil potest absurdius affirmari, patet consequentia: Nam relatiuum, quod reperitur extrinsecè, & realiter in termino, est ipsa relatio terminata, quæ est in fundamento: sed hæc relatio opponitur illi relatiuo, quod terminat: ergo opponitur sibimet ipsi, ac proinde non erit relatio realis, sed ficta per rationem, quod est contra Aristotelem, & contra te. Probo hanc consequentiam. Per te ideo similitudo inter Diuinas personas non est relatio realis, vt vult Scotus; sed tantum rationis, quia ratio terminandi similitudinem, quæ est in vno extremo, nempe essentia Diuina est realiter identificata cum ratione fundamenti; tametsi supposita similia sint distincta realiter, scilicet Pater, & Filius Diuini: Atqui in relatione scientiæ ad scibile ratio terminandi non distinguitur ab ipsa relatione existente in fundamento, sed realiter identificatur cum ipsa: ergo relatio fundamenti idest scientię non potest opponi termino habenti rationem terminandi realiter distinguantur inter se. Hoc argumentum ab inconuenienti deductum, scilicet fore, vt relatio ad se ipsam terminaretur realiter: Validum est contra sententiam Caietani, quod iam pridem obiecere M. M. Ferrariensis, Masius, alijque Thomistæ, a quibus postea acceperunt Hurtadus, alijque recentiores.

§. 14. Respondet secundo M. Parra tract. 4. dubio 7. num. 35. sensum D. Thomæ esse, quod relatiuum tertij generis non potest denominari à relatione existente in alio quasi actiue, ita vt per hoc solum correferatur sicut per actionem, quæ est in passo potest denominari principium agens: At quod possit denominari terminans per hoc, quod aliud est ad ipsum non negat D. Thomas ibi, nec cap. 11. antecedenti quod nobis sufficit: inquit ille.

§. 15. Sed contra primo: Sola denominatio terminantis non potest esse ratio formalis terminandi realiter relationem: ergo sola denominatio terminantis non sufficit ad saluandam mentem D. Thomæ negantis, Deum posse denominari realiter relatiuum ex relatione existente extra ipsum. Consequentia est bona. Nam etiamsi relatio terminetur ad absolutum, res absoluta non esset relatiua, cum tamen denominaretur actu terminans. Probo antecedens: Ratio formalis terminandi est prior saltem subsistendi consequentia, quam ipsa actualis terminatio, ita, vt valeat hæc casualis: Quia paries v.g. est albus, ideo terminat similitudinem coalbis; Atqui non valet causalis hæc; Deus terminat relationem creaturæ, quia illam terminat, vel quia denominatur terminans: ergo sola denominatio terminantis non sufficit, ad hoc, vt terminus relationis tertij generis sit relatiuus realiter, seu ad hoc, vt sit ratio formalis relatiua terminandi relationem: Consequentia est manifesta: quia denominatio terminantis consurgit ex actuali terminatione, & illam sequitur saltem posterioritate effectus formalis: ergo non potest esse causa formalis terminandi: alioqui hæc causalis: *terminat, quia terminat*; vel *quia denominatur terminans*, nugatoria non esset.

§. 16. Contra secundò D. Thomas non negat quod terminus relationis non maturæ, in qua

qua realiter non est relatio possit denominari terminans relationem: ast negat talem denominationem esse relationem realem: ergo ex eo, quòd ille non neget eius modi terminum posse denominari terminantem, male colligis, illum esse realiter relatiuum. Antecedens est manifestum in verbis D. Thomæ docentis, talem denominationem terminantis esse per intellectum: *Intellectus enim noster* (inquit) *intelligendo aliquid referri ad alterum, eo intelligit relationem illius ad ipsum, quamuis secundum rem quandoque non referatur.* Et apertius in 1. distinct. 40. q. 1. artic. 1. ad 2. *In relatiuis* (inquit) *quandoque denominatur aliquid per id, quod in ipso est, sicut pater paternitate, quæ est in ipso; quandoque autem denominatur ab eo, quod solum in altero est, sicut in illis, in quorum alio est relatio secundum rem, & in alio secundum rationem tantum.* Hæc ille: Ergo denominatio terminantis non est relatio reelis, sed ficta in huiusmodi relationibus tertij generis. Vel ostendat Parra, vbi nam Sanctus Doctor concedat talem terminum esse realiter relatiuum per denominationem terminantis relationem existentem in alio.

PROTASIS IV.

§. 17. Dico quarto: Hæc propositio: *Relatio prædicamentalis primi, & secundi generis mutua etiam terminatur ad rem absolutam*: est omninò vera. Hanc tametsi non ita communem apud Iuniores Thomistas, amplectuntur tamen inter antiquos Capreolus in primo distinct. 30. q. 1. artic. 2. ad 3. Scoti M. Soncinas 5. Metaph. q. 3. ad 2. M. Sotus q. 1. ad 8. M. Oña q. 1. artic. 3. M. Serna disputat. 3. sect. 6. artic. 2. quæ addit, illam esse longè probabiliorem, & communiorem cæteris, doceríque à multis Iunioribus Thomistis, inter quos illam tuetur M. Moneda disputat 6. q. 7. At Complutenses, & Ortizius dicunt, M. Sotum inclinari ad hanc sententiam sed vero is expresse docet, indefinitione relatiui non esse necesse, quod ponatur terminus, vt formaliter relatiuus, sed satis esse, quod ponatur subiectum absolutum, vt si pater creatur definiatur per animal à se genitum. Quod si hæc est sola inclinatio in huiusmodi sententiam; & nos nonnisi inclinamur. Similiter falluntur dum Capreolum, & Sonzinatem pro sua sententia conantur explicare dicentes, non nisi determino materiali fuisse loquutos. sed audi quæso Sonzinatem pro nostra sententia luce mediana clarius loquentem. *Dicitur* (inquit) *quod potentia, & actus sunt relatiua secundum dici, sicut etiam scientia, & scibile, & ideo possibile est, quod potentia definiatur per illud absolutum quod est actus. Dicitur secundo, quod terminus relationis, si propriè loquamur determino, est quid absolutum: Filius enim terminat paternitatem, & non filiatio, sed dico quod tale absolutum nunquam nunquam terminaret relationem nisi ei conueniret aliqua relatio vel rei, vel rationis, & ita relatio potentiæ terminatur ad absolutum, quod est actus; sed hoc absolutum non posset eam terminare nisi poneretur in illo aliquis respectus saltem rationis.* Hæc ille: in quibus vt vides, non determino materiali loquitur, dum ait: *Si propriè loquamur determino*, ferè eadem scripserat Capreolus. Accedit subtilis Doctor Scotus in primo distinct. 30 q. 1. cuius argumentis nihil moueor, quoniam illa iam pridem eneruarunt validè Capreolus, Caietanus, & Ferrariensis locis supra indicatis: Sed quia Scotistæ valdè extollunt tertium eiuidem argumentum, vt efficacius cæteris (sunt enim quatuor) oportet cæteris omissis, illud proponere, eiusque vires examinare.

§. 18. Probat Scotus. Relatiuum, vt sic definitur per terminum: ergo terminus est prior relatiuo: ergo terminus non est ipsum correlatiuum. Antecedens patet, prima autem consequentia tenet ex septimo, & nono Metaphisicæ, vbi Philosophus docet prioritatem substantiæ respectu accidentis, & prioritatem actus respectu potentiæ, & quod accidens, & potentia definiuntur per illa. Secunda vero consequentia patet, quia aliter daretur circulus in priore, & posteriore secundùm definitionem, quod est impossibile, vel clarioribus terminus, vt proponitur à Lalemandetio. Eo modo terminus est prior relatione, quo relatio est definibilis per ipsum, ea enim quibus aliqua definiuntur sunt priora ijs, quæ per ipsa definiuntur. At relatio definitur per terminum, vt terminus est: ergo terminus, vt terminus est prior relatione. Dices primo non esse necesse, quod definiens sit priùs definito, sed sufficere, quod sit simul cum ipso; Sed contra, quia omne constituens debet esse aliqua prioritate priùs constituto; sed omne definiens formale, est constituens: ergo prius. Dices secundò (& est solutio Magni Alberti, à quo accepere Caietanus, Fonseca, & alij) Relationem non definiri per terminum; sed ad terminum. Contra, nam semper recurrit hoc principium. Ea sunt priora natura definitio, quæ indefinitione essentiali ponuntur; sed per hoc, quod relatio definiatur ad terminum, & non per terminum nihil intelligitur, nisi quod relatio debet explicari in ordine ad terminum tanquam ad partem essentialem positam in sua definitione: ergo talis terminus in ordine ad quem definitur relatio est prior relatione: *Ex quibus omnibus* (subdit Lalemandetius) *patet, quomodo illud argumentum Scotisticum in suo robore permaneat, non obstantibus quibuscumque recentiorum responsionibus.*

§. 19. Sed vero ratio hæc falsò, ruinosoque nititur fundamento, nempè quòd illa, quibus relatiua definiuntur, debent esse priora definito, quod non aliundè colligi putant, nisi ex Aristotele 6. Topicorum, ille tamen, cum docuisset definitionem deberi dari per notiora, & priora definito (quia datur cognoscendi gratia) statim excepit relatiuè opposita: *Eius autem* (inquit cap. 3. iuxta versionem Boethij) *quod est non ex prioribus tres sunt loci, &c.* assignat tria definitorum genera, & concludit: *Quare non notius alterum altero. Oportet autem non latere, quædam fortasse aliter definiri non posse, vt duplum sine dimidio, & quæcumque per se Ad aliquid dicuntur, &c.* & iuxta hanc doctrinam intelligendus ipse in 7. & 9. Metaphysicorum, idest cum exceptione relatiuorum. Vndè non est, cur Scotistæ

stæ multum fidant principio illo: *Definitio debet dari per priora, & notiora*, quod apertè de relatiuis negauit Aristoteles, vt & M. M. Sotus, & Masius pridem notauere. Addit tamen Sotus, Aristotelem hoc capite non expressè asseruisse, vnum relatiuum debere definiri per reliquum; sed solum dixisse, quod qui sciuerit naturam vnius relatiui, seu naturam alterius, vndè solùm sequitur, quod definitio vnius non potest intelligi, nisi intellecta definitione alterius, quod & valdè notandum est.

§. 20. Probo igitur ratione nostrum assertum contra Thomistas eas, qui cum alioqui concedant, relatiua tertij generis terminari ad absolutum, id tamen negant de relatiuis mutuis, asserentes relationem formaliter, seu in sensu formali esse rationem terminandi in relatiuis primi, & secundi generis, vt ex Iunioribus docent Mag. Ioan. à S. Thoma, Mag. Lynceus, &c. Per vos relatio non mutua essentialiter participat rationem relationis prędicamentalis, at non terminatur ad absolutum: ergo non est de essentiali ratione relationis prædicamentalis terminari ad relatiuum: ergo relatio mutua etiam terminatur ad absolutum. Probo consequentiam. Relationem esse mutuam est, quid accidentale, nec mutuitas vllatenus variat rationem essentialem rationis prædicamentalis; sed ratio essentialis rationis optimè saluatur terminata ad absolutum in non mutuis: ergo mutuitas non tollit, quòd terminetur ad absolutum in cæteris. Consequentia est bona. Maior, in qua posset esse difficultas est certissima. Tum quia diuisio relationis in mutuam, & non mutuam est subiecti in accidentia, mutuitas enim est denominatio extrinseca, sumpta ex eo, quòd alterum extremum correferatur. Tum etiam quia datur Relatio ex suo genere mutua, id est secundi generis, cui per accidens contingit, quod suum extremum non correferatur, qualis est Maternitas Beatissimæ Virginis Deiparæ, cui non respondet vlla relatio realis Filiationis in Christo Domino, vt docet D. Thomas 3. par. quæst. 35. artic. 5. Idem relatio Creaturæ in aliorum sententia est secundi generis, fundata, scilicet in actione Creatura, cui similiter in Deo non respondet realis relatio Creatoris. Ecce demonstramus relationes mutuas ad absolutum terminatas; Ergo non solum relationi prædicamentali, vt sic est accidentale, quod mutua sit; sed etiam ipsis relationibus mutuis in speciali est accidentale, quod terminentur ad relatiuum. Probo consequentiam. Id quod est essentiale alicui prædicamento, vt tali, neque per accidens, neque de absoluta Dei potentia potest ab ipso remoueri; sed terminatio ad extremum realiter relatiuum remouetur à relatione mutua Maternitatis Deiparæ, v.g. ergo terminari ad relatiuum non est essentiale relationi, neque quatenus relatio, neque quatenus mutua est.

§. 21. Dices cum Mag. Ioan. à S. Tho. Relationem mutuam terminari ad relatiuum, non quatenus relatio est, neque quatenus mutua est; sed quatenus opposita est. Sed contra. Etiam relatio non mutua petit terminari ad oppositum. Sed per te terminus relationis non mutuæ non dicit oppositionem relatiuam: ergo non est de ratione relationis mutuæ terminari ad correlatiuum quatenus oppositum est. Minor, & consequentia liquent. Maior est doctrina prædicti Magistri, quam in ipsum efficaciter retorqueo. Vrgebat ille nostram sententiam quatenus distinguit duplicem oppositionem in relatiuis, videlicet correlatiuam, & terminatiuam, & dum docemus, terminum absolutum opponi suo fundamento non quidem correlatiuè; sed terminatiuè dumtaxat. Instat aiens. Nos tollere de medio oppositionem relatiuam. Quia eiusmodi oppositio neque contradictoria, neque contraria foret, neque denique relatiua, siquidem distinguimus illam contra relatiuam. Contra. Tute ipse teneris expedire hoc in relationibus non mutuis, quas relatiuè opponi est euidens, & tamen illarum terminus per te non dicit oppositionem relatiuam: Ergo hæc argumentatio æquè te præmit, & omnes, qui relationes non mutuas ad absolutum terminari deffendunt; sed de his iterum infra sermo.

THEOREMA II.

Argumenta Aduersariorum dissoluo.

§. 22. Carmeli PP. Complutenses postquam nostram sententiam satis esse probabilem pronuntiarunt, contrariam tamen, eo quòd *probabilior, Aristoteli, & D. Thomæ conformior, ac Christianæ Philosophiæ, & Theologiæ congruentior esset*, cæteris esse præferendam serio scripsere. Remittimus facilè quidquid valent Scriptura. Fortasè (id quod & alij suspicati sunt) sibi hoc persuadent, quia in Diuinis relationes Paternitatis, &c. terminantur ad relatiuum, non enim terminari possunt ad absolutum, quod est Diuina essentia, quæ cum sit vna numero in omnibus personis, nequit terminare relationem, vt quid realiter distinctum ab ea.

§. 23. Nec valet responsio aduersariorum (aiunt Complutenses) nempè ex relationibus Diuinis non sumi argumentum ad Creaturas, quia illæ sunt infinitæ, & substantiales, & per se subsistentes, realiterque identificatæ cum absoluto Deitatis. Vndè non mirum, si vnaquæque ad suum relatiuum terminetur. Secus vero relationes creatæ, quæ sunt accidentia, & distinguuntur à suis fundamentis. Nam contra est. Quia relationem terminari ad relatiuum, oritur ex ipsa formalissima ratione relationis, quæ communis est vtrisque tam Diuinis, quam Creatis, non verò ex eo quod sint substantiales, infinitæ, & cum essentia Diuina identificatæ, quod patet eo, quòd hoc discrimen conuenit prædictis relationibus secundum quod dicunt esse *in* quæ ratio materialiter se habet ad formalem rationem relationis, quæ sumitur versus terminum, & exprimitur per esse *ad*. Sed terminari ad relatiuum non est esse *in*; sed esse *ad*: ergo id non conuenit relationibus Diuinis, quia

sunt

sunt infinitæ, substantiales, &c. Minor, & consequentia patent. Maiorem probant ex D. Thoma 1. par. quæst. 28. artic. 2. docente hoc, quod relatio Creata sit accidens, & distinguatur à suo fundamento sumi per comparationem ad subiectum: *Ex ea parte* (inquit ille) *qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio existens in Deo habet esse essentiæ Diuinæ. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentium; sed magis ad suum oppositum*: Ergo quod relatio Diuina sit substantialis, &c. non conuenit ex formalissima ratione relationis, vt sic. Hæc fermè refricat M. Parra.

§. 24. Sed vero hæc Complutensium argumentatio nullatenus conuincit suam opinionem esse congruentiorem Christianæ Philosophiæ, & Theologiæ, alioqui etiam contraria sententia asserens, relationem vt sic, & vt communis est Diuinæ, &c. Creaturæ non distingui realiter à suo fundamento erit congruentior Christianæ Philosophiæ, & Theologiæ, quoniam Christiana Philosophia etiam docet, relationes Diuinas non distingui realiter à suo fundamento, quod illi non deuqrabunt. Respondeo igitur, responsionem supra memoratam esse quidem idoneam. Relatio enim Diuina ipsa facit distinctionem personæ, & terminis, qui substantialiter constituitur in esse distincti suppositi per relationem, quare cum ex conceptu relationis, vt sic, sit quod tendat in aliud, necessè est, vt tendat in relatiuum in Diuinis, quia nihil est ibi *aliud* nisi relatiuum distinctum. Complutensiũ instantia nihil vrget, nego enim maiorem, quam nec vllatenus insinuat Sanctus Doctor, nihil enim docet ille, nisi quod Diuinis relationibus debet attribui id, quod est de ratione essentiali Relationis, proindèque etiam Diuinam relationem debere dicere oppositionem ad alterum, quia relatiua oppositio ex sua ratione essentiali petit distinctionem. Accipe contextum Diuini Aquinatis: *Oportet* (inquit) *quod attribuatur ei, qua sunt de ratione illius, sicut cuicumque attribuatur homo, oportet quod attribuatur ei, esse rationale. De ratione autem relationis est respectus vnius ad alterum secundum quem aliquid alteri relatiuè opponitur. Cum igitur in Deo realiter sit relatio, oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relatiua autem oppositio in sui ratione includit distinctionem, vndè oportet quod in Deo sit realis distinctio.* Ecce scopus Sancti Doctores, probare scilicet distinctionem realem inter extrema relationis Diuinæ, & quia ex comparatione illius ad subiectum non potest accipi nisi realis identificatio cum essentia, dicit, distinctionem debere sumi ex habitudine ad terminum. Tota hæc doctrina solum conuincit, esse de ratione relationis, vt sic esse ad aliud distinctum, & hoc etiam conuenire Diuinis. Ast vero quod sit de ratione relationis, vt sic, quod hoc distinctum debeat esse relatiuum, neque per somnium venit in mentem Diuo Thomæ: debet ergo id sub accomoda distributione intelligi, nempè, omnis relatio essentialiter terminatur ad aliud distinctum, increatis ad absolutum, quia terminus absolutum ratione limitationis subiecti creati distinctus est. In Diuinis vero etiam terminatur ad distinctum; sed quia ibi non nisi relatiuum potest inueniri distinctum, non nisi ad relatiuum debet terminari, & nihil aliud colligi ex mente Diui Thomæ nemo non videbit.

§. 25. Obijciunt secundò Aristotelem hoc capite aientem, quod *si seruus ad hominem dicitur circumscriptis omnibus, qua accidentia sunt Domino, vt esse bipedem, vel hominem, relicto vero solo, quòd Dominus est, semper Seruus ad ipsum dicetur*. Paucisque interiectis: *Circumscribatur* (inquit) *ab homine esse Dominum, non sanè ampliùs Seruus ad Dominum dicetur. Cum enim Dominus non sit, neque Seruus est.* Quibus in verbis expressè Aristotelem docuisse contrariam sententiam censuerunt Rubius, & Complutenses, qui fortè ob eadem dixerunt, illam esse conformiorem Aristoteli.

§. 26. Respondeo. Aristotelem nihil aliud hoc loco docuisse, nisi quod relatiua dicuntur ad conuertentiam, vt si Seruus est, alicuius Domini est, si Dominus, alicuius Serui quidem Dominus est, & hic est scopus Philosophi, vt patet ex contextu, & sua conclusione: *Manifestum est quoniam omnia relatiua conuersim dicentur*. At vero quòd Domino conueniat terminare relationem seruitutis per relationem Dominij, & non per proximum fundamentum illius, neque voluit Aristoteles, neque ad suum attinebat institutum, quod solum erat assignare correlatiuum conuertibile cum Domino, quem dicit esse terminum Serui, circumscriptis omnibus accidentibus, vt esse bipedem, esse hominem, &c. at verò notandum est, quòd ratio fundandi relationem non est accidens; sed ratio, siue causa formalis constitutiua relationis etiam apud aduersarios: non ergo Filius, v.g. terminatur ad hominem, quia talem, neque ad bipedem; sed ad hominem, vt generantem, etiamsi in homine generante non resultaret alia relatio Paternitatis, quæ materialiter, & concomitanter solet resultare, vt patet in relatione Maternitatis Deiparæ, quæ in Aduersariorum, & nostra etiam sententia terminatur ad suppositum absolutum, quod ratione natiuitatis, tantum quæ ratio terminandi absoluta est, & non ratione realis filiationis formaliter terminat Virginis Maternitatem. Et hæc circumscriptis omnibus accidentibus Christi Domini, & etiam ipsa illius filiatione circumscripta ordinatur ad illum, vt natum, & sub ratione natiuitatis, quæ sola quidem accidens non est ad terminationem relationis. Quod autem solo Domino relicto, Seruus referatur ad illum, illoque sublato tollatur etiam Seruus, solùm denotat connexionem, quam inter se habent fundamenta, & termini harum relationum. Terminus enim vnius simul est etiam fundamentum alterius regulariter loquendo, & hæc est germana Aristotelicæ mentis interpretatio, non ea, quàm Aduersarij falso comminiscuntur.

Obijcies tertiò. D. Thomam 1. par. quæst. 40. artic. 2. ad 4. vbi sic ait: *Cum dicitur quod relatiui esse est ad aliud, per ly Aliud intelligitur correlatiuum, quod non est priùs; sed simul natura*: Ergo ex

ex sententia D. Thomæ terminus formalis relationis etiam non mutuæ est aliquid relatiuum.

§. 27. Respondeo, Sanctum Doctorem Aduersarijs nec hilum fauere. Totus enim est ille, vt ostendat, in Diuinis ipsas relationes facere distinctionem extremorum; non consequi: Et contra hoc sibi obiecit: Quod relatio præsupponit distinctionem, quia definitur per habere suum esse ad Aliud: Ergo primum principium distinctiuum in Diuinis non potest esse relatio.

§. 28. Respondet, quod sola relatio, quæ est accidens præsupponit distinctionem extremorum, at vero quando est subsistens, non præsupponit; sed secum fert distinctionem, negatque ex definitione relatiuorum colligi, quòd extremum distinctum debeat esse prius ipsa relatione. Nam cum dicitur, quod esse relatiui est ad aliud se habere, per ly *Aliud* non debet intelligi aliquid quod prius, ipsa relatione sit distinctum (vt supponit arguens) sed intelligitur ipsum correlatiuum, quod simul est natura cum ipsa, & non prius: Ergo de mente D. Thom. solum est ostendere distinctionem relatiuorum non esse priorem relatione, si relatio sit subsistens: non vero quòd relatio sit ratio terminandi relationem.

§. 29. Obijcies quartò, & simul erit instantia contra præcedentem responsionem. Nam Relatiua sunt simul natura, & cognitione: atqui absolutum est prius naturā, quam relatio; ergo dum D. Thomas docet, correlatiuum esse simul natura cum relatione, omninò excludit absolutum à ratione termini formalis.

§. 30. Respondeo Axioma illud Philosophicum non dicere *Relatiua*, vt proponitur in argumento: Sed *Correlatiua*, idest quòd relatiua mutua sunt simul natura, eo quòd mutua sunt, illa enim tantum dicunt, correlationem ob connexionem illam, quam explicui supra §. 26. ideòque illa tantum sunt simul natura, non omnia relatiua: quod egregiè notauit Angelicus Magister quæst. septima de Potentia artic. 8. ad primum: *Dicendum* (inquit) *quod illa relatiua sunt simul natura, quæ pari ratione mutuò referuntur sicut Pater ad Filium, Dominus ad Seruum, duplum ad dimidium. Illa vero relatiua, in quibus non est eadem ratio referendi ex vtraque parte non sunt simul natura: Sed alterum est priùs naturaliter, sicut etiam Philosophus dicit de sensu, & sensibili, scientia, & scibili.* Explicata igitur maiore sub hoc sensu, & concessa minore, nego consequentiam: Quia quamuis ipsę relationes mutuæ sint simul natura, tamen non exigitur, quod earum extrema, sint simul natura, proindèque terminus, qui simul est subiectum correlationis potest esse priùs: *Nihilominùs autem* (pergit Sanctus Doctor) *non est necessè in illis etiam relatiuis, quæ sunt simul natura, quod subiecta sint naturaliter simul; sed relationes solæ.* Hæc ille.

§. 31. Obijcies quintò. Relatio prædicamentalis terminatur formaliter, & per se ad id, cui opponitur formaliter oppositione relatiua; atqui non opponitur formaliter òppositio relatiua entitati absolutæ termini; sed potiùs opponitur ipsi secundùm esse relatiuum ipsius, ergo ratio formalis, *quâ* terminandi relationem non est aliquid absolutum, sed relatiuum. Maior, & consequentia liquent. Minor probatur. Tum quia extrema oppositionis purè relatiuæ debent participare formam oppositionis relatiuæ quatenus distinctæ à cæteris oppositionibus, sicuti extrema oppositionis contrariæ participant formam, & qualitatem, quæ fundat contrarietatem: &c. Tum etiam quia huiusmodi oppositio relatiua debet contineri adæquatè intra genus relationis, sicuti contraria adæquatè reperitur in contrarijs, vt contrarijs formaliter, & contradictoria in contradictorijs, &c. atqui absolutum est extra genus, & lineam relatiuorum: ergo appositio relatiua, vt talis non potest exerceri, nisi inter extrema relatiua, & eiusdem generis.

§. 32. Dices, terminum oppositionis relatiuę exercere duplex munus in relationibus mutuis, primum est solum terminare oppositum relationem: alterum est correferri ad fundamentum talis relationis, & iterum opponi illi non terminatiuè, vt antea; sed per aliam oppositionem, quam aliud extremum terminat, vicissim enim fundamentum est terminus, & terminus fundamentum in huiusmodi relationibus, quæ munera distinguntur in termino, vt sit; reparantur enim. Quia terminus relationes non mutuæ tantum exercet oppositionem terminatiuam: terminus vero mutuæ vtramque exercet, quia non merè terminat, sed etiam vicissim correfertur per aliam relationem ad suum fundamentum. Vndè absolutum, vt tale benè potest exercere oppositionem terminatiuam: tametsi correlatiuam non exerceat.

§. 33. Sed contra insurgit Mag. Ioan. à S. Thoma: Quia huiusmodi terminatio non habet, vndè sit specialis oppositio relatiua ad distinctionem oppositionis contrariæ, priuatiuæ, &c. Hoc enim quod extrema sint distincta, & non componantur in eodem subiecto, est commune omni oppositioni: ergo non explicatur qualis nam sit ista oppositio: Non enim est contradictoria, neque priuatiua, cum vtrumque extremum sit positiuum, non contraria, Quia non sunt extrema sub eodem genere, siquidem terminus dicitur esse, quid absolutum, quod non est in eodem genere, seu prædicamento cum Relatione, non tandem Relatiua, cum distinguant relatiuam à terminatiua: Ergo nulla.

§. 34. Respondeo. Solutionem superiùs datam esse idoneam, negata enim minore syllogismi ad primam probationem dico. Oppositionem terminatiuam formaliter, & præcisè, vt talem etiam esse relatiuam, si sumatur *relatiuum* in ampliore latitudine prout ambit relatiua etiam rationis: vt enim supra ex D.Thoma docuimus. *Intellectus noster non potest accipere aliquid relatiuè ad alterum dici; nisi ipsum sub opposi-*

tas habitudine intelligat. Quod si velis terminum absolutum (qualis est relationum non mutuarum in multorum sententia Thomistarum) dici etiam realiter, saltem extrinsecè relatiuum: etiam id concedam eo sensu, quo supra §. 4. explicaui. Reuerà enim terminare nihil aliud est, quam denominatio extrinseca sumpta ex eo, quod aliqua relatio tendat extrinsecè in aliud, quod dum considerat intellectus, nequit non concipere relationem rationis comparando terminum cum fundamento. Hinc ad secundam probationem dico, terminum etiam absolutum contineri sub genere, & prædicamento Relationis reductiuè, per accidens, & ratione fundamenti, vt supra ex ipsimet Thomistis monstraui §. 10. quomodocumque tamen sumatur ly *relatiuum* hæc propositio, *relatio opponitur relatiuo*, solum est vera in sensu specificatiuo.

§. 35. Ad instantiam dico, arguentem ipsum, & Thomistas, qui mediam tuentur sententiam, teneri soluere suum argumentum. Quæro enim ab ipsis, qualisnam oppositio sit ea, per quam relatiua non mutua opponuntur? Terminus enim illorum absolutus est, & non continetur sub genere relatiuo, & quo pacto illi hanc oppositionem docuerint, non esse contrariam, nec priuatiuam, nec contradictoriam; sed relatiuam, eodem & nos oppositionem terminatiuam, dicemus relatiuam esse, etiam in mutuis. Adde quod etiam ipsi distinguunt in termino distincta munera sicut, & nos. Nam Mag. Ioan. à S. Thoma distinguit in ipso, rationem vltimi; & rationem oppositi, aitque terminum non mutuæ relationis habere rationem vltimi; sed non rationem oppositi, & Mag. Lerma cum alijs distinguit munus terminandi à munere referendi in eodem termino, & tamen omnes tenemur reducere eiusmodi munera ad genus, & prædicamentum Relationis. Extremum igitur terminans adhuc relationes mutuas potest, debetque concipi, vt relatum, & vt respectum: per oppositionem terminatiuam, non nisi quid respectum à relatione est: per correlatiuam vero distincta consideratione concipitur, vt relatum ad suum fundamentum, seu vt germanus loquar, vt *Correlatum*, quod aliquid ampliùs dicit, nempè supponit fuisse *respectum* per aliam relationem. Vndè patet, prædictum Magistrum, falli, dum confundit oppositionem relatiuam, cum correlatiua, aitque, nos distinguere oppositionem terminatiuam contra relatiuam, quod minimè facimus, solùm enim dicimus, extremum opponi terminatiuè, formaliter, & præcisè, non esse terminum opponi correlatiuè, quod certò certiùs est.

§. 36. Obijcies sexto: sequeretur si Deus sub ratione absoluta terminaret relationem creaturæ, quod sub eo ratione poneretur in definitione creaturæ ordinis naturalis, quæ eo ipso esset naturaliter incognoscibilis, quia non posset cognosci, nisi cognito Deo sub illa ratione, at qui sic nequit naturaliter cognosci. Ergo. Dices, sufficere cognitionem confusam, & abstractiuam Dei secundum esse absolutum terminans relationem, quę cognitio est quidem naturalis.

§. 37. Sed contra vrgent Complutenses. Tum primo quia cognitio distincta, & perfecta definiti nequit haberi sine distincta, & perfecta cognitione partium definitionis secundum eam rationem, qua ingrediuntur illam. Tum item quia saltem creatura esset incomprætensibilis omni intellectus creato: nam ad comprætensionem rei exigitur, quod plenè cognoscantur omnes rationes quomodolibet ad ipsam pertinentes: ergo si Deus secundum suum esse absolutum pertineret ad definitionem alicuius creaturæ, oporteret ad eius comprætensionem plenè agnoscere tale esse absolutum, quod nulli intellectui creato communicari potest.

§. 38. Respondeo hoc argumentum sibi obiecisse M. Masium sect. 3. quæst. 2. illique prædictam solutionem adhibuisse; quæ idonea est. Et ad instantiam cum eodem Magistro nego, necesse esse ad perfectam cognitionem alicuius relati nouisse terminum in se, & absolute; sat enim est, nouisse illum sub ratione definientis, & terminantis: vndè ad exactam cognitionem creaturæ non necessario cognoscendus est Deus, vt est in se, & absolute; sed sat est cognoscere illum sub ratione terminantis relationem creaturæ. Ratio præsto est. Non enim Deus intrat definitionem creaturæ, vt pars definitionis illius, quod supponunt complutenses: neque Deus vllo modo pertinet ad essentiam eiusmodi relationis intrinsecè; sed solum connotatur ab illa extrinsecè, & in obliquo. Perfecta autem cognitio (idem dico de compręhensione) rei respectiuæ non consistit in eo quod etiam connotata in obliquo cognoscantur *in se formaliter*, & secundum omnem eorum rationem; sed solum quo ad illam rationem formalem terminandi respectum, habitudinem, seù terminationem ad ipsa alioqui (vt exemplo vtar Theologico) etiam cognitio, & intuitiua apprætensio omnipotentiæ, quæ necessario terminatur ad omnes creaturas possibiles, simul esset etiam clara intuitiua qua cognitio omnium creaturarum possibilium: ac proindè quilibet Beatus eas omnes clare cognosceret, deumque compræhenderet, cognita omnipotentia. Quia ex D. Thoma nihil amplius exigitur ad Dei compræhensionem, quæ impossibilis est creaturæ, neque adhoc vt D. Petrus v. g. compræhendat visionem beatam Diui Pauli, quæ possibilis est, exigitur, quod simul compræhendat Deum, eo præcise quod sit terminus illius visionis, &c.

§. 39. Obijcies tandem septimo. Si Paternitas v. g. terminaretur ad entitatem absolutam filij, ista cognita, etiamsi cognoscatur relatio filiationis, cognosceretur perfecte Paternitas: ergo optimè poterit vna sine alias cognosci, & consequenter non erunt simul cognitione, quod est contra Aristotelem, qui inter propietates relatiuorum, vt pręcipuam assignat, quod sint simul natura, & cognitione, si rectè assignentur: solum enim quando extrema non rectè assignātur, videtur, relationes non mutuas ad absolutum terminari: ergo omnia relatiua adhuc non

mutua

mutua terminantur ad relatiuum recte assignatum. Antecedens est euidens. Consequens item non solum contra Aristotelem, vt ostensum est, sed contra D. Tho. Secundo contra Gentes cap. 11. vbi apertè docet, *Non posse aliquid intelligi ad alterum, nisi è conuerso illud relatiuè diceretur ad aliud.*

§. 40. Respondeo: ex Thomistis M. Sotum facilè concedere, necessarium non esse, vnum relatiuum formaliter, semper poni in definitione alterius, & sat esse, si ponatur eius subiectum, vt si dicas. Pater in creaturis est animal, quod genuit aliud essentialiter sibi simile, & filius est animal, quod ab alio sibi simili genitum est: qua doctrina admissa, dico, relatiua mutua esse quidem simul cognitione, etiamsi vnum relatiuum cognoscatur per aliud non vt formaliter relatiuum; sed vt fundamentaliter proximè relatiuum: vt patet in exemplis Soti. Vnde dato antecedente, distinguo consequens. Ergo poterit vna earum relatio sine aliâ cognosci: sinè aliâ omninò, nego sine alia hoc vel illo modo ex explicatis, transeat, qui enim sinserit naturam vnius relatiui, scit necessario naturam alterius, vt dixit Aristot. Vt cumque illam sciat. Quod autem omnia relatiua dicantur ad conuertentiam, lubens concedo: inde tamen nullatenus sequitur, omnem relationem terminari ad relatiuum: sed solum, quod quandocumque verum est, Petrum v. g. esse Patrem Pauli, verum sit etiam, quod Paulus sit filius Petri: si album est dissimile nigro, & nigrum erit dissimile albo: si plato logicus sit sciens aliquod obiectum logicale, etiam tale obiectum erit scitom à Platone, tametsi, illud nullam relationem realem dicat ad logicam, nec ad Platonem: sat enim erit, quod intellectus illud tunc consideret, vt terminum terminantem sub opposita habitudine ob rationes toto Theoremate primo declaratas, quod tantum voluit etiam D. Thomas illo loco, quem etiam explicuimus supra §. 25.

DISSERTATIO L.

Vndè nam Relatio sumat specificationem, & vnitatem?

§. 1. CVm Relatio essentialiter sit ordo inter fundamentum, & terminum enatus, disquirunt meritò. Doctores quidnam earum tribuat relationi vnitatem, & speciem? an scilicet illo à fundamento desumat vnitatem, & multiplicitatem specificam, an à termino? an ab vtroque? Denique ex eo, quod ab vtroque relationis specificatio proueniat, quo genere causandi specificationem concurrat vnũ quodque eorum?; & loquimur de specificatione extrinseca, qualis est virtutum, & habituum, quibus ab obiecto venit specificatio, vt communiter docent Theologicum D Thoma 1. 2. q. 1. artic. 3. loquimur item de fundamento, & termino proximè, & formaliter sumptis: quoniam ad eumdem terminum materialiter v. g. ad Petrum terminari possunt plures relationes specie distinctæ, vt Paternitatis, identitatis, causæ, vel effectus, &c. Similiter etiam in eodem albo v. g. fundari possunt relationes specificè discrepantes, vt similitudo, & dissimilitudo: nam si illud comparetur ad coalbum, resultabit similitudo, si vero ad nigrum, dissimilitudo: quam obrem attendere oportet ad rationes fundandi, & terminandi formaliter sumptas, non enim albedo fundat similitudinem eo solum, quod albedo sit, sed quatenus dicit vnitatem, & conuenientiam qualitatis, & dissimilitudinem, quatenus numerum, seù disconuenientiam dicit. & Paternitas non solum terminatur ad substantiam, vt visentem, sed vt ad genitam formaliter, &c.

§. 2. Videtur autem in hac quæstione Diuus Thomas varius esse: nam non semel docuit, relationes sumere specificationem à fundamentis: sic in primo dist. 26. q. 2. ad 4. expræssè ait: *Quod differentiæ relationum essentiales sumuntur secundum differentias aliorum entium, vt patet ex Philosopho 5. Metaph. vbi dicit, quod quædam fundantur super quantitatem, quædam super actionem, & sic de aliis: Inde est quod secundum ordinem eorum, in quibus fundantur relationes, est etiam ordo relationum.* Item 3. p. q. 35. art. 5. *Vnitas relationis* (inquit) *vel eius pluralitas non attenditur secundum terminos, sed secundum causam, vel subiectum.* Idem docet quodlibeto 9. art. 4. Iam vero pro specificatione relationum per terminos non minus clarè loquutus 1. p. q. 32. art. 2. vbi inquit. *Cum ratio specifica relatiui consistat in hoc, quod ad aliud se habeat: necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vnica relatio eis correspondeat.* Idest, si tantum sit vnus terminus correspondens: nam vnica relatio indicat, vnius esse terminum: scilicet illud extremum, in quo ipsa vnicè fundatur. Rursus pro generali Canone id tradidit apertè 1. 2. q. 54. art. 4. *Omnia* (inquit) *quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorũ, ad quæ dicuntur.* Hinc orta diuisio est inter Thomistas, quorum primi relationem à fundamento vnitatem, & speciem habere affirmant, vt sunt M. Flandrensis, Caietanus, Bañesius, Nazarius, Monedo, &c. Alteri autem non nisi à termino desumi asseuerant. Vt M. Paulus Soncinas Illustrissimus Arauxo, &c. mediam Sententiam profiteor, & litem facilè dirimo.

§. 3. Dico igitur, Relationem desumere vnitatem, & speciem simul à fundamento, & termino. Sic communior Thomistarum Chonis. MM. Masius, Sanchesius, Ioan. à S. Thoma, Parra Collegium Complutense, Serna, Rubius, &c. Ratio præsto est: nam relatio essentialiter est ordo vnius ad aliud: ergo vnum, & aliud constituunt eius essentiam saltem extrinsecè, ità quod diuersitas specifica relationis solum consistat in diuerso modo, quo vnum respexerit aliud: atqui quandocumque dantur diuersæ rationes formales fundandi, atquè terminandi; dantur eo ipso diuersi modi respiciendi terminum: ergo dantur diuersæ relationes: consequentia est euidens: nil enim est relatio, nisi ordus respiciendi aliud. Minor autem explicanda est. Nam tum dicitur fundamantum non accipi materialiter, sed formaliter quando dicit pro-

proportionem cum suo termino, seù præcontinentiam adæquatam illius. Vt album constituit formaliter fundamentum similitudinis, quatenus habet proportionem vnitatis, & conuenientiæ cum alio albo, & paternitatis quatenus correspondet generationi passiuæ sui termini, & illum præcontinet, &c. Hinc est quod ad vnitatem relationis exigitur vnitas fundamenti, & termini, at vero ad diuersitatem eiusdem sat esse videtur diuersitas, siuè fundamenti, siuè termini; non quidem quia vnitas (vt comminiscuntur PP. Complutenses) est bonum quoddam, debet quæ consurgere ex integra causa, & diuersitas malum, quod prouenit ex quocumque defectu (vt fert commune Dionisij axioma) sed quia varato, vel termino, vel fundamento, variatur proportio, seù correspondentia vtriusque, in qua formaliter consistit, quod fundamentum sit formaliter tale, & non materialiter. Vndè hæc propositio: *vnum, & idem fundamentum fundat relationes diuersas* semper est distinguenda; nam de fundamento materialiter sum pro vera est: falsa autem de fundamento formaliter accepto: idem dic de termino.

§. 4. Quo si quæras, quo influxus, vel modo causandi specificationem concurrat alter vtrum extremorum? dico cum communi Thomistarum Sententia non esse existimandum, quod fundamentum, & terminus ità partialiter concurrant, & partem specificationis tribuat fundamentum, partemque terminus: vnum quodque enim eorum est adæquata, totalisque causa specificationis in diuerso genere causandi. Fundamentum quippe in genere causæ efficientis, & terminus in genere causæ formalis extrinsecæ; alij vero fundamentum dicunt specificare inchoatiuè, terminum vero completiuè fundamentum specificare causando, & terminum complendo. Thomistæ enim qui docent, relationem omnem terminari ad relatiuū vt tale, Verentur dicere terminum causare, seù specificare; ne cogantur concedere, quod terminus sit aliquo modo prior ipsa relatione; nam causa, & specificatiuum, vt tale semper est natura prius effectu, & specificato, proindequè cautissimè loquentes aiunt cum Magno Alberto, relationem non specificare per terminum, sed ad terminum, quia ly per denotat causalitatem, quam denegant puro termino, vt purus terminus est; at vero qui relationem ad absolutum tendere profitemur, nil nos pungit eiusmodi scrupulus. Igitur siuè terminus causet specificationem relationis; siuè tantum compleat causatam à fundamento, certum est omninò, specificationem eiusmodi ab vtroque simul prouenire, idque S. Doctorem tradidisse locis supra citatis, qui sensu à nobis explicato facile in concordiam veniunt.

§. 5. Obijcies primo contra specificationem fundamenti: relatio specificatur per id, per quod definitur: at non definitur per fundamentum: ergo non specificatur per fundamentum. Confirmatur: idest specificatiuum rei, quo posito ponitur res, & quo ablato, aufertur: sed posito, & ablato termino v. g. substantia viuente genita, ponitur, & aufertur Paternitas: ergo terminus, & non fundamentum specificat relationem.

§. 6. Respondeo distinguo minorem. Relatio non definitur per fundamentum tanquam per causam formalem concedo, tanquam per efficientem, seù per subiectum sustentans, nego. Cum enim relatio describitur, esse ordinem vnius ad aliud, vtrumque illam definit, diuerso tamen modo, & dum Pater v. g. definitur per *animal relatum ad aliud à se genitum* animal quod est fundamentum, inchoat ipsam Patris creati descriptionem. Ad confirmationem nego minorem exclusiuam: nam similiter posito, vel ablato fundamento, ponitur, vel aufertur relatio.

§. 7. Obijcies contra specificationem termini: oppositum non potest ab alio sibi opposito sumere specificationem, alioqui desumeret oppositam essentiam, & speciem: at terminus est extremum oppositum relationi, ergo relatio nequit à termino specificationem desumere. Respondeo maiorem solum esse veram de oppositis dicentibus imperfectionem negationis; quod eleganter explicuit S. Doctor quæst. 7. de Potentia articulo octauo. *Quod in alijs oppositis* (inquit ad quartum) *Vnum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum remouet. Negatio enim remouet affirmationem, & secundum hoc ei opponitur. Oppositio vero priuationis, & habitus, & contrarietatis includunt oppositionem contradictionis, vt quarto Metaphysic. dicitur. Non autem est hoc in relatiuis non enim per hoc opponitur filius patri, quod ipsum remoueat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum &c.* Nego igitur maiorem de oppositione respectiua, quæ quia non dicit negationem; vel remotionem oppositi, sed potius illud ponit, vel supponit, potest extrinsecè terminari, & compleri ab ipso ratione habitudinis ad ipsum.

§. 8. Obijcies tandem; Pater, & Mater sunt termini specifice distincti, constituuntur enim per Paternitatem, & Maternitatem, quæ sunt relationes specie discrepantes. At qui filius vnica relatione filiationis terminatur ad Patrem, atquè Matrem, vt expressè docet D. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. ergo vnitas specifica relationis non sumitur ad vnitate termini, sed bene cohæret eam terminis specie diuersis. Rursus viceuersa idem argumentum conficitur de paternitate, & maternitate prout terminantur ad filium: nam filius est terminus vnus specie: paternitas vero, & maternitas sunt duæ relationes specificæ distinctæ. Ergo diuersitas specifica relationum optimè cohæret cum termino specifice vno, & eodem.

§. 9. Dices cum Merinero, Moneda, & alijs, hoc argumentum habere quidem difficultatem solum in Sententia D. Thomæ docentis, matrem non concurrere actiuè, sed passiuè dumtaxat ad generationem filij, sic enim diuersus modus concurrendi vtriusque parentis fundat etiā distinctas specie relationes in patre, & matre: vt de se patet. At vero in contraria sententia, quam tenet Scotus in 3. distinct. 4. quæst. vnica cum Galeno lib. 4. *de Vsu Partium*, & lib. 2. *de Semine*. Cum mater asseratur etiam actiuè concur-

currere ad generationem prolis, argumentum nullam habet difficultatem. Quia paternitas solum erit numericè à maternitate distincta, sicut filiatio vnius filij, est ab alterius filiatione numericè tantum distincta, & sicut vna paternitas sufficit, vt respiciat plures filiationes: sic vna filiatio respiciet paternitatem, & maternitatem, sicut & vna relatio in Vectoribus v.g. potest terminari ad plures homines trahentes vnā nauim, &c.

§. 10. Contra primo: quia contraria Sententia Scoti non debet effugere difficultatem, deserendo Aristotelem, quem sequi profitetur: ille enim lib. 1. de Generatione Animalium cap. 2. Item Fusius lib. 2. cap. 4. docet, fæminam non nisi passiuè tantum ad generationem animalis concurrere. Contra secundo: quia vt bene instat M. Ioan. à S. Thoma. Contraria Sententia nec deserendo Aristotelem pro Galeno, effugit difficultatem argumenti. Esto enim concurrat etiam mater actiuè, sicut pater, attamen ità diuersus est conurrendi modus fæminæ, vt sufficiat fundare diuersam relationem à paternitate. Sic etiam sol, & homo concurrunt actiuè ad generationem hominis: atqui nihilominus ob diuersos modos concurrendi, distinctis specie relationibus causæ illum respiciunt: ergo tametsi mater concurreret actiue ad generationem prolis, non ideò non respiceret illam relatione specificè distincta à paternitate: consequentia est clara: nemo enim dicat, relationem solis, & relationem hominis ad filium genitum esse eiusdem speciei, sicuti sunt duæ filiationes; alioqui sol tàm pater esset Ascanij v.g. quam est Æneas: ergo neque paternitas, & maternitas erunt eiusdem speciei, sicut duæ filiationes.

§. 11. Dices secundo cum Thomistis, vtrumque parentem concurrere ad generationem, vt causam completam; sed neutrum vt causam completam, & sufficientem. Quia concurrunt generationibus partialibus intrisecè ordinatis ad complendum totale principium filij, & sicut ex parte filij datur tantum vnica productio passiua etenim non nisi vnica natiuitate ab vtroque procedit, quæ est vnica ratio terminandi relationes paternitatis, & matetnitatis, ità etiam in his relationibus, quæ non nisi speciem incompleta, & quasi partialiter distinguuntur, non est nisi vnica ratio terminandi filiationem completa, & coalescens quasi ex partibus heterogeneis ex concursu actiuo genitoris, & passiuo fæminæ. Ex qua doctrina explicant Diuum Thomam supra §. 2. citatum docentemque *Quod duæ relationes non sunt duæ secundum speciem, si ex opposito vnica relatio eis correspondeat*, quæ videntur non cohærere cum his, quæ 3. parte docet, aiens ad 5. *Contingit quod ex parte vnius extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multæ relationes: sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differentes propter hoc, quod alia ratione pater, & alia mater est generationis principium.* Dicunt enim Sanctum Doctorem in primo loco loqui de relationibus, adæquatis, totalibus, & specie completa distinctis; in altero vero loqui de relationibus partialibus, & specie incompleta distinctis, quibus quidem vnica potest in alio extremo relatio adæquate respondere. Vndè iuxtà hanc responsionem asserunt, integrum correlatiuum filiationis, neque esse paternitatem solam, neque etiam solam maternitatem, sed aliquid constitutum ex ipsis tanquam ex partibus, vt clarè fatentur Complutenses disput. 14. q. 7. num. 87.

§. 12. Sed contra insurgit Moneda: hæc solutio non potest sustineri: nam filius extincto vno parente, manet adhuc cum eadem filiatione in ordine ad alium parentem superstitem: sed si terminus formalis resultaret ex vtroque parente, absque dubio deficeret relatio filiationis defectu termini: ergo ex vtroque parente non fit terminus adæquatus filiationis, nisi dicas, resultare in tali casu aliam filiationem specie distinctam.

§. 13. Hæc instantia difficultate non caret, sed non est noua, nec à Moneda recenter proposita; nam pridem illam M. Sanchez, Fonseca, Rubius, alijque sibimet obiecerunt, solueruntque, Respondet Sanches, quod per eumdem respectum terminatur filiatio ad matrem, mortuo patre, quia non fuit ablatus totalis terminus: sicut mortuo vno filio, pater, qui habet multos filios, eodem respectu terminatur ad alios, quia non fuit adæquatus terminus allatus. *Sed contra primo*: quando deficit aliqua ratio necessariò, & ex natura rei constituens, & integrans rem completam, & constitutam per ipsam: eo ipso deficit etiam ipsa res totalis, & completa, seù constituta per ipsam, sed per res terminus formalis filiationis ex natura rei, & necessariò completur, & constituitur quasi ex partialibus rationibus ex patre, & matre, seù ex paternitate, & maternitate (dicitis enim, rationem terminandi esse ipsasmet relationes) Ergo eo ipso, quod deficiat pater, vel mater, deficiet etiam terminus totalis ab vtroque necessariò constitutus. Maior est naturæ lumine nota, liquetque in omni toto composito cuiuscumque generis sit. Minor est inconfesso apud citatos Thomistas. Consequentia legitima. *Contra secundo*. Exemplum non est ad rem; nam quælibet filiatio terminat paternitatem habentis plures filios independenter ab alia filiatione, sicut vna vnius natiuitas est independens à natiuitate alterius, neque ex duabus filiationibus completur, aut integratur necessariò, & ex natura rei totale principium terminans paternitatem, sicut ex concursu actiuo, & passiuo vtriusque parentis completur, & integratur vnicum, & totale principium radicale terminandi filiationem. Ergo,

§. 14. Respondeo igitur, argumentum non benè enodari solutione Scotica, quippe, quæ supra exhibitas patitur instantias. Responsio autem Thomistica idonea est, oportet tamen illam ampliùs explicare; nam sola doctrina, quam Complutenses, M. Ioan. à S. Thoma, M. Parra, & alij tradunt (ni fallor) eneruari non possunt instantiæ, quibus vrgetur. Quare cum alijs Doctoribus aduertendum est, concursum causarum, seù principiorum simul influentium in aliquem

aliquem effectum bifariam posse esse partialem. Primo quidem partialitate effectus, quando scilicet ipse effectus non totus, nec totaliter correspondet cuilibet causarum; sed est aliquid effectus, quod fit ab vna, & aliud, quod fit ab alia, proindeque correspondet partialiter, & diuisiuè ipse effectus vtrique causæ simul, & indiuisibiliter sumptæ secundùm id, quod ab vnaquaque participat. Exemplum huiusmodi causationis partialis exhibetur in tractatione nauis, v.g. quæ quidem tota non respondet vnico vectori, trahitur enim partialiter à multis, ijque omnes simul vnam adæquatam causam efficiunt, cuius effectus non refertur ad singulos trahentes adæquatè, nec in recto, nec simpliciter: sicuti totum non refertur ad singulas partes, ex quibus componitur; sed ad omnes illas simul sumptas, quamobrem relatio si vlla est totius ad suas partes, nequibit quidem permanere, sublata earum aliqua; tametsi altera supersit, & quod eiusmodi effectum nonnisi omnes, simulque vnitæ causarunt. Altero, & quidem nobiliore modo causæ partialiter concurrunt, idest partialitate principij, siue causæ, nempè quando duæ causæ producunt effectum cum dependentiâ vnius ab alia: non ita, quod pars effectus correspondeat singulis, & totus ambabus, vt fit in prima partialiter causandi modo; sed totus effectus respõdet simpliciter vnicuique illarum, illæ autem quasi partes fiunt vnius principij totalis solùm quoad dependentiam vnius ab alia, non verò in essendo. Exemplum huiusmodi partialitatis in causando exhibetur in obiecto, & potentia, quæ vnum principium intellectionis, siue sensionis efficiunt, & si enim obiectum non intelligat, aut sentiat, totam tamen efficit intellectionem, siuè sensionem, sicut & potentia: dicuntur autem partialiter concurrere ratione dependentiæ: non enim potentia sine dependentia ab obiecto, nec obiectum sine dependentia à potentia, potest elicere eiusmodi operationem, atque de huiusmodi concursu disputant Theologi, dum inquirunt, an lumen gloriæ concurrat partialiter ad visionem Beatam? vt & prænotauit Sapientissimus M. Petrus Godoyus ingenio, ac doctrina, quam infulis illustrior tract. 2. disput. 15. §. 4. num. 3. & 4. Hinc est, quod aliud sit, effectum referri ad suam causam simpliciter, aliud referri adæquatè: Intellectio enim simpliciter refertur ad obiectum tanquam ad causam, non tamen adæquatè, quia non solùm obiectum fuit adæquata causa intellectionis, sed cum omnimodâ dependentia ab intellectu. Haud secus filius dicet relationem etiam ad vtrumque parentem adæquatè; quia vterque fuit adæquata causa illius. Nihilominùs tamen poterit referri simpliciter ad quemlibet eorum, altero extincto, quia totus quidem ab vterutro genitus fuit, tametsi dependenter ab alio.

§. 15. Vnde apparet, PP. Complutenses, aliosque Thomistas à vero deuiasse, docentes, vtrumque parentem, immò vtramque relationem illorum esse vnicum, & integrum, atque indiuisibilem terminum filiationis, sicuti contingit in causis partialibus primi modi; quod si ita foret, proculdubio nequiret altero extincto, filius permanere cum relatione ad superstitem, vt rectè inferebat instantia; subindeque in solutione Thomistica, dum dicitur, istas relationes paternitatis, & maternitatis esse specie incompletas distinctas, easque non nisi partialiter distingui, sicuti pater, & mater partialiter prolem generant: explicanda est partialitas, idque admittendum de partialitate causæ ratione dependentiæ dumtaxat, non de partialitate effectus. Deinde neganda consequentiam: nempè, non remansuram filiationem simpliciter terminatam ad parentem superstitem.

§. 16. Instabis contra *primo*: Filius respicit quemlibet parentem inadæquatè: ergo non potest remanere filiatio, deficiente termino adæquato. Contra *secundo*: neuter parentum potest filiationem terminare, nisi cum dependentia ab altero: ergo altero deficiente non potest relationem terminare superstes. Contra *tertio*: certo certius est, filium terminari ad vtrumque parentem nõ solùm tanquam ad terminum simpliciter, sed tãquam ad terminum adęquatum perfecta quadam, & proportionata terminatione: ergo extincto alterutro parentum, non remanet filiatio terminata vt antea: ergo nec remanet vna, & eadem specie, scilicet variata essentiali specificatione terminationis.

§. 17. Respondeo ad primam instantiam: concesso antecedente, nego consequentiam: remanet enim terminus simpliciter, cui totus respondebat effectus, licet non remaneat terminus adæquatus, neque enim filiatio respiciebat quemlibet parentum, vt terminum inadæquatum, nisi ob solam dependentiam eorum inter se, non ratione partialitatis in effectu respondentis singulis illis, tanquam causis partialibus primo modo. Ad secundam: distinguo antecedens, nisi cum dependentia ab altero: cum dependentia transacta concedo; cum dependentia actuali, nego. Paternitas enim (idem dic de maternitate) non fundatur nisi in *genuisse* præterito, de quo fusè disputaui supra dissertat. 47. theorem. 2. Mater equidem nunc terminat filiationem prolis, quatenùs eam genuit cum dependentia à patre, & pater similiter terminat eamdem filiationem, quatenus cum dependentia à matre genuit olim: quod semper verum est, tametsi alteruter viuat, aut deficiat. Ad tertiam concedo: terminationem ad terminum adæquatum esse quidem perfectam, & magis proportionatam; nego tamen inde sequi, non manere relationem terminatam ad terminum simpliciter, eamdemque in specie, quamuis cum modo terminationis imperfecto remaneat.

§. 18. Denique ex his satis liquet, Diuum Thomam minimè docuisse loco superiùs indicato, filium duabus realiter relationibus ad patrem, & ad matrem referri: ait enim apertè *Ex parte prolis est vna sola filiatio secundùm rem, sed duplex secundùm rationem*. Neque hæc vltima verba sibi volunt, quod solùm in esse rei, & materialiter sit vnam tantùm filiatio, at verò in esse relationis, & formaliter, sunt duæ specie distinctæ, vt perperam comminiscuntur Suarius, Vasquez

& alij

& alij ex Ferrara, à quibus accepit Moneda: satis enim sese explicat S. Doctor: *In quantum* (inquiens) *correspondet vtrique relationi parentum secundùm duos respectus intellectos*. Non igitur sunt realiter specie incompleta duæ relationes constituendæ, sed (vt benè explicant Complutenses) in eadem reali, & specifica relatione filiationis cointelliguntur duo respectus rationis, secundùm quod intellectus nunc intelligit ipsam, vt correspondet patri; & iterum, vt correspondet matri, &c.

DISSERTATIO LI.

Vtrum vna relatio terminari possit ad terminos numero distinctos?

§. 1. Affirmat Scotus in 3. distinct. 8. quæst. vnica, sequuntur Suarez disput. 47. Metaph. sect. 17. num. 16. Vasquez in 3. par. ad q. 91. artic. 1. dub. 4. & alij, qui hac tempestate à D. Thoma discedunt, hanc sententiam maximè amplectuntur, vt obseruat M. Sanchez. Negat D. Thomas mille suæ doctrinæ locis, quæ tota sequitur Schola. Penitior tamen discussio huius difficultatis maximè pendet ex alia grauissima quæstione *de principio indiuiduationis accidentium*, quam versare nunc nostri non est instituti, ideòque breuiùs, quàm res exigeret, nostram probabimus sententiam, ne metas, exedamus Dialecticas de indiuiduatione relationum, tantùm rudi (vt aiunt) Minerua disputantes.

THEOREMA I.

Thomistica sententia, eiusque fundamenta proponuntur.

§. 2. Communis Thomistarum sententia fert, Patrem v. g. vna, & eadem numero paternitate referri ad duos, vel plures filios & album vnica similitudine ad omnia alba mundi, totaque difficultas in ea sita est, quòd explicetur, quomodo vnica numero paternitas ad primum filium terminata, adueniente nouà generatione alterius filij, extendatur ad secundum? Et quomodo extincto primo filio, cum tamen remaneat secundus, etiam remaneat eadem paternitas numero? facessit enim negocium expedire, tum quænam sit eiusmodi extensio respectus sine distinctione modorum respiciendi, cum tamen rationes fundandi relationem sint distinctæ, & relatio sit ipse modus respiciendi? tum etiam: si paternitas nil est ad aliud, quam habitudo ad primum filium, quomodo non distinguatur ab habitudine ad secundum filium, quandoquidem habitudo ad primum filium extitit separata, antequam secundus filius gigneretur, & posteà perit, quando primo genitus extinguitur, remanetque habitudo ad secundum filium, illo superstite: ergo hæ duæ habitudines erant realiter numero distinctæ, quia realis separatio in existendo arguit realem earum distinctionem. Neque dici potest, paternitatem eo solum quod ponatur in rebus, esse habitudinem actualem ad omnes filios, quos paterbahet, & habiturus est. Non (inquam) quoniam relatiua debent esse simul naturâ, & relatio prædicamentalis nequit realiter terminari ad terminum non existentem in rebus: quo circa.

§. 3. Varij sunt modi hanc difficultatem explicandi: nam *primo* quidam admittunt, hanc extensionem in paternitate fieri per partes, seù relationes quasdam partiales, quæ distinctis generationibus causantur, & vnam paternitatem adæquatam constituunt successiuè, eo ferè modo, quo calor crescere solet. Quæ sententia falsa est in Schola Diui Thomæ, quæ additionem partium non admittit adhuc in qualitatum cremento, & intensione, à qua isti Authores exemplum trahunt. Alij *secundo* probabiliùs dicunt, in formis respecturis non requiri hanc extensionem intrinsecam; sed sufficere extrinsecam per positionem noui termini dumtaxat, vt patet, in potentia, quæ sine intrinseca sui variatione extenditur ad producendum plures terminos; sic etiam species indita Angelis, quæ nondum repræsentabat obiectum non existens, postea dum existit, extenditur ad repræsentandum illud intuitiuè absque vlla sui intrinseca, & reali modificatione; sed solùm extenditur, quia ponitur existentia obiecti, ad quod statim refertur per assimilationem, vt fert communior Theologorum consensus. Alij *tertio* dicunt, quod adueniente nouo termino, v. g. secundo filio corrumpitur prior paternitas, & alia denuò resultat perfectior priori, non quidem specifica, sed secundùm rationem indiuidualem, quę habet pro termino adæquato primum, & secundum filiū, & si tertius generetur, corrupta hac anteriore, resultat noua paternitas ad tres filios terminata, & sic deinceps: *Si vis (inquit M. Caberus) Angelici Doctoris sententiam defendere, asserentis duas relationes numero diuersas simul in vno subiecto reperiri non posse, hac vtere solutione, &c.* sed verò hæc doctrina ne dum non est Sancti Doctoris, nec Thomistarum, vt benè obseruat Albertinus, sed illam vt risu dignam contempsit M. Sanchezius, aiens, quòd *illa reproductio relationum est ridicula, & sine causa dicta*, atque ipse rationem addidit: *Nam prima, & secunda relatio si ab istis ponitur, non habent oppositionem, & ita non se destruerent, &c.* Alij *quarto* dicunt, quod quando primo genitus producitur, fundamentum est potens ad producendum paternitatem ita perfectam secundùm rationem indiuidualem, vt non possit esse perfectior: quare hæc est sufficiens, quantùm est ex se, vt respiciat omnes filios, qui possunt esse ab hoc patre; actu tamen non respicit, nisi primum, quia alij filij non sunt præsentes. Et ratio est, quia fundamentum est perfectiùs paternitate, quæ est minimæ entitatis; potest igitur producere paternitatem perfectissimam secundùm esse paternitatis; sic F. Albertinus *de Prædicamento ad aliquid quæst. 10. num. 46.* Tandem *quinto* Caietanus magis ad mentem Diui Thomæ docet, quod hæc paternitas si secundùm proprias causas indicaretur, esset proculdubio ad solum hunc filium; sed si secundùm merita subiecti iudicaretur, oportet, quod sit ad hunc, & alium filium: *propter hoc sci-*

scilicet, quod secunda paternitas cadit in identitatem primæ rationis subiecti, quia non habet vnde differat solo numero ab illa. Pergit & oppositum exhibet „ exemplum. *Sicut lumen* (inquit) genitum à „ secunda candelà in eodem diaphano per se pri„ mo est ab hoc agente, vt patet 12. Metaphys. „ sed propter subiecti identitatem coincidit in „ idem numero lumen superiùs genitum à pri„ ma candela ibi illuminante. Et quia huiusmo„ di coincidentiæ sunt per accidens, hoc est per „ aliud, hoc est per subiectum: ideò non ex ra„ tionibus formarum, aut causarum arguendum „ est, sed ad identitatem spectandum *est subiecti.* Ita ille 3.p. q.35. art.5.

§. 4. Assertum Thomisticum probant sic nonnulli: vnica potentia visiua, seu intellectiua sufficit ad respiciendum obiecta numero distincta, quin ipsa numero multiplicetur: ergo etiam sufficit vnica paternitas numero ad respiciendos plures filios numericè distinctos, quin ipsa multiplicetur; sic Moneda, M. Lynceus, & alij. Sed hoc argumentum nullo negocio diluunt Scotistæ, negata consequentia, ipsumque in nos retorquent. Nam etiam probaret, vnicam numero paternitatem posse respicere filios specie diuersos; quia vnica potentia potest etiam referri ad obiecta, & actus distinctæ speciei; voluntas enim potest tendere in bonum, & malum, in odium, & amorem, intellectus in verum, & falsum, in assensum, & dissensum, visus in colorem atrum, & album, &c.

§. 5. Secundo sic probant: Paternitas non connotat, vt terminum totalem, & adæquatum, hunc vel illum filium numericè, & singulariter sumptum: nam terminus formalis ipsius est filiatio, vt sic secundùm formalem, & specificam rationem filiationis: quæ participant multi filij materialiter tantùm distincti, & non distincti in ratione filiationis: ergo eadem numero paternitate refertur pater ad multos filios, qui rationem formalem terminandi vnicam participant, sic PP. Complutenses, M. Ioann. à S. Thoma, Lynceus, Moneda, & alij. Hoc argumentum etiam nihil probat, quippe quod ex antecedenti verò falsum infert consequens, scilicet vnitatem numericam colligit ex specifica, quam solùm conuincit argumentum: vt enim benè aduertit Albertinus, si sermo esset, quod non possit fundamentum habens paternitatem ampliùs actuari per aduentum secundi filij secundùm esse specificum relationis, facilè id probaretur ex eo, quod secundus filius non est diuersus specie à primo; at verò, quod non possit actuari secundùm esse numericum, de quo est præsens quæstio, maiorem habet difficultatem, nec prædicta ratio id suadet.

§. 6. Nobis verò recedendum non est à Diuo Thoma, qui rationem probandi hanc positionem exhibens 3.p.q.35. artic.5. sic ait: *Et quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto; non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturalis.* Hæc ille; in quibus (vt vides) antecedens supponitur, vt certum à S. Doctore, videlicet, quod duo accidentia solo numero distincta nequeunt simul idem subiectum actuare: ergo nec duæ paternitates. Consequentia est bona, de antecedenti nunc nihil agendum, spectat enim ad altiorem disciplinam.

§. 7. Dices primò cum Poncio, & alijs Scotistis, antecedens esse falsum, & accidentia non indiuiduari à subiecto. Sed contra: in hoc recedis à tuo Scoto, qui vt probet, duas paternitates posse in eodem subiecto reperiri, non insistit in negando illud antecedens; sed potiùs omittendo argumenta, quibus probabat indiuiduationem accidentium absolutorum non desumi à subiecto, pergit ad probandum suum propositum independenter ab illis argumentis. *Hæc ratio dicta* (inquit) *procedit de pluribus absolutis in eodem perfectibili, & licet ipsa non concluderet propositum de relationibus eiusdem speciei, tamen illud idem faciliùs probatur. Primo quia, &c.*

§. 8. Dices secundo cum Fonseca, & alijs, ex eo quod accidentia absoluta indiuiduentur a subiecto, nec duo numero distincta possint esse in eodem perfectibili; non sequi, duas relationes numero distinctas non posse in eodem subiecto reperiri, quia ratio dispar est. Duæ enim qualitates, v. g. numero distinctæ non possunt idem subiectum informare, quia natura refugit superflua, & quidem superuacanea esset altera illarum cum effectus formalis earumdem esset eiusdem omninò rationis, v. g. duo calores eiusdem gradus, vt duo, duæ magnitudines vnius palmi: calidum enim, quod ab vtraque fit, ab vno calore satis præstaretur, sicut palmare ab vna proueniret magnitudine, & altera superflueret: at verò duæ paternitates, v.g. non habent effectum formalem eiusdem omninò rationis, nam vna facit patrem huius filij, & altera patrem illius filij alia filiatione constituti.

§. 9. Sed contra: Hoc responso destruitur præcipuum Scoticæ, & vestræ sententiæ fundamentum, quod sic ostendo. Nam ideò per vos secundus filius inducit distinctam numero paternitatem, quia distinctum *genuisse* fundat nouam paternitatem: ergo quando est vnicum numero *genuisse* non resultant plures numero paternitates, videlicet quando vnico actu generationis Petrus v. g. producit duos, vel plures filios, vnica dumtaxat paternitate ad illos refertur. Consequentia est euidens, nequitque negari ab his, qui cum Scoto ex distincto *genuisse* colligunt distinctam paternitatem: at qui etiam eo euentu subiectum fit pater huius filij, & etiam pater alterius filij constituti per alteram, & distinctam filiationem: ergo hoc, quod subiectum sit pater huius filij, & pater alterius filij non arguit distinctionem numericam duarum paternitatum, ac proinde hoc, quod est esse patrem huius filij, est esse patrem illius filij non facit quod effectus formales duarum paternitatum non sint omninò eiusdem rationis: ergo tàm superflueret altera paternitas, quàm superflueret alter calor eiusdem gradus, proindeque assignata disparitas nulla est. Quod autem ex vnico *genuisse* prodeant plures filij, preterquamquod experientia id monstrat in gemellis quotidiè, prodigiosè legimus contigisse Margharitæ Hollandiæ Comitissæ,

mitissæ, vt referunt Fulgosius, Marcellus Donatus, Genebrardus in Clemente V. & Guicciardinus in Historia Hollandica, qui hæc scripsit: *Illustrissimi Domini Florentiæ Comitis filia, cuius mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ fratrem quoque habuit Gulielmum Alemaniæ Regem, hæc Domina Margharita anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto ætatis suæ quadragesimo secundo ipso die Parasceues hora nonà ante meridiem peperit infantes viuos promiscui sexus numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per Venerabilem Episcopum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis Proceribus, & Magistratibus in pelui quadam Baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Ioannes, fœmellis verò nomen Helisabeth impositum fuisset, ipsorum omniū simul cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ, redierunt,*

§.10. En habes numerosam prolem vno partu editam, seù saltem vna viri generatione productam. Quæro nunc, an in vnico genuisse fundabatur vna maternitas ad tot filiationes? & sic habeo intentum, & superior solutio corruit, quando quidem Margarita aliter erat mater huius, & aliter alterius vna tamen maternitate, vt Thomistæ dicimus de Duce v.g. qui vna relatione Ducatus respicit multa millia Militum, & Magister innumeros discipulos. An verò secus? Nam si tot erant maternitates, quot filij; ergo falsum est, quod maternitates multiplicantur ad multiplicationem fundamentorum, seù actionum generandi, vt arguebat Scotus, apud quem in vna Margharita subiectabantur trecentæ, & sexaginta quatuor Maternitates, & tot idem paternitates in suo marito super vnico dumtaxat partu, seù actione generatiua fundatæ; & quod plus est, in vnico albo sunt penè infinitæ similitudines ad omnia alba vniuersi, quæ quidem non sunt denominationes extrinsecæ, neque entia diminuta, neque modi, sed veræ, & reales entitates simpliciter distinctæ, sicut Petrus, & Paulus apud Scotistas, de quo Caietanus meritò dixit, *quod est ridiculum, absurdum, & superfluum.*

§. 11. Dices in productione gemellorum licèt partus fœminæ, vel generatio viri sit vna numero phyficè, attamen virtualiter, seù æquiualenter esse plures, quatenus illa pluribus æquiualet generationibus, extenditurque ad plures terminos productos, nempè distinctos numero filios; sed contra: ergo etiam vnica numero paternitas licet phyficè vna sit, tamen æquiualenter, seù virtualiter poterit esse plures, atque etiam extendetur ad respiciendum plures filios: cur enim vnica actio ministrandi semen in viro extendetur, vt æquiualeat multis generationibus, & vna paternitas non æquiualeat multis paternitatibus, quibus eosdem filios respicere possit?

THEOREMA II.

Scotistarum argumenta diluuntur.

§.12. OBijcies primò ex Scoto: Pater hac paternitate primò respicit hunc filium hac filiatione: ergo hæc paternitas non est ad plures filios. Probatur antecedens: quia sicut paternitas fundatur supergenuisse; ita hæc paternitas super hoc genuisse.

§. 13. Respondeo: distinguo antecedens pater hac paternitate primo respicit hunc filium, primò, idest adæquatè nego, primo, id est principaliter concedo, & nego consequentiam: nec probatio antecedentis aliquid conuincit, nisi, quod hoc *genuisse* fuit causa, vel conditio huius paternitatis; sed inde non sequitur, quòd adæquatè respiciat hunc filium, vt benè notauit Caietanus. Ratio est, quia hæc paternitas, non est hæc numero, quia adhunc numero filium terminatur, sed quia causatur ab hoc particulari homine, qui est pater, & cui inhæret vt subiecto: Vndè dum Thomista dicit, omnes filios respici inadæquatè ab hac paternitate, quia omnes conueniunt in vnica ratione terminandi paternitatem; non vult, quod omnes filij compleant, vel constituant vnam rationem indiuiduandi, vel numericè terminandi: illa enim vnitas est specifica, quæ nihil conducit ad indiuidualem; sed solum significat, quòd singularitas huius, & illius filij non facit hanc relationem esse singularem, quæ etiam si multos respiciat, illos quidem respicit solum vt terminos inadæquatos suæ specificationis, & non quemlibet eorum vt terminum adæquatum suæ indiuiduationis. Eo quod (vt supra edixi:) indiuiduatio relationis non prouenit à termino, quantumuis sit hic numero, & singularissimus.

§. 14. Obijcies secundò. Correlatiua sunt simul natura, ita quod vno destructo, destruitur, & reliquum: ergo destructa hac filiatione in hoc filio, destruitur quoque hæc paternitas in hoc patre: ergo paternitas remanens ad alium filium, est alia paternitas, nisi dicas, quod eadem est corrupta, & remanet, quod est impossibile, vel quod aduenit alia paternitas tunc sine noua generatione, quod etiam est impossibile.

§. 15. Dices: quod extincto primo filio, non destruitur paternitas, sed tantum habitudo rationis ad illum: id est iam non respicitur ille filius in actu secundo, manet tamen respectus quantum est ex parte sua potens referre ad illum, si adesset; sed contra, instat Lalemanderius: extincto termino, tota perit relatio, quia deperditur totum *Ad*. Immò tot sunt relationes numero distinctæ, quot sunt esse *Ad* numero diuersa: ergo deperdito vno *Ad*, deperditur etiam vna relatio: & si in patre habente plures filios sunt plura esse *Ad*: ergo, & plures adæquatæ relationes.

§. 16. Respondeo: solutionem datam idoneam esse: deficiente enim vno filiorum, & relicto altero, solum deficit paternitati, vel terminatio extrinseca, vel rationis denominatio, quam dimidium nominis appellauit Salmonensis Vates de Consolat. ad Liuiam.

Visa diù fœlix mater modò dicta Neronum
Iam tibi dimidium nominis huius abest.
Iam legis in Drusum miserabile Liuia carmen
Vnum, qui dicat iam tibi mater habes.

Si ergo dimidium dumtaxat nominis aberat materni, non tota deperierat maternitas. Negandum rursus, esse *Ad* multiplicari: est enim vnicum numero esse *Ad* quod est, ipsa paternitas, quamuis extrinseca, & actiua terminatio filiorum deficiat, vel multiplicetur; sed verò solutio mihi Caietanica arridet, quam ab aduersarijs impugnari non video. Distinguit antecedens: destructo vno correlatiuo, destruitur reliquum, per se, & regulariter loquendo, concedit, negat verò, si per accidens contingat, illud remanere. Propositiones enim (inquit ille) fiunt de eo, quòd secundum proprias rationes conuenit correlatiuis, non de his, quæ accidens contingunt. Sic autem est in proposito. destructo enim hoc filio secundo, vel primo, destruitur hæc paternitas, nisi per accidens remaneat ratione identitatis ad paternitatem, ad reliquum; sicut destructo vno albo, destruerentur similitudines omnium alborum ad illud; nisi per accidens remanerent inter se. Hæc Caietanus: & supra reddiderat rationem §. 3. *Propter hoc scilicet, quod secunda paternitas cadit in identitatem primæ ratione subiecti, quia non habet vndè differat solo numero ab illa*, quæ benè teneas cum exemplo candelæ.

§. 17. Obijcies tertio. Pater aliquo modo aliter respicit hunc filium, & illum. si alia relatione habetur propositum: si non alia relatione, sed alio respectu relationis, iterum habetur intentum: nam illi diuersi respectus sunt idem cum ipsa relatione: ergo idem erit respectum plurificari, ac relationem plurificari, & habetur intentum. Sic Scotus.

§. 18. Dices primo, relationem, qua pater respiciebat primum filium, aliter quidem respicere secundum; ratione tamen extensionis suæ ad illum: sicut per scientiam habitualem, qua facilitatur quis ad vnam conclusionem, potest facilitari ad alteram, mediante extensione illius. Sed contra primo. Exemplum de scientia est æquè difficile, ac falsum deindè quæritur, quid sit illa noua extensio? si est aliquid reale de nouo adueniens, quo posito pater refertur ad secundum filium; & non posito non refertur: ergo est noua relatio: quid enim aliud petitur ad nouam relationem? Contra secundo. Quia sicut pater, qui non erat ante pater secundi filij, fit de nouo pater eius per illam nouam extensionem, quæ non esset relatio, ita posset dici de nouo pater primi per aliquam extensionem, quæ non esset relatio, quod Thomista non admittet.

§. 19. Dices secundo. Cum Caietano Patrem eodem respectu sicut, & eadem relatione vtrumque filium respicere, & quando Sanctus Doctor dicit, diuersos esse respectus non esse intelligendum de diuersitate reali; sed rationis quatenùs vnica realis relatio æquiualet duabus, seu vt loquitur ipse, vnica realis relatio duorum respectuum rationem induit, dum cointelligitur respicere diuersos terminos. Ità quod in re non est diuersitas respectuum, sed respectorum, quibus illa vna relatio quasi duplex cöintelligitur. Sed contra; quia nullo intellectu cogitante pater fit de nouo realiter pater secundi filij: ergo non habet esse talis mediante extensione, quæ sit ens rationis, vt est euidens.

§. 20. Respōdeo argumentū pati manifestā instantiam in patre gemellorum, qui quidem etiam respicit quamlibet eorum aliquo modo aliter; & tamen cum non nisi per vnum *genuisse* ambos produxerit, non nisi vnica paternitate illos respicit; alioqui eneruabitur Scoti argumentum colligentis vnitatem, vel pluralitatem paternitatum, ex vnitate, vel pluralitate rationum fundandi: vt supra instabamus. Rursus prima instantia, non est cur exemplum sumptum ex habituali extensione scientiæ dicat esse æquè difficile, quando quidem etiam suppetunt facillima exempla. Nam vnio v. g. non minus exigit extremum existens vnibile, quem relatio terminum existentem: nec minus actualiter exercetur, & completur per extrema vnita, quam relatio per extrema relata; & tamen in homine, dum puer est, vna est, indiuisibilisque vnio, quæ quantum est de se, est sufficiens ad vniendum partes, quæ non dum existunt, eruntque quando ex nutrimento accreuerint, nec tamen illas vnit, nisi cum actu sunt: similiter species impressa Angelorum extenditur solo posito obiecto, vt supra §. 3. explicuimus, &c. igitur formas aliquo modo respectiuas sola extrinseca extensione respectorum extendi, neque falsum, neque difficile est. Altera autem instantia falsum colligit, & discrimen est manifestum, nam pater vt sit secundi filij pater, iam supponit in se relationem, tametsi huius extensio non sit noua relatio, at verò ad primum filium nullam in se habebat relationem.

§. 21. Secundam verò solutionem, quæ germana totius argumenti enodatio est, non benè impugnat Poncius, cuius est illa instantia. Nam etiam Deus nullo cogitante intellectu est Creator, & Dominus Creaturarum: & tamen nec Scotus, neque vllus Scholæ Peripateticorum sectator dicet, Deum relatione reali referri ad illas: ergo etiamsi pater nullo cogitante intellectu de nouo respicit secundum filium hæc noua terminatio, seu diuersitas respiciendi illum, potest esse per rationem, & non realis. Cæterùm fallitur ipse putans, nos dicere, Patrem respicere secundum filium, seu esse denuò patrem illius per relationem rationis: id quod non dicimus, cum relatio rationis non sit causa, nec forma, per quam pater referatur ad secundum filium; sed quia diuersæ terminationes, actiuæ filiorum præbent occasionem intellectui, vt in ipsa paternitate diuersitatem concipiat respectuum aliter, & aliter illos respiciendi, hanc ipsam diuersitatem dicimus, esse per rationem, quod longè aliud est: Caietanicæ igitur solutioni subscribo, quæ primum antecedens negat de alietate reali acceptum.

§. 22. Obijcies quarto: Relatio prædicamentalis vt existat, pendet essentialiter à suo termino: ergo variatio numericè termino, & multiplicato, variatur etiam secundum existentiam ipsa relatio, & multiplicatur numericè. Consequentia ostenditur. Relatio non minus pendet à ter-

à termino secundum existentiam in suo esse numerico, & indiuiduali, quàm pendet ab ipso secundum esse formale, & specificum: sed variato, & multiplicato termino specifico ipsa variatur, & multiplicatur specificè: ergo variato, & multiplicato numericè termino, variabitur, & multiplicabitur numericè relatio.

§. 23. Confirmatur. Vnus, idemque effectus nequit naturaliter dependere à pluribus causis totalibus, & adæquatis (vt Thomista contendit in Physicis) est enim contradictorium, quemlibet earum esse causam totalem, & adæquatam, vt supponimus, & simul non esse totalem, & adæquatam, siquidem illa non explet indigentiam, seù dependentiam effectus, qui simul ab alia causa dependeret; sed paternitas totaliter, & adæquate dependet, quo ad suum esse à primo filio, tanquam à termino: ergo non potest simul eadem dependere à secundo: ergo alia est admittenda ad secundum.

§. 24. Respondeo. Concesso antecedente, consequens distinguo, in quo male confunditur variatio cum multiplicatione: & similiter in minore probationis. Equidem si per variari terminum intelligas, terminum actualem tolli, vel illo sublato alium in eius locum subrogari, concedo relationem perimi, seu mutari, & in huiusmodi variatione tam dependere relationem à suo termino in esse specifico, quàm in esse indiuiduali: sublato enim Paulo filio, tollitur paternitas Petri. Item si extincto Paulo, nascatur sibi Antonius, alia numero consurget paternitas in Petro: at verò multiplicationem terminorum, nisi sit specifica, non sequitur multiplicatio relationis, quoniam vt supra docuimus, specificatio relationum sumitur. Vel formaliter, vel completiuè à termino, indiuiduationem autem relationis sicuti, & omnium accidentium à subiecto desumi, nunc supponimus. Multiplicari autem terminum paternitatis (nisi vocibus abutamur) nil est aliud, quam quod supra primogenitum existentem alius, & alius filius denuò generentur, quodquidem non inducit distinctionem numericam relationis eo quod secundus, & tertius filius inueniunt iam relationem terminam à primogenito, tanquam à termino explente omnem dependentiam relationis in existendo, & cæteri cedunt: proindeque in variata indiuiduatione, & existentia relationis, solum exereent eius terminationem. Ad quorum maiorem claritatem aduertas, bifariam dependere paternitatem à suo termino. *Primo* dependet quo ad suam existentiam, cum sine termino existere nequeat. *Secundo* quo ad eius terminationem: ex his autem prior dependentia est ab vno termino adæquatè, quia ad existentiam relationis patris sufficit vnus: id quod etiam tetigit Ouidius supra laudatur, apud quem Liuia sic fatur.

Vltima contigimus, ius Matris habemus ab vno
Vnius est munus, quod tamen orba negor.

Altera autem dependentia respicit omnes eiusdem speciei terminos, id est omnes filios vagè, & quemlibet eorum inadæquatè, proindeque eorum multiplicitas non variat relationem, ad tum ferè modum, quo materia prima non variatur ad multiplicitatem formarum adhuc specie diuersarum, quoniam eas omnes respicit inadæquatè.

§. 25. Ex quibus patet ad instantiam: nego enim, relationem paternitatis dependere quo ad existentiam à duobus terminis adæquatis, & totalibus. Nam quando secundus terminus aduenit, scilicet alter filius inuenit indigentiam relationis adæquatè expletam a primo termino, proindeque iam non concurrit ad existentiam relationis; sed solum ad eius terminationem, quæ adhuc explebilis est multis alijs terminis inadæquatis.

§. 26. Obijcies quinto: Relatio paternitatis non solum quoad existentiam, sed etiam quoad terminationem dependet adæquatè à primo filio: ergo quando subiectum paternitatis respicit alium filium, non hac ipsa; sed secunda etiam, & alia numero paternitate illum respicit. Consequentia est bona: Probatur antecedens; Paternitas resultans ex generatione primi filij, ita respicit illum, vt nihil sit eius relationis, quod non terminetur ad hunc primum filium; & vice versa nihil est in hoc primo filio vt terminus est formaliter, quod non respiciatur per talem delationem paternitatis: ergo paternitas non solum quoad suam existentiam, sed etiam quoad suam terminationem dependet adæquatè ab hoc primo filio. Consequentia videtur euidens: quia si nihil relationis restat terminandum, quomodò non terminatur adæquatè, & totaliter?

§. 27. Respondeo: nego antecedens: ad probatum distinguo maiorem: nihil est in relatione paternitatis, quod non terminetur ad hunc primum filium: nihil actuale eorum, quæ formaliter in se continet paternitas concedo: nihil virtuale eorum, quæ aptitudine continet, nego antecedens. Primus enim filius antequam secundus existat, dici potest terminus adæquatus paternitatis, etiam quoad terminationem, qui actu, & formaliter tota relatio ad ipsum terminata est. At verò quoad capacitatem virtualem, qua ipsa respicere potest alios, si existerent, nondum terminata est, quia non dum existunt alij termini. Quæ aptitudo fundatur, vel in perfectione essentiali paternitatis, quæ in esse paternitatis est perfectissima, adeò vt in esse indiuiduali alia perfectior esse non possit, proindeque ipsa est sufficiens respicere omnes filios, qui possunt esse ab hoc patre, vt censebat Albertinus supra §. 3. citatus. Vel quod verius est. Quia hæc paternitas etiamsi per se, & regulariter loquendo solum ad hunc filium adæquatè erat terminanda, si iudicaretur secundum proprias causas, at verò, quia stante eodem subiecto possunt alij termini superuenire, iudicari debet secundum merita subiecti, *& oportet, &c.* recole discursum Caietani eadem §. tertia.

§. 28. Obijcies sextò; si pater eadem omninò paternitate refertur ad omnes filios, quotquot habet, & habiturus est: sanè extincto primo, nec dum nato secundo, perit illa ralatio patris: Deindè secundogenito, iterum eadem numero reddit; ergo datur forma, quæ viribus naturæ

turæ redeat, quod est contra Diuum Thomam, cuius hæc putatur esse opinio.

§. 29. Respondeo. Nego antecedens quoad secundam partem, quod scilicet secundo filio genito redeat paternitas, quæ perierat: nec scio, vnde talem reditum inferat Fonseca: nam illa proposito. *Pater eadem paternitate respicit hunc filiũ, & quotquot habiturus est*. Solum est vera de paternitate existente.

§. 30. Objicies septimò cum Lalemandetio: Esto quòd anihiletur primo genitus, relictis alijs filijs. Ergo cessabit illa entitas producta per primam generationem: ergo cessabit relatio entitatiuè ad alios subsequentes filios, & sic deficiente primogenito, pater non erit amplius pater entitatiuè respectu aliorum filiorum, sed tantum extensiuè. Probatur consequutio. Illud definit deficiente psimogenito, quod productum fuit per primam generationem; sed relatio entitatiuè fuit producta per primam generationem: ergo & ipsa perit, deficiente primogenito: sicque nulla remanebit entitatiuè relatio patris ad alios filios, quod est absurdum euidens. *Confirmatur*. Illud perit deficiente primogenito, quod periret, etiamsi non essent alij filij: sed si non essent alij filij, periret tota relatio entitatiuè, iam enim pater nullo modo diceretur pater: ergo primogenito pereunte, quamuis sint superstites alij filij, non remanebit iuxta fundamenta Thomistarum entitatiuè relatio ad alios filios.

§. 31. Respondeo admisso essentis, nego vtramque consequentiam: neutra enim sequitur ex illo. Ad probatum nego maiorem: quæ solum est vera de ijs, quæ per se consequuntur defectum primogeniti: Ast quia per accidens contingit, quod non deficiat totaliter terminus, nempe secundus filius, per accidens etiam contingit, quod non deficiat entitas relationis causatæ per generationem primogeniti. Ad confirmationem: similiter nego maiorem: quia eo ipso, quod per accidens supersint alij filij, non petit totum id, quod quidem periret, si illi non existerent: si enim nullus esset filius, nisi solus primogenitus, eo per eunte, tota relatio periret per se, quia non haberat terminum, quem saltem per accidens respiceret.

§. 32. Objicies tanddem octauò: Si pater eadem omninò relatione respicit secundum filium, qua respiciebat primum: ergo nihil noui accessit ei per generationem secundi: ergo non est nouus pater noui filij, sed antiquus: atqui non ista cohærent, esse antiquum patrem; & noui filij: ergo non nisi noua paternitate nouum respicit filium. *Confirmatur*. Secundus filius cum secunda generatione non est minus efficax ad fundandam paternitatem, quàm erat primus: ergo non est, cur eam non fundet.

§. 33. Respondeo. Concedo consequentiam, si sermo sit de accessione reali: nam vt Caietanus ait: non fit noua extensio respectuum sed respectorum. Dicitur tamen iuxta modum loquendi vsualem hominum, esse nouum patrem ex noua terminatione extrinseca filij; & ex distincta comparatione, aut denominatione rationis, quam denuò acquirit. Neque etenim vulgus considerat, aut percipit formam relatiuam denuò inhærentem patri, quam vix Metaphysicus agnoscit, maximè si Nominalista sit.

§. 34. Hęc sufficiant de relatione: Cætera ad hoc prædicamentum spectantia vide apud alios Autores, nam de propietatibus relatiuorum nihil nunc speciale occurrit discutiendum præter illa, quæ superiùs in Synopsi, & inter disputandum explicata obiter sunt.

DE PÆDICAMENTO QVALITATIS.

D. Seuerino Boethio interprete.

TEXTVS. *Qualitatem esse dico, secundum quam quales, quidam dicuntur. Est autem qualitas eorum, quæ &c.*

Synopsis literæ.

I. INter pręcipua Aristotelis prædicamenta; quartum sibi locum vendicat *Qualitas* nomen quidem non Latinum, sed à Græcis imitatum, apud quos etiam non vulgò vsurpatum; sed Philosophis dumtaxat in vsu est. Qualitates enim ipsi *Pœotetas* vocant. Quod si de latinitate contenderis, testem prome ipsum adducam Iullium lib. 1. Academic. quæst. *Corpus, & qualitatem nominabant* (inquit) *dabitis enim profectò, vt in rebus inusitatis, quod Græti ipsi faciunt, à quibus hæc iam diù te actantur. Vtamur vobis iterdum non auditis* (& paucis interiectis) *Qualitates igitur appellaui, quas ποιότητας Græci vocant, quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed Philosophorum atque id in multis Dialecticorum quoque verba nulla sunt publica; suis vtuntur, &c.* Non igitur latinæ qualitas dici potest *omnibus, qui vnquam latinè loquuti sunt, consentientibus*, vt perperam scripsit Valla lib. 6. cap. 34. cum nescio quid de Diuinis personis ineptiret. Hoc autem capite agit de qualitate Philosophus, & quatuor expedit. Primò illam describit *qualitatem dico* (inquit) *secundum quam quales quidem dicuntur*, idest per quam res, ita qualis esse dicitur, vt per eam respondeas interrogationi factæ per *quale?* quatenus distinguitur ab interrogatione facta per *quantum?* Etenim sicut dum scitatur, quantus sit Socrates v. g. apte tibi respondebitur, esse bicubitum, aut tricubitum: Ita si rogetur, qualitas verò sit? respondebitur, esse rufum, album, ægrum, vel sonum, Grammaticum, aut Medicum, &c. sic & quantum bellè discreuit à quali Poeta Diuina Æneidos 7. ——— *per noctem in luce refulsit*
Alma parens, confessa Deam: qualisque videri
Cælicolis, & quanta solet.

II. Secundo qualitatem in quatuor diuidit genera, quorum primum est, habitus, & dispositio, vt sunt scientia, atque virtus calor, & frigiditas, &c. Alterum autem qualitatis genus est naturalis potentia, vel impotentia facile aliquid agendi, vel nihil patiendi, vt esse pugillatores, Cursores, & valetudinarij: Tertium est, passio, & passibilis qualitas vt dulcedo, amaritudo, au-

ste-

steritas, & alia, quæ sensus commouent, quod est illos pati, explicatque Aristoteles: *non quod ea, quæ eas suscipiunt aliquid passa sint: sed quoniam vna quaque earum, quæ dicta sunt, secundum sensuum qualitatem passionis perfectiua, sunt, passibilitas qualitates dicunt: dulcedo enim quamdam passionem secundum gustum efficit, &c.* Quartum genus, siue species subalterna qualitatis est forma, & figura, vt triangulus, & pyramis. Quibus hoc loco recensitis subdit: *Fortasse quidem igitur alius quispiā modus apparuit erit qualitatis; sed qui maximè dicuntur, hi sunt.* Quibus ex verbis deduci opinatur Boethus, alias esse etiam qualitatis species, præter enumeratas, quas Aristoteles alibi expressit, ideoque hic ab ipso prætermitti, vel quia Tyronibus Logicam instituebat. quibus quipem cuncta non oporter aperire, vel quia nostro illas permissit indagandas ingenio. Verum tamen diuisio istę adæquata, plenaque à cæteris, & merito Doctoribus æstimata est, quippe cuius ad membra, quotquot aliæ excogitari valent, tanquam ad proprias classes aptissime redigi possint, debeantque.

III. Iam verò Diuus Albertus Magnus, atque Caietanus, non nihil arcani delitescere putant in verbis definitionis præfatæ, quam illi nescio ex cuiusnam translatione sit efferunt: *Qualitatem esse dico, secundum quam quales quidem esse dicimus*, id est dicimus nos homines: *non quia alia ab homine qualia non dicantur* (inquit Caietanus) *sed quia soli homines secundum omne genus qualitatis, quales sunt: Cætera namque vel qualitatibus corporalibus tantum, vel spiritualibus tantum afficiuntur, homo autem vtrasque suscipit: illas secundum corpoream naturam; istas secundum incorpoream, quam in parte intellectiua habent.* Sed vero nihil minus Aristoteli venit in mentem, quam vt τὸ *dicimus* data opera scripserit, vt & Gręca testantur exemplaria, atque etiam versiones Boethi, & Argyropili, qui in tertia persona *dicuntur* ex ipso archetypo Greco germanè transtulere. Dixi autem me nescire, ex cuiusnam apographo, siue interpretamento Albertus eiusmodi coniectarit arcanum, quoniam Manlius Seuerinus Boethus non nisi in tertia persona *dicuntur* Grecum λεγόνται expressit; non *dicimus*, vt falsò sibi M. Sotus imposuit: teneo equidem præmanibus Boethi opera omnia, & tum in Textu à se translato, tùm in ipsa illius enarratione *quales quidem dicuntur*, habet.

IV. His autem qualitatis speciebus adnumeratis, Tertio agit de *quali* concretim significato, aitque *Qualia vero sunt, quæ secundum hæc denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his, vt à candore candidus, à Grammatica Grammaticus, &c.* hic obiter adnotandum contra neotericos nonnullos. Aristotelem tametsi qualitatem per effectum *qualis* definierit; è conuerso tamen *qualia* non per qualitatem reciproca circuitione explicasse, vt perperam ipsi imaginantur, sed per hoc quòd denominentur ab his speciebus, quas ille proximè enarrauerat.

V. Postremo qualitatis recenset proprietates. Prima est contrarium pati; Sic Iustitiæ iniquitas aduersatur, & candori nigredo: huiusmodi tamen propietas qualitati non conuenit omni, quandoquidem, & lux contrarium non habet, neque spiritalis character animæ apud Theologos. Altera est suscipere magis, & minus, quæ nihilo serius, etiam non omni quadrat, qualitati. Nam de sanitate, & iustitia, vt & ipse refert Aristoteles non pauci id negarunt; quamquis de eorum concretis concedant. Atqui itidem figuram magis, minusque respuere compertum est. Triangulus etenim pyramis, & Conon, neque cremento quidem, neque decremento obnoxia sunt. Id quod etiam in qualitatibus secundi generis animaduertes: neque enim intellectus, vt voluntas intendi, vel remitti, crescere, aut minui possunt. Tertia tandem proprietas, est quæ quarto modo genuina qualitati censetur, est, quod secundum illam res dicantur similes, atque dissimiles. De his modo pauca differemus, quoniam de qualitatibus altior Philosophia pleniorem dabit disputationem.

DISSERTATIO LII.

Recte ne Arestoteles, qualitatis definitionem tradiderit.

THEOREMA I.

Recentiorum placita refero, ac refello.

§. 1. HOc loco Nominalium neoterici Sectatores nihil agunt alacrius, quæm Aristotelis definitionem carpere, propriasque merces ostentare: sed vtrumque quidem præstant infeliciter: primum: quia non nisi vetustissimis, obsoletis quæ argumentis, & quæ vel Seuerinus Boethus ab hinc mille, & ferè ducentis annis soluerat, detriuerat, Aristotelem impugnant, nihil noui de sua penu proferentes. Alterum; quia Definitiones, quas ipsi Aristotelem correcturi, in medium producunt, communiter alij Doctores vt ineptas, vel deteriores Aristotelica descriptione reijciunt, aspernanturque. Dicunt, Aristotelem definijsse qualitatem per quale, quod est ęque ignotum, ac qualitas; ait enim: *Qualitas est per quam quidem dicuntur quales.* Rursus circulum fecisse vitiosum in definiendo: Cum *quale* nihil sit apud illum nisi id quod dicitur à qualitate. Quocirca.

†. 2. Primo D. F. Suarez sic definit qualitatem Disput. 42. Metaph. sect. 1. *Qualitas est accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tamen existendo, quam in agendo.* Vix est in tam longa oratione vnum verbum, quod non superfluat. Mala definitio. *Primò* non explicat quid sit qualitas, *Secundò* tota conuenit quantitati. *Tertio*: quod compleat perfectionem substantiæ *in existendo* etiam conuenit durationi, & cæteris vltimis prędicamentis. *Et in agendo* hoc etiam conuenit situi, deorganizationi quantitatis, actioni, &c. Rursus; Non conuenit omni qualitati, cum multæ sint non actiuæ; vt figura, albedo, &c. Descriptionem hanc PP. Complutenses discutiunt disput. 15. q. 2. vbi docte, accurate, elaganterque illam confutant, ipsos omninò videas, nam ex eorum doctrina etiam alias similes farinæ

næ definitiones facilè refelles.

§. 3. Secundo Hurtadus postquam dixerat, quod Aristotelica non tàm est definitio, quàm inanis quædam nugatio, sic definit: *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum*. Hanc amplectitur Arriaga: sed ea quidem præcedenti peior est, etenim non docet, quid sit qualitas; sed quid non sit: Arriaga autem male fidei definitioni, cui nec ipse suus Autor fidebat: anceps enim, atque nutabundus præmiserat Hurtadus *fortè ita definitur*, quod idem est ac etiam dicere: *fortè non ita definitur*.

§. 4. Tertio Ouiedus: *Accidens, quod secundum rationem superiorem prædicamenti tantum sequitur actualitatem perfectam*. Descriptio mala, & obscura, non enim explicat quid sit *ratio superior prædicamenti*: vel recidit in definitionem nonnullorum Thomistarum, quam ipse reiecerat. Nam esse prædicamentum non est gradus aliquis communis, vniuocus vè omnibus prædicamentis, neque agnoscitur vlla ratio illis superior, nisi ratio entis, per quam nihil definiri potest. Rursus rogo, quid intelligat pro actualitate perfecta? si accidentalem: definitio conueniet cæteris omnibus prædicamentis, quæ quantitatem, vel qualitatem consequuntur: Si substantialem? ea est forma, & iam deuorat definitionem illam. *Accidens absolutum consequens formam*, quam impugnauit supra, & de qua inferius iterum sermo recurret.

§. 5. Quarto Ricardus Lynceus: *Qualitas est tale genus entis, quod similitudinem, aut dissimilitudinem cum alio fundat*. Supponit ens esse genus, vt qualitas ritè definiatur per genus, & differentiam. Id gratis permitto Lynceo: sed ad huc mala est definitio. Primo: superfluunt illæ voces *tale genus entis* sufficeret enim ponere *ens* si genus est. Nam qui diceret. *Homo est tale genus animalis, vt sit rationale*. Stolidè quidem definiret hominem. *Secundo*: superfluunt illę voculæ *Cum alio*: Similitudo enim, & dissimilitudo cuiusuis rei, esse nequit secum ipsa. *Tertio*: Hęc definitio non explicat essentiam qualitatis; sed passionem, seu proprietatem secundariam: Nam fundare similitudinem, & dissimilitudinem teste ipsomet Aristotele, est tertia qualitatis proprietas: *Quare proprium est qualitatis* (inquit ille hoc cap. Textu 8.) *Secundum eam simile, vel dissimile dici*. Quartò hæc definitio, quam Lynceus exactam esse dicit, caret differentia essentiali, quæ de definito prædicetur in primo modo dicendi per se. *Dices* sat esse, quod propietas fundandi similitudinem, & dissimilitudinem ponatur loco differentiæ; tametsi in rigore differentia non sit. *Contra*: Ergo etiam sat erat, quod *ens* poneretur loco generis, etiam si in rigore genus non esset. Cur ergo tam superstitiosè curabat Lynceus, vt supponeretur sententia contendens, ens esse genus, ad hoc vt qualitas *strictè*, vt ipse loquitur, definiri posset?

§. 6. Quintò Franciscus Alonsus, cum alijs Iesuitis, quos innominatos refert, & Mastrius ex Scotistis, & alij definiunt sic: *Accidens reale aptum ex natura sua intensionem, & remissionem habere*. Mastrius addit *absolutum*. Eodem pede claudicat hæc definitio, ac præcedens: Caret differentia essentiali: datur per effectum secundarium, cum definitio tradi debeat per priora, & notiora, id, quod isti obiecerant Aristoteli; eo quòd qualitatem per effectum formalem qualificandi tradiderit. Rursus: Non minus est proprietas qualitatis habere contrarium, quam intendi, & remittitur: ergo essentiam qualitatis explicet potius per vnam proprietatem, quam per aliam? Dices habere contrarium, non omni qualitati conuenire: lux enim v. g. & character spiritualis contrarium non habent. *Contra*: Neque intendi, & remitti competit omni qualitati: Figura etenim intendi, aut remitti non potest. Dices iterum: Figuram non esse qualitatem: Contra; Aristoteles hoc capite expresse docet, Figuram esse qualitatem, quæ intendi, & remitti non potest. Cui debeo potius fidem habere, quam tibi.

§. 7. Sexto Poncius postquam Hurtadi definitionem, respuisset, sic eam describit: *Accidens absolutum penetrabile*. Tam mala, quàm pręcedentes. *Primo* conuenit quantitati, quæ quandocumque de facto penetratur cum alia, certè supponitur, penetrabilis, vt quantitas Cœlorum à corpore Christi Domini penetrata in eius Ascensiones; Saxi sepulchri, Portæ Cœnaculi, &c. Dices, huiusmodi penetrabilitatem esse supernaturalem quo admodum: te vero loqui de naturali. *Contra*: Ergo iam definitionis qualitatis, à te traditæ deficit illa essentialis, & maximè necessaria differentia, nempe ly *penetrabile naturaliter*. Secundo penetrabile vt tali formaliter est relatiuum ad aliud, cum quo penetrari possit, ac debeat: ergo terminorum implicatio est dicere, quod sit accidens penetrabile, & simul *absolutum*. Antecedens docetur exprefsè ab Aristotele 5. Metaphys. cap. 15. Vbi inter relatiua enumerat *Alia vt calefactiuum ad calefactibile, & sectiuum ad secabile, & omne actiuum ad passiuum, quædam vt mensurabile ad mensuram, &c.* Ergo sicut secabile respicit sectiuum, ita penetrabile respiciet penetratiuum, ac proinde impossibile est, quod penetrabile non dicat relationem prædicamentalem, vel saltem transcendentalem ad extremum, cum quo penetrari potest: Ergo ly *absolutum* malè ponitur ad distinctionem omnis accidentis tam prædicamentaliter, quam transcendentaliter relatiui, vt Poncius docet. *Tertio* ad hominem: Perte non est certum, Cœlos esse impenetrabiles: nam fortasse Astra mouentur, per Cœlum penetrando ipsum; etiamsi Cœlum habeat quantitatem eiusdem rationis cum sublunari. Sed enim scribis disput. 44. q. 4. num. 50. ergo tua definitio qualitatis conueniet quantitati Cœlesti, quæ eo casu erit accidens absolutum penetrabile. *Quarto* etiam ad hominem: Hurtadi definitionem reiecit Poncius, quia datur per ordinem ad quantitatem, cum tamen qualitas non magis pendeat à quantitate, quam alia accidentia, & consequenter nemo posset cognoscere naturam ipsius, nisi cognoscendo naturem ipsius, nisi cognoscendo naturam quantitatis, quod est inconueniens: At qui penetrabilitas nequit concipi, nisi in ordine ad quantitatem,

tem, & ad locum, quæ etiam est species quantitatis: ergo Ponis explicatio eodem peccat absurdo, ac Hurtadi definitio.

§. 8. Septimo *Accidens absolutum consequens formam*. Sic qualitatem definire Diuum Thomam 5. Metaphys. lect. 9. & Scotum in 4. distinct. 12. q. 2, affirmat Ric. Lynceus lib. 3. Metaph. tract. 5. cap. 1. sed falsò: non enim Sanctus Doctor qualitatem ibi ex instituto definiuit; sed solum assignauit sufficientiam numeri prædicamentorum, ex diuersitate modorum prædicandi; quæ tamen sumi possunt ex proprietatibus, vel alijs etiam prædicatis inadæquatis; quin vllo modo prædicamentum serio definiatur: quod euidenter patet in substantia, cuius prædicandi modum sic, ibi explicat: *Vno modo* (inquit) *Cum est id, quod est subiectum, vt cum dico Socrates est Animal Nam Socrates est id, quod est animal, & hoc prædicatum dicitur significare substantiam primam, &c.* Ecce assignat modum prædicandi substantiæ, & tamen illam non definit; nec vllus rationabiliter dicet, quòd illa verba *id, quod est subiectum*, sint definitio substantiæ: Similiter dicit, quod quando aliquid prædicatur secundum principium quod est in subiecto prædicatur vt *agere*. Si verò, secundum terminum, sic prædicatur, vt in *pati*, nemo tamen dicet, illum definiuisse actionem, & passionem: Ergo nec qualitatem defininit, licet aliquid assignauerit ad dignoscendum modum prædicandi qualitatis.

§. 9. Falsum est etiam, Scotum sic definiuisse qualitatem: Nam loco citato à Lynceo solum probat, qualitatem esse perfectiorem quantitate *Quia quantitas sequitur compositum* (inquit) *ratione materiæ; Qualitas autem ratione formæ, forma autem est simpliciter perfectior materia septimo Metaphysicæ cap. 2.* vbi nam, rogo est qualitatis definitio? Certe illam nec somniauit Scotus: quippè qui de hac definitione nusquam disputauit, vt clarè fassus est nobilis Scotista D. Ioannes Merinerus, proindeque ipse ad nostram scholam ingenuè commigrauit. *In re ergo* (inquit elle disput. 1. de qualit. q. 1. num. 13.) *ita difficili, & de qua Scotus nil disputauit, non possum non adhærere sententiæ D. Thomæ 1. p. q. 28. art. 2. quam communiter eius discipuli sequuntur, &c.*

§. 10. Nihilominus posset prædicta descriptio probabiliter sustineri, eamque M. Dominus Lynceus videtur amplecti, & PP. Complutenses, nihil eam à veritate alienam continere dicunt, licet non omninò sufficienter explicet essentiam qualitatis. Iam verò quæ Ric. Lynceus contra eam obijcit, futilia sunt: Obicit primo. Possibilis est de potentia absoluta calor v. g. essentialiter alligatus subiecto, eique per se ipsum vnitus, qui tamen esset qualitas, & tamen non esset accidens absolutum: ergo malè per accidens absolutum definitur. Respondebit quispiam; Absolutum sumi contra relatiuum, relatiuum autem non tale esse per ordinem ad subiectum, cui posset alligari, sed in ordine ad terminum extrinsecum, id quod nullam habet difficultatem. Rursus obijcit. Si lu *consequens formam* intelligatur de forma incompleta, definitio non comprehendet qualitates Angelicas: nam Angelus forma caret. Si de forma completa, & subsistente sermo sit, qualitatibus animæ rationalis non quadrabit: si de forma abstrahente à completa, & in completa, iam figura hominis non erit, qualitas, neque lumen, quæ nullam formam incompletam, neque completam afficiunt.

§. 11. Propter hoc argumentum Ouiedus huic definitioni non omninò se acquiescere dicit. Sed verò quòd Angelus etiam dicatur *forma* non solum apud D. Thomam, sed apud vniuersos Peripateticæ Scholæ Doctores vsitatissimum est, eos enim conuenientissimè vocant intelligentias, formas separatas, formas per se subsistentes, formas irreceptibiles. Et Angelicus Magister 1. q. 50. *Vnde* (inquit) *cum Angelus sit ipsa forma subsistens, vt ex dictis patet, impossibile est, quod eius substantia sit corruptibilis*, & q. 56. art. 1. *Angelus autem cum sit immaterialis, est quædam forma subsistens, &c.* sic ille locis ferè innumeris quæ si Ouiedus recognouisset, non vtique sibi negotium facesseret, quòd qualitas Angelica non sequitur formam, quia Angeli forma carent. Quamobrem ipse loco *formæ*, ponit, *actualitatem perfectam*, quod perinde est, & sic probabiliter soluit obiectionem illam de lumine, & reliqua, quę contra præfatam definitionem solent opponi, quæ vide si lubet, & vacat. Fateor tamen me prorsus ignorare, quo argumento probe Lynceus, figuram hominis non esse qualitatem: etenim si qualitas consequatur formam, vt sic, & vt communem completæ, & incomplæ (quod illi gratis damus) figura hominis consequens formam hominis eo ipso qualitas erit, quippe quæ consequitur aliquam formam contentam sub eo conceptu formæ abstrahæntis à completa, & incompleta.

THEOREMA II.

Communem Thomistarum definitionem propono, & alia explicatione exorno.

§. 12. OCtauo Thomistæ communiter sic Qualitatem definiunt: *Qualitas est accidens imponens modum, seu determinationem substantiæ*, quam sub alijs verbis, eodem tamen censu pollentibus sic rursus efferunt: *Qualitas est accidens dispositiuum, siue modificatiuum substantiæ*. prima habet maximum, & quidem stabile fundamentum in Diuo Thoma, qui 1. 2. qu. 49. art. 2. *Propiè qualitas* (inquit) *importat quemdam modum substantiæ: modus autem est, vt dicit Augustinus super Genesim ad literam, quam mensura præfigit, & ideò importat quamdam determinationem secundum aliquam mensuram* (Attende nunc ad rei congruentiam Lector amice.) *Et ideo sicut id, secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ: ita id, secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis*, alteras desumitur ex effectu formali, quam idem Sanctus Doctor insinuat 1. p. qu. 28. art. 2. Vbi postquam dicit, rationem communem omnibus accidentium generibus esse quod in sint subiecto:

Aliud

Aliud (inquit) *quod potest considerari in vnoquoque, est propria ratio vniuscuiusque illorum generum, & in alijs quidem generibus à relatione, vtpote quantitate, & qualitate etiam propia ratio generis accipitur secundum comparationem ad subiectum. Nam quantitas dicitur mensura substantiæ, qualitas vero dispositio substantiæ.* Notant autem etiam communiter Thomistæ ly *dispositiuum* non poni pro dispositione, quæ est species inferior. Qualitatis, sed terminorum penuria pro ratione superiore ad habitum, & dispositionem statui. Similiter ly *modificatiuum* dicunt, se non vsurpare pro modo rigorosè sumpto; neque etiam vniuersaliter in tota latitudine modificandi substantiam: hac enim acceptione insolubilis esset quæstio (inquit Caietanus 1. 2. „ q.94.art.2.) quomodo quantitas non sit mo„ dus substantiæ determinans subiectum secun„ dum esse accidentaliter, nec minus determi„ nat, aut modificat substantiam, quam secun„ da species qualitatis:si vero non sumatur vni„ uersaliter, sed limitatè, scilicet,quod qualitas „ importat quemdam modum substantiæ, & „ quemdam determinationem secundum ali„ quam mensuram,cessant obiectiones;quoniā „ sermo non est nisi de quadam determinatio„ ne accidentali, quæ commune nomen acci„ dentalis differentiæ qualitatem, scilicet, *sibi* „ *vsurpauit.*] Hæc ille: quorum nonnullam obscuritatem declarant PP. Complutenses phrasi quadam Hispanica, dicuntque modum illum melius, & significantius exprimi per loquutionem illam, quam Hispanè dicimus. *Notiene modo*, vel *Notiene buen modo*, id est in ijs, quæ agit, vel dicit, non habet dispositionem, vel ordinatè procedit, &c.

§. 13. Sed contra insurgit Poncius: Phrasis illa Hispanica, qua dicitur, bene exprimi ratio modi competens qualitati, tamen non videtur omni qualitati competere,nec enim potest bene dici de re calida, aut frigida, vt sic precisè. *Tiene buen modo*, aut *tiene male modo*. Vnde esse modum substantiæ iuxta eiusmodi sensum non videtur conuenire omni qualitati; licet conueniat alicui particulari qualitati. Præterea ista Phrasis Hispanica videtur significare artem, vel facultatem aliquam rationalem, qua quis nouit viam faciendi aliquid, cum quadam gratiâ, & solum videtur posse conuenire hominibus, aut Angelis: ergo non bene explicatur ratio communis qualitatis, vt sic per illam phrasim. Nota Lector, quam varia sint hominum ingenia: Hæc Complutensium explicatio, quæ Pontio displicet; alijs Scotistis multum arridet: illam Merinerus (quamuis Thomisticam) amplectitur, & vbi supra sic ait: [*Modus specialiter* sumitur pro dispositione, seu ordinata determinatione,quæ acceptit (vt notant citati recentiores) meliùs, & significantius exprimitur secundum phrasim Hispanicam. *Notiene modo*, idest in his, quæ agit, vel dicit, non habet dispositionem. Et in hoc sensu sumitur modus à Diuo Thoma, quâ ratione manifestum est, quod dicebamus, scilicet modum coincidere *cum dispositione*] &c. Hæc ille.

§. 14. Respondeo autem pro Complutensibus, illorum primum exemplum esse. *Notiene modo*, in qua phrasi non est *bueno*, neque *malo*, neque enim illi bonum,& in alium adiiciunt,quasi quid necessarium concomitans modum; sed tantum, vt exhibeant aliam vulgarem loquendi formulam, quæ solet esse. *Notiene buen modo.* Vnde nego antecedens: atque aio, de re frigida,aut calida, vt sic optimè posse, deberèque dici. *Tiene otro modo*, vel *Esta de otro modo*. Siue *estase del mismo modo*, & non enim,vt supra edixi, bonum, aut malum constituit rationem modi. Hinc corruit omnino secunda instantia, quæ tota fundabatur in eo quod Pontius putauit. Modum qualitatis, vt sic constitui per ly *bueno*, vel per ly *malo*, quod dicit nemo.

§. 15. Hanc Thomisticæ definitionis explicationem, vide apud Complutenses, M.M. Ioa. à S.Thoma, Dominicum Lynceum, &c. Iuniores, qui illam deffendunt. Nos enim nolumus actum agere. Res sane difficilis est captu cognoscere qualitatem, cuius definitionem non tradidit Aristoteles, & aui (vt aiunt) tangere ipsam rationem communem essentiæ illius, mortalibus ferè inconcessum propter maximam dissimilitudinem, quam inter se habent tam variæ, & diuersæ species qualitatis; nescimus enim quid illud sit, in quo omnes illę similitudinem, & conuenientiam habeant vniuocam. cuius ratio,& causa est improportio, quam noster intellectus habet in hoc statis cum obiecto spirituali; Vel cum abstrahente à spirituali, & corporali,vt est qualitas, vt sic. Solùm enim habet proportionem cognitio nostra cum quidditate, & re materiali, seu existente in materia corporali, eamque dumtaxat facilè capit, quandiù rationalis anima hoc corporis ergastulo detinetur, vt communiter docent Thomistæ agentes de obiecto motiuo nostri intellectus in 3. de Anima. Hoc tamen ex verbis Diui Thomæ, vt certum deduci potest, qualitatem esse accidens absolutum, quod subiectum per modum intrinsecæ,& essentialis formæ determinat, & perficit. Quamuis enim quantitas, & Relatio,atque etiam nonnullæ actiones, atque passiones intrinsecè afficiant subiectum; non tamen per modum essentialis formæ: nam quantitas materiam potiùs, quam formam imitatur, & subiectum potiùs disponit ad patiendum, quam perficiam ad agèdum, quæ non dico, vt affirmem, omnem qualitatem perficere subiectum ad operandum, seu omnem qualitatem esse actiuam, sed vt aduertam, quantitatem etiam in hoc munere imitari materiam, quæ semper patitur: Relatio autem non perficit subiectum instar formæ substantialis, idest in seipso; sed in ordine ad aliud: Item non dicit perfectionem,neque imperfectionem, vt plerique Thomistæ cum Capreolo, atque Caietano docent. Actio vero, & passio non tam sunt formæ determinantes, & perficienter subiectum,quàm viæ quædam, & transitus ad formarum perfectionem:quare sola qualitas est,quę per modum essentialis formæ subiectum propiè determinat, siue perficit actuando. Cæterum si illam explices sic: *Accidens entitatiuum absolutum ad modum essentialis formæ determinans subiectum*, aliquanto accuratior erit descriptio. *Accidens* surroga-

gabitur loco generis. Cæteræ voculæ erunt differentiæ. *Entitatiuum* excludet accidentia, quæ propie entitates non sunt; sed tantum modi essendi, vt sex postrema prædicamenta esse putantur. *Absolutum* tametsi, vt Complutenses meritò volunt, non sit gradus aliquis positiuus, sed tantum negatio quædam; efficiet tamen, ly *Entitatiuum*, & saltem propter terminorum penuriam positiuorum illud explicabit, secernendo à relatione prædicamentali, quæ accidens respectiuum est. Additur postremò *per modum formæ substantialis determinans*: ad distinctionem quantitatis, quæ materiam potiùs, quam formam imitatur: ipsa enim in subiecto est tota ratio recipiendi cęteras formas accidentales, quæ omnia non nisi explicant illa Diui Aquinatis verba; *Ideo sicut id, secundum quod determinatur pótentia materiæ secundũ esse substantiale dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ: ita id, secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis*.

THEOREMA III.

Aristotelis descriptionem esse idoneam calculo antiquitatis ostendo, & à Cauillis defendo.

§. 16. QVale licet multipliciter vsurpetur in tota suæ significationis, amplitudine, vt patet ex Aristot. 5. Metaphys. in præsentiarum tamen bifariam tantùm à Dialecticis sumitur, scilicet communiter, & propiè. (Vt bene aduertit hoc capite Caietanus) communiter sumitur quando tam substantiæ, quam omni accidenti conuenit, dicitur enim differentia prędicari in *quale* quid, quæ est substantia, atque etiam nouem prædicamenta accidentium dicuntur prædicari in *quale*. Contingenter, eo quod omnia ea qualificant substantiam. Propiè autem sumitur pro *quali*, vt est speciale prędicamentum, & certam entis naturam, generalissimam tamen explicat, & quale dicitur simpliciter, & antonomasticè. Quod si quæras, cur potius hoc prædicamentum sibi nomen qualitatis vendicet; Cum tamen reliqua auidentia etiam qualificent substantiam? Respondet Caietanus ex Magno Alberto, quod quia facit simpliciter quale, cætera verò nõ faciunt simpliciter quale; sed cum aliqua additione: Quantitas facit quale quantum, vel quale quotum, vt sic liceat loqui, & simile est in alijs. Vel & in idem redit: licet determinans potentiam substantię secundum esse accidentale qualitas sit, quia tamen qualitatis ratio attenditur penès determinationem potentiæ rei, & solum genus hoc consistit in ipsa determinatione subiecti: & distinguitur secundum quod diuersimodè subiecti potentiam determinat: Ideo qualitatis sibi, & rationem, & nomen vendicauit, ita tamen, quod (vt dictum est) omne aliud accidens, vt determinat potentiam subiecti qualitatis rationem sapiat, & nomen quodammodo habeat, & hæc appropriatio nominis qualitatis fuit causa, quare qualitas descripta est per quale simpliciter. Hæc ille subtiliter, & scite, ex quibus.

§. 17. Dico, qualitatem describi ab Aristotele per effectum formalem constituendi quale simpliciter, idque rectè fecisse. Et ratio est, quia definitio tradi debet per priora, & notioria, quãdo dantur priora, & notoria definitio, quod si nulla sint priora notiora, & velimus vtcumque rem explicare, quæ reuera definibilis non est, omninò ad posteriora recurrendum est, & ad effectus, quilicet secundum se non sint notiores, tamen quo ad nos esse possunt notiores. Valebuntque nobis notificare suam causam. Vnde hæc Aristotelis non tam est rigorosa definitio, quam descriptio quædam à posteriori explicans qualitatem ab effectu notorio quoad nos: magis enim notæ sunt nobis, res quales in concreto, vt albæ calidæ, &c. quam in abstracto qualitas, albedo, &c. Communem hanc Aristotelicæ definitionis explicationem, & quam Peripatetici vtriusque Scholæ Doctores adhibent, ante plusquam mille annos Seuerinus Boethus tradiderat, vt mox ostendam; sed age, argumenta, quibus illa impetitur, proferamus.

§. 18. Obijciunt primo recentiores: Hæc definitio explicat qualitatem per æquè ignotum, & obscurum, ac est ipsa qualitas. Nam ad cognoscendum, quod sit esse *quale*, oportet prius cognoscere qualitatem; ergo est mala. Riccardus Lynceus contrario vtitur assumpto, Aristotelica qualitatis definitio (inquit) non ignotum per ignotum; sed aliquid per se notum per aliud per se notum explicuit hoc argumentũ iam pidẽ sibi obiecerat Boetus his verbis: *Nihil enim minus erit obscurius, atque ignorabilius, quod ait: secundùm quam quales dicuntur, quam si de ipsa solá qualitate dixisset. Nam si illi sunt quales, qui qualitatem habent, vt sciantur quales, prius qualitas cognoscenda est*.

§. 19. Obijciunt secundo: in hac definitione definitum definitur per seipsum, siquidem in rei veritate idem est qualitas, ac quale: ergo malè definitur qualitas per quale. Hæc eadem obiecerat etiam sibi Boethus. *Amplius quoque* (inquit) *nihil differt dixisse, eam qualitatem, secundum quam quales quidam dicuntur, tanquam si diceret, tam esse qualitatem, quæ qualitas sit*.

§. 20. Obijciunt tertio: Definitio hæc circulo peccat nugatoriò, dum primo qualitatem per quale, & rursus quale per qualitatem explicat, quod perinde est, ac si dicas qualitatem esse qualitatem; ergo. Et hoc etiam argumentum protulerat contra se Vetustus ille Auctor. *Qualitatem* (inquit) *definire volens, ait. Secundum quam quales quidam sunt. Rursus si quis quales, aliquos definire voluerit, eodem modo dicere poterit, qui in se retinent aliquam qualitatem. Quod si qualitas quidem quid sit per quale, quid autem sit quale, superiore qualitate monstratur, nihil intererit dicere: qualitatem esse qualitatem &c.*

§. 21. Respondet communiter vtraque Peripateticorum Schola primò, hanc non esse definitionem in rigore, sed aliqualem ignoti notificationem, qua Philosophus qualitatem adumbrare voluit, vt vt res indefinibilis patiebatur. Secundo illam pro rei statu esse idoneam: Quia traditur (vt diximus) per effectum formalem sui concreti, quod quidem quoad nos suo

ſub abſtracto notius, & clarius eſt, vt pote ipſis ſenſibus perceptibile: Vnde conſequenter negant, idem definitè per idem, negant circulum. Quinimmò nihil minus obijci poteſt, quam circulus, nam vt ſupra in noſtra Synopſi notauimus, Nos reciproca iteratione dicitur, quale eſſe, quod habet qualitatem, id quod ad circulum omninò exigitur nugacem. Sed explicatis omnibus qualitatis ſpeciebus, docet quale eſſe, quod ab iſtis formis aliquo modo denominatur, quod toto Cœlo diſtat à circulo.

§. 22. Hæc Recentiorum reſponſo noſtratum longa etiam antiquitatis ætate apud Boethum conſenuerunt. *Quo circa* (inquit ille) *ſi deſignatio tantum quædam, & quodammodo adumbratio rei eius, de quamquæritur, & non definitio eſt, abſurda calumnia eſt rebus notioribus res ignotiores probantem non antè perſpecta deſcriptionis ratione culpare.* Deinde obiectionem Lyncei putantis, qualitatem per aliud æquè per ſe notum deſcribi, in hunc modum poterit: *Illud autem quis dubitet, notiores eſſe eos, qui quales ſunt illa ipſa, ex qua quales dicuntur qualitate? Vt quilibet albus notior eſt ipſa albedine..... Quod ſi vt dictum eſt, notior albus eſt albedine, qualis notior erit qualitate, ſicut Grammaticus quoque notior eſt Grammatica.* Subdit denique rationem, cur quale notus ſit, ipſa qualitate. *Omnia enim* (inquit) *quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, notiora ſunt nobis, quam ea, quæ ſenſibus non tenentur, quare nihil impedit deſcribentem, & quodammodo naturam rei eius, de qua quæritur deſignantem res ignotiores notioribus approbare.* Vides ergo Ariſtotelis calumniam, quam Neoterici noſtro ſæculo ita animosè extruunt prius tot ſæculis, quam Thomiſtæ, & Scotiſtæ in mundum veniſſent, fuiſſe dilutam, expleſſamque, quin è recentiorum Nominaliſtarum meditatione, ſiue pugnacitate vllas denuò vires reſumpſerit.

DISSERTATIO LIII.

Vtrum habitus, & diſpoſitio eſſentialiter differant? vbi de cæteris qualitatis ſpeciebus.

THEOREMA I.

Quid ſint habitus, & diſpoſitio explicatur, & Thomiſticum Aſſertum cum ſuis fundamentis proponitur.

§. 1. PRimò diuiditur qualitas in habitum, & diſpoſitionem: Solet habitus etiam ſignificare poſſeſſionem, atque indumentum, quoniam habere, vel eſt rem poſſidere, vt veſtem in arca, vel vt veſtem in corpore, qui & habitus dicitur, & ad diuerſum attinet prædicamentum. Preſſius igitur ſumit habitum Philoſophus, videlicet pro *Qualitatem qua res ſe habet benè, vel malè in ſe, vel ordine ad aliud,* hoc ſenſu ſolemus amicum interrogare, *quomodo ſe habet?* Etenim habitus diſponit ſubiectum, vel in ſe, vt ſanitas, pulchritudo, & eorum contraria morbus, deformitas &c. vel in ordine ad operationem, vt virtus, ſcientia, earumque contraria vitium, error &c.

§. 2. Diſpoſitio ſolet etiam ordinem rerum ſignificare: ſic exercitus benè dicitur diſpoſitus ob rectam militum ſucceſſionem, & temporum ſeries diſpoſitio nuncupatur, atque etiam prævia materiæ, ſeu ſubiecti præparatio ad formam commodè recipiendam apud Phyſiologos diſpoſitio frequentiſſimè dicitur, ſed non de his ſermo præſens. Vſurpatur etiam pro corporis figura, quæ non ad hanc qualitatem ſpeciem, ſed ad quartam ſpectat. Magis ſtrictè ergo hic ſumitur diſpoſitio ab Ariſtotele, & eſt *Qualitas facilè mobilis, qua ſubiectum benè, vel malè ſe habet.* Habitus verò prout à diſpoſitione diſtinctus eſt *Qualitas difficilè mobilis, qua res benè, vel malè ſe habet.* Vnde non paucis, magniſque Viris diſpoſitio. Videtur eſſe ipſe habitus, vt inchoatus, ita quod eadem qualitatis ſpecies ſi leuiter ſubiecto inhæreat, diſpoſitio vocetur, ſi verò firmiter, ſit habitus, vt patet in ſcientia imperfectè acquiſita, quæ facilè amitti poteſt, ſi verò diuturnitate temporis perficiatur, erit habitus, & ſimiliter febris, quæ diſpoſitio quædam corporis eſt, ſi incurabilis tempore reddatur, qualis ea eſt. quam Medici hecticam vocant, in habitum tranſibit, ſed de horum diſtinctione mox diſſeremus.

§. 3. Conceptus ergo quidditatiuus primæ ſpeciei generis iſtius prout abſtrahit ab habitu, & diſpoſitione conſiſtit ex D. Thoma in eſſe *Qualitatem ſecundum quam res benè, vel malè ſe habet.* Nec te pungat ſcrupulus, eo quod ſub diſiunctione ponatur ly *bene, vel male*, id enim neceſſario euenit propter penuriam vocis vtrumque communiter ſignificantis, ſeu nominis abſtrahentis a bono, & malo, ſiue conuenienti, & diſconuenienti. Ita Sanctus Doctor. 1. 2. qu. 49. art. 2. Vnde communiter Thomiſtæ hanc primam qualitatis ſpeciem à cæteris determinari docent per appoſitam differentiam diſponendi, ſeu modificandi ſubiectum ſecundum quod *bene, vel male ſe habet.* Etenim *ſecunda* ſpecies, nempe potentia naturalis, & impotentia, ſiue imbecillitas per ſe primo reſpuit operationem ſubiecti abſtrahendo à conuenientia, vel diſconuenientia ipſius, voluntas enim v. g. vis eſt æquè honeſtum operandi, ac turpe. Intellectus ſimiliter veri, & falſi cognoſcendorum vna, eademque poteſtas eſt, quin attendatur ad commodum, vel malum ſubiecti, id, quod etiam in cæteris potentijs videas, quæ actus exercent tranſeuntes. *Tertia* ſpecies nempe paſſio, & paſſibilis qualitas primo, & per ſe habet, vel quod ſenſum moueat vt dulcedo, vel quod ſit terminus alicuius alterationis à potentia, vel impotentia, vt calor, in quibus etiam minimè elucet conuenientia, nec noxa ſubiecti. *Quarta* denique ſpecies nullatenus reſpicit per ſe, & primariò huiuſmodi conuenientiam, aut diſconuenientiam ſubiecti, vt patet in figura mathematica, quod ſi fortè per accidens ſecum afferant prædictam conuenientiam, ſeu diſconuenientiam, eo quidem euentu non ſolùm figura, & forma, quæ ad quartam ſpectant ſpeciem, ſed etiam qualitates tertiæ, vt color, qui viſum mouet, atque etiam calor, & frigus, quæ ta-

ctum immutant reductiuè, spectabunt ad hanc primam speciem, vt expresè docet idem Angelicus Magister, vbi supra ad primum: *Non dicitur* (inquit) *aliquis disponi per qualitatem nisi in ordine ad aliquid: & si addatur bene, vel male, quod pertinet ad rationem habitus, oportet, quod attendatur ordo ad naturam, quæ est finis; vnde secundum figuram, vel secundum calorem, vel frigus non dicitur aliquis disponi bene, vel male, nisi secundum ordinem ad naturam rei, secundum quod est conueniens, vel non conueniens: vnde & ipsæ figuræ, & passibiles qualitates secundum quod considerantur, vt conuenientes, vel non conuenientes naturæ rei, pertinent ad habitus, vel dispositiones: nam figura prout conuenit naturæ rei, & color pertinent ad pulchritudinem: calor autem, & frigus secundum quod conueniunt naturæ rei, pertinent ad sanitatem; & hoc modo calliditas, & frigiditas ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis.* Hactenus ille. Igitur hæc prima species constituitur per disponere subiectum bene, vel male, atque etiam per hoc ipsum à cæteris distinguitur, etenim nō solum sanitas, & ægritudo, pulchritudo, & deformitas, & huiusmodi qualitates ex sua ratione benè disponunt rem in ordine ad naturam, quæ bene se habet cum sanitate, & pulchritudine, malè verò cum ægritudine, & deformitate; sed etiam habitus, vt scientia, & virtus per se primo ordinantur adesse benè, vel malè naturæ: & consequenter, ex parte, & ratione subiecti *important ordinem ad operationem, in quantum est finis naturæ, vel perducens ad finem*, vt ait D. Thom. art. 3. Nemo enim negabit, naturā subiecti disponi benè, vel male, si suas potentias afficiant scientia, & virtus, vel error, & vitium: vt suas commodè exerceat functiones, & actus.

§. 4. Iam verò cum habitus, & dispositio conueniant ratione qualitatis primæ speciei, differantque per esse difficilè, atque facile mobiles inquirimus, vtrum essentialiter tanquam per differentias essentiales interse discrepant? an solum accidentaliter, & solum ratione diuturnitatis? Prima sententia tenet, habitum à dispositione accidentaliter tantum ratione durationis, & vt imperfectum à perfecto in eadem specie athoma differre. Ita graues tum Græci, tum Latini Doctores Porphyrius, Simplicius, Ammonius, D. Seuerinus Boethus, D. Albertus Magnus, Hallensis, D. Thomas qu. 7. de Malo, artic. 2. ad 4. Ægidius Romanus, Subtilis Scotus, quos alij ex iunioribus sequuntur. Hæc sententia probabilis est, & prima fronte ita expressa Aristotelis; vt nil clarius ipse docuisse videatur: *Differt autem* (inquit ille) *Habitus à dispositione quod permanentior, & diuturnior est*, item infra ait: Habitus esse *Quæ sunt diuturniora, & difficilius mobilia. Namque disciplinas non multum retinentes, sed facilè mobiles existentes, non dicunt habitu habere, & tamen dispositi sunt aliquo modo secundum scientiam peius, meliusque: Quare differt Habitus à dispositione, quod hæc quidem facilè mobilis sit; ille verò diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus, & dispositiones; Dispositiones verò non necesse est habitus esse* &c. Hæc ille: Ex quibus habes tum quod sola permanentia, & diuturnitas secernat habitum à dispositione, quæ est differentia purè accidentalis, qualis datur inter puerum, & Virum in eadem specie humanas puer enim est homo imperfectus, Vir autem homo perfectus. Et qualiter distinguitur calor remissus à calore intenso. Tùm quod habitus sunt dispositiones, quæ prædicatio esset falsa, si distinguerentur specie, sicut hæc est falsa, *homo est equus, vel ex homine fit equus*. Ergo si habitus est dispositio, atque ex dispositione fit habitus, illa nullatenus distinguuntur specie, & essentialiter interse.

§. 5. Altera sententia fert, habitum propriè, & per se dictum essentialiter, & specificè distingui à dispositione per se, & propriè tali. Dicitur autem habitus per se, & propriè talis, qui ex natura sua est difficilè amissibilis, similiterque dispositio, quæ ex sua natura exigit esse facilè amissibilem, propriè, & per se dicitur dispositio. Huius sententiæ Auctor est proculdubio Diuus Thomas, qui Lynceis oculis mentem Aristotelis penetrauit. 1. 2. quæst. 49. art. 2. citatis ad tertium. Oppositum sensisse dicunt nonnulli quæst. 7. de Malo, quam supra citauimus, & quia posteriore loco resolutiuè (vt aiunt) & constanter hanc secundam tradit sententiam, illum censent, retractasse, vel mutasse priorem, vt ex alijs notant Merinerus, Moneda, & alij. Sed ni fallor, falluntur ipsi; nam Sanctus Doctor ibi in vtraque sententia soluit quartum illud argumentum, negando scilicet prius, habitum distingui à dispositione, & posteà admittendo essentialem eorum distinctionem; vnde potius debuit inferri, illum hanc secundam sententiam ibi etiam fuisse amplexum iuxta communem Scholasticorum morem, qui quandocumque duas vel plures referunt, vel probant opiniones, censendi sunt postremam amplecti, vt propriam. Rursus adhuc in loco primæ, secundæ citato vtramque etiam sententiam tradit; ast pro secunda subdit: *Et hoc videtur magis consonum intentioni Aristotelis*, quibus verbis illam ostendit probabiliorem esse prę Alberti Magni sententia.

§. 6. Igitur iuxta Sancti Doctoris mentem dispositio, & habitus bifariam sumi possunt, primò pro dispositione, & habitu, quoad modum: Secundo pro dispositione, & habitu quoad essentiam, quæ acceptio oritur ex duplici etiam modo, quo illa possunt esse facilè, vel difficilè mobilia. Nam porest quidem dispositio, quæ ex sua natura est facilè mutabilis, tamen per accidens, & ratione subiecti, fieri diuturna, & habere modum habitus, vt patet in febri, quę cum sit natura sua dispositio facilè amissibilis, transit in heoticam, & per accidens dicitur habitus: item è conuerso habitus, qui ex sua intrinseca ratione est difficulter amissibilis, vt scientia; attamen propter imperfectionem, qua inhæret subiecto, non firmiter illam habenti, fit facilè mobilis, diciturque dispositio, quia modum dispositionis habet. Dispositio verò, & habitus quoad essentiam, vt supra præmisimus, sunt quæ ex intrinsecis naturę suę principijs exigunt facilè, & difficilè dimoueri à subiecto, vt explicat S. Thomas. *Alio modo* (inquit) *possunt distingui sicut diuersæ species vnius generis subalterni, ut dican-*

dicantur dispositiones illæ qualitates primæ speciei, quibus conuenit secundum propriam rationem, vt de facili amittantur, qui habent causas transmutabiles, vt ægritudo, & sanitas. Habitus vero dicuntur illæ qualitates, quæ secundum suam rationem habent, quod non de facili transmutantur, quia habent causas immobiles, sicut scientia, & virtutes, & secundum hoc dispositio non fit habitus, & hoc videtur magis consonum intentioni Aristotelis, vnde cum communi Thomistarum consensu.

§. 7. Dico; Iam etsi habitus, & dispositio quoad modum tales non distinguantur specie, sed tantùm accidentaliter quoad perfectum, & imperfectum, vt puer differt à se ipso Viro; At verò si absolutè sumantur secundum eorum essentias, sunt specificè, & essentialiter distincta. Assertum hoc probat Aristoteles (vt optimè notauit S. Thomas) ex communi loquendi consuetudine; Nam qualitates, quæ ex natura sua sunt facilè mobiles, si ex aliquo accidente reddantur difficilè mobiles, dicuntur habitus, & è contra qualitates, quæ ex natura sua sunt difficilè mobiles, si ita imperfectè in sunt, vt per accidens facilè amittantur, dicuntur habitus; ergo dispositio, & habitus absolutè secundum suas naturas important esse facilè, & difficilè mobiles: ergo essentialiter, & specificè distinguntur. Prima consequentia est bona; illa enim loquendi consuetudo est euidens signum, quod habitus ex sua natura exigat difficilem mobilitatem; & dispositio facilem. Secunda consequentia etiam est legitima, siquidem vnica essentia nequit exigere, conditiones interse oppositas: Quoniam impossibile est, quod vni, & eidem speciei athomæ essentialiter conueniant duo prædicata inter se opposita; sed essentialis exigentia negationis diuturnitatis, vel permanentiæ, & essentialis exigentia negationis diuturnitatis, vel permanentiæ sunt duo prædicata interse opposita; ergo nequeunt vni, & eidem speciei athomæ conuenire, Atqui conueniunt habitui, & dispositioni, vt sic; ergo habitus, & dispositio non sunt vna, & eadem species athoma.

§. 8. Quòd autem hæc Diui Thomæ explicatio sit menti Aristotelis magis consentanea, rectè colligit ipse S. Doctor. 1. 2. quæst. 50. artic. 1. ad 2. ex eo quod Aristoteles non dixit absolutè, dispositionem si diuturnitate temporis reddatur difficilè mobilis esse simpliciter habitum; sed esse *sicut Habitum*, vt patet ex textu Græco. Rursus Caietanus super hoc Cap. §. *Ad hoc dubium*, tribus, iisque subtilibus coniecturis id confirmat egregiè, *primò*, quia Aristoteles afferens exempla habituum, & dispositionum, nullas qualitates numerauit inter habitus, nisi eas dumtaxat, quæ per se, & omninò permanentes sunt, vt scientia, & virtutes, & inter dispositiones similiter nullas attulit, nisi eas tantùm, quæ per se facilè transmutantur, vt calidum, & frigidum, sanitatem, & infirmitatem: *Secundò*. Quia perspicue affirmat, scientiam etiam mediocriter acquisitam esse habitum; quod quidem, vt patet, esset falsum, quoniam scientia imperfecta esset dispositio, & non habitus, si dispositio non differret specificè ab habitu: *Tertiò*. Quia inducit modum loquendi communem ad probandum, quod diuturna sunt habitus, & citò transmutabilia sunt dispositiones. Quam rationem iam suprà præcedenti §. ex Diuo Thoma expressimus, reuerà enim communis omnium loquendi modus fundatur in eo, quod omnes sibi persuasum habent, quòd habitus sunt diuturni ex sua natura, ideòque qualitates omnes, quas diuturnas vident, habitus vocant, alioqui non vocarent: similiter, eas, quas facilè à mobiles experiuntur, vocant dispositiones, eo quod eiusmodi est natura dispositionum: Ergo, &c.

THEOREMA II.

Contraria Scotistarum argumenta eneruantur.

§. 9. Objicit primò Poncius dispur. 16. nu. 21. Visio beatifica, quæ de facto est difficulter mobilis, & spectat ad habitum, si fuisset communicata alicui in via, vt Paulo fuit in raptu probabiliter, quia esset facilè mobilis, spectaret ad dispositionem; sed hoc est falsum, si habitus, vt sic distingueretur specie à dispositione, vt sic; ergo non sic distinguuntur.

§. 10. Respondeo. Visionem beatam per accidens, & ratione status beatifici habere modum habitus; sed habitum non esse quoad essentiam, proindèque nullam esse difficultatem in eo quod habitus spectet ad dispositiones, & è contra dispositio spectet ad habitum modò superiùs explicato, ad formam. Transeat maior, nego minorem quæ omninò probanda erat.

§. 11. Objicit secundò. Facilitas acquisita per vnum actum est eiusdem rationis specificæ cum illa, quæ acquiritur centum actibus; sed hæc spectat secundùm omnes ad habitum, illa ad dispositionem; ergo forma eiusdem speciei variata solum accidentaliter spectat ad habitum, & dispositionem, & consequenter habitus, & dispositio non distinguuntur specie.

§. 12. Respondeo. Poncium iterum laborare æquiuoco in eo termino *spectat*: aliud enim est rem esse aliquid tale, & aliud spectare ad illud: namque vt supra docuimus multa possunt spectare ad habitum, id est reduci per accidens ad classem habituum, seu habere modum, & durationem habituum, quæ reuerà non sint habitus quoad essentiam, sed dispositiones per accidens diuturnæ, vndè facilitas acquisita per centum actus potest esse tam dispositio, quam est facilitas acquisita per vnum, tametsi quoad modum dicatur spectare ad habitum. Ad formam argumenti. Transeat maior, nego suppositum minoris, scilicet, quod habitus constituatur per esse facilitatem acquisitam multis actibus: ea enim est doctrina Nominalium, traditurque à Gabriele in 3. distinct. 23. quæst. 1. & reijcitur communiter à Thomistis. *Primò*, quia habitus primorum principiorum non est acquisitus nostris actibus, sed à natura insitus. *Secundò*,

dò, habitus per se infusi, & supernaturales non acquiruntur nostris actibus. *Tertiò*, sanitas, & pulchritudo in ipsorum sententia habitus est, & tamen neque actibus generatur frequentibus, neque in actus inclinant, non equidem aliam habitus definitionem agnoscimus, nisi quam ex Aristotele Diuus Thomas expressit. Est *Qualitas disponens subiectum, vt benè, vel malè se habeat in ordine ad naturam, vel eius operationem difficilè mobilis*. Vndè argumentum si aliquid euincit, solum probat, quod eadem qualitas potest esse dispositio quoad essentiam, & habitus quo ad modum, & è contra, quod facilè Poncio damus.

§. 13. Obijcit tertiò. Solum distinguuntur habitus, vt sic, & dispositio, vt sic per hoc quod habitus sit difficulter mobilis; dispositio sit facilè mobilis; sed eidem omnino formæ potest competere accidentaliter, quod nunc sit difficilè mobilis; nunc facilè mobilis: ergo habitus, & dispositio, vt sic non distinguuntur specie necessariò.

§. 14. Dices facilè mobile, & difficilè mobile intelligi pro exigentia essentiali, secundum quam dispositio ex natura sua petit facilè dimoueri à subiecto, & habitus petit ex natura sua, ita conseruari, vt non possit nisi difficulter moueri à subiecto, quare hæc diuersitas exigentiæ arguit distinctionem specificam harum qualitatum, alioqui vna non peteret ex natura aliquid, quod ab altera non peteretur. Sed *contra* primò instat Poncius. Quia quamuis certum sit, quod quicquid petit aliquid ex natura sua sit distinctæ naturæ ab omni, quod non petit illud ex natura, tam falsum est, quod omnis habitus petat ex sua natura difficulter moueri, & omnis dispositio, id non petat, & falsum est, quod in eorum definitionibus sic intelligatur difficilè, & facilè mobile. Nam facilitas acquisita per duos actus est dispositio, & facilitas acquisita per centum actus est habitus: & tamen sunt eiusdem speciei maximè apud Thomistas, qui negant intendi habitum per additionem graduum: ergo facilitas acquisita per duos actus non exigit ex natura sua esse facilè mobilis, nec facilitas acquisita per centum actus exigit ex natura sua intrinseca esse difficulter mobilis: Aut si eadem simplex qualitas, quandoque facilè, & quandoque difficulter mouetur: ergo falsum est, quod exigentia facilis, atque difficilis mobilitatis arguat distinctionem specificam formarum, quibus competit.

§. 15. Contra secundo, instat Lalemandetius. Solutio Thomistarum petit principium: quia experientia constat, qualitatem, quæ in initio est facilè mobilis, posteà decursis temporis fieri difficilè mobilem: ergo in initio est dispositio, & posteà est habitus: recurrere autem ad communem eorum responsionem, scilicet eam qualitatem, quæ ex natura sua est facilè mobilis, vocari dispositionem, tam in initio, quam in fine, item vocari habitum, & in initio, & in fine, si sit ex natura sua difficilè mobilis, est ignotum per nobis ignotius manifestare, quis enim dicat, esse ex natura sua difficilè mobilem in initio, cum videamus, statim mobilem esse à subiecto? aut quis dicat, eam esse dispositionem post diuturnum tempus, & repetitos actus; cum experiamur esse difficilè mobilem?

§. 16. Respondeo. Solutionem datam esse idoneam: ad primam Poncij instantiam nego assumptum: nempè quod definitiones habitus, & dispositionis non intelligantur, pro eorum exigentia, vt explicant Thomistæ: ad probationem, quæ non est nisi inanis repetitio superioris argumenti iam soluti §. 12. etiam repetimus responsionem. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nam facilitas acquisita per vnū actum, qualis est scientia, exigit ex sua natura esse difficilè mobilem, & facilitas acquisita per millenos actus, vt est habitus erroneus, & opinatiuus, (qui solum quoad modum dicuntur habitus sicut febris hæctica dicitur habitualis) exigit ex sua natura esse facilè mobilem, equidem facilè, vel difficilè moueri non sumitur pro eo quod qualitas multum, vel parum temporis duret: potest enim aliqua dispositio, quæ de se non habeat causas immobiles, & perseuerantes, tamen per accidens, & ratione subiecti inuenire causam conseruantem diù, sicut lux in Cometa si per annum, vel diutiùs luminare illum illustrans perseueret: & intellectio si obiectum ab extrinseco illam necessitet, vt in Beatis, & ægritudo, si carentia medicaminis, & cibi salubris illam multò tempore proroget. Et tamen eiusmodi qualitates erunt facilè mobiles, si mobilitas attendatur secundum suas causas intrinsecas, & non secundum illam causam extrinsecam per accidens illas durare facientem. E contra vero contingit in scientia, & virtute, quæ etiam si parum temporis durent, sunt per se, & essentialiter habitus; nam scientia intrinsecè procedit ex causis necessarijs, & euidentibus, quæ deficere non possunt, virtutes autem similiter generantur ex principijs practicis per synderesim notis, atque directis. Non igitur habent causas corruptionis contrarias ex sua natura. Verùm opinio quantumuis intensa, & vitium sunt facilè mobilia. Opinio enim ratione probabili corrumpitur, habeturque cum formidine rationis: & vitium est contra ipsam rationem, quod quidem est ex sua natura habere causas facilis transmutationis. Tametsi quoad modum opinio dicatur habitus, vt quando D. Thom. prima secundæ quæst. 51. artic. 3. & quæst. 53. artic. 1. docet, ex actibus multiplicatis generari habitum opinatiuum, loquitur namque de habitu secundum modum, non secundum essentiam, vt benè aduertit Mag. Ioan. à Sancto Thoma.

§. 17. Hinc ad secundam Lalemandetij instantiam nego, solutionem nostram petere principium, neque id vllatenus ille probat, quinimmò sibimet contradicit, dum inferiùs dicit, nos ignotum, per ignotius manifestare; ergo iam non petimus principium, siquidem aliud principium, tametsi ignotius, vt ipse dicit, assumimus: eius autem probatio tota sistit in interrogando, quis dicat esse difficilè mobilem

qua-

qualitatem, quam statim videmus moueri à subiecto? ad quam interrogationem respondeo, Aristotelem id dicere, D. Thomam, & alios innumeros: audiat Aristotelem iuxta Argyropilum: *Scientia namque*(inquit) *ex eorum numero videtur esse, quæ permanent, & cum difficultate dimouentur, etiamsi quispiam mediocriter scientiam acquirat.* Nulla enim est contradictio in eo quod qualitas, quæ statim per accidens amouetur à subiecto, sit tamen ex sua natura difficulter mobilis, & è contra.

§. 18. Obijcit quartò Merinerus, & est ratio à priori (inquit ille) quia facilè, vel difficilè mobile à subiecto non sunt differentiæ spectantes ad prædicamentum qualitatis, cum pertineant ad motum, qui est, quid consequens plura prædicamenta, & ideò ab Aristotele inter post prædicamenta numeratur: ergo per facilè, & difficilè mobile à subiecto non possunt habitus, & dispositio per se, & essentialiter diferre in ratione qualitatis.

§. 19. Confirmatur alio Scoti argumento: Nam eadem differentia non possunt differre species diuersorum generum: sed per difficilè, & facilè mobile (teste Aristotele in hoc capite) differunt etiam passio, & passibilis qualitas: ergo facilè, & difficilè mobile non sunt differentiæ essentiales diuersificantes habitum, & dispositionem in ratione qualitatis.

§. 20. Respondeo. Hanc rationem à primi Morineti multis ante sæculis sibimet Diuum Thomam obiecisse, atque soluisse, audi: *Nec impeditur* (inquit) *quin secundum hoc facilè, & difficilè mobile sint specificæ differentiæ: propter hoc, quod ista pertinent ad passionem, & motum, & non ad genus qualitatis*: Ecce obiecto, audi responsum: *Nam istæ differentiæ quamuis per accidens videantur se habere ad qualitatem, designant tamen proprias, & per se differentias qualitatum: sicut etiam in genere substantiæ frequenter accipiuntur differentiæ accidentales loco substantialium, in quantum per eas designantur principia essentialia.* Hæc ille, ex quibus potuit Merinerus habere quod Thomistæ sæpiùs inculcant, nempè eiusmodi accidentia non esse differentias essentiales, quæ quidem ignotæ sunt, vt & ipse suus alibi clamat Scotus; sed verò designare differentias essentiales, quæ potiùs sunt ipsæ exigentiæ facilis, atque difficilis transmutationis.

§. 21. Ad confirmationem etiam responderat Angelicus ipse Magister in prædicti corpore articuli: *Modus autem* (inquit) *siue determinatio subiecti secundùm durationem, & passionem attenditur in secunda, vel tertia specie qualitatis, & ideò in vtraque consideratur, quòd aliquid facilè, vel difficilè fiat, vel quod sit citò transiens, aut diuturnum: non autem consideratur in his aliquid pertinens ad rationem boni, vel mali, quia motus, & passiones non habent rationem finis, bonum autem, & malum dicitur per respectum ad finem: sed motus, & determinatio subiecti in ordine ad naturam rei pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ est habitus, & dispositio, &c.*

§. 22. Respondent alij, & benè, passionem, & passibilem qualitatem non differre per esse facilè, vel difficilè mobilem ex sua natura: sed solum ratione maioris, vel minoris durationis per accidens: quæ certè differentia cum accidentaria sit, non constituit naturas diuersas. Sic M.M. Masius, Sanchez, Moneda, Parro, & alij. Sed ab Angelica solutione non recedam. Nego, quòd in cæteris generibus reperiantur istæmet differentiæ facilè, atque difficilè mobilis, siquidem illæ non contrahunt essentialem rationem primæ speciei qualitatis: quamuis enim in motu, & in alijs generibus quantum ad modum diuturnitatis, & mutationis facilitatem, & permanentiam videamus, non tamen illis conueniunt secundum intrinsecam rationem disponendi subiectum benè, vel malè in ordine ad finem naturæ, quæ est præcipua ratio constitutiua qualitatum primi generis.

§. 23. Vltimò obijcies, vulgare argumentum: Id quod est essentiale alicui speciei, ita conuenit illi in omni statu, vt eius oppositum neque per se, neque per accidens possit ipsi conuenire; Sed habitui ita conuenit difficilè mobile, quòd aliquando etiam facilè abijciatur, vt contingit in scientia imperfecta, & similiter dispositio non semper est facilè mobilis, cum febris hæctica per accidens fiat difficilè mobilis: Ergo illæ non sunt differentiæ essentiales. Maior est euidens. Homini enim v. g. eo ipso quòd rationale conueniat tanquam essentialis differentia, neque per se, neque per accidens potest conuenire irrationale, quòd est oppositum. Minor, & consequentia liquent.

§. 24. Respondent communiter Thomistæ, negando suppositum minoris, quòd facilè abijci in actu sit oppositum differentiæ constituentis habitum: exigentia enim difficilis mobilitatis non nisi diuersæ exigentiæ opponitur cum facilè amitti non destruat exigentiam difficilis mobilitatis, quam habitus in omni statu retinet. Sic in aduersariorum sententia exigentia impenetrationis constituit quantitatem, & tamen, quando illa diuinitus, penetratur, non ideò penetratio destruit impenetrabilitatem essentialem illius, quæ exigentia quædam est actus opposito. Et in communi sententia Accidens Eucharisticum, quod existit per se, & ad modum substantiæ, tamen retinet exigentiam inhæsionis, qua illud in esse accidentis constituitur. Atque hoc modo etiam proportione seruata respondent pro exigentia facilis mobilitatis, quam dicit dispositio.

§. 25. Consultò abstinui à recitanda tertia, & media sententia de distinctione habitus à dispositione, quam affert Doctor Suarez: tum quia illam non probat, tum etiam quia nemo illum sequitur, quem sciam: quinimmò non desunt, qui acerbè ipsum perstringant, inter quos Mag. Sanchez Lectorem ita interpellat:
,, [*Obsecro Lectorem* (inquit) vt ipsum legat, &
,, prospiciet quomodò nihil dicat tanta varie-
,, tate verborum. Et velim, vt dicat mihi quor-
,, sum Aristoteles in Syllogismis tot arguendi
,, modos posuerit, totque docuerit figuras, si

num-

„ numquam illis vtatur? Refert opinionem „ antiquissimam, & ne illi adhærere videatur, „ verborum *folijs contegit*.] Hæc ille, lib. 5. quæst. 43. §. *In hac parte*. Modestiùs illum impugnat Mag. Arauxo Metaph. lib. 5. quæst. 4. art. 3. num. 18. videtis.

THEOREMA III.

Cæteræ species qualitatis explicantur.

§. 26. SEcundò diuidetur qualitas in Potentiam, & Impotentiam, potentia virtutem ad agendum significat. Impotentia vero, non est carentiæ potentiæ, vt vox ipsa præseferre videtur. Sed etiam potentię, & vis quędam, sed imbecillis, & infirma, qua subiectum agens vix, aut malè operatur, qualis ea est, qua claudus currere potest ægrè, vnde inferes, has qualitates non differre simpliciter, neque specificè, sed tantùm quoad perfectum, & imperfectum, quæ ita describi solet: *Potentia est qualitas productiua*. Vel: *Est principium, quo actionis*.

§. 27. Tertiò diuiditur qualitas in Passionem, & passibilem qualitatem, non sumitur hic passio pro essentiæ proprietate speciem necessariò consequente, neque pro Physica receptione formæ, quæ solent alioqui passiones nuncupari. Nam sermo est de passione, quæ qualitas quædam est faciens sensum pati, vt nimia tristitia, dolor, cibi amaror, &c. Sic hominem dolore affectum dicimus multum pati. Vndè si nimia lætitia etiam noceat subiecto, erit passio. Aduertunt autem nonnulli, passiones animæ per se ipsas non pertinere ad hanc tertiam qualitatis speciem, sed per qualitates adiunctas, quæ sensibus percipiuntur, vt ira per ardorem, metus per frigus, quo metuens rigere videtur. Sic apud Maronem 9. Æneidos lumo.

Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet.

Sic etiam ? Græcis formidine perculsis.

Obstupuere animi, gelidusque per ossa cucurrit. Ossa tremor.

§. 28. Passibilis autem qualitas est ipsamet qualitas sensibilis, quæ si afficiat subitò, vel trensfeunter subiectum sensibile, in illo dicitur *Passio*, si verò fixè, ac permanenter subiecto adhæreat, passibilis qualitas dicitur. V.g. amaritudo Absynthij in absynthio, cui semper inest, erit qualitas passibilis, at verò ipsamet quatenus, subita alteratione gustum præstringit, & linguam exasperat, *Passio*, dicitur. Vndè solum discriminat hasce qualitates, hoc quod diù, & absque sensus læsione, passibilis qualitas perseueret, at Passio sensibus breui noceat tempore, proindèque non nisi accidentaria diferunt duratione. Illam sic describimus, est *Qualitas sensibilis per se*, additur ly *per se*, vt excludatur figura, quæ ad quartum qualitatis genus spectat, quæ etiam sensibilis est, sed per accidens, seu communiter, id est tactu simul, atque visit, de quibus alibi. Igitur *Passio est qualitas per se externo sensu perceptibilis citò transiens*. At vero Passibilis qualitas *est qualitas sensu externo perceptibilis, per se, diù quem durans*.

§. 29. Quartò diuiditur in formam, & figuram. Forma significare solet actualem substantiam, qualis est anima rationalis, quæ hominis forma dicitur, atque etiam quemlibet actum accidentalem, nam etiam quantitas est forma accidentaria substantiæ; sed de his non est sermo. Est ergo in præsentiarum forma apud Dialecticos *Vltimus terminus quantitatis*, id est externarum partium corporis inter se dispositio, secundùm quam facies dicitur formosa, vel deformis.

§. 30. Iterum Figura licet interdum significet etiam typum, & signum rei, qualiter leo figura dicitur Christi Domini, tamen hìc sumitur pro *Qualitate resultante exterminatione quantitatis*, talis est forma, per quam corporis quantitas in pyramidem acuitur, vel in circulum rotundatur. Vndè inferes, hasce etiam qualitates, non nisi accidentario discrimine, sicut, & præcedentes inter se differre; Forma quippè significat hanc substantiæ dispositionem physicè, & naturaliter sumptam, vi cuius manus dicitur, vel caput. Figura veró illam significat Mathematicè acceptam, & secundùm quam corpus dicitur quadrum, vel triangulare.

§. 31. Ad primam qualitatis speciem spectant omnes habitus, siuè diuinitus infusi, siuè naturaliter acquisiti: infusi vt virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas, lumen gloriæ: gratia vero sanctificans licet anonnullis habitus existimetur; immeritò tamen continetur enim sub genere dispositionis, quoniam natura sua facile mobilis est, & velut quædam mentis sanitas, vt ait Chrysostomus: acquisiti autem habitus, aut in sunt facultatibus cognoscitiuis, aut appetitiuis: in cognoscitiùis sunt scientiæ, vt dialectica. Philosophia, &c. In appetitiuis sunt virtutes, & vitia illis opposita, vt iustitia, fortitudo, iniquitas, timiditas, &c.

§. 32. Ad secundam qualitatis speciem, quæ primo diuiditur in potentiam actiuam, & passiuam, siuè restitiuam, pertinent animæ characteres, quorum Baptismalis spectat ad passiuam potentiam, quoniam per illum non disponitur ad vllam actionem eliciendam, sed ad receptionem cæterorum dumtaxat Sacramentorum: character autem Confirmationis, & Ordinis cum ad certos actus, atque sacras functiones, hominem disponant, ad potentiam actiuam. Veniunt reducendi. Ad hanc etiam speciem iterum reduco habitus supernaturales, vt sunt lumen gloriæ, Charitas, Fides, &c. quos in prima specie adnumerabamus: quoniam propter eorum eminentiam non solum facilitant, iuuant vt potentiam intellectiuam, & volitiuam ad suos actus eliciendos, sed & simul complent, ipsum earum posse, & vim agendi, quapropter eminenter æquiualent habitui, ac simul potentiæ; vt latè docent Theologi. Aut etiam communiter reuocantur species intentionales, & intelligibiles, eo quod potentias quasi iuuant, roborantque.

§. 33. Proprietates qualitatis in nostra enumera-

merauimus iam synopsi. quarum *recipere magis, & minus* omnibus conuenit qualitatibus, non tamen solis, cum relatio etiam id habeat. Porrò quamuis Suarez, Ouiedus quæ negent, characterem crescere posse, ac intendi; communior tamen sententia eius intentionem amplectitur: appellatur autem intensio, & latitudo gradualis illud incrementum, quo calor v. g. vel albedo ad quartum, & vsque octauum gradum adolescit. De huius prædicamenti linea, & coordinatione alios videas, non enim in paruis plus licet immorari.

DE SEX VLTIMIS PRÆDICAMENTIS.

TEXTVS. *Recipit autem agere, & pati contrarietatem, & magis, & minus: Calefacere enim ei, quod est frigefacere contrarium est, &c.*

SYNOPSIS LITTERÆ.

I. DVo præstat hoc capite Philosophus (sex enim vltimas rerum Cathegorias in vno capite cogimus) *Primò* prætermissis actionis, atque passionis definitionibus, pergit earum enarrare proprietates, quarum primam docet esse habere contrarium, vt calefacere, & frigefacere, alteram autem magis, & minus suscipere. *Secundo* reliqua sex prædicamenta summo percurrit compendio, de quæ illis lectorem ad primum Prædicamentorum caput remittit, vbi potiùs eorum nomina, quam naturas recensuerat. Causam breuitatis subiungit: *Propterea* (inquiens) *quod manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quam quę in principio dicta sunt*:

II. Iam vero circa actionis proprietates id venit animaduersione dignum, eas scilicet non per se, & ipsius ratione illi competere, sed qualitatum potiùs intuitu. Aristotelem proindè laxo proprietatum vocabulo vsum fuisse. Ideò enim calefactio frigefactioni aduersatur, quia frigori calor contrarius est. Similiterque ideò plus calefactionis, vel minus est, quia calor feruet, aut languet. Dicendum ergo, hasce proprietates neutiquam omni actioni congruere, sicuti reuera non congruunt generationi substantiali, creationi, &c. solumque esse genuinas actionibus, quæ circa contrarias versantur qualitates: ast nequidem istis per se conueniunt, sed ipsarum ratione qualitatum: istæ enim, & non actiones contrarijs obnoxiæ sunt: atquè item crement0, & diminutione variantur.

DISSERTATIO LIV.

De Actione, & Passione, atque earum distinctione.

§. 1. SEx vltima rerum Prædicamenta esse relatiua *secundum dici*, nemo qui eorum naturas attentè inspiciat, iure negare poterit, quia relatiua secundum *esse*, & rigorose sumpta dumtaxat nequeunt ad alia prædicamenra diuagare: at vero relatiua improprie sumpta, idest transcendent alia, seù secundum dici nulla certa sede morantur; per omnia genera possunt oberrare: sic scientia v. g. quæ ad qualitatem attinet, etiam est relatiua ad suum obiectum, illud enim habitudine transcendentali respicit essentialiter, & ad hunc modum hæc vltima prædicamenta relatione quadam *secundum dici*, ad suos terminos ordinantur essentialiter, *Actio* enim tendit in terminum productum. *Passio* ad agens, *vbi* ad vbicatum, &c.

§. 2. Actio, de qua ex instituto sermo fiet 3. Physicorum ità communiter definitur *Actus agentis, vt agens est*. Passio vero *est actus in patiente receptus*: siuè *Actus patientis, vt patiens est*. In calefactione enim v. g. considerari debent quatuor hæc. *Primò* calor, qui producitur. *Secundò* motus ille, seù alteratio, per quam successiue educitur calor de potentia materiæ, quam comitatur duratio, seù tempus, quo talis alteratio durat. *Tertiò* reperitur mutua relatio calefacientis ad subiectum calefactum, & subiecti ad ipsũ calefaciens. *Quarto* denique consideratur calefactio, vel ipse calor in fieri, quatenus est ab igne calefaciente, & sic dicitur *Actio*, vel quatenus recipitur in subiecto calefacto, v. g. ligno, & sic dicitur Passio: vnde tandem colliges actionem, & passionem esse modos, seù affectiones eiusdem motus.

§. 3. PP. Complutenses definiunt sic actionem: *Est causalitas causæ efficientis*, sed hæc definitio nobis non placet: quia terminum obscurum ingeminat causam scilicet, & causalitatem, vt si diceres *Frigefactio frigoris*. Meliorem dicunt, esse hanc: *Accidens, quo res constituitur actu producens*. Sed hæc etiam non placet, quia qualitas, quę naturalis potentia dicitur, etiam est accidens quo res actu constituitur producens; & tamen actio non est. Dices, per eiusmodi qualitatem agens tantum esse productiuum in potentia, non actu producens. Sed contra: nam dum ignis actu producit ignem, actu producit per calorem, ergo est actu producens per calorem: sed calor est actiua potentia ignis: ergo etiam per actiuam potentiam ignis est actu producens & non solum per actionem.

§. 4. M. Parra definit Passionem: *Passio est effectus à gentis*. Mala definitio competit enim terminis actionum, qui reuera sunt effectus agẽtis: vt filius est effectus patris, &c. Nos omninó à D.Thoma recedere nolumus, qui tertio Physicorum lect. 4. explicans Aristotelem, qui perspicuè docet actionem, & passionem esse vnum, & eumdem motum sicut est vnum, & idem spatium ascendentis, & descendentis. *Similiter* (inquit) *idem est spatium ascendentis, & descendentis: sed secundum diuersitatem principij, & termini vocatur ascensio, vel descensio. Et similiter est in mouente, & moto. Nam motus secundum, quod procedit à mouente in mobile, est actus mouentis: secundum autem quod est in mobili à mouente, est actus mobilis*. Hæc ille, ex quibus sic describo: actio, est *Accidens denominans ab actu mouentis ad mobile*. Passio est *Accidens denominans ab actu* mobilis à mouente. Vtraque est clara: *Accidens denominans* obit vices generis: cætera loco differentiæ efferuntur, fit necessario mentio mouentis, & mobilis: tum quia

sunt

sunt relatiua transcendentaliter, & non nisi mutuo vnum per aliud explicari debet. Tum etiam quia motus realiter cum actione, atque passione identificatur. Huc reuoca descriptiones Gilberti Porretani. *Actio, seù factio est forma, per quam in materiam subiectam denominamur agere, vel facere*, quam Passioni ità posse applicari docet, vt *quæcumque de actione dicta sunt, eadem conuenire possunt in Passione vocabulo tantum mutato*. Tu applica, & labora.

§. 5. Dico: licet valde probabile sit in Thomistica Schola, actionem, & passionem esse duo Prædicamenta realiter distincta: æquè verò vel magis probabile est, eas non realiter, vt rem à re distingui. Pro prima parte huius asserti videndi sunt M.M. Flandrensis 5. Metaphys. q.7. art.2. Sanchezius lib.6. logicæ quæst.1. & 7. & alij, qui acriter prò horum distinctione prædicamentorum decertant. Pro secunda sunt etiam non pauci Thomistæ ex antiquis. Vt S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus ad 5. Metaphysicæ quæst.7. conclusione tertia, vt habes apud Flandrensem, Heruæus, Ægidius, &c. M. Soncinas 5. Metaph. q.36. M. Masius sect. 2. Antecateg. q.3. M. Ioa. à S. Thoma hoc loco quæst.19. art.2. & alij quam plures. Est expressa Aristotelis 3. Physicorum sect.5. *Neque vnum duobus* (inquit) *quidquam prohibet eumdem esse actū, non sicut esse idem; sed sicut est quod potentia est ad agens. Neque necesse est, docentem addiscere, neque si pati, & agere idem est, non tamen vt ratio sit vna, quod quid est esse dicentes, sicut tunicæ, & indumenti, sed sicut via ex Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas. Non enim omnia eadem insunt quolibet modo eisdem, sed solum quibus esse idem est*, quæ egregiè interpretatus Angelicus Doctor *dicit* (inquit) *quod nihil prohibet, vnum actum esse duorum, ità, quod non sit vnus, etidem motus secundum rationem, sed vnus secundum rem .... dicit quod non est necessarium, quod docens, addiscat, vel quod agens patiatur. Et si à gere, & pati sint idem: tamen dicamus, quod non sunt idem sicut ea, quorum ratio est vna, vt tunica, & indumentum, sed sicut ea, quæ sunt idem subiecto, & diuersa secundum rationem, &c.* Hinc inferes, actionem, & passionem nonnisi ratione ratiocinata, & formaliter distingui; non realiter entitatiuè, cum sint vnus, & idem motus.

§. 6. Hæc Protasis vero est, est facilis, nec vlla vrgetur difficultate nisi vulgari illo argumento, quod sibi obiecit M. Ioàn. à S. Thoma. Actio, & passio conueniunt in ratione motus, seù viæ: ergo non sunt prædicamenta diuersa: neque potest dici, quod conueniunt identicè, & physicè non in aliquo superiori prædicabili. *Contra* enim est, quia ea, quæ sunt idem realiter non possunt diuersa prædicamenta constituere, quia prædicamenta sunt primo diuersa: ergo in nullo conueniunt. Et multo minus tanta conuenientia, quod identificentur entitatiuè.

§. 7. Sed vero argumentum hoc re iam pridem sibi met clarius, breuius, quæ obiecerat Sanctus Doctor loco superius indicato. *Quia si Actio, & Passio* (inquit) *sint vnus motus, & non differunt, nisi secundum rationem* (*vt dictum est*) *videtur quod non debeant esse duo prædicamenta: cum prædicamenta sint genera rerum*. Similiter etiam in libro vndecimo Metaphysicæ lect.9. hæc scripsit: *sed si actio, & passio* (inquit) *sunt idem secundum substantiam videtur, quod non sint diuersa prædicamenta*.

§. 8. Hoc argumentum solutione ipsius met Sancti Doctoris diluam, quam transcribo: *Sciendum est* (inquit loco proximè citato) *quod prædicamenta diuersificantur secundum diuersos modos prædicandi. Vnde idem secundum quod diuersimodè de diuersis prædicatur, ad diuersa prædicamenta pertinet. Locus enim secundum, quod prædicatur de locante pertinet ad genus quantitatis: secundum autem quod prædicatur denominatiuè de locato, constituit prædicamentum vbi: similiter motus secundum quod prædicatur de subiecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis: secundum autem, quod prædicatur de eo, à quo est, constituit prædicamentum actionis*. In loco vero tertij Physicorum magis explicat hoc vltimum: *Patet* (inquit) *quod licet motus sit vnus, tamen prædicamenta, quæ sumuntur secundum motum, sunt duo, secundum quod à diuersis rebus exterioribus fiunt prædicamentales denominationes. Nam alia res est agens, a qua sicut ab exteriori sumitur per modum denominationis prædicamentum passionis: & alia res est patiens, a qua denominatur agens. Et sic patet solutio primæ dubitationis*. Hæc ille sat igitur erit, quod actio, & passio sint distinctæ formaliter secundum suas rationes formales, & essentiales, quam distinctionem plerique Thomistarum vocabulo Scotico nuncupare solent *ex natura rei*, quin realiter entitatiuè, & à parte rei sint duę res distinctæ: nam vt bene ait M. Ioa. à S. Thoma ad diuersa prædicamenta sufficit, quod formaliter, & quidditatiuè sint primo diuersa, licet materialiter, & entitatiuè sint idem, quæ quidem pleniori indigent explicatu, qui ab hic Authoribus petendus est.

§. 9. Obijcies item, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed actio, & passio sunt eadem vni tertio motus: ergo sunt idem inter se: ergo valet dicere: actio, est passio, quod prorsus falsum est: tum quia hanc consequentiam negauit Aristoteles 3. Physicorum, vbi supra, negauit D. Thomas 1. p. q.23. art.3. ad 1. negant Peripatetici omnes, quia vnum prædicamentum nequit de altero prædicari: hæc enim propositio *actio non est passio* tàm immediata est, quàm hæc: *quantitas non est qualitas*. Ergo.

§. 10. Respondeo, actionem, & passionem esse quidem eadem inter se, eo modo, quo sunt eadem motui, id est identicè, & materialiter: vndè consequens est falsum, quia mutatur appellatio, & arguitur à præmissis in sensu identico concessis, ad sensum formalem in conclusione, quem defectum appellat S. Doctor fallaciam dictionis, *in qua mutatur quid in aliquid*. In conclusione enim sensus est, quod qua ratione actiò comparatur ad agentem, comparetur etiam ad passum, quod omninò falsum est. Nam (vt optimè notauit M. Bañesius lib.5. Summul. cap. 10. de Arte syllogizandi) Alia est relatio motus ad agentem, alia ad patientem; quamuis secundum significationem huius termini *motus* indifferens sit, vt possit verificari de actione, vel passione, etiamsi non significet determinate actionem; neque determinate passionem. Id, quod lucu-

luculentius tradiderat S. Doctor lectione quarta: *Respondet ad tertium inconueniens* (inquit) *destruens hanc illationem, qua concludebatur, quod si actio, & passio sunt vnus motus, quod actio, & passio sunt idem, & dicit, quod finaliter dicendum est, quod non sequitur, quod actio, & passio sint idem, vel doctio, & doctrina: sed quod motus, cui inest vtrumque eorum sit idem: qui quidem motus secundum vnam rationem est actio, & secundum aliam rationem est passio. Alterum enim est secundum rationem esse actum huius, vt in hoc, & esse actum huius vt abhoc. Motus autem dicitur actio secundum quod est actus agentis, vt ab hoc: dicitur autem passio secundum quod est actus patientis, vt in hoc. Et sic patet, quod licet motus sit idem mouentis, & moti propter hoc, quod abstrahit ab vtraque ratione: tamen actio, & passio differunt propter hoc, quod has diuersas rationes in sua significatione includunt.* Hæc ille: vnde ad formam concessis præmissis, nego consequentiam, ob supra dicta. Ad locum primæ partis, qui non parum difficultatis habet, dico non nobis, sed Theologis incumbere explicatum illius principij, quatenus distinctionem duarum personarum videtur destruere. Et hæc sufficiat pro logicali quæstione de distinctione huiusmodi prædicamentorum. Nam cætera de motu, actione, & passione in tertio Physicorum disputanda sunt.

DISSERTATIO LV.

De reliquis quatuor prædicamentis.

De prædicamento quando.

§. 1. VOx hæc *Quando* concretus terminus est, significans *esse in tempore* Aristoteles enim *Quando* dixit, esse, sicut *esse heri superiore anno, &c* exemplum apponit: sed rem non definit: sic describo: est accidens ex mensuratione temporis in re temperaria relictum. Sicut enim ex mensuratione loci locantis resultat vbitas in corpore locato, sic ex mensuratione temporis consurgit *Quando*. Hinc primò inferes contra Suarezium, *Quando* non esse durationem rei. Quoniam post primi mobilis destructionem, res adhuc durabunt, & tamen non habebunt *Quando* cum hoc ex Aristotele sit *esse, heri, cras, &c.* Inferes item, nec etiam ipsum tempus esse *Quando*. Nam tempus rem mensurans, se habet, vt corpus locans respectu *Vbitatis* videbis M. Sanchezium.

De Prædicamento Vbitatis.

§. 2. *Vbitatis* Prædicamentum sic definitur: à Gilberto *Vbi, est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens*. Diuus autem Thomas in 4. distinct. 19. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. *Vbi*, appellauit esse proportionem locati ad locum, est enim forma quædam, seù modus accidentalis resultans in re locata, ex eo quod à loco ambiatur, cuius ratione coæquatur, siuè proportionatur cum ipsa locante superficie. Illud apte describunt complutenses, disput. 16. q. 3. *Vbi, est accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci*. vel aliter breuius. *Vbi est accidens, quo res est in loco* v. g. Socrates in lycæo, Angelus in Cœlo, vel aliquo spatio, &c. Collige hinc vbi esse accidens intrinsecè inhærens subiecto, quod aliquo loco continetur, consistit enim formaliter in illa accomodatione, seù adaptatione partium locati cum loco, quam Sanctus Doctor nuncupat proportionem, quæ quidem realiter distinguitur, & ab ipso corpore locante, & à locato. Ratio præsto est. Quoniam *vbi* est terminus ille, quem acquirit, & producit res per motum localem, atqui Petrus v. g. per motum localem non acquirit, neque producit seipsum, nec locum, nec relationem loci ad locatum, quandoquidem ad relationem non datur per se motus: ergo aliquod accidens producit ab illis distinctum cum non detur actio, vel motus Physicus, qui suum terminum non producat.

§. 3. Diuiditur vbi, *primo* in absolutum, & respectiuum. *Vbi* absolutum est vel esse in aliquo loco communi, vt esse Cozki, esse in Hispania, &c. Vel esse in aliquo loco adæquato atque proprio. Esse autem in loco proprio, & adæquato sumitur tripliciter: Primo. *Sacramentaliter*. Vt est Christus Dominus in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. *Definitiuè* quomodo Angeli alicubi esse dicuntur. Tertiò *Circumscriptiuè* vt corpora quorum nonnulla sunt in loco reali, & alia in imaginario, vt Cœlum Empyreum, si datur *vbi* intrinsecum sine ordine ad locum realem, vt nonnulli putant: sed Thomisticum non est.

§. 4. *Vbi* denique respectiuum; se *esse in loco* comparatè dicitur sex modis, *videlicet* supra, & infra: ante. & retrò, destrorsùm, & sinistrorsum. Difficultates autem de *vbi* intrinseco, de vbi acquisito per motum in Varcpo, &c. nullatenus spectant ad Dialecticum, cum proprius eius locus sit ad 4. Phisycorum. Videbis M. Ioan. à S. Thomà quæst. 19. art. 3.

De prædicamento situs.

Situs, vel situm esse, est accidens, seu modus certæ dispositionis partium rei locatæ ad partes loci, qualis est modus ille sedentis, recubentis, stantis, &c. Hinc inferes, non sumi hic situm pro dispositione illà partium totius, ex quà nascitur varia illius forma exterior, seu figura, vnde alius est situs membrorum in Brutis, alius in Homine, hic etenim modus ad quartam qualitatis speciem attinet, nempè ad figuram, & formam: sed accipitur situs pro modo illo, quo quis habet suas partes dispositas, & ordinatas non in se; sed in ordine ad locum. Distinguitur realiter ab vbi; Tùm quia vbi non dicit determinatum modum existendi in loco, vt situs: Tùm etiam quia non mutato situ, potest quis nouum vbi per motum localem acquirere, vt recubens, vel sedens curru veheetur, vel Naui traijciat flumen.

De prædicamento Habitus.

Habitus seu habere non sumitur in præsenti pro *Difficulter mobili*, de quo egimus ad Caput de qualitate, neque pro habere formam, vxorem, vel dominium, neque pro continentia, quà dici solet vas aquam habere, &c. De quibus egimus Dissertat.36. contra Arriagam ioculariter ista tractantem à §.7. quæ omninò videas. Sumitur ergo situs pro *Accidente illo, seu modo resultante ex corporum, & eorum, quem circa corpus sunt adiacentiâ*. Per quam homo v. g. dicitur vestitus, armatus, calceatus, &c. Audi Sanctum Doctorem 3 Physicorum. Lect.5. *Vndè cum homo* (inquit) *dicitur armatus, vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem, neque causæ, neque mensuræ. Vnde est speciale prædicamentum, & dicitur Habitus. Sed attendendum est, quod etiam alijs animalibus hoc prædicamentum attribuitur, non secundùm quòd in suâ naturâ considerantur, sed secundùm quòd in hominis vsum veniunt, vt si dicamus equum phaleratum, vel sellatum, seu armatum.* Hæc de prædicamentis.

POST PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS

TEXTVS. *Depositis autem quoties solent opponi dicendum est. Dicitur autem alterum alteri opponi qua simpliciter &c.*

Synopsis litteræ.

POstquam rerum decem. Categorias exposuisset Philosophus, nunnulla subiecit prædicata, quæ quia entia in completa sunt, nec ad veram vllius prædicamenti classim spectant, sed per omnia rerum genera diuagantur, ad hunc locum reiecit, dicuntur que vulgò *Post prædicamenta*. Ea quinque Capitulis absoluit, quibus *Prima* agit de modis, quibus res dicuntur opponi. *Secundò* de modis, quibus vnum *prius* altero dicitur. *Tertiò* de modis, quibus aliqua esse *simul* dicuntur. *Quartò* de modis, quibus aliquid *habere* dicimur. *Quintò* denique de *Motu* (de quo immediatè post *simultatem* egerat) nonnulla interserit, quem alio ordine ab alijs sit recensetur. *Oppositio. Prioritas. Simultas. Motus*, & *modus habendi*, ea nos sequentibus breuissime perstringemur.

DISSERTATIO LVI.

De oppositis, ac cæteris post prædicamentis.

§.1. NON agit in præsentiarum Philosophus de oppositione propositionum, enim in libris Perihermen illã explicuit, sed de rerum oppositione, quam ille quidem hoc loco non definit, sed solùm diuidit quadrifariam. Nos tum nostratibus sic illam destribimus. *Est repugnantia determinata rerum inter se*. In ratione repugnantiæ conuenit cum oppositione late sumpta, seu qualibet incompossibilitate, qualem habent omnes rerum differentiæ, quæ præter realem earum distinctionem, etiam important repugnantiam quamdam, vt simul eidem rei conueniant: Differentiæ etenim v. g. Equi, & Leonis distinctę quidem sunt, & insuper omninò incompossibiles, seu inuicem repugnantes: non tamen sunt oppositæ in rigore Dialectico nisi disparate. Vndè additur vocula *determinatam*, per quam explicatur, extremum oppositum propriè dictum dicere certam, & determinatam habitudinem ad certum, & destinatum terminum, cui signate specialiter, & quasi ex condistincto repugnet: Sic Pater opponitur Filio, & non lapidi; Calor frigori, & non albedini, &c.

§.2. Oppositio igitur est quaduplex, scilicet relatiua, vt inter duplum, & sub duplum *Contraria* vt inter bonum, & malum, calor, & frigus: *Priuatiua* vt inter visum, & cæcitatem; & *contradictoria* vt inter sedet, & non sedet. Horum autem omnium opposita contradictorie maiorem præseferunt repugnantiam inter se, quam cætera, post illa sequuntur priuatiua, quæ repugnantoria sunt, quam contraria, & contraria quam relatiua. Ratio est: Quia maxima oppositio est inter ens, & non ens, in contradictorijs autem vnum extremorum est simpliciter non ens, in priuatiuis, licet alterum etiam sit non ens, tamen aliquid participat de ente, scilicet aptitudinem essendi in subiecto apto, natoque. In contrarijs extrema sunt ambo entia positiua, & non nisi ab eodem se expellunt subiecto: relatiua verò non se inuicem destruunt, sed potiùs vnum exigit alterius existentiam, & mutuò se inferunt, immò, & eidem entitati conuenire possunt solùm respectu diuersorum, vt duplum, & sub duplum.

§.3. *Prioritas* est modus, quo aliquid est prius alio, & prætermissa prioritate Dignitatis, quæ impropria est, propriè tamen dicta quadrimembris est. Prima est prioritas *temporis*, vt quam habuit Adamus respectu Abelis. Secunda est prioritas *naturæ*, vt quando duæ res licet eidem tempore existant; sed tamen altera, est causa alterius, sic sol v.g. prior est sua luce, & materia prima formis: & hæ quidem sunt reales, & ante mentis considerationem res constituunt priores. Tetia est *rationis* Quartam non agnouit Aristoteles, & inuenit Theologus Duce, Magistraque fide. Dicitur prioritas *Originis* quę solum inter Diuinas reperitur Personas, quarum Pater v.g. est prior origine, quam filius; non quidem tempore, nec naturâ, neque prioritate rationis, quæ nuncupari solet prioritas. *In quo* Quia nullum instans fingere potest intellectus, in quo Pater vllatenus prior sit filio. Dicitur tamen prior prioritate, *de quo* seu originis, eo quòd filius procedit à Patre.

§.4. Ex dictis iam facilè videbis, quid sit posterioritas, quid simultaneitas? Quoniam tot modis contingit aliquid esse posterius alio, vel simul cum illo, quot modis contingit esse prius: Scilicet tempore, & naturâ, ratione, origine. De motu differam ad lib.3. Physicorum de modis habendi arma, vxorem, pecunias, &c. nobis non est agendum, quia nec nostra inter est, nec disputatione indigent.

LIBER QVARTVS

In Aristotelis Stagiritæ Peripateticorum Principis Analyticon Hysteron, idest posterioris resolutionis libros.

Dissertationes Dialecticæ.

PROLVSIO.

HActenus de terminis ad primam intellectus operationem spectantibus, de subiectis videlicet, de que prædicatis egimus cum Philosopho: de ijs autem, quę ad alteram mentis nostræ functionem attinent, in libris Perihermenias disseruit ille, agens de Oratione, de propositionum natura, oppositione, æquipollentia, &c. Ex quibus, quæ nostro sat essent instituto selectiora perstrinximus in summula. Nunc tandem ad tertiæ operationis directionem gradum facit Aristoteles: Disputat de discursus æconomia, & per quatuor libros de re Syllogistica id præstat: duos priores nuncupat *Analyticon Proteron*, id est resolutiuorum Prioris: duos alteros *Analyticon Histeron*, id est posteriorum resolutiuorum, eo quod in ipsis scientias ad prima vsque principia resoluere docent, *Analysis* enim, latinè, resolutionem sonat, in primis duobus tractat de Syllogismo in communi, de entymemate, exemplo, inductione, de formà, & figura Syllogismorum, cæterisque argumentandi instrumentis; Et quoniam de his itidem in Dialecticæ summulà nobis necessaria libauimus, nunc eorum explicatù doctiorum imitatione supersedebo.

In reliquis autem libellis de demonstratione agit, eosque *Posterios resolutionis* nuncupat, quia licet per Syllogismum Topicum, & Sophisticum aliquatenus conclusiones resoluimus; non tamē certissimè ad principia, & ad vltimam varietatis amussim; nisi per demonstrationem deuenimus, id, quod resoluere appellamus. Priores duos libros ad formam Syllogismi attinere perspicuum est; reliquos vero posteriores ad materiam, & quidem præcipuam omnium, nempè necessariam, totum enim est in illis Phylosophus, vt duceat, quo pacto ex materia necessaria Syllogismum architectare debeamus scientificum: Ast quoniam forma prioris est dignitate, quam materia, illos *Priorem* iure, hos verò posteriores meritò titulauit.

Vides igitur, peculiare entis rationis genus videlicet fabrica, & artificium Syllogizandi, atque demonstrandi obiectum huiusce partis Dialecticæ proprium apparere, in qua quidem regulæ traduntur, præceptaque discursum intellectus rectificandi, monstrantur: media, extremitates, formæ, figuræ, connexio extremitatum, reductiones Syllogismorum, &c. quæ omnia satis liquet, citra mentis nostræ molimina in rebus non existere,

De posteriore Analysi, seu resolutiua doctrina Aristotelis.

Synopsis littera.

I. IN primo posteriorum libro agit Arristoteles de demonstratione, de partibus eiusdem, speciebus, atque proprietatibus. Definit scientiam aiens: *Siue esse rem per suam causam cognoscere* ita quidem, vt illam aliter se habere non posse seriò arbitremur. Explicat principia *Dici de omnia &c.* Confutat errores veterum Sophistarum scientias esse negantium, atque habitum primorum principiorum. Docet demonstrationem construi debere ex propositionibus necessarijs, & nequaquam ex contingentibus, pergitque tradere, illas non modò necessarias, sed, & proprias; non alienas, neque communes esse assumendas. Diuidit demonstrationem in duo membra, scilicet in demonstrationem *Quia*, & demonstrationem *Propter quid*, aliasque demonstrationis diuisiones in medium profert non admodum necessarias. Disputandū de genuino demonstrationis effectu, scilicet scientià, de eius vnitate, & discrimine ab opinione, & Solertià.

II. In secundo agit ille de causis demonstrationis, medio, scilicet, & primis Principijs: vnde bonam libelli partem insumit in tradendis regulis inueniendi cuiuslibet rei definitionem: eo quod nihil aliud cuiuslibet rei quod quid est exprimit melius, quàm sua definitio, vt demonstratio fiat per suū *Propter quid* id est causam Quoniam (vt benè notauit M. Sotus) *Quemadmodum* in libris Priorum postquam tractauit de forma Syllogistica, artem tradidit inueniendi medium in vnaquaque figura, vt Syllogismus haberet formam Syllogisticam: ita modò postquam in superiori libro dictum est de principijs demonstrationis, quemadmodum sint necessaria, & per se, neque procedant in infinitum &c. docet in hoc secundo libro quomodo sit inuestigandum medium, vt principia sint propria, per se, & *necessaria*. Hæc ille. Ità etiam Persianus ille Syllogismus pro principio definitionem libertatis vsurpauit.

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet vt voluit? licet vt volo viuere: non sum
Liberior Bruto?

Syllogismus est in tertio primæ, seu in *Darij*: maiorem concessit Stoicus, & quia minor erat falsa, improbat illationem.

Men-

—— Mendosè colligis inquit
Stoicus hic autem mordaci lotus aceto;
Hæc reliqua accipio: licet vt volo viuere, tolle.

III. Iodocus Badius Ascensius eo loci ad Satyrum 5. ait, Poetam dicere, *hoc argumentum à Stoicis solui negando minorem, videlicet: Ego viuo vt volo: Quia stulti, & iniqui nihil rectè volunt, ac faciunt.* Sed vero bonus fallitur Grammaticus: Minor enim non est *Ego viuo vt volo*, quæ vera esset; & negari non poterat: sed hæc: *licet mihi vt volo viuere:* quæ erat definitio veræ libertatis: Stultus enim, ac iniquus non viuit vt licet, neque eorum velle licet: assumpsit principium necessarium, ac proprium, nempe libertatis Stoicæ definitionem, & quia de contingentibus minorem posuit, conclusio nihil erit: *mendosè colligit inquit.*

IV. Deinde agit, quo pacto inquirere oporteat generaliter *Propter quid* id est quamcumque conclusionis causam: Denique postremò declarat breuiter, quomodo principia complexa manifestentur, & quoniam habitu cognoscantur: Subindeque de habitu principiorum disputat. Et hæc pro Aristotelici Textus Synopsi sufficiant: non enim iuuat per singula horum capita, vt in retroactis fecimus dissertationibus, Synopses digerere; id quippè prorsus est salebrosum his in locis, & scribendi tedium, ac legenti nihil vtilitatis, aut oblectamenti attulerit. Siquæ tamen difficultates circa Textus occurrerint anodandæ, omninò consulendus erit egregius ille vir (sic voco M. Sotum), cuius commentario nihil clarius, nihil eruditius, nihilque diligentius potest inueniri.

DISSERTATIO LVII.

De præcognoscendis ante demonstrationem. Vtrum omnis doctrina, seu disciplina fiat ex præexistenti cognitione?

§. 1. Poetis quidlibet audentibus Plato plus meritò credidit, lactantio Teste libro 7. cap. 22. quippè qui in Phædone docuit, humanis animabus scientias simul cum ipso intellectû inditas fuisse, hominemque dum illas tot laboribus addiscit, non denuò illas acquirere ait; sed solum reminisci. Vndè natum illud apud Academicos celebre proloquium est *Scire nostrũ est quoddam reminisci.* Somniabant enim Poetæ, nostras animas læthæi fluminis potu rerum omnium obliuionem è bibere in ipsa corporum informatione, & ingressu, eiusmodi delirium refricuit, & Platonicus Vates 6. Æneidos.

—— Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, læthæi ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.

§. 2. Hinc negabat Plato, scientias acquiri per demonstrationem, cum solâ possent recordatione consequi: Ast illum validè confutat Aristoteles, & ipso huius libri exordio celebre illud pronuntiauit axioma *Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione*, & quia Heraclytus, & Cratylus negabant, dari scientias in rebus eò quod omnia dicebant fluxa esse, & corruptibilia, de quibus haberi scientia non potest: Aristoteles hoc præmisso axiomate, vtrumque errorem elidit: quoniam affirmando, posse esse scientiam, Heraclytum, & Cratylum refellit: probando autem, quod fiat ex præexistente cognitione Platonicum dogma excludit. *Omnis doctrina* id est omne iudicium intellectiuum aut industriâ acquisitum, aut à Doctore accepta causatur in nobis ex alia anteriore cognitione, siue illa anterior sit doctrina acquisita, siue aliud iudicium naturaliter nobis insitum. Intelligit per doctrinam ipsam scientiam prout traditam à Magistro, disciplina vero est ipsamet doctrina prout accipitur, seu recipitur in Discipulo, equidem doctrina, & disciplina sunt idem habitus realiter, tametsi vna non sit alia formaliter: Porro si verè datur cognitio intellectiua, quæ fiat ex alia prius existente cognitione, ergo non omnia sciuntur à principio ingenitè, & naturaliter; sed sciuntur acquirendo eiusmodi doctrinas per demonstrationem illatiuam ex præcedentibus cognitionibus.

§. 3. Sed licet omnes fateantur, verissimum esse hoc Aristotelis pronunciatum, equidem cognitio discursiua supponit iudicatiuam, iudicatiua autem appræhensiuam, & hæc tandem sensitiuam cognitionem: Dubitant tamen Doctores, de qua in præsentiarum loquatur Philosophus? Et *Primo* Paulus Venetus censet, Aristotelem per doctrinam, & disciplinam intellexisse quamlibet cognitionem intellectus humani siue sit appræhensiua, siue iudicatiua, aut discursiua, semper enim fit ex præsupposita cognitione sensus cum nihil sit in intellectu cognitum, quod prius non fuerit in sensu. *Secundò* alij exponunt Aristotelem de sola cognitione iudicatiuâ, quæ secunda operatio intellectus est, quæ cum necessario exigat appræhensionem terminorum semper fit ex præexistente eorum cognitione, ità Tomistius, & Philophonus. *Tertiò* tandem alij dicunt, præcedentes expositiones veras quidem esse; sed non ad mentem Aristotelis, qui de omni, & solâ cognitione discursiua intelligendus est. Et hæc est verior sententia, quam Thomistæ communiter tenent, quibus subscribimus.

§. 4. Dicimus autem *de omni* cognitione discursiuâ Philosophum esse intelligendum, vt excluderemus eos, qui hoc axioma restringunt ad cognitionem solùm demonstratiuam, quod aperte pugnatium textu Aristotelis, vt mox apparebit. Equidem conclusio probabilis, etiam appellatur doctrina saltem probabilis, & non solum per demonstrationes, sed etiam per Syllogismos probabiles deuenimus ad doctrinam veritatis: atqui sicut In demonstratione conclusio procedit ex principijs quibusdam necessarijs, atque euidentibus, ita in Syllogismo Topico conclusio causatur ex principijs quibusdam probabilibus; ergo doctrina, atque disciplina probabilis etiam fit ex præexistente cognitione, proindeque de ipsa prædictũ axioma verificatur non minus, quam de demonstratione.

§. 5. Assertum hoc traditur expressè à D. Thoma super hoc locum lect. 1. *Nomen autem do-*

doctrinæ (inquit ille), *& disciplinæ ad cognitionis acquisitionem pertinet. Nam doctrina est actio eius, qui aliquid cognoscere facit: Disciplina est receptio cognitionis ab alio, Nec accipitur hic doctrina, & disciplina secundum quod se habent ad acquisitionem scientiæ tantum, sed ad acquisitionem cognitionis cuiusque* (Attende nunc Lector, & vide simul rationem, quâ probat mentem Philosophi:) *Quod patet, quia manifestat hanc propositionem etiam indisputatiuis, & Rhetoricis disputationibus, per quas non acquiritur scientia: Propter quod non dicit, Ex præexistenti scientia: & intellectu: sed vniuersali cognitione: Addit autem intellectiua, ad excludendum acceptionem cognitionis sensitiuæ, vel imaginatiuæ: Nam procedere ex vno ad aliud, rationis est solum.* Hæc ille, igitur Textui contradicit, qui illum ad solam coarctat demonstrationem, cum ipsamet exempla Aristotelis fiant non solum demonstrationibus Mathematicis, sed etiam in Syllogismis probabilibus Dialecticæ, & Entymematis Rhetoricæ, vt obseruat S. Doctor.

§. 6. Confirmatur. Quia vt bene notarunt Conimbricenses, ac Complutensas, verbum illud *Intellectiua* in Græco Archeipo eo sonat *discursiua*, qua propter emendationes codices habent: *Omnis doctrina, omnisque disciplina discursiua* teste Nipho, & alijs: id quod, & Sanctus Thomas breuius perstrinxerat per hæc verba *Nam procedere ex vno ad aliud rationis est solum*, id est hic agitur de processu rationis, vt ratio est quatenus ex præexistente cognitione ad aliam transit, abstrahendo à scientifica, & non scientifica: Vndè excludimus cognitionem Fidei supernaturalem, quæ cum sit tota propter autoritatem Dei reuelantis, non fit, neque causatur ex præexistenti cognitione, non enim est discursiua, neque coniecturalis coguitio, de qua solum hic loquitur Philosophus. Similiter excluditur cognitio Angelica, quem apud Thomistas discursiua non est, quia Angeli etiam si effectus cognoscant per suas causas, vt Petrum esse risibilem, quia est rationalis, id tamen vnico intuitu præstant: Scotistæ verò, qui Angelos discurrere putant, viderint, quod dicant de axiomate.

§. 7. Obijcies. Si omnis doctrina fit ex præexistente cognitione, hæc etiam præexistens cognitio eligerit doctrina, ac proinde etiam ex alia præexistente fiet, & hæc ex alia, & sic abititur in infinitum.

Confirmatur. Num quæro, quid nomine cognitionis significetur? Si generaliter intelligitur quælibet notitia tam iudicatiua, quam appræhensiua. Contra: Nam ly *ex* in axiomate Aristotelis dicit genus causæ efficientis: assensus enim præmissarum efficienter generat assensum conclusionis: Atqui notitia appræhensiua non generat isto modo assensum conclusionis, Sed solum in genere causæ materialis, quatenus scilicet conclusio componitur ex terminis appræhensis, ergo. Si verò nomine cognitionis intelligitur habitus iudicatiuus, iam sequitur processus in infinitum: quia ille reuerà doctrina est, proindeque debet fieri ex alia præexistente cognitione, quæ etiam erat doctrina, & sic in infinitum.

§. 8. Respondeo Aristotelem (vt bene obseruat M. Sotus) non dixisse, quod omnis cognitio fit ex priore cognitione, aut quod omnis doctrina fit ex priore doctrina, aut quod omne iudicium fit ex priore iudicio, id, quod processum sonaret in infinitum: sed solum dixisse, quod omnis doctrina, & disciplina fit ex præexistente cognitione: Pro doctrina intelligitur quælibet conclusio propria industriâ, & labore comparata, quæ si deducatur ex præmissis per se notis, qualia sunt prima principia, non præsupponunt aliam doctrinam, quia eiusmodi principia, solo lumine naturali, & habitu principiorum nobis à Natura indito, sine vlla indagatione: & solâ terminorum explicatione cognoscuntur, vt, *Omne totum est maius sua parte. quodolibet est, vel non est* &c. potest tamen contingere, quod præmissæ sint doctrina: id est quod sint demonstratæ per alia principia, vt quando tertia, vel quarta passio probatur de subiecto per cognitionem discursiuam: At verò conclusio, siue doctrina, quâ probatur prima passio, non fit ex alia cognitione doctrinali, siue discursiua, sed ex cognitione iudicatiua principiorum, quæ vt diximus se ipsâ habetur, & non fit ex vlla alia doctrinali cognitione. Ex quibus etiam confirmatio diluitur.

§. 9. Obijcies item. Cognitio iudicatiua etiam fit ex præexistente cognitione appræhensiua, & cognitio appræhensiua supponit etiam cognitionem sensus: ergo axioma Aristotelis non ad solam cognitionem discursiuam restringenda est.

§. 10. Respondeo. Aristotelem hoc axiomate non voluisse ostendere, omnem cognitionem intellectiuam præsupponere sensitiuam, quod nec Plato, nec vllus mortalium negabat sed probare, omnem scientiam generari denuò per cognitionem primorum principiorum tanquam per causam, & prima, vniuersaliaque principia esse quædā semina generandi scientias, quatenus in ipsis virtualiter continentur cognitiones particulares omnium rerum. Vndè *ly ex* denotat hanc causationem efficientem præmissarum; & non solum terminorum à quo, vt cum dicimus, Petrum venisse *ex Hispania*; neque solum materiam ex qua: vt cum dicimus Calicem fieri *ex auro* quamobrem suprà dicebamus quod licet verum sit omnem cognitionem fieri ex aliâ, sumpto quomodolibet *ly ex*: At verò ad mentem Aristotelis non nisi conclusionem, & cognitionem discursiuam denotari, quæ ità fit efficienter ex alia, vt scientia denuò per illam generetur, quod prorsus negabat Plato, cuius argumentā, & solutiones Aristotelis videris apud alios, vt Sotus, Masius, Complutenses &c.

DISSERTATIO LVIII.

An rectè ab Aristotele enumerentur tria præcognita, & duæ præcognitiones?

§. 1. OBiecta illa, quę ante illationem Syllogismi demonstratiui debent prius cogno-

gnosci, appellantur in præsenti *Præcognita*: actus autem quibus illa cognoscuntur, *Præcognitiones* dicuntur. Aduerte tamen, non dici præcognitum illud, quod per ipsam demonstrationem illatiuè cognoscitur, hoc enim non illam antecessit, sed potius per illam demonstratur. Aduerte item quatuor de qualibet re quæri posse Aristotele 2. Posteriorum. Cap. 1. scilicet *An sit? Qui sit? Qualis sit?* & *Propter quid sit?* Quorum *An sit?* existentiam quærit: *Quid sit?* desfinitionem essentiæ, siue nominis examinat *Qualis sit?* passionem inquirit: *Propter quid sit?* causam, siue radicem, aquà eiusmodi pro fluat passio, inuestigat.

§. 2. Dico primò præcognita ante demonstrationem tria, scilicet *Principium*, *Subiectum*, & *Passio*: atque duæ horum præcognitiones rectè præscribuntur, à Philosopho. Est commune assertum totius Scholæ Peripateticorum: idque ratione sic probatur. Nam de omni re, vt supra dixi, tantum inquiritur *An sit? quid sit, qualis sit, & propter quid sit?* Sed harum quæstionum duæ vltimæ per ipsam demonstrationem probantur, scilicet *qualis*, & *propter quid sit?* ergo tantum illæ duæ priores remanent, vt sint præcognitiones. Minorem ostendo. In hac demonstratione *Omne animal rationale est risibile: Sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis*, in ipsa conclusione demonstratur de homine *qualis sit*: nempe quod sit risibilis, & propter quid sit, risibilis scilicet quia est animal rationale: ergo tantum remanent, vt præcognoscantur *An sit? & Quid sit?*

§. 3. Præcognita autem tria sunt: quia prius quam in conclusione prædicatum attribuatur subiecto, debent iam præmissæ præsupponi cognitæ, quæ quia vnicum faciunt conclusionis principium, dicuntur vnum præcognitum. Rursùs subiectum conclusionis, & passio debent etiam prius cognosci, quam conclusio: Quia vt inferam sic: *Ergo homo est risibilis* debeo priùs nouisse, quid sit Homo, & quidem esse risibile? Ergo tria sunt præcognoscenda antè demonstrationis illationem.

§. 4. Dico secundò: De principio, quod sic definit Aristoteles *Principium est propositio medio vacans* non cognoscendum est quid sit, sed an sit verum? Quia præmissę debent præsupponi concessæ quia sunt veræ est que omninò impertinens ad conclusionem quærere, quid sit illa propositio?

§. 5. Dico tertio: De subiecto non præcognoscitur an sit verum? Quia est terminus simplex, in quo nec veritas, nec falsitas esse potest: nec an sit existens? Quia connexio subiecti v.g. hominis cum risibilitate est æterna, & licet homo non existat, sed tantum sit possibilis, esset quidem risibilis: Sat ergo erit, hominem esse possibilem, & illam aptitudinem ad essendum præcognosci: quia dere impossibili nequeunt passiones demonstrari.

§. 6. Dico quarto: De Passione præcognoscendum non est *quid sit* rei; sed tantum quid sit nominis? neque etiam *an sit*? Probo quoad primam partem: quia quid rei passionis pendet ex proprio subiecto: sed per demonstrationem cognoscitur quod nam sit illius *subiectum*: ergo ante illam non cognoscitur. Quoad secundam partem probo. Quia per ipsam demonstrationem cognoscitur, an sit passio: ergo non ante illam aduerte tamen, te benè posse cognoscere prius risibilitatem, vt est substantia, vel vt accidens est, vel denique vt risibilitas est; at verò prout passio est formaliter, non potest nisi de subiecto demonstrari, & per demonstrationem cognosci.

§. 7. Obijcies primo: Bonitas illationis, siuè consequentiæ debet etiam præcognosci, vt intellectus securè assentiatur conclusioni: ergo non solum tria debent enumerari præcognita.

§. 8. Respondeo. Bonitatem consequentiæ præcognoscendam quidem esse vt indubitanter assentiamur conclusioni: attamen hoc præcognitum non esse posterioristicum; sed prioristicum: nam inquirere, an consequentia sit legitima, seu ad quam formam, figuram ve pertineat? ad priorem Analysim spectat, non ad posteriorem, quæ materiam illius; & non formam speculatur.

§. 9. Obijcies secundo: Præcognita sunt tria: ergo, & præcognitiones debent esse tres, & non duæ. Consequentia videtur perspicua: nam ideò tot sunt albedines, quot sunt alba, quia alba denominantur ab albedine; sed obiecta denominantur præcognitione: ergo tot sunt præcognitiones, quot sunt præcognita, & è conuerso.

§. 10. Respondeo: Obiectum denominari præcognitum denominatione extrinsecâ, vndè sicut vnica dexteritate possunt plures columnæ dici dexteræ, ita & multa obiecta vna præcognitione denominari præcognita: exemplum de albis non est ad rem: nam albedo denominat subiectum intrinsecè ob intrinsecam sui inhærentiam, proindeque ad multiplicitatem subiectorum itidem multiplicatur.

§. 11. Obijcies tandem: Medium Syllogismi, quod bis ponitur in præmissis, necessario cognoscitur ante deductionem conclusionis: ergo, & hoc etiam debuit enumerari vt distinctum præcognitum à tribus. Respondeo. Medium cum ipso principio pręcognosci, vndè non constituit distinctum præcognitum.

§. 12. Nota, de omnibus præcognitis præcognosci *quid sit* nominis: quia, intellectus discurrere nequit, aut aliquid ex ipsis inferrè, quin eorum calleat significata, tametsi esse rei, vel *quid sit* rei non cognoscat in principio: hæc & alia, quæ vulgò obijci solent, ex dictis facilè solues, eadem enim ferè communiter omnes dicimus.

DISSERTATIO LIX.

An assensus præmissarum causet assensum conclusionis, necessitet ve intellectum ad assentiendum illi?

§. 1. Distinguunt communiter Dialectici præmissas, & conclusionem formales ab obiectis: Hæ nihil aliud sunt, quam ipsa obiecta formalium, quæ cum sint realiter idem, nequeunt

queunt præmissæ obiectiuæ conclusionem similiter obiectiuam vllo modo causare, sicut nequit idem causare seipsum. Sermo est de præmissis, & conclusione formalibus, & quæritur: an actus ille intellectus, quo assentimur præmissis, sit causa assensus, quo assentimur conclusioni? ita vt primus ille assensus moueat efficaciter intellectum ad eliciendum secundum.

§. 2. Affirmo: & probo primò ex Aristotele, qui dissertis id verbis docuit tùm in supra explicato Axiomate *Omnis doctrina, & disciplina fit ex praexistente cognitione*. Cuius sensus secundum Peripateticos omnes, est, omnem cognitionem scientificam ex existente cognitione id est ex præmissis fieri: tum etiam in definitione demonstrationis, quam dicit esse *Syllogismus, qui procedit exprimis, veris, immediatis, causisque conclusionis*. Ergo præmissæ apud Aristotelem verè causant conclusionem. Docuit item S. Thomas primo contra Gentes cap. 57. vbi *In omni scientia discursiua* (inquit) *oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodò causa efficiens conclusionis &c.*

§. 3. Probo secundo ratione, qua nostrates vti solent. Conclusio, vt conclusio formaliter dependet in suo esse dependentia necessaria, & positiua à præmissis, seu ab assensu præmissarum: ergo præmissæ exercent aliquam causalitatem in conclusionem. Consequentia est euidens. Antecedens probatur: nam conclusio vt talis formaliter est cognitio illata, seù deducta ex alia; alioqui non esset conclusio, sed absoluta propositio iudicatiua: atqui cognitio essentialiter illata, & deducta dependet à præmissis; seù assensibus, ex quibus infertur, & deducitur. Ergo.

§. 4. Dices: conclusionem posse dependere à præmissis non tanquam à causa, sed solum vt à termino *à quo*, idque tantum voluisse Aristotelem dum ait, illam fieri *ex praexistente cognitione*. Sed contra primo; terminus *à quo* est omninò incompossibilis cum termino *ad quem*: ita quidem, quòd hoc adueniente; ille deperdatur, atqui præmissæ necessario comitantur conclusionem, immò cum ipsa componunt demonstrationem: ergo non habent se tantum vt terminus *à quo* respectu conclusionis.

§. 5. contra secundo: Conclusio formaliter vt talis nequit constitui per hoc solum quod præcedentes cognitiones supponat sine vlla causalitate earum in ipsam, & sine dependentia ipsius ab illis. Ergo præmissæ non solum exercent munus termini, *à quo* respectu conclusionis, sed rationem veræ causæ. Consequentia est bona: ostendo antecedens: possunt multæ cognitiones disparatæ fieri vna post aliam successione temporis; quin vllum efficiant discursum: atqui nulla earum erit formaliter conclusio, ex eo præcisè, quòd non causetur, neque dependeat illatiuè à præcedentibus: ergo conclusio, vt talis nequit constitui per hoc solum, quod præcedentes cognitiones supponat sine causalitate earum, & sine dependentia ipsius.

§. 6. Quæ res autem, quo genere causæ concurrant præmissæ formales ad conclusionem? Sed de hoc nec verbum facere decreui, vt de re ad Dialecticam nihil pertinente: equidem, vt benè notauit Hurtadus, quærere, vtrum præmissæ sint causæ efficientes? vel non? Logico instituto quid prodest? Pergo ad necessitatem intellectus in huiusmodi assensibus.

§. 7. Supponenda est vulgaris illa diuisio necessitatis, in *necessitatem* quoad *specificationem*, & *necessitatem* quoad *exercitium*: Prima *respicit speciem actus*; altera *actualem productionem illius*, vndè *necessitas* quoad *specificationem* illa est, *qua principium actiuum taliter determinetur ad actum, vt licet possit illum suspendere, nequaquam tamen potest prodire in actum alterius speciei*, id est licet absolutè possit non elicere actum; tamen non potest elicere actum nisi talis speciei. *Necessitas*, quoad *exercitium est, qua principium taliter determinatur, ad hunc actum; vt non solum non possit illum suspendere, seù se cohibere ab illius productione; sed hic, & nunc tenetur elicere illum numero actum*. Duabus his necessitatibus respondent etiam duæ libertates è regione; videlicet *libertas* quoad *specificationem*, quæ dici solet etiam *libertas contrarietatis* eo quod *in actus contrarios tendere potest*, qualis est illa qua voluntas elicit amorem, & odium: altera est *libertas* quoad *exercitium*, quæ dici solet *contradictionis*, *quæ solum respicit actualem productionem actus, vel non productionem illius*.

§. 8. Rursus supponendum est, sermonem esse de assensu præmissarum formali; non de virtuali: nam cum conclusio contineatur virtualiter in præmissis tanquam in causa, assentiri præmissis formaliter est idem, ac assentiri conclusioni virtualiter, & in sua causa, quibus positis.

§. 9. Dico: Intellectum per assensum præmissarum non solum adstringi ad assentiendum conclusioni necessitate quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Prior pars huius asserti communis est, doceturque à D. Thoma in primo distinct. 25. quæst. 1. art. 2. Probatur: intellectus nequit dissentiri obiecto, quod sibi vt verum proponitur; sed per assensus præmissarum obiectum proponitur intellectui vt verū: ergo illi nequit dissentiri, esto assensum cohibere possit. Maior est euidens: nam verum, vt verum est obiectum specificatiuum, & proprium intellectus, qui si alioqui non determinaretur ab illo quoad speciem actus, possem ego iudicare etiam non existere lucem, quam oculis cerno, & me non esse hominem, &c. Minor probatur: nihil potest esse verius, quam quod ea, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; atqui assensu præmissarum proponuntur extremitates conclusionis vnitæ vni tertio: ergo apparet intellectui vt verum, quod sint eadem inter se; sed intellectus nequit dissentiri obiecto verò, quod sibi vt verum apparet; apparet autem per assensus præmissarum veritas conclusionis: ergo omnino determinatus est, quoad specificationem ad assensum conclusionis.

§. 10. Altera pars nostri asserti etiam est apud Thomistas communis; proceditque de intellectu habili, & benè disposito, qui nequaquam impeditus existat, nec in alia obiecta distrahatur

pro

pro tunc; potest enim per accidens elicito præmissarum assensu, conclusionem non educere, si illi aliqua mentis euocatio, aut obstaculum subrepat.

§. 11. PP. Complutenses sic probant ratione. quia eodem instanti, quo cognoscitur minor, cognoscitur etiam conclusio ex Aristotele, & D. Thoma: ergo voluntas imperans assensum minoris non potest impedire assensum conclusionis. Probatur consequentia: quia voluntas imperans aliquam actionem alterius potentiæ non potest impedire quidquid necessario sequitur in eodem instanti ad talem actionem; sed assensus conclusionis necessario sequitur ad assensum præmissarum in eodem instanti: ergo voluntas non potest impedire illum.

§. 12. Sed verò hæc ratio displicet primo: nam ex sola coexistentia minoris cum conclusione non benè colligit quod minor necessario influat in conclusionem, quando quidem simultas temporis, seù durationis non inducit necessitatem inter causam, & effectum, quod patet in Deo. Quia si Mundus fuisset ab æterno, vt de facto credidit Aristoteles, & de possibili concedunt Doctores Catholici, in ipsomet verò, vel imaginario instanti, quo Deus esset, etiam existeret mundus ab ipso productus, atqui Deus non eo ipso produceret necessario illum necessitate contradictionis, sed potius liberrimè, vt est Fide sanctum: ergo sola simultas coexistendi causæ cum effectu non inducit necessitatem causandi in eiusmodi causa; proindeque licet minor cognoscatur simul in eodem instanti, ac conclusio, hoc non arguit necessitatem quoad exercitium, qua vna cognitio producat aliam; si alioqui non probetur.

§. 13. Displicet secundo: quia dum ab aduersariis negatur consequentia Complutensium: illam hoc probant syllogismo: voluntas imperans aliquam actionem alterius potentiæ, non potest impedire quidquid necessario sequitur in eodem instanti ad talem actionem; sed assensus conclusionis necessariò sequitur ad assensum præmissarum in eodem instanti: ergo voluntas non potest impedire illum. Concessa maiore; negabunt, & optimè minorem, quæ (ni fallor,) petit principium: nam tota quæstio est. Vtrum conclusio, quæ simul tempore cognoscitur cum minore sequatur necessario nec ne? quam pro præmissa assumunt prædicti Doctores.

§. 14. Quare melius cum communi Thomistarum probatur sic, intellectus est potentia naturalis, & necessaria, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, nequit non operari; sed eo præcisè quod ille habeat assensum præmissarum, habet omnia principia requisita ad assentiendum conclusioni: ergo nequit hic, & nunc illi non assentiri.

§. 15. Dices: imperium voluntatis potest illum retrahere ab assensu conclusionis, etiamsi intellectus bonitate illationis perspecta, præmissis assentiatur: nam licet ego assentiar illis, si pro mea libertate nollem conclusionem elicere, neutiquam illæ me poterunt cogere nolentem vt eliciam, & assentiar.

§. 16. Sed contra: quia intellectus nullatenus subditur voluntati in eo quod est rerum cognoscere, si verum appareat, cum sit potentia necessaria, solum verò illi subditur quatenus voluntas cognitis, concessisque præmissis, potest intellectum diuertere, ad alia obiecta distrahere, vel aliquid impedimenti ipsi opponere: ergo si semel intellectus non distrahatur, nec à voluntate in alia obiecta auocetur, cognita bonitate illationis, assentietur necessario conclusioni hic, & nunc. Probatur consequentia: ita se habet intellectus ad verum, vt tale, sicut visus ad coloratum: sed licet voluntas possit visum retrahere ab obiecto, vel oculos claudendo, vel lucem auferendo &c. tamen si obiectum est præsens, & medium illuminatum, oculi vigilantes, &c. eliciet visionem, velit, nolit voluntas: ergo similiter intellectus si præmissis assentiatur, bona sit consequentia, & verum appareat, necessario assentietur conclusioni.

§. 17. Obijcies primo: intellectus subditur voluntati quantum ad exercitium suorum actuū: ergo adhuc assensu præmissarum elicito, voluntas potest eum cohibere, ne conclusioni assentiatur.

§. 18. Respondeo: intellectus subditur voluntati in suis actibus, distinguo, in actibus, quorum obiecta, vel non apparent vt vera, vel apparent solum vt probabilia, concedo, quorum obiecta apparent vt vera, seù sunt euidentia: nego.

§. 19. Obijcies item: elicito præmissarum assensu, potest quispiam prohibito educere conclusionem directam, vel indirectam: ergo post præmissarum assensum ad huc manet intellectus indifferens ad vnam, vel aliam conclusionem eliciendam quoad exercitium: ergo non necessitatur quoad exercitium ad vnam. Antecedens ostenditur; positis his præmissis: *Omnis homo est animal*; *Petrus est homo*: potest quis directè educere: *Ergo Petrus est animal*. Vel concludere indirectè sic: *Ergo aliquod animal est Petrus*.

§. 20. Respondeo: intellectum tunc necessitari ad assentiendum conclusioni potius directæ, eo quod illa est primarius, & immediatus præmissarum effectus: Porrò cum supponamus, intellectum esse habilem, & benè dispositum, nequit non prius assentiri conclusioni, quæ clarior apparet, quam indirecta.

§. 21. Obijcies denique: nullum bonum creatum datur in rebus, quod voluntati necessitatem imponat ad suos actus: ergo nec vllum est verum creatum, quod intellectum necessitet ad suos actus eliciendos. Concesso antecedenti; nego consequentiam: Discrimen est manifestum, quia voluntas est potentia libera, at intellectus necessaria. Cætera, quæ hic alij intempestiuè conferciunt. Tyronis Dialectici captum exuperant, ideoque ad libros de Anima amandamus.

DISSERTATIO LX.

De demonstratione eius definitione, ac diuisione.

§. 1. DEmonstratio Græcè *Apodix* est Syllogismus scientificus qui quidem concretum quoddam est constans ex reali discursu intellectus, & artificiali forma, quæ est secunda intentio Logicalis, non enim est nuda, rudisque ratiocinatio. Sed artificiosa, & graphicè concinnata operatio, id est discursus quidam ex tribus propositionibus compactus, quarum prima sit vniuersalis, medium ita collocatum, vt in maiore sit subiectum, & in minore prædicatum, quæ omnia satis liquet, citra mentis nostræ opificium in rebus non existere. Cæterum quia hoc concretum ex reali entitate, & ficta coalescit, rigurosa, & exacta nequit definitione explicari, vt alibi ostendimus, ideoque illud per aliud concretum superius definiuit Philosophus, scilicet demonstrationem, per Syllogismum, sicuti album explicatur per coloratum digregatiuum visus.

§. 2. Hic nota. Textui Græco mendum irrepsisse, legunt enim nonnulli sic: Demonstratio est Syllogismus *Apodicticus*, id est demonstratiuus, quod est stolida quædam nugatio Aristotele indigna, in eiusmodi codices impegit Caietanus. Scio M. Sotum istam lectionem Boethio nostro imponere; sed fallitur; nam in operibus Boethi, quæ apud me habeo, sic lego cap. 2. *Demonstrationem autem dico syllogismum epistemonicon, id est facientem scire; sed epistemonicon dico secundum quem (inhabendo ipsum) scimus*. Germana igitur versio non *demonstratiuum, sed scientificum* trasfert, vt, & Argiropilus fecit.

§. 3. Duas igitur demonstrationis definitiones tradit Aristoteles: Prima: *Est syllogismus faciens scire*, est bona: tum quia syllogismus ponitur loco generis, in quo demonstratio conuenit cum topico, & sophistico: cæteræ autem voces locum habent differentiæ, explicantque euidentiam, & summam certitudinem, per quam ab illis differt. Tum etiam quia definitio, quæ traditur per causam extrinsecam, licet sit eo ipso descriptiua, est bona: Porrò licet scientia sit effectus demonstrationis, in alio tamen genere causæ scilicet finalis, est potius causa demonstrationis. Demonstratio enim est intellectuale quoddam instrumentum, eiusque proprius finis est scientia: ergo hæc descriptio tradita per causam extrinsecam finalem bona est.

§. 4. Altera definitio petitur ex principijs, & causis intrinsecis demonstrationis, proindeque essentialis est: *Demonstratio est ratiocinatio constans ex omninò veris, necessarijs, primis, seù immediatis, ex prioribus, ac notioribus causisque conclusionis*, id est, cuius præmissæ sunt omninò veræ, necessariæ, primæ &c. Ratiocinatio, seù discursus ponitur loco generis; cæteræ particulæ difinitionis pro differentia statuuntur quas iam explico: *Ex omninò veris* idest quod principia constent ex veris, & quod rerum veritati sint conformia; alioqui non posset absolutè ex illis vera conclusio deduci, sed tantum ratione bonæ consequentiæ, & ex hypothesi, quod tales præmissæ concedantur. *Primis, & immediatis*, id est quod præmissæ sint per se notæ, & quæ medio careant, quo probentur, ita vt non possint in ea scientia ad quam pertinent, demonstrari à priori, tales sunt: *Omne totum est maius sua parte. Omnis homo est animal rationale &c.* Sed verò hæc conditio non requiritur in omni demonstratione; sed solum in perfectissima, & principalissima. *Ex prioribus, & notioribus*, id est quod sint manifestiores conclusione, illaque priores, quia cum conclusio sit quidem nota, illique intellectus assentiatur propter assensum præmissarum, hæ debent esse notiores conclusione, non quia propriè sint veriores, sed quia sunt euidentiores, id est veritatem habent magis perspectam, proindeque vt certioribus assentitur firmius illis intellectus, quam conclusioni deductæ. Et quia sunt illius causæ sunt etiam in cognoscendo, & in causando priores ipsa. *Causisque conclusionis*, id est, quod in essendo, vel saltem in cognoscendo præmisæ contineant causam attributi, seù passionis, quæ demonstratur, vt cum per essentiam demonstratur prima passio, & per hanc secunda &c. sic per rationale demonstratur capax disciplinæ, & per admiratiuum probatur risibile &c. Pro particula illa *necessarijs* vide infra Dissertatione 63.

§. 6. Diuiditur autem demonstratio in duo membra ex Aristot. primo Posterior. cap. 10. nempè prima dicitur demonstratio *Quia*, seù quod sit, qua ostenditur simpliciter, rem ita esse. Secunda dicitur demonstratio *Propter quid*, qua monstratur, propter quid res ita sit. Demonstratio *Quia* sumit pro præmisa effectum, seù causam remotam rei, vt cum demonstratur deliquium Lunæ ex eo quod in plenilunio nullam tamen vmbram facit, quod est effectus Eclypsis, vel per causam remotam, vt si probes, Lunam deficere, ex eo quòd sol illi opponitur ex diametro totius terræ. Demonstratio verò *Propter quid* sumit pro medio causam proximam rei, vt si ostendas, Lunam deficere eo quod terra interponatur inter ipsam, & Solem: vel si probes hominem esse capacem disciplinæ, ex eo quod est rationalis &c. Vndè apparet, non rectè nonnullos docere absolutè, omnem demonstrationem *Quia* esse à posteriori, sicut *Propter quid* est à priori; etenim etiã demonstratio *Quia*, potest esse à priori, quando scilicet rem per causam remotam ostendit, quo fit, vt demonstratio *Quia* certam quidem, & indubitatam rei notitiam generet, non tamen scientiam, nisi impropriam: At verò demonstratio *Propter quid* cum effectum ex suis causis, & quidem proximis deducat, propriè scientiam generat, quæ nihil aliud est, quam rem per suas proximas cognoscere.

§. 6. Ex quibus inferes, Aristotelem secunda definitione non comprehendisse demonstrationem *Quia*, sed solum voluise definire demonstrationem *Propter quid*. Nam cum demonstratio *Quia* non procedat *ex primis immediatis, & causis conclusionis*; sed potius ex effectibus, ex remotis mediatis, ac posterioribus, satis apparet, illam per contrarias fuisse particulas exclusam.

Obij.

§. 7. Obiicies primò. Non omnis demonstratio scire facit, id est generat scientiam: quia demonstratio supponens habitum scientificum, à quo procedit, non generat illum: ergo definitio demonstrationis tradita ab Aristotele non conuenit omni demonstrationi.

§. 8. Respondeo. Demonstrationem non quidem generare habitum illum scientificum à quo procedit, quippè illum iam productum supponit: at verò quandocumque non dum existit scientia, illam demonstratio producit, idque est de ratione essentiali demonstrationis, per quam in præsenti definitur.

§. 9. Obiicies secundo: in secunda definitione superfluit illa particula: *Ex prioribus*, equidē, iam Philosophus præmiserat ly *primis*: ergo hęc definitio accurata non est.

§. 10. Respondeo cum Caietano, ly *ex prioribus* non esse superuacaneum, quia per ly *ex primis* ostenditur, demonstrationem fieri ex primis principijs, nemo namque scientiam habet propriè, quin rem ad vsque prima principia resoluere possit: at verò per ly *Prioribus* significatur medium, quod cum sit causa conclusionis, à qua ipsa dependet, eo ipso debet esse prius ipsa.

§. 11. Obijcies tertio: vnum attributum Diuinum demonstratur à priori per aliud attributum; sed vnum attributum diuinum cum sit ipse Deus, nequit esse effectus alterius attributi: ergo non omnis demonstratio sit ex causis conclusionis. Minor, & consequentia liquent. Maior ostenditur: Æternitas demonstratur per immutabilitatem: probat enim Theologus, omne immutabile est æternum. Deus est immutabilis: ergo Deus est æternus.

§. 12. Respondent communiter Thomistæ. Bifariam sumi causam conclusionis: scilicet *in cognoscendo*, & causam *inessendo*: causa conclusionis in cognoscendo, est ea, quæ licet realiter non producat rem, quæ demonstratur in conclusione; tamen eius assensus, & cognitio est causa assensus conclusionis, id quod similiter conuenit demonstrationi *Quia* in qua etiam cognitio effectus causat cognitionem suæ causæ: nam cum deducitur v. g. hominem esse rationalem, quia risibilis est, cognitio risibilis est causa cognitionis rationalis.

§. 13. Rursus causa inessendo duplex est, secundum Caietanum: vna realis, & verè talis, alia virtualis, & in ordine ad nostros conceptus: prima est, quæ realiter producit effectum: altera, quæ nec producit effectum, nec realiter ab ipso distinguitur, sed tantum nostro modo intelligendi apprehenditur, vt radix, & fons, à quo alia perfectio oritur; Vndè causa inessendo virtualiter debet explicari conditionatè cum Caietano, quod sit ipsa ratio essendi à priori, quæ si illud, cuius causa dicitur, causaretur, esset quidem sufficiens causa illius: sicut omnimoda immutabilitas est virtualiter causa æternitatis, non quia æternitas ab immutabilitate causetur, sed quia si causaretur, immutabilitas esset eius causa. Vndè ad formam argumenti distinguo maiorem: vnum attributum non potest esse causa alterius, in cognoscendo nego maiorem, inessendo sub distinguo, formaliter concedo, virtualiter, nego. Has causa virtuales in Diuinis decentium vocat Theologus rationes formales. Videbis Caietanum ad cap. 2. primi Posteriorum.

DISSERTATIO LXI.

Quid sit propositio per se nota, & an ex illa, & propositionibus, & omni, & per se constare debeat demonstratio?

§. 1. IDem sunt propositio per se nota, & propositio immediata: hæc enim est, quæ medio caret, per quod demonstretur: nam eius obiectum seipso, & non per aliud innotescit intellectui, ita, vt nulla præmissa, neque motiuo anteunte, illi statim præbemus assensum. Nota tamen, eandem propositionem posse esse per se, & per aliud notam in diuerso genere demonstrationis v. g. propositio hæc *Homo est animal* est per se nota, proindeque indemonstrabilis *a priori*; at verò *à posteriori* demonstrabilis est, & per aliud nota, scilicet per effectus: nam ex eo quod animal sit principium sensionum, aptè infertur, esse sensitiuum: absolutè tamen, communiusque sumitur *per se notum* pro conceptu primariò, & essentiali rei.

§. 2. Hinc inferes, hanc propositionem *Deus est*, esse immediatam, & per se notam, quia non datur vllum medium, neque ratio formalis, per quam probetur à priori existentia, quæ Deo essentialis est, tametsi *à posteriori* sit per aliud nota, & demonstrabilis per effectus iuxta illud Pauli: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*.

§. 3. Diuiditur propositio per se nota, in *Dignitatem*, & *Positionem*; dignitates dicuntur principia per se nota, euidentia, & generalissima, quæ pluribus facultatibus deseruiunt, tales sunt. *Omne totum est maius sua parte*: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quæ nulli non scientiæ deseruire possunt. *Positiones* autem sunt principia manifesta particularis scientiæ, suntque tam claræ, & euidentes, quam sunt ipsę dignitates. Solet etiam propositio per se nota siuè immediata diuidi in affirmatiuam, & negatiuam, in vniuersalem, & particularem &c.

§. 4. Dico primo: demonstratio potissima, in qua prima passio de sua essentia demonstratur constat præmissis per se notis à priori: tametsi non sint per se notæ à posteriori. Nam hæc conclusio v. g. *Omnis homo est admiratiuus*, infertur ex hac præmissa: *Omne rationale est admiratiuus* in qua prima passio licet à priori sit indemonstrabilis; à posteriori tamen, id est per secundam, vel tertiam passionem probari potest.

§. 5. Venio ad alias etiam conditiones, quas Aristoteles exigit ad demonstrationem, quarum vna est quod præmissæ sint *de omni, & per se*: dicitur præmissa *de omni*, quando prædicatum semper conuenit subiecto, itaut nihil contineatur sub subiecto, vt inferius, cui eiusmodi prædicatum non conueniat in omni differentia temporis,

ris, vt in hac *omnis homo est risibilis*: Notandum, hic, hoc *dici de omni* posterioristicum distingui à *dici de omni* Prioristico nam *dici de omni*, quod in libris Priorum traditur, vt principium, cui ars Syllogistica innititur, inueniri potest in omni propositione vniuersali, quamuis sit accidentalis, vt *omnis homo currit*, ex qua constat Syllogismus hic optimè cõcludens: omnis homo currit. Plato est homo, ergo Plato currit. At vero dici de omni Posterioristicè sumptum cum subiecto conueniat essentialiter, & pro omni differentia temporis, etiam conuenit propositionibus particularibus, vt Petrus est risibilis, &c.

§. 6. Perseitas, seu dici *per se* quatuor modis sumitur. *Primus* modus dicendi per se est prædicari per modum essentiæ, qualiter pars definitionis Metaphysicè, vel Physicè prædicatur de suo definito, vt homo est animal, in qua dicitur genus, vel homo est rationalis, in qua dicitur differentia, &c. *Secundus* modus per seitatis est, quo propria passio prædicatur de sua essentia, vt homo est risiuus. *Tertius* modus qui potius est essendi, quam dicendi modus, est, quo substantia dicitur esse *per se*, qui quidem etiam conuenit accidentibus Eucharisticis, & etiam abstractis à subiecto, quæ cum modo perseitatis concipiuntur; tametsi ex parte rei significatæ verò inhæreant subiecto. *Quartus* modus tandem perseitatis connectit causam cum suo effectu, ita ut subiectũ sit formaliter causa prædicati, vt cum dicitur *Medicus medetur*. Musicus canit, ædificator ædificat, &c. quod si dicas *Medicus canit*, siue *Musicus ædificat* prædicationes erunt omnino per accidẽs, quia ex parte subiecti non explicatur causalitas, quam exigit prædicatum, quod requiritur, ad hunc quartum modum *perseitatis*.

§. 7. Dico secundo: Demonstratio *propter quid* constare debet præmissis *de omni*, *& per se*. Quoniam propterquid monstrat, passionem oriri ex prædicato essentiali, cum quo necessariam habet connexionem: ergo præmissa debet esse necessaria, atqui omnis propositio necessaria constat prædicato, quod dicitur de omni, & per se; (alioqui non esset essentialis) ergo omnis demonstratio *propter quid* sit ex præmissis *de omni*, *& per se*: quod intelligi debet de duobus primis modis perseitatis: quia modus existendi, & causandi sunt accidentales.

§. 8. Alia conditio ex Aristotele est quod præmissa demonstrationis sit *de vniuersali*, *& secundum quod ipsum*: non sumitur hic vniuersale, vt in prædicabilibus vsurpatur, sed posterioristicè, quod idem est, ac prædicatum *de omni*, quod supra explicuimus. *Secundum quod ipsum* idem est, quod si prædicatum sit accidentale, sit tamen proprium quarto modo sumptum, & quod sit differentia essentialis, si prædicatum sit quidditatiuum: idem enim sonat *secundum quod ipsum*: id est secundum vltimam differentiam vnde inferes, Sensibile v. g. esse prædicatum secundum quod ipsum animalis, quia cum ipso conuertitur, & est eius differentia; non vero Hominis, quia neque est eius passio, neque differentia: Erit igitur sensibile respectu hominis prædicatum *de omni*, non vero *secundum quod ipsum*, latiùs enim patet prædicatum *de omni*, quam prædicatum *secundum quod ipsum*.

§. 9. Dico tertio demonstratio à priori primæ passionis de essentia constat ex præmissis *de vniuersali*, *& secundum quod ipsum*, vt omne rationale est admiratiuum, omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est admiratiuus. Cæteræ conditiones sunt captu faciles, vt quod demonstratio constet ex proprijs; non extraneis, sempiternis, &c. quas apud alios vide fusè explicatas, & argumenta contraria diluta: videbis M. M. Masium, Sanchezium, aliosque.

DISSERTATIO LXII.

An præmissæ demonstrationis debeant esse certiores, & euidentiores Conclusione?

§. 1. ORtum ducit quæstio hæc ex illis verbis Aristotelis in demonstrationis definitione pronunciatis, nempe. *Ex prioribus notioribus, caussisque Conclusionis*: quibus satis aperte docuit, præmissas esse conclusione ab ipsis deducta notiores, certioresque: Vnde controuersia hæc ad declarandam dumtaxat huiusmodi sententiam erat instituenda; non vt contrariam quispiam Aristotelis assecla defenderet, vt nominalistæ faciunt: quapropter eos, aliosque eiusdem placiti Sectatores censeo, non solum falsa docere; sed etiam Aristotelicæ Scholæ prorsus esse desertores.

THEOREMA I.

Nonnulla præmitto, quæ communiter supponi solent.

§. 2. VEritatem non posse magis, & minus recipere pro nunc supponimus alibi probandum: Dicitur tamen vnam propositionem esse veriorem altera, non quia essentia veritatis, (quæ indiuisibilis est, consistitque in adæquatione, seu proportione intellectus cum suo obiecto) recipiat magis, vel minus; sed quia vna propositio est magis necessaria, certior, & maiorem habet infallibilitatem, quam alia, v. g. hæc propositio *Christus est homo*. Verior erit hac: *Homo est risibilis*. Prima enim propositio est infallibilior, & pro motiuo, & fundamento habet ipsam veritatem, quæ est Deus reuelans, Christum esse hominem, & quamuis vtraque vera sit, si aliqua earum esset futura falsa, magis erat assentiendum propositioni à Deo reuelatæ, quam propositioni per lumen naturale, vel per demonstrationem acquisitæ.

§. 3. Certitudo est constans, & firma quædam adhæsio intellectus alicui veritati, sine hæsitatione, aut formidine de eo quod aliter se possit habere, quam ab illo cognoscitur: Differt ab euidentia: eo quod hæc supra certitudinem addit omni modo claritatem, qua obiectum quasi uidet, & clarè intuetur, vnde, & euidentia dicitur: hoc modo connoscuntur prima principia, vt *quodlibet est, vel non est*. Hæc autem sicut à certitudine distincta est, ita etiam ab ipsa separari po-

ri potest; propositio enim omninò certa, & vera potest non esse euidens, vt hæc: *Deus est trinus*, & aliæ de Fide, quæ verissimæ, ac omninò certæ quidem sunt, intellectus tamen non habet euidentiam de earum veritate, quia nec illam demonstrare potest, neque quidditatiuè cognoscit cum sit obscura, & *argumentum rei non apparentis*, vt aiebat Apostolus.

§. 4. Solet hic diuidi certitudo in Moralem, Phisicam, & Metaphysicam: Moralis fundat assensum in dictis prudentum, qua v.g. certum habeo, Romam esse. Physica innititur effectibus, & experientijs naturalibus: Sic certò scio, ignem esse, quia vrit, vel quia fumum producit. Metaphysica habetur ex intrinseca, & essentiali connexione terminorum, quæ veritatem reddidit indefectibilem, vt est ea, qua scio hominem esse rationalem: ita quidem firmo, ac constanti assensu, vt nec ex absoluta Dei potentia possit res aliter se habere, ac meo intellectui repræsentatur, id quod certitudini Physicæ non conuenit: potest enim vstio, vel fumus produci absque igne de potentia absoluta: subindeque intellectus falli potest, ignem apprehendens, si solum innitatur fumo, vel vstioni physica certitudine.

§. 5. Certitudo insuper maior esse potest, vel minor: Quia cum ea sit quædam intellectus ad hæsio ad veritatem: potest equidem ille firmius vni veritati, quam alteri adhærere: Firmius enim adhæremus huic veritati *Deus existit*, quam huic: *Homo est risibilis*. Difficultas autem non procedit de intensione graduali huius adhæsionis, quia hæc potest esse maior, vel minor pro maiore, vel minore conatu intellectus, qui pro libito potest vel præmissis, vel conclusioni illum adhibere interdumque non euidenti, sed solum probabili conclusioni intentius, quam præmissis omninò certis adhærere poterit, est autem quæstio de certitudine essentiali, & fundamentali, qua scilicet ipsa cognitio magis huic obiecto, quam illi adhæret ob motiuum fortius: An scilicet intellectus in demonstratione videns, conclusionem ex principijs euidentibus colligi, maiore certitudine, idest firmiori motiuo adhæsionis assentiatur præmissis, quam conclusioni, cui ex vi illarum præmissarum assentitur?

§. 6. Dixi *ex vi præmissarum*: Quia controuersia procedit de conclusione cognita præcise propter præmissas: etenim si aliunde cognoscatur, & non illatiuè tunc, vel certior, vel æque certa prodibit, quam sunt præmissæ. Vnde simul obiter excludo conclusiones Theologicas ab assensu Fidei: Nam per fidē assentimur reuelatis immediatè propter autoritatem primæ veritatis reuelantis, & non mediante discursu: quamobrem hæc propositio, *Christus est homo*, non est de fide prout deducitur in hoc Syllogismo, *omne animal rationale est homo. sed Christus est animal rationale: ergo Christus est homo*. Est enim Conclusio merè Theologica, & non de Fide, vt docet D. Thomas 2.2. q. 2. & quæst. 6. art. 1. ad primum. item in 3. distinct. 23. qu. 2. art. 2. & quæst. 3. art. 2. & solutione secundi. Nec reffert, quod qui eiusmodi propositionem negaret, haberetur vt Hæreticus, vt probat M. Canus lib. 6. de locis Theolog. cap. vltimo. Nam id fieret, quoniam propositio est materialiter de Fide, & qui illam negaret, præsumitur Hæreticus, quia non censetur, nagare naturalem, euidentem ex stultitia, & insania, sed negare illam de Fide, ex temeritate, vt Canus ipse dicit.

§. 7. Denique aduerto contra Arriagam, ab ipso malè explicari maior certitudo essentialis, de qua loquimur pro apprætiatiua, quę potest (inquit) hoc modo declarari, vt si vnum è duobus esset negandum, prius negaretur illud, de quo minorem habeo certitudinem, quam illud, de quo maiorem: sed vero hæc declaratio omnino falsa est in cognitionibus essentialiter connexis, quarum nulla negari potest, quin negetur altera, à qua dependet, seu cum qua necessariam habet connexionem etiam si minorem certitudinem habeam de vna, quam de alia, vt patet in hoc discursu: *Quidquid reuelat Deus, verū est. Deus verum est Deus reuelat se vnum esse, & Trinum: ergo Deus esse vnum, & Trinum est verum*. Conclusio est merè Theologica, de qua minorem habeo certitudinem, quam de præmissis, quæ sunt de Fide. & tamen illam negare non potero, quin cæteras negem. Similiter in assensu naturali: *Omne viuens sensibile est animal, sed omnis homo est viuens sensibile: ergo omnis homo est animal*, nequeo negare conclusionem quin præmissas negem, tametsi iuxta Arriagam in huiusmodi actibus naturalibus conclusio possit esse minus certa, quam pręmissæ, & ratio est, vt dixi, connexio earum cognitionum inter se: Ergo falsum est, minorem certitudinem consistere in eo quod vna cognitio prius negari possit, quam altera, quando sunt ita connexæ: esto quod id verum sit in propositionibus disparatis, vt *Deus existit*, *Homo est risibiles*, &c.

THEOREMA II.

Sententia Aristotelis, & communis defenditur.

§. 8. DIcō: In demōstrationibus à priori passionis de essentia, (quæ potissimæ sunt, & de quibus nunc loquitur Aristoteles) maiore certitudine assentimur præmissis, quam conclusioni ex illis deductæ. Vnde vtraque pręmissa eo modo, quo verior dici potest, Semper est verior, Certior, & euidentior. Hæc Thesis est expressa Aristotelis assertio, docet enim hoc capite maiorem fidem, & credulitatem adhibendam esse principijs, quam conclusioni. Sed vero id non solum docet, sed etiam probat assumendo principium illud celebre quod in axioma transit Philosophicum. *Propter quod vnum quod que tale &c.* Do eius verba iuxta Agropilum. *Necesse est* (inquit) *non solum prima illa, vel omnia, vel aliqua prius noscantur. Semper enim illud est tale magis, ob quod vnumquodque tale est, velut i magis id est dilectum, atque à matum, ob quod amamus, atque diligimus. Quare si ob prima scimus, credimus, & illa sanè scimus, ac credimus magis; quoniam ob illa, & ipsa scimus posteriora. Fieri autem non potest, vt ea magis quisquam, quæ nescit, & circa quæ non melius dispositus est, quam si scierit, quam ea, quæ cognoscit, credat, atque assen-*

assentiatur, &c. Sequitur Philosophum D. Thomas 1. Posteriorum cap. 2. lectione sexta, & aliam 1. p. q. 87. artic. 2. ad 3. *Sic igitur* (inquit explicans prædictum axioma.) *Si accipiamus duo, quorũ vtrunque sit per se in ordine obiectorum cognitionis: illud propter quod aliud cognoscitur, erit magis notum, sicut principia conclusionibus*, & alias sæpe.

§. 9. Confirmatur: Præmissæ demonstrationis potissimæ sunt principia seu primæ veritates per se notæ, & conclusio non ita, sed est nota per præmissas, & virtute illarum ipsi assentimur. vt est etiam per se notum. Tum sic: Id habet perfectius formam altero, quod illam habet per se: alio illam habente per aliud. Præmissæ habent certitudinem, & euidentiam per se, & conclusio per illas: ergo præmissæ sunt certiores, euidentioresque conclusione. Minor est perspicua, & maior præterquamquod inductione monstratur in sanitate v. g. quã ideo animal habet perfectius, quam vrina, quia animal habet per se, & vrina per animal, & sic de cæteris: Patet etiã: Nam habere perfectionem independenter ab alio: & habere illam dependenter ab alio in eodem genere, sunt rationes essentialiter inæquales, quarum prima est potior, quam altera: Sed præmissæ habent certitudinem independenter ab alio in eo genere, quo conclusio illa habet dependenter ab ipsis: Ergo in præmissis, & conclusione sunt certitudines essentialiter inæquales, quarum potior est, quæ reperitur in pręmissis, quam ea, quæ est in conclusione: maior est euidens, quæ si negaretur. Nullum esset principium probandi Deum esse perfectiorem, creaturis: minor ostenditur; Nam prima principia, Dignitates, & Positiones nullo habitu acquisito indigent, vt illis assentiamur: Intellectus quippe explicatis dumtaxat terminis, & solo naturali lumine statim ea amplectitur omi firmitate, & constantia: At vero conclusio, vt talis formaliter est notitia deducta ex alia, & in suo conceptu essentiali includit illationem ex principijs? ergo formaliter, & in esse cognitionis dependet ab illis, proindeque certitudo, seu firmitas adhæsionis intellectiuæ potior est in præmissis.

§. 10. Dices cum Aduersarijs Aristotelis pronunciatum, scilicet quod illud *propter quod vnumquodque est tale, est magis tale*, non esse verũ in genere causæ efficientis: hæ enim consequentiæ inualidæ sunt. *Creatura est propter Deum: ergo Deus est magis creatura. Petrus est homo propter Paulum patrem ergo Paulus pater est magis homo: Sortes est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium.* Item non valet in genere causæ formalis, vt *Paries est albus propter albedinem: ergo albedo est magis alba. Homo est propter animam: ergo anima est magis homo.* Similiter in genere causæ materialis verum non est prædictum axioma, vt in his patet. *Cathedra est propter lignum: ergo lignum est magis Cathedra: linea est longa propter suas partes: ergo suæ partes sunt longiores ipsa linea*, &c. Vnde Hurtadus ait, illud solum esse verum in genere causæ finalis: hæc enim est bona consequentia: *Medicina amatur propter salutem: ergo magis amatur salus.* Hurtadum sequuntur Arriaga, atque Ouiedus: Arriaga vero impugnat Hurtadum, eo quod axioma concedat in causa finali, cum eodem iure esset concedendum in præmissis: Nam ideo (inquit) in fine habet locum, quia amor finis mouet me ad amorem mediorum: vnde magis afficio erga finem, quam erga media. Sed etiam assensus præmissarum mouet me ad assensum conclusionis: ergo magis debeo assentiri pręmissis, quam conclusioni. His tamen non obstantibus, dicit, se procedere. *Relicto illo axiomate tanquam impertinente ad propositum.* Hurtadus etiam de ipso ait, *multiplicem continere falsitatem.*

§. 11. O boni Aristotelis interpretes! ille axioma prædictum adducit, vt probet præmissas esse notiores conclusione, assumitque, vt principium omnino irrefragabile, & verum: Isti vero dicunt, illud esse falsum, & non esse ad rem, sed impertinens ad eiusmodi probatum. Quid ergo ad hæc? nos non nisi miramur, sed si viueret Aristoteles, non nisi rideret. Contra primo: Nam si exempla Hurtadi rem euincunt, falsum est etiam, quod prædictum axioma valeat in genere causæ finalis: nam hæ consequentiæ sunt prorsus malę: *Sanguis minuitur propter sanitatem: ergo magis minuitur sanitas. Caro maceratur propter Regnũ Cęlorũ: ergo Regnũ Cœlorũ magis maceretur. Terra effoditur propter thesaurum: ergo magis effoditur Thesaurus. Sortes ambulat propter salutẽ: ergo magis ambulat salus. Qui adhibet media, est solicitus propter finẽ: ergo finis est magis solicitus.* Sic dabo sexcenta in genere causæ finalis: Ergo prædictum axioma vniuersaliter non est verum in genere causæ finalis. Contra secundo. Per vos prædictum axioma est verum in genere causæ finalis; tametsi, non possitis illud verificare in exemplis, à nobis supra exibitis: Ergo tametsi nõ possit, etiam verificari in exemplis Hurtadi, esse potest verum in genere causæ efficientis, formalis, & materialis. Consequentia est valida, non enim vllum aliud profert argumentum Hurtadus, nisi. Exempla, in quibus illud non verificatur: Ast nos etiam multa proferimus, in quibus adhuc secundum genus causæ finalis non verificatur prædictum axioma: Ergo adhuc secundum genus causæ finalis non est verum, vt affirmabas. Vel si in aliquo congruo sensu Aristotelis intellectum est verum in genere causæ finalis, etiam erit verum in omni genere causæ iuxta eundem sensum.

§. 11. Oportet igitur inquirere quomodo intelligendum sit prædictum axioma? Et prætermissis plurimis, varijsque Doctorum, ac interpretum explicationibus, qua Tyronum captum tot conditionibus, totque limitationibus Axiomatis potiùs obruunt, quam iuuant; duas dumtaxat interpretationes, & quidem faciles, huiusque in medium proferemus: quarum prima est Caietani primo posterior cap. 2. §. *Circa Propositionem*. Vbi omnes, & cęteras prędicti Axiomatis glosas ait, *se ad vnam breuem, & verissimam in omni genere causa reducere.* Scilicet quod tunc valet axioma, *quãdo nomen totius effectus accepti reflectitur cum diuersitate supra verè causam.* Ecce tota regula, & breuius tradi non potuit, licet infrà alijs etiam terminis illam explicuerit, aiens, quod illa *Maxima tenet quando est conuenientia inter verè causam, & effectum in nomine totius effectus cum causali reflexi one eiusdem*

supra

supra causam præsupposita necessaria alietate. Rem explico: Dicitur *totius effectus accepti*. Quia propter defectum huius particulæ non valet, *Socrates est homo propter Platonem: ergo Plato est magis homo*. Totus enim effectus hic non est ly *homo*: Sed totum hoc, quod dico: *Est homo*, quod non reflectitur supra causam: Nam illud antecedens est falsum. *Socrates est homo, quia Plato est homo*, & si esset verum, valeret consequentia: *Ergo Plato est magis homo*. Dicitur etiam *reflectitur supra causam*, quia nomen totius effectus debet reflecti per aduerbium causale supra causam, quæ denotatur per ly *propter*, v.g. cum dicimus *Luna est lucida propter Solem*, reflexio fiat sic: *Luna est lucida, quia Sol est lucidus*. & optimè inferes: *Ergo Sol est magis lucidus*, Quæ reflexio est maximè notanda: nam ob eius defectum non valet, *color videtur propter speciem: ergo magis videtur species*: non enim color videtur quia species videtur &c. Dicitur tandem *cum diuersitate*, vt denotetur, non solum alietas inter causam, & effectum: sed etiam diuersitas rei significatæ nomine effectus, debet enim illa esse diuersa in causa, & in effectu; Quapropter non valet, *Homo est risibilis propter animal rationale: ergo animal rationale, est magis risibile*, non enim est diuersa risibilitas in homine, ac in animali rationali: sic explicatum hoc axioma in omni genere causarum valere dicit Caietanus, apponitque exempla. In causa efficiente patet supra in Luna: in finali valet, *Magister amatur propter puerum: ergo magis amatur puer*. In causa formali est exemplum ipsius Aristotelis 7. Metaphys. cum secundum deductionem D. Thomæ ait in textu commenti septimi: *Materia est ens propter formam: ergo forma est magis ens*. In causa materiali valet. *Quantitas est subiectum sequentiũ accidentium propter compositũ: ergo compositum est magis subiectum*: fit enim sic reflexio: Quantitas est subiectum, quia compositũ est subiectum: Ergo compositum est magis subiectum. ita sermo ille.

§. 13. Totam huius regulæ veritatem hausit Caietanus à Diuo Thoma, vt & ipse fatetur aiens, Sanctum Doctorem occultè detigisse hanc glossam, cum absque distinctione dixit: *Quod si causa, & effectus conueniunt in nomine, causa est magis talis, quia causa est potior, quam effectus*. Necesse enim est, quod si conuenientia in nomine inter causam, & effectum modo superius explicato, vt præfatum axioma suum habet robur. Cæterum ego addiderim, etiam ipsum Aristotelem hanc regulam insinuasse, dum clarè sese ipsum circa illud axioma explicuisset in secundo Metaphysicæ Textu quarto, & iuxta diuisionem D. Thomæ lectione secunda, vbi hæc habet: *Nescimus porro verum si nec causa vnumquodque autem maximè tale est præ cæteris, cuius causa, cæteris, & nomine, & ratione idem conuenit, sic ignis caledissimus, quod cæteris caloris causa sit: quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, vt vera sint, causa est*; Hæc ille, quibus apertè docet, id esse maximè verũ, propter quod alia sunt vera, id que fieri quando causa, & effectus conueniunt in nomine effectus, qualiter ignis, & calida conueniũt in nomine calidi. Antiqua translatio, & Cardinalis Bessarion loco eorum verborum. *Cæteris, nomine, & ratione idem conuenit*: legunt sic: *Secundum quod alijs vniuocatio inest*: Sed sensus idem est: nam conuenientia in nomine, & ratione; vniuocatio dicitur: tradit igitur ipsemet Philosophus, effectum debere conuenire nomine, & ratione cum sua causa, quod per reflexionem declarauit Caietanus. Hinc ruunt omnia exempla, quę aduersarij obijciunt. Immo si Caietanum legissent, qui iam pridem ea omnia eneruauit, ac diluit, fortassè recentiores Dialectici nouis alijs argumentis Aristotelicum axioma impugnassent, & non essent contenti vetustis, detritisque exemplulis, vt id auderent,

THEOREMA III.

Altera axiomatis Aristotelici interpretatio, cætera quæ eiusdem sententiæ probationes prę feruntur.

§. 14. Altera pręfati Axiomatis interpretatio est Pauli Veneti docentis, illud non valere in genere causæ materialis, nec formalis neque finalis propter exempla, quæ in his tribus causæ generibus vulgò obijci solent, quorũ nonnulla supra dedimus. Sed verò illud valere ait, solum in genere *Causæ efficientis principalis, cui effectus subordinatur secundum essentiam*. Ecce altera regula adhuc pręcedente breuior. Subordinari secundum essentiam nihil aliud est, quam effectum ita dependere à sua causa, vt remota causa illico effectus etiem remoueatur. Vnde hæc est bona consequtio: *A qua est calida propter ignem: ergo ignis magis calidus est*. Tum quia ignis est principalis causa caloris: Tut etiam quia calor aquæ subordinatur secundum essentiam calori ignis, quia amoto igne, statim euanescit calor in aqua. Cæterum hæc consequentia non valet *Sortes calefit propter motum: ergo magis calefit motus*, eo quod motus non est principalis causa caloris; sed instrumentaria. Rursus; etiam hęc consequentia est nulla *Ignis genitus est calidus propter ignem generantem: ergo ignis generans est magis calidus*. Quia ignis genitus non est effectus essentialiter ordinatus igni generanti, cum possit ille existere in rebus absque igne generante.

§. 15. Aduertit autem Paulus Venetus id, quod prius adnotaret Angelicus Magister hoc capite lectione 6. pro explicatione prædicti axiomatis, nempe prædicatum illud, quod est commune causæ, & effectui: non semper conuenire vtrique formaliter, sed interdum etiam vni eorum virtualiter. Nam calor v.g. tametsi conueniat formaliter igni, & aquæ calenti, at vero Soli conuenit solum virtualiter, quapropter axioma intelligi sic debet; Propter quod vnumquodque est tale, illud est magis tale, vel formaliter, vel virtualiter. Vnde si res sublunaris, est calida propter solem, solerit magis calidus virtualiter: tametsi formaliter calidus non sit, ex quibus nullo negotio omnia soluit argumenta: Habes vnice lector duas regulas, quibus Aristotelem calleas, ac defendas, vtraque est valdè probabilis, & licet secunda breuior sit, ac expeditior, prima tamen Caietani altiora habet fundamenta in Aristotele, ac Diuo Thoma, Firmum sit igi-

igitur, Aristotelem hoc axiomate probasse, præmissas demonstratiuas esse conclusione certiores, eo quod sint causa certitudinis eius, proindeque has consequentias esse omnino necessarias. *Conclusio, cognoscitur propter præmissas*, id est quia præmissę cognoscuntur: *Ergo præmissæ magis cognoscuntur. Conclusio est certa, & euidens propter præmissas*: id est quia pręmissę sunt certæ, & euidens: *ergo præmissæ sunt certiores, ac euidentiores*.

§. 16. Probatur secundò nostra assertio: Ideo non esset maior certitudo pręmissarum, quam conclusionis, quia intellectus non magis, sed ęquè assentiretur conclusioni, ac pręmissis: sed intellectus non æquè assentitur conclusioni, ac præmissis: ergo maior est pręmissarum certitudo. Maior est ipsa definitio certitudinis. Minorem probo: Intellectus assentitur necessario veritati, quam habet perspectam, & sibi est euidens: Tum sic: Si intellectui æque nota, & euidens esset conclusio, quam præmissæ, frustra vteremur principijs veris, ad illam suadendam, & demonstrandam: ergo tota erat de medio tollenda Dialectica, nec disputationes institueremus, neque vlla scientia vtiliter syllogizaret; sed puras statueret conclusiones dumtaxat, quibus citra vllam dubitationem assentimur, sicut, & pręmissis euidentibus, ac per se notis: sed hoc est ridiculum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam. Neganti mihi conclusionem v.g. Scoticam, quæ certa quidem est Scotistis, quęro an illam probarent per principia ęquè certa, vel per certiora? Si per certiora habeo intentum: nempe, quod principia sint certiora conclusione quantumuis certissima. Si per ęque certa? quis dubitet, me illa negaturum, sicuti conclusionem negaui? nihil enim addunt, quod me fortius moueat ad assensum, quam ęquè certa conclusio me mouerat: ergo non poterunt illam demonstrare, nec probare, ac proinde tota cessabit disputatio, quia etiam illa principia à me negata, vel per ęque certa, vel per certiora probabuntur? & rursus redibit factum argumentum.

§. 17. Dices, id tantum contingere posse circa conclusionem probabilem, quæ negari probabiliter potest; non vero circa conclusionem demonstrabilem, & euidentem, seu scientificam, cui tam certò, quam pręmissis adhæret intellectus.

§. 18. Sed contra primo: Quoniam tam pendet conclusio demonstrabilis, & scientifica à præmissis demonstratiuis, & euidentibus, quam conclusio probabilis à probabilibus: atqui conclusio probabilis indiget præmissis probabilioribus, vt probabilis esse ostendatur: ergo & conclusio demonstrabilis, & euidens ob eandem rationem exiget præmissas euidentiores, certioresque. Minor est perspicua, alioqui etiam negarentur pręmissæ, si æque probabiles essent, ac conclusio, quam supponimus negatam.

§. 19. Contra secundo, & confirmatur præcedens argumentum: Superfluerent omnes scientiæ, ac facultates: solo equidem habitu principiorum omnes scientiarum conclusiones capesseremus, quod prorsus falsum esse, nemo non videt. Sequelam probo. Habitus principiorum siue sit ipsemet intellectus, siue virtus aliqua ab illo distincta, ad id muneris deputatus est, vt sine præmissis, sine motiuo vllo, sed solum explicatis terminis faciat nos assentiri principijs euidentibus, vt est *omne totum est maius sua parte*, & multis alijs propositionibus similis veritatis, & euidentiæ: Sed per vos vniuersæ conclusiones demonstrationum scientiarum tam certæ, & euidentes patent intellectui, quam illa propositio *omne totum est maius sua parte*: ergo omnes illas sine habitibus scientificis, & solo naturali lumine, vel solo habitu principiorum calleremus. Maior quoad secundam partem liquet: quia ideo intellectus solo habitu principiorum assentiens huic veritati. *Quodlibet est, vel non est* etiam eodem lumine assentitur huic: *totum est maius sua parte*, quia tam euidens est hæc, quam illa: sed per vos vniuersę scientiarum demonstrabiles conclusiones sunt tam euidentes, quàm prima principia earum: ergo solo lumine naturali, seu habitu principiorum eas omnes sine eiusmodi scientijs perfectè cognosceremus, ac proinde nec diffidium esset, nec vlla de illis disputatio circa illas, quippe quibus tam certo crederemus, quam dignitatibus, & primis principijs, de quibus sicut nemo dubitat, nemo disputat: ergo etiam superflueret cognitio principiorum, non enim deseruiunt ad deriuandam ex illis certitudinem conclusionum, quæ per se, etiam essent notę, ac euidentes sicut principia.

THEOREMA IV.

Argumenta aduersariorum diluuntur.

§. 20. Obijcies primo Aristotelem, qui hoc loco sic ait *Magis enim necesse est credere principijs aut omnibus, aut quibusdam, quam conclusioni*: Ergo non omnes pręmissæ sunt certiores conclusione, sed interdum erunt pręmissæ certitudinis æqualis, siquidem non omnibus assentiendum est magis quàm conclusioni, sed, vel omnibus, vel puibusdam.

§. 21. Respondeo, Sanctum Doctorem huic loco duplicem adhibuisse explicatum: Primus est, quod interdum præmissæ solent esse demonstrabiles, & non esse principia immediata, quare indigent, vt prius probentur; alioqui non erunt magis notę quam conclusio, quousque demonstrentur. Alter est, quod nonnullæ sunt conclusionis ita euidences, vt per sensum, & experientiam perspiciantur, respectu quarum pręmissæ non sunt simpliciter magis notæ; sed solum magis notę via deductionis effectus à causa, vt patet in eclypsi Solis, quæ quamuis à priori demonstretur, per interpositionem Lunæ: at vero oculis manifestior apparet, quam vt probari indigeat. Loquimur ergo de conclusione certa ex vi deductionis illatiuæ: non de ea, quę per accidens potest manifestari ex accessione diuersi luminis. Audi Sanctum Thomam: *Addit autem Aristoteles* (inquit) *aut omnia, aut quædam: quia quędam principia probatione indigent, ad hoc vt sint nota, & antequam probentur, non sunt magis nota, conclusione: Sicut quod Angelus exterior trianguli valeat duos æquales insrinsecos sibi oppositos antequam probetur, ita*

ignotum est, sicut quod triangulus habet tres Angulos æquales duobus rectis. Quædam vero principia sunt, quæ statim posita sunt magis nota conclusione. Ecce prima interpretatio: Accipe alteram: *vel aliter* (inquit) *quædam conclusiones, quæ sunt notissimæ, vt puta per sensum sumptæ, siue acceptæ sunt, sicut quod Sol eclypsetur. Vnde principium, per quod probatur, non est notum magis simpliciter, scilicet quod Lunæ interponatur inter Solem. & terram: licet sit magis notum in via rationis procedentis ex causa in effectum*. Hæc ille.

§. 22. Obijcies secundo argumentum, cui multum fidunt Aduersarij, est Hurtadi, à quo accepere Arriaga. Ouiedus &c. Intellectus assentitur præmissis, & conclusioni eodem motiuo, & causa: ergo tám certus est de præmissis, quàm de conclusione: Consequentia est bona. Probatur antecedens: Idem est duo aliqua, esse eadem vni tertio, ac esse eadem inter se: Sed intellectus in præmissis assentitur, duas res esse eadem vnitertio, scilicet cum medio: & in conclusione, assentitur, eas esse idem inter se: ergo eadem ratione, & causa mouetur ad assentiendum præmissis, ac conclusioni. Minor patet in hoc syllogismo: omne rationale est risibile, Petrus est rationalis: ergo Petrus est risibilis. Ecce medium est *Rationale*, cui vniuntur *Petrus*, atque *risibile* eadem vnione, qua inter se vniuntur: ergo intellectus æque assentitur, aliqua esse eadem vni tertio in præmissis, ac esse eadem inter se in conclusione.

§. 23. Confirmatur *primo*: Obiectum præmissarum est idem cum obiecto conclusionis: ergo tam in præmissis, quam in conclusione habemus assensum æquè certum de eodem obiecto, aliopui idem obiectum esset certius, seipso: quod est impossibile confirmatur *secundo* eo actu est certior, quo plures habet rationes, quibus mouemur ad ejus assensum: sed non sunt plures rationes ad assentiendum præmissis, quam conclusioni: Ergo præmissæ non sunt certiores conclusione. Minor probatur: quia tam species, quam habitus æquè euidenter determinant præmissas, ac conclusionem. Et hoc argumentum dicit Hurtadus, suam sententiam probare à priori.

§. 24. Respondeo, nego antecedens, ad protionem transeat maior de identitate materiali, & reali, & aio, Intellectum solo lumine naturali, & per se assertiri illi principio. *Quæ sunt eadem vnitertio, &c.* quod quidem est regula extrinseca totius artis syllogisticæ, quam sub iis terminis nemo negare potest. At vero in actu exercito dum vnaquæque scientia suas construit Demonstrationes, neque illud principium intrat, aut cōponit intrinsecè vllam demōstrationē, formaliter neque intellectus eo ipso quòd cognoscit connexionem extremorum cū medio, cognoscit etiam connexionem extremorum inter se, quinimmò pro illo priori naturæ, vel temporis, vel rationis (abstraho enim à diuersis opinionibus) in quo assentitur veritati præmissarum; adhuc sibi ignota est formaliter veritas conclusionis deducendę vt infra eleganti Diui Thomæ testimonio probabo. Cæterum tametsi certitudo obiectiua sit vna, eadem, & indiuisibilis in præmissis, ac in conclusione: At vero certitudo formalis, quæ est ipsa adhęsio, siue conceptus adhæsiuus, quo intellectus assentitur præmissis, non identificatur cum firma adhæsione conclusionis, sed potius ab illa tanquam causa ab effectu realiter distinguitur: Et cum intellectus non per se credat firmiter conclusioni, sed per aliud, id est, quia præmissis credidit, firmius adhæret his, quàm illi, maior quæ proinde est earum certitudo iuxta verissimum illud Phylosophi pronunciatum. *Propter quod vnum quodque tale, &c.* Quamuis enim idem sit realiter *omne rationale esse risibile* ac *Petrum esse risibilem*: intellectus tamen non credit, Petrum esse risibilem, nisi quia credidit. *Rationale*, & *Petrum* esse eadem cum tertio *Risibilis* vnde cognoscere, aliqua esse eadem inter se minus certum esse potest, quam cognoscere, ea esse eadem vnitertio, à qua cognitione dependet omnino certitudo conclusionis, vt talis est formaliter.

§. 25. Quod autem cognitis pręmissis, non eo ipso sit formaliter cognita; sed potius ignoretur adhuc conclusio, disertis docuit verbis Angelicus Magister 1.p.q.14.artic.7.vbi probans non posse Deo conuenire discursum *Primo quidem* (inquit) *Quia secundus discursus præsupponit primum: procedentes enim à principijs ad conclusiones, non simul vtrumque considerant. Deinde quia discursus talis, est procedentis de noto ad ignotum: Vnde manifestum est quod quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum: Et sic secundum non cognoscitur in primo sed ex primo*. Hæc ille, quibus habes, certitudinem conclusionis non esse eandem formaliter cum certitudine præmissarum, quandoquidem certo cognitis præmissis adhuc ignoratur conclusio, & hanc non cognosci in præmissis; sed ex illis. Per quod patet ad primam confirmationem.

§. 26. Ad secundam confirmationem Respondeo, rationem illam, quam Hurtadus ait, suam sententiam probare *à priore* potius esse contra ipsum, vt & alij ante me bene intulere: Si enim aliquid probat quidem, conclusionem esse certiorem præmissis, quod ille negat: Habet namque conclusio plura motiua, atque, plures rationes, quibus mouemur ad assentiendum illi, quam præmissis: præter rationes enim, quibus probantur præmissæ, quibus ait, similiter probari etiam conclusionem, habet insuper conclusio ipsas præmissas, quæ illam probent: ergo conclusio est certior illis, quippe quæ est actus habens plures rationes, quibus mouemur ad eius assensum. Nego igitur maiorem intellectus de rationibus, quæ probent, vel demonstrent præmissas. Nam demonstrationes potissimæ, de quibus nunc præcipuè loquitur Aristoteles, constant præmissis per se notis, quæ nullo indigent probatur, sed sola explicatione terminorum vt firmissimè credantur, atque eo ipso, quod nullas habent rationes, quibus probentur, sunt certiores conclusione, quam mille probent rationes. Similiter si maior intelligatur præcisè de determinate-

terminatione habitus, & specierum, etiam nego, ea æque determinare intellectum ad assensum præmissarum, ac conclusionis; non enim illum determinant nisi inæqualiter, & cum dependentia superius indicata.

§. 27. Obijcies tertio hæc propositio *Deus est*, tam certa, & euidens est philosopho, quam sunt effectus naturales; sed hæc conclusio est à posteriori deducta ex effectu tanquam expremissa: ergo conclusio est tam certa, quam præmissæ. Maiorem dicit Hurtadus se supponere ex communi Theologorum 1.p.q.8.

§. 28. Respondeo negando maiorem, quam falsò supponit Hurtadus effectus enim naturales sunt manifestiores, & magis noti nobis, quam Deum existere: Nam hoc quia non est per se notum quoad nos, deducimus ex effectu notiori quoad nos. Audi Sanctum Thomam quæst.citata articulo secundo *Dicendum* (inquit) *quod duplex est demonstratio,vna est per causam, & dicitur propter quid, & hæc est per priora simpliciter; Alia est per effectum, & dicitur demonstratio quia. Et hæc est per ea, quæ sunt priora quoad nos.Cum enim effectus aliquis nobis est manifestior, quam sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ. Ex quolibet autem effectu potest demonstrari, propriam causam eius esse, si tamen effectus eius sint magis noti quoad nos; Quia cum effectus dependeat à causa, posito effectu necesse est, causam præexistere. Vnde Deum esse secundum quod non est per se notum quoad nos, demonstrabile est per effectus nobis notos.* Hactenus ille. Prome quæso illa verba: *ex quolibet effectu potest demonstrari propriam causam eius esse, si tamen effectus eius sint magis noti quoad nos.*

§. 29. Obijcies quarto: Hæc propositio *Christus est risibilis* est æque certa, quam hæc *Homo est risibilis* est,enim conclusio Theologica tam certa, quam principium naturale, quod nullus Theologus negat, quin potius multi dicunt, esse certiores; sed illa est conclusio deducta ex hoc syllogismo, & principio *Homo est risibilis*; ergo conclusio non est minus certa, suo principio.

§. 30. Respondeo. Nego maiorem, & miror Hurtadum velle nobis persuadere, hanc conclusionem; *Ergo Christus est risibilis* vt deductam ex solo illo principio naturali *omnis homo est risibilis* esse Theologicam,quod nullus mortalium probabit; reuera tamen Theologica est, quia deducitur etiam ex alia præmissa de fide, quam subiicuit Hurtadus, nempè ex hac minore: *Sed Christus est homo; ergo &c.* Est igitur illa conclusio minus certa, quam vtraque præmissa: Et hoc nota pro omni syllogismo Theologico. Nam quando ambæ præmissæ sunt de Fide; conclusio minime illas æquat in certitudine,quippe quæ nunquam est de fide immediatè; sed tantum mediatè, & materialiter, vt supra monui, habet enim pro ratione formali assentiendi rationem deductionis: At propositio de fide habet pro ratione formali assentiendi reuelationem Diuinam, firmiusque intellectus adhæret præmissis reuelatis, quam conclusionibus, quas ipse colligit, scilicet ob fortius motiuum assentiendi, sicuti plus ipse crederes Angelo dicenti *cras pluet* quam Astronomo id coniectanti.

§. 31. Quod si vna præmissarum est naturalis, & euidens, & altera est de fide. Conclusio neque erit æque certa ac præmissa de fide, eo quod iam non sit ipsa de fide, vt modo diximus sed Theologica; neque erit euidens vt præmissa naturalis. Ratio præsto est: Quia præmissæ non causant assensum conclusionis vt seorsim separatæ: sed prout ambæ vniuntur in medio, ex qua vnione constituitur integrum motiuum assentiendi. Cæterum (vt communiter docent Thomistæ) nequit præmissa naturalis euidens trahere propositionem reuelatam, cum qua coniungitur ad constituendum medium euidens, vt per se patet: sed potius è contra propositio reuelata trahit principium naturaliter euidens ad constituendum medium, & motiuum ineuidens, ac reuelatum, vnde propositio de fide debilitat, seu obscurat euidentiam principij naturalis, & principium naturale euidens temperat, seu minuit certitudinem propositionis de fide: Et cum conclusio sequatur debiliorem partem præmissarum (vt fert vulgare Dialecticorum proloquium) semper euadit minus certa, & minus euidens, quam præmissæ, quarum vna est certa de fide, & altera euidens naturaliter.

§. 32. Obijcies quinto: Syllogismum, quo Arriaga confirmat primum, & principale argumentum quod §.22. proposuimus. *Deus est summa veritas; sed Deus reuelauit, se esse summam veritatem: ergo est summa veritas.* Ecce (inquit) in hoc syllogismo non habeo maiorem certitudinem de vtraque præmissa, quam de conclusione; Ergo &c.

§. 33. Respondeo. Hunc, quæ dicit Arriaga esse syllogismum de fide, eo ipso quod syllogismus esset, non posse esse de fide. Porrò ille neque syllogismus quidem est in forma,aut figura: & miror sanè, hunc scriptorem breui linearum interuallo fuisse oblitum sui principij *Quæ sunt eadem vni tertio &c.* vi cuius dicebat,præmissas esse, æquæ certitudinis cum conclusione: Namque in hoc,quem vocat syllogismum nullatenus video tale principium constitui, aut vim vllam habere: iubendus est igitur Arriaga, vt hanc argumentationem ad formam reducat, & ad primam figuram,quæ ex Aristotele omnium aptissima est ad demonstrationes scientificas construendos, de quibus nunc ille loquitur. Audi ipsum primo posterior cap. 11. *Figurarum autem* (inquit) *faciens scire maximè prima est, mathematica enim scientiarum per hanc demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, &c.* seu vt legit Caietanus: *Figurarum maximè scientialis est prima*, apud Argyropilum sic lego *Prima autem ratiocinationis figura maximè ad scientiam ipsam accomodatur, &c.* Addit insuper in media, id est secunda figura non posse fieri demonstrationem *propter quid*, loquimur ergo cum Aristotele de demonstrationibus, id est syllogismis scientificis sua forma, & debita figura constantibus; non de eiusmodi discursibus anormibus, qui potius monstra quædam sunt artis syllogisticæ.

§. 34. Obijcies sexto: Actus fidei creditur propter reuelationem, sed reuelatio non est magis certa, quam actus fidei: quia assensus fidei

non

non patiuntur magis, & minus incertitudine: ergo saltem in actibus de fide non valet illud axioma *Propter quod vnum quodque tale*, non enim est certius, Deum reuelasse mysterium Trinitatis, quam, quod Deus sit trinus, & vnus.

§. 35. Respondeo, hanc obiectionem sola consideratione regulæ Caietanicæ prorsus euanescere, nam Mysterium non habet distinctam certitudinem, quam reuelatio, debet enim dari diuersitas rei significatæ in causa, & in effectum, vt prædictum axioma verificetur.

§. 36. Objicies septimo: Causa producit æqualem, & similem sibi effectum, sed certitudo præmissarum est causa certitudinis conclusionis, ergo illam sibi æqualem, similembue producit. Respondeo maiorem esse veram de causa vniuoca, falsam vero de æquiuoca, qualis est præmissarum assensus, quæ sunt distinctæ speciei, sicut Iudicium, & discursus specie differunt.

§. 37. Objices tandem septimo. In hoc syllogismo. *Homo quæ video currere, currit: sed Petrum video currere: ergo Petrus currit* eadem euidentia attingo præmissas, ac conclusionem, siquidem oculis cerno obiectum tam præmissarum, quam conclusionis.

§. 38. Respondeo: prædictum syllogismum esse in materia contingente: demonstratio autem ex Aristotele debet esse *sempiternorum*, & constare *necessarijs &c.* nec illa præmissarum euidentia est Metaphysica: quia potest Deus relicta specie apparente cursus Petri, Petrum destruere, & tunc falsum subesse intellectui: Vnde nego eiusmodi syllogismum constare præmissis per se notis, & euidentibus, quod omnino exigitur ad demonstrationem, de qua nunc cum Aristotele sermonem instituimus.

DISSERTATIO LXIII.

Qualis nam sit diuisio demonstrationis in propter quid, & quia? & vltra scientiam generet?

§. 1. SOlet inquiri, an ex corruptibilibus, & contingentibus possit etiam componi demonstratio? atque id videtur negari non posse. Quia hic syllogismus *omne viuens currens calefit, Petrus est viuens currens: ergo calefit*, non est topicus, neque sophisticus: ergo demonstratiuus ac proinde præter demonstrationem *propter quid, & quia* alia etiam datur, quæ Aristotelis diuisionem subterfugerat.

§. 2. Quinimmò Arriaga sugillat Peripateticos, & quæstionem facere de nomine ait, dum nolunt dare hoc nomen *Demonstratio* nisi ei syllogismo, qui propositiones habeat necessarias, & in hoc errant (inquit ille). Quia Dei existentia demonstratur ex creaturis, & tamen harum existentia non est necessaria. Item demonstratur, hominem esse discursiuum, & sensitiuum ex actuali discursu, & sensatione, quæ tamen non existunt necessariò. Quod si quæstionem non faciant de nomine, grauiùs errant (pergit ille) quia negari nequit, illum syllogismum esse certum, & euidentem, non fallacem, aut topicum: ergo euidens syllogismus (vocetur demonstratio, vel non) nullatenus requirit propositiones necessarias.

§. 3. Verum enim verò potiùs Arriaga quæstionem facit de nomine, dum vult omnem syllogismum certum, & euidentem debere esse demonstrationem, cum syllogismum certus, & euidens latiùs pateat, quàm demonstratio. Sicut qui vellet, omne viuens sensibile gressiuum esse hominem, & diceret esse de nomine quæstionem vocare hominem illud animal tantum, quod etiam esset rationale; cum etiam leo esset perfectissimum, viuens sensibile gressiuum, vocetur, vel non vocetur homo. Et si quis responderet, hominem debere hoc ampliùs habere etiam supra viuens sensibile, scilicet esse rationale, non quidem de nomine certaret, sed potiùs de essentia, quia supra gradum genericum, & communem exigebat differentiam essentialem. Ita quidem qui præter rationem communem syllogismi certi, & euidentis, exigit, quod procedat conclusio ex principijs necessarijs, non facit quæstionem de nomine, sed exigit differentiam essentialem constitutiuam demonstrationis *propter quid*, id est generantis scientiam. Porrò Aristoteles hoc 1. libro cap. 6. non solum docuit apertissimè, demonstrationem confici debere ex principijs necessarijs; sed id etiam septem probauit argumentis, quæ vellem explicaret, & solueret Arriaga. Nemo igitur sanæ mentis, Aristotelem fecisse de nomine quæstionem crediderit.

§. 4. Cæterum (vt supra notauimus) euidentia sicut, & certitudo triplex est. Physica, Metaphysica, & Moralis, quarum Physica (sicut & Moralis) non est omninò infallibilis, cum solum innitatur causis extrinsecis, & physicis, signisuè naturalibus, proindèque ipsis falsum sub esse potest, vt insinuaui Dissertat. præcedenti § vltimo. Nam præter quam quod sensus decipi possunt, potest Deus relicta specie cursus Petri, Petrum destruere, & tunc falsò affirmaretur minor illius syllogismi *Omne currens mouetur, Petrus currit: ergo mouetur*, igitur eiusmodi euidentia non habet infallibilitatem sufficientem ad constructionem demonstrationis.

§. 5. Ratio est manifesta. Nam demonstratio essentialiter constituitur per esse causam scientiæ, nec hoc est solum nomen; sed ratio, & quidditas illius, atqui scire non solum est rem certò, & euidenter cognoscere, sed insuper cognoscere, rem non posse aliter se habere: ergo syllogismus, cuius præmissæ aliter se habere possunt absolute, (saltem diuinitùs) nequit esse causa scientiæ, id est cognitionis rei, quam intellectus certò iudicet, impossibile esse aliter se habere. Vndè facilè reijcies argumẽtationes Arriagæ. Nam existentia Dei non demonstratur ex creaturis demonstratione *propter quid*, sed demonstratione *quia*, vt supra docuit D. Thomas laudatus Dissertatione præcedenti §. 28. quam nec Aristoteles constare docuit præmissis necessarijs, nec in sua definitione voluit comprehendere, vt supra cum communi Dialecticorum agmine notauimus Dissertat. 60. § 6. Insuper falsò, gratisque dicit ille. Discursiuum in Homi-

ne demonstrari ex actuali discursu, petitque principium, dum omnem probationem vocat demonstrationem neglecta, vel non intellecta doctrina Aristotelis de demonstratione. Non enim omnis probans veram conclusionem ex præmissis veris, eo ipso est demonstrator, sed est probator dumtaxat, & Dialecticus, demonstrator quippè est qui ex necessarijs concludit, ita vt si ex veris dumtaxat, & euidentibus concludit minimè sit demonstrator. Dices hoc ipsum esse quæstionem facere de nomine. Dico, te ignauiter errare contra Aristotelem, audi illum quæso: *Etenim fit* (inquit dicto cap.6.) *vt etiam non demonstrans ratiocinetur ex veris. At aut ex necessarijs quispiam nisi demonstrans ratiocinationem conficiat, non fit. Id enim ipsum iam demonstrationis proprium est, &c.*

§. 6. Syllogismo autem illi, quo probatur, *Petrum moueri* eo quod *omne currens mouetur* cum ferè nulla particula totius definitionis Aristotelicæ conueniat, nescio, quo iure demonstrationis ratio debeat conuenire, maximè quando in præmissis nullatenus importatur causa conclusionis, ex cuius defectu adhuc etiam syllogismi in materia necessaria, & essentiali compacti deficiunt à ratione demonstrationis, vt hic: *Omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*, in quo concluditur, hominem esse substantiam ex eo quòd sit animal, tanquam per attributum essentiale, at verò certò certiùs est, inter attributa essentialia superiora, & inferiora nullam dari rationem causæ, & effectus. Oportet igitur præter hoc quod est constare præmissis necessarijs, quod illæ contineant etiam causam conclusionis, vt in hoc syllogismo; *Omne animal particeps rationis est capax disciplinæ, omnis homo est animal particeps rationis: ergo omnis homo est capax disciplinæ*, qui planè continet causam, ob quam homo est capax disciplinæ. Hinc apparet, quod etiamsi Arriagæ syllogismus constaret præmissis necessarijs, & non contingentibus, & per accidens, adhuc tamen demonstratio non esset. Quia hæc præmissa *Omne quod currit mouetur* non continet causam ob quam Petrus moueatur, motus enim, & cursus tantum se habent, vt ratio superior, & inferior. Similiter in altero priore syllogismo *Omne viuens currens calesit, Petrus est viuens currens: ergo Petrus calesit*. Vtraque præmissa est contingens, & cursus est causa per accidens caloris, qui quidem à sexcentis alijs causis prouenire potest. Pertinent igitur huiusmodi syllogismi ad topicos, tum quia eisdem vtitur Dialecticus perindè ac probabilibus, vt obseruat Alexander 1. Topicorum cap.1. apud Masium 1. Posteriorem sect. vnica ad cap.6. quæst.4. tum etiam quia reuera coalescunt præmissis, quibus absolutè falsum subesse potest.

§. 7. Nihilominùs admittuntur communiter à nostratibus demonstrationes quędam Physicæ, & Astronomicæ, quas de contingentibus conficimus, non tamen secundum connexionem contingentem, sed secundum necessariam quam ex causis non impedibilibus habent, quales sunt, quibus demonstratur, actualis eclypsis, seu deliquium Lunæ, vel Solis; motus Cæli, quies Terræ, &c. quas dissimulare noluit Aristoteles dum cap. 7. sic ait: *Patet etiam, demonstrationes, atque scientiàs eorum, quæ sæpe fiunt, vt Lunæ defectiones, & huiuscemodi rerum, quo quidem sunt tales, hoc esse semper, quo vero non sunt semper, hoc esse particulares.*

§. 8. Ex quibus contra doctrinam superiùs datam colligi potest, non omnem conclusionem demonstrationis necessariam esse, neque ex principijs necessarijs, atque sempiternis deduci. Et sic obijcies. Ideò Eclypsis Lunæ, seu hæc propositio *Luna eclypsatur* esset necessaria, quia etiamsi non semper ipsi conueniat eclypsis, tamen relata ad suam causam est naturaliter necessaria, etenim data interpositione Terræ inter Solem, & Lunam, semper, & necessariò sequitur defectio Lunæ, atqui etiam causa est contingens, quia non semper interponitur Terra: ergo etiam effectus est contingens, & non necessarius absolutè; sed solum ex suppositione. Nec valet si dicas, interpositionem Terræ esse necessariam quandocumque eiusmodi luminaria constituuntur in capite, & in cauda Draconis. Nam contra est, quod etiam est contingens, & accidentale, quod luminaria constituantur in eiusmodi situ capitis, & caudæ Draconis: ergo hæc propositio *Luna deficit* seu (vt loquuntur) *Luna eclypsatur* non est demonstrabilis, quippè quæ necessaria non est, & à principijs deducitur contingentibus, vel fatendum est, ex contingentibus etiam coalescere posse demonstrationem.

§. 9. Confirmatur, & simul vires resumit argumentum Vasquezij, Arriagæ, & aliorum putantium, ex contingentibus demonstrationem confici posse. Nam si sat est necessitas ex suppositione. Etiamsi Petrus v.g. contingenter currat, tamen ex suppositione necessariò currit: *Quia omne, quod est, dum est, necessè est*. Et ratio est (inquit Arriaga.) Quia scientia innixa obiecto, vt existendi tam infallibilis est, & certa, etiamsi obiectum in se sit contingens, quàm quæ agit de obiecto in se necessario.

§. 10. At Thomistæ Doctorem communiter occurrunt aientem, illam propositionem *Luna siue Sol eclysatur*, actu hac die, hac hora, &c. esse necessariam, & demonstrabilem, quia procedit ex principijs necessarijs, & præmissis per se perseitate causæ, quam Aristoteles quarto loco numerauit, quales sunt hæ propositiones *Ædificator ædificat Musicus canit* quas (vt optimè Rubius adnotauit) non debemus accipere per se in ratione prædicabilitatis, sic enim nulla erit per se, sed per accidens, vt patet in prædictis propositionibus, quæ sunt accidentales, & quinti Prædicabilis, cum Musicus contingenter canat, & ædificator non ædificat essentialiter, aut necessario, &c. Sed debent illæ accipi per se in ratione causandi. Quia effectus prædicatur per se de sua causa per se etiam talem effectum causante. Vndè interpositio Terræ, & situs Astrorum connectuntur perseitate quarto modo dicendi per se cum eclypsi Lunæ, inducendo nec-

cel-

cessitatem eiusmodi effectus. Nec confirmatio petita ex necessitate, quam res contingentes habent ex suppositione, rem euincit. Nam etiamsi millies supponas, Hominem coniungi cum albedine, non erit necessaria, nec demonstrabilis hæc propositio *Homo est dysgregatiuus visus*. Quia eiusmodi coniunctio nec physicè, nec metaphysicè est necessaria, nec *per se* vllo modo perseitatis, possuntque eius causæ naturaliter impediri semper, sicut & causa cursus Petri, quibus prælibatis faciliùs intelliges Doctorem Angelicum, qui supra proxime citatis Aristotelis locis interpretans lect. 16. præsentem difficultatem, his verbis enodauit: *Quædam autem* (inquit) *non sunt semper secundum tempus, sunt autem semper per comparationem ad causam, quia nunquam deficit, quod posita tali causa, sit talis effectus. Nunquam enim deficit, quin semper sit Lunæ eclypsis, quandocumque Terra diametraliter ponitur inter Solem, & Lunam. In quibusdam vero contingit, quod non semper sunt, etiam per comparationem ad causam, quia causæ impediri possunt, non enim semper ex semine hominis generatur homo duas manus habens; sed quandoque, fit deffectus, vt propter impedimentum causæ, vel materiæ.* Hæc ille. Distinguere ergo ly *semper* secundum tempus à *semper* incomparatione ad causam *per se*. Quibus ita priùs discussis.

§. 11. Dicendum est, demonstrationis diuisionem in *quia*, & *propter quid* esse adæquatam. Earum definitiones supra exibui Dissertat. 60. §. 5. Ratio est, quia demonstratio *propter quid* non solum monstrat rem esse, id est passionem conuenire subiecto, sed etiam causam, propter quam illi conuenit, demonstratio vero *quia* in tota eius latitudine, & vt in præsentiarum sumitur ab Aristotele solum monstrat rem esse, id est passionem subiecto conuenire, omninò tamen reticet propter quid illi conueniat. Vndè hoc sensu nulla est excogitabilis demonstratio, quæ in prædicta, non recidat. Omnis enim demonstratio, vel respondebit quæstioni, An sit? & sic erit *quia*, vel respondebit quæstioni *propter quid* sit res? & sic erit demonstratio, quam vocamus *propter quid*, etenim huiusmodi descriptiones includunt rationes contradictoriè oppositas, vt sunt *monstrat causam, non monstrat causam* inter quas nullum est assignabile medium: ergo diuisio in eiusmodi demonstrationes adæquata est.

§. 12. Hinc facilè dilues obiectiones, quæ vulgò fieri hic solent, vt quando aliquid demonstratur, ex signo infallibili, quod quidem non sit causa, neque effectus conclusionis demonstratæ, hæc quidem demonstratio ad neutram huius diuisionis pertinebit: ergo. Item hic syllogimus: *Omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*, est rigurosa demonstratio, & tamen animal neque est causa, neque effectus substantiæ: ergo neque est demonstratio *propter quid*, neque *quia*: Ergo. Ad omnes enim huiusmodi ratiocinationes, in quibus solum concluditur à tributum subiecto conuenire reticendo causam, propter quam illi conueniat, siue procedat per effectum, siue per causam remotam, siue quouis alio modo dicendum est, eas ad demonstrationem *quia* pertinere. Et quoniam nonnullæ demonstrationes negatiuæ, qualis est etiam, quæ ducit ad impossibile non rarò etiam ostendant causam negationis, & cur res ad impossibile deducenda sit, eas inter demonstrationes propter quid adnumerabis.

§. 13. Cæterum quia latius patet demonstrare à priori, quam demonstrare *propter quid*, vt etiam citata Dissertat. 60. adnotauimus, omnis namque demonstratio propter quid est *à priori*, non vero è contra, cum etiam demonstratio *quia* possit fieri *à priori*, quando scilicet conclusionem probat ex causa remota, non abs re inquires, quid, & quotuplex sit causa remota? Dico, causam remotam, vt ex Aristotele explicat sapientissimus Mag. Sotus esse eam, quæ alia mediante causat, est triplex. Primò modo est quando illa conuertitur cum suo effectu, media tamen propinquiore causa. Talis est *rationale*, respectu *risiui*, quia inter rationale, & risiuum mediat *admiratiuum*, quod propinquior causa est *risiui*. Et positio luminarium in capite, vel cauda Draconis est causa remota eclypsis Lunæ, nam proxima est interpositio Terræ, valet tamen optimè consequentia tam affirmatiuè, quàm negatiuè ex huiusmodi causa remota ad effectum, & è contra. Secundò est quando ex opposito extremo causa nec infert effectum, nec ab effectu infertur, vt est habere pulsum incitatum, quod nec febrim infert, cum etiam in currente pulsus etiam conciteiur, citrà febrim, nec febris infert pulsum concitatum, cum in moribundo non sit concitatus. Addit Aristoteles exemplum in apophthegmate Anachar sidis Schythæ, qui Athænis conuiuio exceptus cum fœminæ tibijs canerent, atque adnumeros saltarent, interrogatus, an in Scythia eiusmodi essent modulatrices? respondit, neque quidem esse vites. Facetè taxauit ebrietatem illarum; sed non reddidit, nisi causam saltationis valdè remotam. (Aristoteles has mulieres Grçco vocabulo *Auletrides*, nuncupat, Boethius vertit *sibilatores*; sed longè meliùs germaniusque transtulit Argyropilus *Modulatrices*). Sed vero causa proxima saltandi erat hilaritas, & lætitia, causa lætitiæ vinum, causa vini vites, etsi negatiuè procedatur, non esse vites, non est causa proxima non saltandi; sed est causa, vt non sit vinum exhilarans, easque subindè saltare faciens, in quo genere causæ sic fiet demonstratio: *Vbi sunt auletrides sunt vites; sed in Scythia non sunt vites: ergo in Scythia non sunt auletrides*, & est demonstratio *quia* à priori per causam remotam, vites enim non sunt causa, vt sint *auletrides*, nam eiusmodi mulieres etiam saltarent, vbi non sunt vites, vel ex alia causa lætitiæ, vel quia aliundè deferretur vinum in Scythiam. Tertiò modo dicitur causa remota quando est ratio superior, & latiùs patens, quàm effectus, & dicitur causa mediata mediatione prædicationis, infertur affirmatiuè ex effectu, non tamen infert effectum affir-

affirmatiuè; sed tantum negatiuè infert negationem effectus, vt in exemplo Aristoteles *omne quod respirat est animal*; *sed lapis non respirat: ergo lapis non est animal*, affirmatiuè non valet: *Est animal ergo respirat*, nam pisces non respirant, quinimmò respirare non est effectus naturæ sensitiuæ cum causa proxima respirandi non sit esse animal; sed habere pulmonem, & sanguinem.

§. 14. Inquires item. An diuisio demonstrationis, vt sic sic vniuoca? quod perindè est, ac quærere; an demonstratio propter quid, & demonstratio *quia* sint simpliciter demonstrationes? Ratio dubitandi est, quoniam demonstratio *quia*, non facit scire, cum scire sit rem per suam causam cognoscere, Mag. Sotus censet, quod forsan hæc est quæstio de nomine, nam certum est omninò, quod si demonstratio est solum syllogismus, qui facit simpliciter scire, demonstratio *quia* non erit demonstratio simpliciter, cum rem non ostendat per suam causam. Vndè si possit dici, quod ad rationem demonstrationis simpliciter satis est, quod procedat, *ex necessarijs, & per se, & ex causis*, quæ licet non sint causæ in essendo, sunt tamen causæ in cognoscendo, de nomine disputandum non est, nec Mag. Sotus vllatenus fauet Arriagæ putanti, non facere de nomine quæstionem, dum negamus illos syllogismos in materia contingente confectos esse demonstrationes. Nam Sotus loquitur de syllogismis, quos vniuersa Dialectica vocat demonstrationes *quia*, & qui constant præmissis necessarijs, & per se, &c. Quod si consectaneam iterum facias quæstionem. Vtrum etiam demonstratio *quia* generet scientiam? an vero id competat solum demonstrationi *propter quid*? Dico, vtrumque probabiliter tueri posse. Quoniam dum pro Aristotele sic discurritur: *Scire est rem per suam causam cognoscere*, atqui demonstratio *quia*, non facit rem per suam causam cognoscere: ergo demonstratio *quia*, non facit scire. Contrarium opinantes distinguunt maiorem. Scire *à priori* concedunt, scire *à posteriori* negant, dicuntque subindè, Aristotelem loqui de scientia à priori, & sic deffendunt vtramque demonstrationem generare scientiam.

§. 15. Sed occurrunt Complutenses, aliique Thomistæ probantes, Scientiam demonstrationis *quia* esse imperfectam, & non pertingere ad rationem habitus; sed solum esse scientiam per modum dispositionis. Vndè facilè deducunt, diuisionem hanc potiùs esse analogam in membra analogata, quam vniuocam. Iam verò contrariam opinionem tenentes fatentur, scientiam demonstrationis *quia* esse quidem valdè imperfectam, hanc tamen imperfectionem prouenire dicunt, à ratione differentiali, non à communi conceptu scientiæ, vt sic, quod ad Analogicam exigebatur. Nam etiam lacerta v.g. & ostrea sunt imperfectissima animalia in comparatione hominis, & tamen cum ipso vniuocè conueniunt in ratione animalis. Sic Mag. Parra cum alijs Thomistis, quos ipse laudat Tract. vltimo, dubio 7. §. 2. Nos tamen Complutensibus libenter subscribimus, qui magis consonè, & iuxta doctrinam Aristotelis procedunt, vt enim Mag. Sotus notauit, hoc est omninò certum, quod definitio demonstrationis tradita cap. 2. solum conuenit demonstrationi *propter quid*, proptereàque dixit Aristoteles, quod si alius est modus sciendi, postea videbitur, subindicans, aliud esse scire *quia*.

DISSERTATIO LXIV.

De Scientia, quæ est effectus demonstrationis, quid sit, & an rectè ab Aristotele definiatur?

§. 1. EXplicatis his, quæ ad essentiam demonstrationis cognoscendam videbantur attinere, reliquum est, vt de eius effectu, scilicet Scientia, disseramus nonnulla, in ordine enim ad illam Aristoteles, sermonem de demonstratione instituerat, nec tamen animus est omnia persequi, quæ alij de scientia solent hoc loci congerere, quæ potiùs à Metaphysicis iure meritò solent disputari, vt de simplicitate, & vnitate Scientiarum, de Subalternatione, & obiecto earum in communi, quoniam implexa sunt valdè, & ob sui difficultatem tyronis Dialectici captum exuperant, ideò commodiùs illa agitant Metaphysici, vt M.M. Soncinas, Flandrensis, Arauxo, Iauellus, & D.D. Fonseca, Suarez, &c. videndi tamen Dialectici, vt M. Masius PP. Carmelitani, Ioan. à S. Thoma, Ortizius, &c. & quod caput est, etiam Theologi, qui de hac re sermonem instituunt, vt M.M. Albelda, Nazarius, Bañesius, Zumel, & alij, ad primæ partis, quæstionisque primæ, articulum secundum. Obserua tamen, nos non loqui de Scientia prout in tota suæ significationis amplitudine solet vsurpari, vt sumit illam Augustinus lib. 1. de libero arbitrio, id est pro qualibet certa, & infallibili notitia. Sic enim Scientiam ambit Diuinam, Angelicam, Propheticam, Interpretatiuam, habitum primorum principiorum, &c. Sermo est de discursiua, quæ de principiis certissimis aliquid deducit, quæ demonstrationis genuinus effectus est.

§. 2. Hanc sic definit Aristoteles Posterior. lib. 1. cap. 2. *Scire est causam ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter sese habeat cognoscere*, quæ sic clariùs efferri solet. Scire est rem cognoscere per suam causam, cognoscendo illam esse eius causam, & quod non potest aliter contingere. Dico primo, definitionem hanc esse rectè traditam, ly *rem cognoscere* ponitur loco generis in quo scire conuenit cum omnibus certis cognitionibus, qualis est notitia primorum principiorum, &c. & per ly *per suam causam* differt ab ipsa cognitione principiorum, quæ non monstrat eorum causas, cum nullas habeant, & à Fide, quæ rem non cognoscit per causas, sed per attestantis authoritatem. Differt etiam per ly *Et fieri non posse, vt res aliter se habeat* ab opinione, in qua licet cognoscamus conclusionem topicam per suas causas topicas, & probabiles, non tamen per necessarias, & indefectibiles. Nam in obiectis non necessa-

rijs, res quidem aliter contingere potest. Subindèque sufficienter discriminatur à Sophismate, seu fallaci Syllogismo, nam per eiusmodi voces significatur, Scientiam agere de necessarijs, æternis, & incorruptibilibus, quod nec Syllogismo sophistico, nec topico conuenit essentialiter.

§. 3. Iam verò Scientia latè sumpta (si certa sit sententia eorum, qui per demonstrationem *quia* scientiam strictè, propriéque generari putant) diuiditur in scientiam *quia*, & scientiam *propter quid*, illa est, quæ per demonstrationem, *quia* tenetur, hæc, quæ adquiritur per demonstrationem *propter quid*. Sed vt supra monui, hæc sola explicatur per definitionem Aristotelis, estque perfectior, & per Antonomasique scientia dicenda, non enim scientiæ *quia* competit rem per causam cognoscere, nisi per remotam, vt retrò explicuimus.

§.4. Dico secundò. Hæc scientię definitio nō solum actuali scientiæ conuenit, sed etiam habituali. Diuiditur namque in actualem, & habitualem. Actualis scientia est ipse discursus, quo rem certò, ac euidenter, per sua principia necessaria, & causas cognoscimus. Habitualis est habitus ille, quem per demonstrationem acquirimus, reddimurque faciles, aptioresque, vt conclusionem actu demonstremus. Ratio asserti est facilis. Nam definitio Aristotelis facilè potest vtrique scientiæ adaptari. Definitur communiter habitus scientificus à Doctoribus sic: *Habitus per Demonstrationem acquisitum*.

§. 5. Obijcies. Nam Scientia si debeat esse cognitio effectus per suas causas erit cognitio ignoti per ignotius: ergo non erit cognitio certa nec euidens. Antecedens probatur, nam causæ sunt nobis magis ignotæ, quam effectus.

§. 6. Respondeo. Nego antecedens, & ad probationem dico, effectus solum quoad nos esse notiores, at causæ si sunt principia demonstrationis sola terminorum apprehensione parere intellectu clarissimè.

§. 7. Obijcies item. Nam si scire habitualiter, definitur per demonstrationem, cum dicitur *Habitus acquisitus per demonstrationem*. Et rursus demonstratio definitur per Scientiam, circulus committitur vitiosus, dicitur enim, quod demonstratio est Syllogismus faciens scire.

§. 8. Respondeo. Eiuscemodi circulum non esse vitiosum quia non fit in eodem genere causæ; sed in diuerso. Scientia quippè definitur per demonstrationem, tanquam per causam efficientem, at verò demonstratio definitur per scientiam tanquam per causam finalem. Cæterùm demonstratio per secundam Aristotelis definitionem explicata, cum suis conditionibus, iam facta est, quoad nos satis nota sine ordine ad scientiam, proindèque sine circulo aptè possumus scientiam per demonstrationem explicare, vt benè obseruarunt PP. Carmelitani, à quibus accepit Mag. Ioan. à Sancto Thoma.

DISSERTATIO LXV.

An certitudo, & euidentia sint, de essentiali conceptu scientiæ?

THEOREMA I.

Nonnullis notatis Thomistica sententia proponitur, & fulcitur.

§. 1. HAc de re fusiùs Theologi. Faciliora Tyroni propinamus. Nota primo, Scientiam dici subalternatam, & subalternantem. Scientia subalternans (pro nunc rudi Minerua) est illa, quæ continet sub suo obiecto, obiectum alterius inferioris scientiæ, quæ eo ipso dicitur subalternata (de quibus videndi Caietanus, & Mag. Masius, quem sequuntur Complutenses Carmelitæ.) Sic Arithmetica dicitur scientia subalternans, & Musica scientia subalternata respectu ipsius, quia obiectum Musicæ scilicet *Numerus sonorus* continetur sub obiecto Arithmeticæ, quod est *Numerus* in communi. Similiter Perspectiua, quæ agit de linea visuali, subalternatur Geometriæ, quæ de omni linea agit. Vndè necessum est, quod scientia subalternans agat de principijs scientiæ subalternatæ, & scientia subalternata non possit suas demonstrationes in prima vsque principia resoluere, nisi adiuta lumine subalternantis scientiæ. Vtrum autem nostra Theologia sit scientia subalternata scientiæ Beatorum, vt docet D.Thomas 1.par. quæst.1. artic.2. nostra non interest, sed Theologorum, videndus tamen interim Mag. Ioan. à S. Tho. hoc loci quæst. 26. articulo 2. Cæterum hoc valdè notandum apud Angelicum Doctorem, quòd Theologiam comparat Musicæ, & Fidem Arithmeticæ, quia ex principijs creditis fide procedit Theologia ad conclusiones scientificas, sicut Musica ex principijs creditis, & ab Arithmetica acceptis: *Vndè* (inquit) *sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetica, ita Doctrina Sacra credit principia reuelata sibi à Deo*.

§. 2. Nota item, ex definitione, quam in concreto tradidit Aristoteles, communiter hanc colligi à Doctoribus in abstracto: *Scientia est cognitio vera, & certa rei necessariæ per suam causam*, quæ proportionaliter etiam aptari potest habitui scientifico, potest haberi perfectè, vel imperfectè. Tunc habetur perfectè, quando demonstrans ad prima vsque principia conclusionem resoluit euidenter. Tunc verò imperfectè, quando non ita euidenter in prima vsque principia resoluit, vel quia prima principia sunt omninò obscura, & non nisi credita fide supernaturali, vt contingit in Theologia, vel quia principia traduntur in alia, superiore scientia subalternante, quæ adhuc ignoratur ab eo, qui scientiam habet subalternatam, vt contingit in eo, qui ignorat Arithmeticam, & callet Musicam, &c.

§. 3. Dico primò. De conceptu essentiali scientiæ, vt sic est certitudo veritatis, hoc asser-

sertum est omninò verum, ac patenter probatur. Nam de essentia scientiæ secundum Aristotelem, & D. Thomam est, quòd intellectus iudicet absque hæsitatione, & formidine, rem non posse aliter se habere, quàm ab illo cognoscitur; sed hoc ipsum iudicium firmum, & absque formidine falsitatis est ipsa certitudo: ergo hæc est de essentiali conceptu scientiæ. Minor patet. Nam si intellectus falsitatem formidet, iam non sciet, sed opinabitur.

§. 4. Dico secundò. Euidentia formalis non est de conceptu essentiali scientiæ in communi. Hæc assertio est clara apud Diuum Thomam, quæstione decima quarta de veritate articulo nono ad tertium: *Ille qui habet scientiam subalternatam* (inquit Sanctus Doctor) *non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem. Nihilominùs tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit habere scientiam, sed de conclusionibus, quæ ex principijs suppositis de necessitate concluduntur.* (Attendas nunc Lector): *Et sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis Fidei.* Sequuntur communiter Thomistæ suum Præceptorem, vt Mag. Flandrensis, M. Masius, Mag. Sanches, Mag. Arauxo, M. Sotus PP. Carmelitani Complutenses, Mag. Ioan. à S. Thoma, Mag. Lerma, Mag. Parra, &c. Ex Theologis Caietanus Nazarius, Mag. Zumel, Mag Nauarrete, & alij. Diximus autem non esse de ratione essentiali scientiæ, vt sic euidentiam formalem; Quia solum exigitur radicalis, & in actu primo; Nam conclusio, quæ aliquando non resoluitur in prima vsque principia euidenter, adeò tamen certa est, vt tandem in ea resolui exigat per continuationem cum cognitione scientiæ subalternantis, vt docet S. Thomas. Et etiam quia est per accidens, quod non resoluatur in principia euidenter perspecta, cum tamen intellectus adeò firmiter adhæreat veritati deductæ ex principijs certò creditis, vt si eam inferret ex principijs clarè cognitis, & euidentibus. De ratione tamen scientiæ subalternantis erit euidentia, non quidem quatenus illa est scientia, sed quatenus subalternans est, quod longè aliud est à nostra secunda assertione.

§. 5. Hæc nostræ sententiæ fundamenta sibi multis displicere dicit Poncius; At reuera eius displicentia nihil nobis nocet, infra liquebit. Etenim Patronũ habemus Aristotelem, qui primo topicorum cap. 1. *Demonstratio* (inquit) *est quæ procedit ex primis, vel ex his, quæ per prima fidem sumpserunt.* Ex quibus patet conclusionem scientiæ actualis, quæ est demonstratio non semper debere resolui in prima, atque euidentia principia, sed posse etiam resolui in principia credita, & non per se nota, & sunt ea, quæ per prima, & vera *fidem sumpserunt.* Asserimus igitur scientiam prout sic in communi ex suo essentiali conceptu solum exigere euidentiam radicalem, seu in actu primo in principijs, quæ actualiter bene possunt esse supernaturaliter credita, vel naturaliter supposita, & euidentia, & per se nota in superiore, & subalternante scientia.

§. 6. Probatur primo ratione. Theologia nostra, idest viatoris, est verè, & simpliciter (hoc est in rigore) Scientia, atqui nostra Theologia non procedit formaliter ex principijs per se notis, & euidentibus; ergo aliqua scientia non procedit ex principijs formaliter per se notis, & euidentibus; ergo non omnis scientia habet ex suo conceptu essentiali euidentiam formalem. Minor est euidens, & vtraque consequentia bona. Maior, in qua est difficultas fusius probatur à nostris Theologis: illam negant Scotus, Molina, Vasquez, & alij: asserunt Thomistæ cum cum S. Doctore, qui perspicuè eam docuit loco supra indicato §. 1. Caietanus autem licet dicat vtramque sententiam posse sustineri, loquitur tamen de scientia perfecta, vt patet ex eius verbis in 1. 2. qu. 1. artic. 5. *Theologia nostra* (inquit) *licet secundum suam speciem sit scientia; non tamen est in statu scientiæ, habet enim imperfectum statum* (& paucis interiectis) *Theologia ergo in nobis viatoribus est secundum se verè scientia sub alternata; non tamen in statu scientiæ, quousque continuetur cum euidentia principiorum.* Nos itidem non dicimus, scientiam procedentem ex principijs non euidentibus esse scientiam in statu perfecto: sed esse verè scientiam, etiamsi imperfecta sit. Et hic valdè notandum est, quod quando Doctores aiunt, Theologiam esse scientiam imperfectam, non loquuntur de Theologia in comparatione ad scientias naturales, id enim nec docuit D. Thomas, nec vllus Thomistarum intendit; Sed dicunt, esse imperfectum in proprio genere prout est in nobis viatoribus, quemadmodum vulgo dicimus, puerum esse hominem imperfectum, eo quod ad perfectionem nondum peruenit virilem.

§. 7. Alij dicunt, Theologiam esse quidem scientiam, sed non comprehendi definitione Aristotelis, qui cum Ethnicus esset, non nouit, ex principijs Fide Diuina creditis certissimas posse deduci conclusiones citra vllam euidentiam eorum. Alij verò dicunt, adhuc etiam ex doctrina Aristotelis optimè deduci, Theologiam esse verè, & rigorosè scientiam, vt M. Nazarius controuers. prima. Nam Philosophus apertè docet primo Posteriorum, neminem posse habere scientiam de aliqua conclusione, nisi premissarum habuerit scientiam, vel aliquid maius scientia. Atqui Fides Diuina, eiusque articuli, quibus nituntur nostræ Theologiæ principia sunt aliquid maius scientia; ergo ex illis scientiam rectè possumus deducere.

§. 8. Respondet primò Rada Scotista, Aristotelem per aliquid maius scientia significasse habitum principiorum: Sed verò hoc responsum, vt gratis confictum facilè reijciunt nostrates. Tum quia Aristoteles vtitur termino amplissimo, & transcendente *Aliquid*, significant omnem habitum intellectualem maiorem sciẽtia. Tum etiam, quia non dixit aliquid euidentius scientia; *sed maius scientia*, vt rectè notauit M. Nazarius, ex quibus sequitur, non esse necessariam euidentiam principiorum; sed sat esse notitiam eorum maiorem scientia. Secundo re-

respondet Vasquez. Conclusionem Theologicam deduci ex articulis Fidei, quatenus creduntur fide acquisita, non verò fide infusa: Sed hoc communiter contemnunt, ridentque Thomistæ, illos videbis ad art.2.q.primæ.

§. 9. Probo igitur illam maiorem propositi argumenti. Ideò exigitur euidentia in principijs, & conclusionibus scientiæ per vos, quia intellectus debet per illam firmiter, & citra vllam dubitationem adhęrere principijs lumine naturali euidentibus: Atqui intellectus per Fidem Diuinam firmius, ac certius adhæret principijs nostræ Theologiæ, quam adhæret principijs lumine naturali euidentibus? ergo nostra Theologia est verè, & rigorosé scientia. Obseruauit M. Nazarius, ad hanc argumentationem nihil respondere aduersarios: Porrò efficax illa est, quippe qua pridem vsus fuerat Sapientissimus ille, simulque Theologorum eloquentissimus Vir Melchior Canus libro 12. de locis Theolog. cap.2. cuius aurea verba sicuti pro delicias lego, ita Tibi iucundissimè transcribam. *Euidentiam* (inquit ille) *Aristoteles in disciplinis flagitat, vt rerum cognitio nec fallere possit, nec mutari, firmam enim, immutabilemque notionem scientiæ vocabulum postulat. Cum igitur quæ res, in fidem, ac Theologiam incidunt, qua ratione in eas incidunt, stabiles, immobilesque sint, nec in eis Theologus errare labi, aut decipi queat, fit, vt sine perspicuitate etiam Theologia scientiæ propriè sibi appellationem vendicet,* & paucis interiectis sic pergit. *Ritè ergo Theologiam scientiam dicimus, in qua certitudo immobilis, firma instantia, & vt ita dicam infallibilitas cognitionis est. Quid? quod Musica, & Astronomica à plerisque scientiæ nuncupantur, & tamen vix mus, aut alter Cælorum, Syderumque errantium conuersiones, à quibus disciplinæ illæ nunc pendent proprio, vel instrumento, vel experimento explorauit? Quin Astrologi ferè iuniores veterum experimento tanquam certa earum rerum præiudicia sequuntur, quas ipsi tractandas, iudicandasque suscipiunt. Theologia igitur iure quoque scientia vocitabitur,* (Attende quæso lector) *præsertim cum huius doctrinæ principijs accidat, vt obscurè nobis sint cognita. Nimirum enim si nobis prospicua, ac dilucida forent, nihilo secùs suis hæc disciplina, & nomen, & rationem tueretur: ac reuera si modò Aristoteles viueret, non aliud nomen inueniret, quo Theologiam aptius, & congruentius appellaret, nam fidem dicere, quæ non auctoritati proximè; sed rationi, & syllogismo innitatur, absurdum est.* Hæc ille.

§. 10. Probatur secundo de scientia naturali. Primo quidem dilucido Diui Thomæ Testimonio in primo quæst. 1. Prologi articulo primo ad Hanibaldum *Ad rationem scientiæ* (inquit) *duo requiruntur, vnum ex parte conclusionum, scilicet, quod ex aliquibus principijs necessario deducantur: aliud ex parte principiorum, scilicet, quod sint certa. Sed hoc dupliciter contingit in diuersis scientijs. Quarumdam enim scientiarum principia sunt simpliciter per se nota in illa scientia, sicut est de primis scientiis, quæ ex primis principijs immediatè procedunt, sicut patet de Arithmetica, & Geometria: Quarumdam verò scientiarum principia sunt certa quasi in alia scientia superiore certificata, sicut principia Perspectiuæ in Geometria. Vnde Perspectiuus certus est de suis Principijs per viam credulitatis credens, & supponens ea à Geometria.* Hęc ille. Ex quibus item probo ratione tertio: De ratione scientię naturalis solum est esse notitiam ita conuincentem nostrum intellectum, vt firmissimè adhæreat veritati scibili, nulla scilicet hæsitatione, & cum omnimoda certitudine: Atqui totum hoc potest habere intellectus sine vlla actuali euidentia principiorum: ergo non est de ratione scientiæ naturalis habere actualem, & formalem euidentiam principiorum. Maior patet: tum ex hoc, quod procedere ex principijs per se notis, quod essentiale est scientiæ, saluatur optimè in exigentia resolutionis in principia euidentia, quam scientia est habitura in statu perfecto: semper enim verificatur, scientiam procedere ex per se notis, & euidentibus, siue id fiat immediatè, siue mediatè. Tum etiam, quia euidentia, vel solum est perfectio accidentalis scientiæ, vt est venustas oris, siue pulchritudo in homine, qui sine ipsa tamen homo est; vt nonnulli arbitrantur apud Masium ad cap. 26. quæst. 3. vel certè non est finis vltimus, & principalis, quæ intellectus, & eius habitus per se primo intendunt, nam eiusmodi finis est consequutio veriscibilis, & firmissima adhæsio intellectus, in qua certitudo illius consistit. Euidentiam verò solum exigunt, vt quid alteri deseruiens, vt benè obseruant Carmelitani Patres, quatenus scilicet obiectum sub claritate, & euidentia est melius dispositum ad causandum in intellectu firmiorem, & certiorem assensum veritatis; ergo certitudo, & non euidentia est, quod primo pertinet ad perfectionem essentialem scientiæ. Minor probatur: intellectus ita firmiter adhæret nonnullis principijs naturaliter creditis, & in superiore scientia ostensis, vt excludat omnem hæsitationem, & fortitudinem adhuc radicalem, vt contingit in Musico procedenti ex principijs acceptis ab Arithmetica, quam ignorat; ergo intellectus sine euidentia habet certitudinem, qua omninò conuincatur, & firmissimè adhæreat veritati. Dixi autem, intellectum excludere omnem hæsitationem, & formidinem adhuc radicalem, quia eiusmodi principia credita, sunt alioqui euidentia, & per se nota quoad se, & ex parte obiecti, tametsi in actu, & ex parte scientis euidentia non sint, quo vsque cum superiore scientia continuet suam cognitionem; ergo quandocumque infert quis conclusionem per demonstrationem ex principijs quantum est de se euidentibus, licet actualiter creditis, acquirit formaliter scientiam saltem imperfectam.

§. 11. Adde, quod nonnulli apud M. Sanchezium plus audent, dicentes, quod etiamsi quis habeat formidinem principiorum, adhuc acquirit scientiam in prædicto casu, quia illa formido est accidentalis, & adueniente scientia sub alternante, aufertur, vt maneat habitus euidens: eo quod huiusmodi notitia adhuc formidolosa quantum erat ex parte sua, erat euidens; ergo &c.

§. 12. Confirmatur: Non minus est de essentia opinionis formido, quam est de essentia scientiæ euidentia; sed ad rationem opinionis

non exigitur formalis, seu actualis formido; sed sufficit radicalis; ergo ad rationem scientiæ non exigitur formalis, seu actualis euidentia; sed sufficit radicalis.

THEOREMA II.

Argumenta aduersariorum enodantur.

§. 13. OBijcies primo cum Poncio disput. 22. num. 67. & 68. Certitudo à nobis hactenus probata solum est certitudo moralis, quæ non sufficit ad scientiam strictam, de qua hic loquimur. Quia quacumque certitudine habita dere per fidem humanam, potest intellectus formare discursum, quo conuincatur ad iudicandum, possibile esse oppositum absolutè, & simpliciter; ergo eiusmodi certitudo non sufficit ad scientiam.

§. 14. Dices, huiusmodi certitudinem non esse fidei humanæ formaliter, sed solum subiectiuè, idest non esse fidem hominis, vt quomodocumque homo est, sed vt scientificus est: vnde principia Arithmetica, quæ credit Musicus v.g. non sunt credita prout ab homine, sed prout ab Arithmetico, quæ est Nazarij responsio.

§. 15. Sed contra: Etiamsi talis certitudo capiatur ab homine, vt Arithmetico, & vt à sciente, adhuc est fallibilis, & incerta: tum quia non potest sciri certo, & euidenter, quod ille sit sciens. Tum etiam, quia quantumuis sciens esset; tamen posset proponere tanquam à se scitum, quod reuera non esset scitum ab ipso; ergo penderet ab auctoritate humana scire, an illa res esset scita, vel non scita vera, vel falsa? essetque tam incerta, ac si ille non esset Arithmeticus.

§. 16. Confirmatur: Potest v. g. Thomista proponere nescienti Physicam has duas propositiones, vt æquè à se scitas: *Materia prima non potest existere sine forma. Contraria expelluntur à suis contrarijs*. Is, cui proponuntur, æqualem habet certitudinem de vtraque propositione, & æquè credit illi vt Physico; sed non potest esse certus de prima propositione certitudine sufficienti ad scientiam; ergo nec de secunda, ac consequenter si de secunda inferat hanc conclusionem in Medicina: *Contraria curantur contrarijs* conclusio non poterit illi esse certa certitudine sufficienti ad scientiam magis, quam esset ipsi esse certa conclusio deducta ex altera illa propositione materia prima.

§. 17. Respondeo: nego antecedens. Fides enim humana eo pertingere potest incertitudine, vt intellectus omnimodam excludat hæsitationem, & non potest formare discursum, quo conuincatur ad iudicandum, esse possibile oppositum. Rursus aio, solutionem Nazarij etiam esse idoneam. Ad instantiam respondeo, nos dum dicimus, Musicum v. g. credere non homini vtcumque (cuius fides quippe incerta esset) sed vt Arithmetico non sumere Arithmeticum pro quolibet homine particulari profitente Arithmeticam, quæ cum etiam extendatur ad opinionem, ille quidem posset non habere scientiam, sed solum Arithmeticam opinionem, proindeque non omnis attestatio illius, esset canon infallibilis respectu Musicæ. Loquimur ergo de ipsamet scientia Arithmetica (idem dic de qualibet scientia sub alternante) prout tota illa habet pro explorato aliquod principiū, in quo omnes Arithemetici vnanimiter conueniunt, & quod omnes scientificè demonstrarunt, quod est loqui de Arithmetica formaliter, quasi in abstracto, seu quasi de Idæa platonica, vt sic dicam. Et quidem miror, Poncium dum impugnauit Complutenses, non legisse apud eos ea verba ad Num. 28. [*Per hunc modum* (inquiunt) *credit Musicus sua principia, tum quia in eis non conuenirent Arithmetici, nisi essent demonstrata: tum etiam quia Musicus ex multis alys capitibus colligit, Arithmeticam habere veram scientiam talium principiorum, ac proinde habet eorum quamdam quasi euidentiam in Magistro attestante*.] Hæc illi. Quibus iam præuenerant instantiam Poncij, quæ elumbis est, & si quid probaret, etiam euinceret, Fidem Diuinam non habere certitudinem, eo quod etiam dependeret ab auctoritate humana. Nam si Parochus rustico proponat articulum Fidei, adhuc ille nescit, an Parochus sit verè fidelis, & Catholicus? etiamsi euidenter sciat, (quod omnino difficilè puto) eum esse fidelem Catholicum; adhuc dependeret ab auctoritate humana, an quod ille proponeret esset de articulis à Deo reuelatis, nec ne? Ergo quod ille proponat articulum Fidei Diuinæ, non constat rustico audienti alio modo, quam propter auctoritatem humanam, quæ incerta, & fallibilis est. Ecce discursus Poncij, qui vel nihil probat, vel nimium.

§. 18. Ad confirmationem ex dictis patet: non enim procedit scientia ex particularibus, & contingentibus Thomistarum, vel Scotistarum opinationibus, nec illa, quæ in argumento afferuntur sunt principia per se nota Physicorum, quæ credere debeat Medicus v. g. sed esse debent propositiones quædam necessariæ, & quę à tota Philosophia pro compertis habentur, & communi calculo probantur, & demonstrata esse aliundè cognoscuntur.

§. 19. Obijcies secundo, sequeretur, quod omnis opinio, cuius saltem obiectum esset reuera à parte rei verum, haberet certitudinem, non quidem à se formaliter, sed à scientia illa, quæ ab alijs haberetur de illa re, in cuius scientiæ virtute influeret illa opinio: Sicut enim fides de se incerta potest influere certitudinem in virtute scientiæ non habitæ ab ipso credente, cur opinio similiter facere non posset? *Confirmatur*: Nemo poterit explicare, quomodo fides, quæ est in vno, accipiat virtutem à scientia, quæ est in alio, id enim est chymericum: & esto, quod accipiat; non tamen erit virtus, vt intellectum faciat certum; quia potest dubitare, an alter habeat scientiam, & etiam supposito, quod habeat, adhuc dubitabit, an proponat rem à se scitam, potius, quam ignoratam, aut falsam.

§. 20. Respondeo, Poncium multa miscere non modo falsa, sed & repugnantia. *Primo* supponit falsò, satis esse, quod obiectum sit reuera

ta à parte rei verum, vt de ipso syllogismus factus sit scientificus: id, quod supra falsum ostendi ex Aristotele Dissertatione 63. §. 5. *Secundo* supponit falsò, illam notitiam, quæ haberetur cum certitudine à scientia habita ab altero fore opinionem. Nam si principia, ex quibus illa causabatur essent necessaria, atque demonstratiua, repugnat, illam non esse scientiam, & solum fore opinionem influentem in virtute sciētiæ alterius: eo enim ipso haberetur scientia ab eliciente eiusmodi discursum, siquidem Poncius supponit, illum deduci ex præmissis scientiæ, tametsi habitæ ab altero. *Tertio* malè comparat fidem principiorum scientiæ sub alternantis cum opinione: quia opinio habet semper secum annexam essentialiter formidinem quādam, saltem radicalem: at verò fides principiorum euidentium in alia, & superiore scientia omni caret eiusmodi formidine: Et vt supra ex Aristotele notauimus, demonstratio, idest actualis scientia non solum fit ex primis, idest per se notis, & actu euidentibus principijs, sed etiam *Ex his, quæ per primam fidem sumpserunt* non est ergo de se incerta huiusmodi fides.

§. 21. Ad confirmationem. Dico, nihil difficultatis esse explicare, quo pacto fides habeat virtutem certificandi intellectum: id enim nihil est aliud, quam quod intellectus ita firmiter adhæreat veritatibus demonstratis in superiore scientia, vt omnem excludat hæsitationem, immò potius sibi constanter persuadeat, eas in superiore scientia esse euidētes: nec hoc plus habet mysterij. Cætera autem, quæ subiungit Poncius, sunt repetita ex primo argumento, quod iam soluimus.

§. 22. Obijcies tertio: Falsum est, quod scientia sub alternata, seu illa quam dicimus imperfectam, & à principijs non euidentibus deductam, exigat continuari cum scientia sub alternante: ergo. Probatur antecedens: tum quia habitus fidei, & scientiæ non possunt esse de eodem subiecto, & conclusione, si vera est sententia Thomistarum: tum etiam, quia actus dependentes à præmissis creditis, sunt distinctissimæ speciei ab actibus dependentibus à præmissis cognitis euidenter, alioqui fides, & scientia non essent distinctæ speciei: ergo scientia illa Inferior, seu habitus acquisitus per actus specie distinctos idest fidei, non potest inclinare ad actus procedentes à scientia subalternante, ac proinde non exigit, neque potest continuari cum illa.

§. 23. Respondeo: nego antecedens, & ad probationem concesso vtroque antecedente; nego consequentiam. Fallitur arguens dum existimat, hanc continuationem, scientiæ imperfectæ cum superiore esse per idemtitatem specificam, seu per vnionem intrinsecam vnius gradus qualitatis cum alia &c. illa enim nil aliud est, quam quod inferior sciens dum acquirit scientiam subalternantem, iam potest resoluere conclusiones inferioris scientiæ vsque in prima principia, quæ iam nouit, quod est illam habere in statu perfecto, idest remota fide, & succedente lumine superioris scientiæ sub qua illam vt coniunctam, & subordinatam habet, non enim dicimus, quod vnus habitus cum altero identificetur, cum huiusmodi continuatio non sit quasi rei quantæ, & continuæ, sed similitudinaria, id, quod Sanctus Doctor satis expressit per terminum illum diminuentem *quodammodo* ait enim: *in quantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione, eius qui habet scientiam subalternantem*. Tandem nego etiam suppositum consequentis; supponit enim, nos continuare habitum fidei cum scientifico; cum habitus fidei nequeat inclinare in actus specie distinctos, quod non dicimus: nam demonstratio Musica v. g. non est actus fidei, sed Musices, tametsi aliqua præmissarum sit credita, & accepta ab Arithmetica.

§. 24. Obijcies quarto Diuum Thomam quæst. 14. de veritate artic. 9. hæc scribentem: *Quæcumque sciuntur (propriè accepta scientia) cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui: & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur: vnde impossibile est, quod de eodem sit fides, & scientia*. Item in 3. distinct. 33. q. 1. artic. 2. quæstiunc. 4. *Si esset aliqua scientia* (inquit) *quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita; non esset eiusdem speciei cum alijs scientijs, neque vniuocè scientia diceretur*. Hæc ille. Ex quibus satis liquidò colligitur, Chymericum esse fingere scientiam, quæ suas conclusiones non resoluat in prima, eaque naturaliter euidentia principia.

§. 25. Respondeo. Sanctum Doctorem primo loco docere discrimen inter Fidem, & scientiam: quia scientia perficitur in visione recognitæ: at verò fides in visione destruitur. Vnde scientia semper inclinat ad resolutionem in prima principia; illamque naturaliter exigit: Fides autem è contra illam non exigit. Potius igitur nobis fauet S. Thomas dum dicit, Scientiam *perfici* in visione, supponit enim ante visionem esse quidem scientiam, sed nondum perfectam quo ad statum. Altero loco loquitur conditionatè *Si esset* &c. quod verum est, nam cum omnis scientia non solum possit, sed etiam debeat, & naturaliter exigat reduci ad principia per se nota: Si vlla esset, quæ non solum exigeret, reduci; sed non posset, proculdubio non esset scientia; sed potius fides.

DISSERTATIO LXVI.

An præter habitus scientificos detur etiam habitus principiorum, & quid ille sit? vbi de Fide opinione, &c.

§. 1. Sicut per demonstrationes generatur habitus intellectum reddens facilem, & aptum ad assentiendum conclusionibus illarum: ita ante omnem demonstrationem admittitur habitus quidam illum inclinans ad assensum primorum principiorum; de quo dubitatur quid sit? an quid ab ipsamet intellectiua potentia distinctum? & dato, quod ab intellectu distinguatur, vtrum sit qualitas aliqua nostris actibus acquisita? an à Deo animæ rationali naturaliter indita in ipso creationis momento? De quibus videndi sunt Thomistæ, vt M. Sanchez, PP. Carme-

melitani, & ex Iunioribus M. Parra; nos enim pauca delibabimus (quia fusius de his disputare, vt M. Ioannes a S. Thoma fatetur) logici negotij non est. Immò res difficilis est planè, eo quod egregij Doctores de ea obscure satis loquuntur, vt benè obseruauit M. Sanchez, & Diuus Thomas ità varius, vt contraria docere videatur prima fronte. Nam 22. q.8. artic.1. asserit, habitum huiusmodi non esse nisi *lumen naturale nobis inditum per quod statim cognoscuntur quædam principia communia, quæ sunt naturaliter nota*. Rursus vero 1. 2. q.53. art.1. *Si aliquis habitus* (inquit) *sit in intellectu possibili immediatè ab intellectu agente causatus talis habitus est incorruptibilis, & per se, & per accidens: huiusmodi autem sunt habitus primorum principiorum, tàm speculabilium, quàm practicorum, &c.* Sed vero Caietanus ad primæ secundæ q.53. artic.1. rectè explicat, quo pacto habitus principiorum sit aliquid intellectus, & aliquid ab extra causatus. Et ipse Sanctus Doctor sese ipsum à contradictione liberat in 2. distinct.24. quæst.2. artic.3. vbi de Synderesi loquens, sic ait: *Synderesis à ratione pratica distinguitur non quidem per substantiam potentiæ, sed per habitum, qui est quodammodo innatus menti nostræ ex ipso lumine intellectus à gentis: sicut, & habitus principiorum speculatiuorum, vt omne totum est maius sua parte, & huiusmodi licet ad determinationem cognitionis eorum sensu, & memoria indigeamus vt in 2. Poster. dicitur*. Ex quibus facile apparet concordia priorum locorum inter se: nihil enim aliud volunt nisi quod habitus principiorum est *quodam modo innatus* potentiæ intellectiuæ, & cum alioqui realiter distinguatur ab ipso, videtur distingui, & non distingui.

§. 2. Dicendum est igitur, dari habitum quemdam ad assentiendum primis principijs realiter distinctum ab ipso intellectu: hæc assertio est Dogma expræssum Aristotelis 6. Eticorum cap.6. vbi agit de huiusmodi habitu, illúmque vocat intellectum, & enumerans habitus, quibus semper verum dicimus, & quibus nullatenus falsum subesse potest sic ait *Hæc sunt scientia, prudentia, sapientia, intellectus*. Et super hunc locum Angelicus Magister lectione quinta sic insit *Quod accipitur intellectus non prò ipsa intellectiua potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia* (Et reddit rationem nominis æquiuoci) *Et satis* (inquit) *congruit nomen; huiusmodi enim principia statim cognoscuntur cognitis terminis; cognito enim quid est totum, & quid est pars statim scitur, quod omne totum est maius sua parte. Dicitur autem intellectus ex eo, quod intus legit intuendo essentiam rei, & sic conuenienter cognitio principiorum, quæ statim innotescunt cognito, quod quid est, intellectus nominatur*. Hęc ille.

§. 3. Probant ratione communiter Thomistæ: potentia rationalis, vt intellectus, & voluntas secundum se est indifferens, & æquè respicit opposita: sicut enim voluntas se habet ad bonũ, & ad malum, ità intellectus ad verum, & falsum: sed habitus principiorum non se habet ad opposita, scilicet ad verum, & falsum, sed infallibiliter determinat intellectum ad assentiendum primis principijs, & propositionibus necessarijs statim ac termini explicantur, ergo, vt illam determinet indiget habitu realiter à potentia intellectiua distinctum.

§. 4. Dices cum Ia[?]emandetio disputat. partitione 6. non dari potentiam ad opposita respectu primorum principiorum, benè tamen respectu aliorum, ideoque respectu primorum principiorum non indigebit habitu. 5.

§. 5. Sed contra: ideò intellectus non esset potentia ad opposita indigens habitu determinante ad assensum primorum principiorum, quia prima principia sunt verum euidens vt verum; intellectus autem non indiget habitu determinante sed se ipso determinatus est ad verum euidens & verum est: sed hæc ratio nulla est; ergo intellectus est potentia ad opposita se habens indiget quæ habitu, etiam respectu primorum principiorum. Maior, & consequentia liquent, minorem probo. Non minus est determinata voluntas ad amandum finem, & bonum in communi, ac est intellectus ad cognoscendum verum, vt sic: sed voluntas nihilominus indiget habitu ad amandum finem, & bonum in commune, vt optimè probant Theologi 1. 2. quæst.18. ergo etiam intellectus eo indigebit, consequentia liquida est à paritate rationis. Nam aliquid amplius exigitur ad assentiendum primis principijs promptè facile, & delectabiliter, quam ad assentiendum illis simpliciter. Ergo tametsi intellectus sit determinatus ad assensum principiorum simpliciter; tamen adhoc, vt illis assentiatur facile prompte, & delectabiliter, aliquid amplius exigit, nempè habitum. Hæc de habitibus euidentibus.

§. 6. Habitus autem in euidentes sunt tres scilicet opinio, fides, solertia, suspicio. Opinio ex Aristotele est *existimatio, seu assensus propositionis non necessariæ mediatæ, vel immediatæ*. Est bona definitio: in ratione assensus conuenit quasi in genere opinio cum scientia, & alijs cognitionibus. Sed vero differt per eamdem à suspicione, & dubitatione intellectus, per quas ille non determinatur ad aliquam partem contradictionis, sed vel leuiter inclinatur, vel inter vtramque nutat. Sic per animal, quod est genus hominis differt etiam ipse homo ab Angelo, quo cum conuenit in genere substantiæ. Est ergo essentiale opinioni, quod ad alterutram contradictionis partem ex vi fortioris indicis determinetur, quod significatur per rationem *Assensus*. Per illas voculas *Propositionis non necessariæ*. Differt opinio à scientia, atque ab habitu principiorum, quæ non nisi circa propositiones per se notas, & necessarias versantur: opinio vero circa probabiles, & contingentes. Addunt communiter Doctores Aristotelicæ descriptioni illas particulas *mediatæ, vel immediatæ* vt duo genera opinionum comprænhendant, nam prima est, quæ procedit ex principijs contingentibus, quæ omninò sunt prima, & immediata eo quod carent medio, quibus probentur. Altera est, quæ procedit ex præmissis probabilibus, & quæ per aliud medium, à priori probantur. Denique per easdem particulas differt opinio à Fide, quæ nulla-

nullatenus innititur præmissis mediatis, neque immediatis, sed immediatæ auctoritati fide digni attestantis. Res patebit in exemplo, quod adducit D. Thomas hic lectione 44. pro cognitione opinatiua *Omne quod currit mouetur; Sed homo currit, ergo homo mouetur*, quæ quidem suis innititur principijs, ex quæ illis colligitur: sed in ipsa vides vtrumque opinionis genus, nempè mediatam, & immediatam. *Omne quod currit mouetur*, eccce immediata opinio, idest verissima propositio in materia contingenti, quæ per aliud probabile principium probari non potest. *Homo currit*, ecce mediata, quippe quæ ex medio probabili deducitur.

§. 7. Ad habitum opinionis, seu ad eius classem reducuntur solertia, atque suspicio: solertia ex Aristotele cap. vltimo primi posterioris interprete Boetho est *Subtilitas quædam in non perspecto tempore medij*: sed Argyropilus ità vertit. *Est quædam coniectatio medij in tempore ad modum breui*. Adducit tria exempla Aristoteles, quibus rem dilucidè explicat. *Primum*: vt si quis videat lunam splendere ea parte, qua est versus Solem, statim coniectet, Lunam recipere lumen à Sole: *Secundum*. Vt si quis videat pauperem adeuntem domum diuitis, coniectet causam esse, vt mutuet pecuniam. Boethius vertit. *Si videat disputantem cum diuite*. *Tertium*, vt quando duos videns fieri amicos, statim quis intelligat, quod ambo sunt alterius inimici: ex quibus satis patet, solertiam nil aliud esse quam perspica citatem, seù facilitatem inueniendi subitò medium; quæ quidem reperiri potest innecessarijs, contingentibus, practicis, & speculatiuis, vt patet in exemplis suprapositis: sed quia fallibilis est, & non raro decipere potest, ideò non est propriè virtus intellectualis, sicut scientia &c.

§. 8. Suspicio licet ab Aristotele non memoretur hoc capite, tamen quia ad opinionem tanquam quid imperfectum reduci solet, ità ab ipsa illam discriminat D. Thomas 22. q. 2. artic. 1 *Quod suspicio, & opinio differunt, quia suspicio inclinat in vnam partem ex aliquo leuissimo: opinans autem ad hæret vni parti, licet cum formidine alterius*.

§. 9. Fides est *assensus propter auctoritatem dicentis immediatè*. Vltima hæc particula additur ad excludendas conclusiones Theologicas, quibus licet assentiamur remotè, quia præmissæ sunt à Deo reuelatæ; tamen immediatè, & proximè non illis assentimur nisi propter connexionem præmissarum cum medio. Diuiditur in Fidem Diuinam, quæ innititur Diuinis reuelationibus, de qua Theologi. Et in humanam, quæ capitur ex testimonio hominis, vel Angelico, quæ fides dicitur naturalis. Cætera liquent.

§. 10. Cæterum cum opinio sit assensus probabilis, cui non repugnat falsum sub esse. Immo sit existimatio quædam debilis de re contingente, cui intellectus non firmiter ad hæsit, sed tantum vi fortioris indicij conuictus credidit, cum timore tamen, & formidine, quod res aliter se habeat, eo quod obiectum opinabile, & contingens essentialiter potest à veritate deficere, inde est, quod non raro timeat, ne contradictorius assensus sit verus, cum semel de recontingente suum elicuit assensum. Vnde quæres: an hæc formido sit essentialis opinioni? Ad cuius notitiam duplex communiter distingui solet formido; actualis vna, & radicalis altera: prima est actualis timor falsitatis in obiecto: altera verò non consistit in actuali dubitatione aut metu. Sed solum in eo quod ex parte ipsius obiecti non repugnet illi sub esse falsum: & ex hac radice oritur actualis timor, ne pars opposita sit vera, seù ne sit falsa ea, quam intellectus amplectitur, qua propter virtualis, siuè radicalis formido nuncupatur.

§. 11. Dico ergo formidinem actualem non esse de essentia opinionis, attamen radicalem, seù virtualem intrinsecè, & essentialiter conuenire omni assensui opinatiuo. Hoc ipsum dico de fide naturali. Assertum hoc est commune, & probatur facile communi experimento. Quoniam plurimas opiniones defendimus in Dialectica, & Philosophia, quin veritatem contradicentis partis actu timeamus; Quinimmò principijs Aristotelis, ac D. Thomę fidentes, nullum prorsus Aduersariorum argumentum formidamus. Ergo actualis timor, seù formido, falsi non est essentialis opinioni. Probatur antecedens, quia sępè educitur aliqua consequentia ex Syllogismo, quem putamus euidentem, & demonstratiuum; licet reuera opinatiuus, & probabilis tantum sit: sed qui realiter existimat, Syllogismum esse euidentem, & scientificum, minime formidat, vt veram contradictionis partem: ergo sæpe absque formidine actuali deffendimus opiniones quàm plures.

§. 12. Obijcies contra primum assertum: habitus ponitur ad tollendam indifferentiam potentiæ: sed intellectus sufficienter determinatur ad assensum primorum principiorum per solam appræhensionem terminorum: ergo frustra ponitur habitus principioris ab intellectu distinctus.

§. 13. Respondeo habitus ponitur ad tollendam indifferentiam potentiæ tantum, nego maiorem. Nam (vt supra dixi) etiam ponitur ad illam promptiorem, ac faciliorem reddendam, licet enim prima principia sint euidentia, tamen huiusmodi habitu facilius, melius, promptiusque suos circa illa elicit assensus. Res est euidens in cæteris habitibus. Equidem licet per assensum præmissarum Philosophicarum, v. g. sufficienter determinetur; immo necessitetur intellectus ad assensum conclusionis ex illis inferendæ. Tamen ad facilius, meliusque eliciendam conclusionem Philosophicam exigitur quidem habitus scientiæ Philosophicus. Qui plura volet argumenta contraria, eaque soluta, adeat Sanctum Doctorem quæst. 16. de Veritate artic. 1. vbi de Synderesi, quæ est habitus primorum principiorum in Moralibus plenè agit.

§. 14. Obijcies idem contra secundum assertum: nam Sanctus Thomas 12. quæst. 67. articulo 3. expræsè inquit, quod *De ratione opinionis est, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi; vnde non habet firmam in hæsionem*: ergo aduersamur D. Thomæ. Respondeo Sanctum

Do

Doctorem de formidine radicali loqui quam diximus essentialem opinioni, non de formali, seù actuali, quæ illi sæpissimè accidit, vt ostendimus.

DISSERTATIO LXVII.

Vtrum ex eodem obiecto, & circa idem possint in eodem intellectu dari scientia simul, & opinio?

§. 1. TItulus indicat satis, non de obiecto materiali sermonem institui, sed de formali, & respectu eiusdem numero intellectus, & pro eodem tempore; his enim aliter si habentibus nulla est difficultas, quæ vt bene Durandus notat *procedit ex hipothesi*, quod plures actus intelligendi possint esse simul in eodem intellectu, quod ille naturaliter esse impossibile existimat quæst. 1. Prologi num. 24.

§. 2. Supponendum etiam, nunc inquiri de conclusione, quæ reuera sit necessaria, & demonstrabilis: an scilicet deduci possit per medium necessarium, & per medium topicum, & probabile simul? Nam si conclusio sit de obiecto contingente, impossibile est, quod demonstrari possit cognitione scientifica: at quia obiectum seù propositio necessaria scibilis est per argumentum demonstratiuum, & simul opinabilis per argumentum topicum maxime ab eo, qui non dum præmissas demonstratiuas illius adhuc penetrauit, meritò dubitatur, an simul eamdem conclusionem elicere valeat per medium scientificum vt scientiam, & per medium probabile, vt opinionem equidem citra dubium est etiam vno, eodemque medio vtrumque præstari non posse, vt fatentur omnes. Cæterum, quia scientia, & opinio sumi possunt tùm prò actibus, tùm pro habitibus: primo de actibus; deinque de habitibus disseremus.

THEOREMA I.

Thomistica Sententia præfertur, & probatur.

§. 3. IOannes Poncius circa præsentem quæstionem sex enumerat Doctorum Sententias; Masius quatuor, quæ tamen communiter ad duas reduci solent. Prima affirmat, scientiam; & opinionem sumptas prò actibus posse simul esse in eodem intellectu de eadem propositione, siuè de eodem subiecto respectu eiusdem prædicati formalis. Hanc tenent nominales, quos de more sequuntur moderni Iesuitæ: altera negat cum D. Thomas quem communiter tota sequitur Schola: pro cuius pleniore notitia aduerte assensum scientiæ, & assensus opinionis eamdem veritatem affirmantes nequaquam opponi contradictoriè, neque priuatiuè actus enim quorum neuter negat, nequeunt opponi contradictoriè, nec priuatiuè, quia assensus opinionis, licet sit imperfectus obiectiuè, non omninò caret sua luce saltem debili, & imperfecta qua intellectus obiectum attingit formidans virtualiter, & formaliter, illud posse aliter se habere: ast scientia lucem habet omnino, & plenè perfectam, qua obiectum ità videtur necessario esse, & cognosci, vt simul iudicet intellectus, impossibile esse, illud aliter se habere, quia perfectissimè videt connexionem necessariam, & essentialem, quam habent extremitates syllogismi cum medio. Opponitur igitur prædicti assensus penès perfectum, & imperfectum, vt egregie docet S. Thomas 1. 2. q. 67. artic. 3. vbi triplicem explicat opinionis imperfectionem: talis est oppositio inter formam perfectam, & imperfectam: dispositioni enim v. g. quatenus tali prorsus se pugnat, esse simul habitum: vnde prouenit oppositio earum in ordine ad idem subiectum: idest forma imperfecta constituit subiectum absolutè *in esse imperfecto*, seù (quod in idem recidit) exigit subiectum absolutè imperfectum cum priuatione cognitionis perfectissimæ: placet exibere exemplum Caietani. Sicut enim motus v. g. ex hoc ipso, quod inest alicui, constituit ipsum in esse potentiali respectu termini; proindeque in priuatione actuali termini: ità opinari, & credere constituunt subiecta in priuatione sciti, & visi, & hanc imperfectionem exigunt essentialiter assensus opinatiuus, & assensus fidei, vt loco immediato explicat S. Doctor, quibus prænotatis.

§. 4. Sententiam amplector negantem, in eodem intellectu assensum scientificum, & assensum opinatiuum ad idem formale obiectum terminari simul, itavt quis illud simul opinetur, & sciat: hanc apertè tradidit Aristoteles primo Posteriorum cap. 26. & iuxtà diuisionem Commentarij Angelici lect. 44. *Ex his autem emergit* (inquit) *fieri non posse, vt simul idem opinetur, quisquam, ac sciat: nam simul existimationem haberet, & aliter, & non aliter idem sese habere, quod quidem fieri nequit. Etenim fieri quidem potest vt in alio, atque alio eiusdem vtrumque sicuti diximus; sed in eodem sic hoc pacto fieri nequit. Haberet enim simul existimationem, hominem per se animal esse, & non per se animal esse, &c.* Hæc ille, quæ Sanctus Doctor eo loci repetit, & clarius explicat.

§. 5. Probo ratione deducta ex eodem Sancto Doctore, quam superius indicato primi secundæ partis voluminis loco intinuauimus. Actus scientiæ, & actus opinionis circa idem formaliter sunt formæ, quæ in subiecto inferunt effectus contradictione oppositos: ergo actus scientiæ, & actus opinionis nequeunt in eodem subiecto intellectus reperiri: Probo antecedens: eundem numero intellectum eodem tempore esse perfectè, & plenè conuictum, & determinatum circa euidentiam, & necessitatem conclusionis, & non esse perfectè, & plenè conuictum, neque determin...um circa euidentiam, & necessitatem conclusionis, sunt effectus contradictoriè oppositi: Atqui per actum scientiæ intellectus perfectè, & plenè conuincitur, & determinatur circa euidentiam, & necessitatem conclusionis: per actum verò opinatiuum non perfectè, neque plenè conuincitur, neque determinatur circa illam: ergo actus scientiæ, & opinionis inferunt in subiecto effectus contradictoriè oppositos.

Maior

Maior, & consequentia sunt euidentes. Minorem ostendo quoad secundam partem, in qua solùm potest esse aliqua difficultas, existimare quod opinatum potest aliter se habere, & possibile esse assensum præstari propositioni contrariæ, vel contradictoriæ, est intellectum non perfectè, nec planè conuinci, & determinari ad euidentiam, & necessitatem conclusionis; sed vt Diuus Aquinas testatur 2.2.quæst.1. artic.5. ad 4. *De ratione scientiæ est quod id, quod scitur existimetur esse impossibile aliter se habere, de ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere*, (id quod etiam patet ex verbis Aristotelis supra exhibitis): Ergo peractum, seu assensum opinatiuum intellectus non perfectè, neque planè conuincitur, & determinatur ad euidentiam, & necessitatem conclusionis; sed existimat possibile esse, rem aliter se habere, & præstari posse assensum contradictoriæ parti.

§. 6. Huic argumento, quo potissimum nostrates sententiam Aristotelis, & Diui Thomæ defendunt, varias adhibent solutiones Aduersarij, ne quicquam tamen. Occurrit primo Mag. Moneda, aitque, opinionem non dicere imperfectionem priuatiuè; sed negatiuè dumtaxat, quia priuatio est carentia formæ in subiecto apto nato ad illam habendam, ast opinio est subiectum incapax certitudinis, & euidentiæ: ergo talis carentia certitudinis, & euidentiæ non dicit imperfectionem priuatiuam in opinione. Nam imperfectum est, cui aliquid deficit ex debitis, opinioni autem non debetur certitudo, & euidentia: ergo opinionis essentia non est imperfecta, eo quod ei deficiat certitudo, & euidentia.

§. 7. Occurrit secundò negando, actum scientiæ, & opiniones inferre eiusmodi effectus oppositos. Nam licet per actum scientiæ intellectus sit certus, & videns, attamen non est per actum opinionis non certus, non videns, neque non conuictus; sed minùs clarè videns, non adæquatè; sed aliqualiter certùs, & conuictus, ex quo nulla sequitur incompatibilitas.

§. 8. Sed contra primò. Neutra ex his responsionibus euadit vim nostri argumenti. Non prima. Quia licet in opinione triplex inueniatur imperfectio, vt explicat D. Thomas supra laudatus, tamen, quæ nunc maximè obstat, est subiectiua, qua scilicet subiectum constituitur sub priuatione perfectissimis assensus, qualis est scientificus, malè igitur confugit Moneda ad aptitudinem, vel ineptitudinem ipsius opinionis ad recipiendam perfectionem scientiæ, quam sibi gratis damus, nec est ad rem ad ponendam, vel negandam priuationem, de qua loquimur. Nam subiectum, id est intellectus prout assensu opinatiuo determinatus, est subiectum aptum natum ad habendum assensum euidentem, & perfectissimum, qualis est scientificus: ergo sub assensu opinatiuo constituitur in priuatione illius perfectionis. Atqui simul constitueretur sub euidentia, & perfectissimo assensu scientiæ: ergo simul haberet effectus priuatiuè oppositos, atque exindè contradictoriè repugnantes. Consequentia est bona, oppositio equidem huiusmodi formarum imperfectarum cum perfectis subiectiua est, totaque ex limitatione subiecti pensanda, impossibile est enim, eamdem partem corporis esse perfectè, & summè calidam, & non perfectè, & summè calidam.

§. 9. Contra secundò. Quia etiam motus essentia v.g. non est imperfecta, ex eo quod sibi deficiat perfectio quietis. Motus enim, vt talis, non est subiectum aptum natum ad recipiendam perfectionem quietis, atqui nihilominùs corpus, seu subiectum, vt est sub motu, est sub priuatione perfectionis quietis, vel terminis: ergo ex eo quod opinio, vt talis non sit subiectum capax habendi euidentiam scientiæ, malè arguit Moneda, quòd intellectus sub actuali opinione non sit constitutus in priuatione assensus perfectissimi, seu euidentiæ scientificæ.

§. 10. Altera solutio etiam est futilis: nam ad oppositionem, quam inferimus ex eiusmodi concursu non exigitur, quod per opinionem intellectus sit absolutè non videns, non certus &c. sat enim, superque est, intellectum esse aliqualiter, & non adæquatè certis, simulque esse omninò, & adæquatè certis. Patet hoc: quia apud omnes impossibile est vnam, eamdemque partem corporis esse perfectè, & summè calidam, simulque non esse perfectè, & summè calidam; quin tamen ad huiusmodi contradictionem requiratur vt ipsa pars corporis sit absolutè frigida, seu absolutè non calida: ergo nec ad oppositionem inter adæquatè, omninoque certis, & non adæquatè, nec omninò certum non exigitur, vt intellectus sit absolutè non videns, non certus, &c.

§. 11. Respondet secundò Arriaga disput. 6. de Anima sect. 6. hoc argumentum carere difficultate, quia claritas, & obscuritas non cadunt nisi in ipsos actus distinctos: non autem repugnat vnum actum esse clarum, alium autem obscurum; sicut quamuis opponantur iudicare, & non iudicare; quia tamen cadit supra diuersos actus; iudicium scilicet & apprehensionem nullo modo repugnat respectu eiusdem intellectus habere iudicium de obiecto, & apprehensionem, quæ de illo nihil iudicat.

§. 12. Contra videtur Arriaga non satis callere naturam oppositionis priuatiuæ ex parte subiecti: equidem si hæc solutio aliquid euincit, etiam probat, eamdem animam posse esse beatam, & simul torqueri in inferno, esse gloriosam, & punitam; nam gloria, & pœna caderet supra diuersos actus; esset enim beata per visionem claram Dei, & punita per alium distinctum actum ignis torquentis: repugnaret autem hæc fieri per eumdem actum; nulla verò apparet contradictio in eo, quod quis simul sit beatus, & miser respectu diuersorum actuum. Ecce vis solutionis Arriagæ; similiter idem intellectus esset erroneus, & scientificus simul circa idem; neque enim id repugnaret, si tamen fieret per distinctos actus, at qui erraret per actum falsum, & sci-

& sciret per actum euidentem, & certum; ergo simul sciret, atque erraret; idem dic de voluntate respectu actuum amoris, & odij; Et sic possemus innumera fingere portenta, quæ prorsus non repugnarent, si eiusmodi solutio in eam quam prætendit efficacia, esset tolerabilis: ergo admittenda non est.

§. 13. Tertiò respondent communiter alij, nostram rationem conuincere quidem quando assensus prædicti fierent per idem, & vnum medium: at verò quando intellectus opinatur, & simul actu scit per diuersa media, non repugnare, illum esse determinatum, & non determinatum, certum, & incertum, conuictum, & non conuictum, &c.

§. 14. Sed hæc responsio ita ægrè conatur repugnantiam tollere, vt vel ipsis displiceat Aduersarijs, vt verè displicuit Monedæ disput. 3. q. 2. §. 4. Contra primò: nam si semel admittatur, totius Philosophiæ methodum inuertet, quæ perpetuò colligit oppositionem causarum ex incompossibilitate effectuū; at qui hi Auctores inferunt compatibilitatem effectuum ex diuersitate causarum: ergo præposterè philosophantur. Contra *secundo*: diuersitas causarum, & mediorum est extrinseca, & in subiecto non ponit diuersitatem, seù amplitudinem, vt capiat prædicata illa contradictoria plenè conuicti, & non plenè conuicti; ergo nequit idem intellectus adhuc ex diuersis medijs esse necessariò sciens, & conuictus plenè, & non necessariò; sed contingenter persuasus. Probo antecedens: si diuersitas causarum poneret in subiecto, nempè in intellectu capacitatem, seu amplitudinem, vt reciperet effectus earum, tametsi inuoluerent prædicata contradictoria, etiam ex eadem diuersitate posset esse, & non esse, cognoscere, & non cognoscere: at qui nemo Aduersariorum hoc concedet: ergo nec alterum concedere debet. Probo maiorem: non minus contradictoria sunt, intellectum esse conuictum, & non esse conuictum, quam eumdem absolutè esse, & non esse, cognoscere, & non cognoscere. at qui hæc prædicata contradictoria etiam prouenirent intellectui *ex diuersis causis*: regulariter enim loquendo effectus oppositi semper à causis oppositis proueniunt: ergo illæ similiter ponerent in intellectu capacitatem, vel amplitudinem vt caperet etiam prædicata essendi, & non essendi, cognoscendi, & non cognoscendi, &c.

§. 15. Hinc obiter refello solutionem aliorum, qui vt prædicata euadant contradictoria, dicunt in ipso assensu conclusionis dari distinctionem virtualem, quasi duplicis assensus ratione distincti, vi cuius prædicatum certi, & euidentis verificatur de eadem secundùm rationem formalem procedendi per medium necessarium, & prędicatum non certi, & non euidentis secundùm alteram formalitatem proueniendi per medium contingens. Verum enim verò hoc commentum, vel ipsi contemnunt Aduersarij, vt friuolum, ex quibus Poncius illud reijcit, atque impugnat disput. 22. num. 39. Hinc autem infero: ergo distinctio illa virtualis sufficiet etiam ad hoc, vt de eadem conclusione verificetur, quod sit assensus, & dissensus, quod sit scientifica, & erronea, &c. cur enim talis virtualitas potiùs capiat illa contradictoria, quam hæc?

§. 16. Multò ineptius est, quod nonnulli ex Durando comminiscuntur, scilicet eas formalitates sciti, & opinati, necessarij, & contingentis relucere in vna, eademque conclusione, quando simul concurrunt scientia, & opinio per mediū probabile, & per medium euidens ad illam producendam, vt effectum vtriusque communem, & hoc pacto arbitrantur, se meliùs statuere suā distinctionem virtualem, vt expediant prædicata illa contradictoria adhuc in vno, eodemque assensu reali, quem putant formaliter duplicem.

§. 17. Ineptius (inquam) est hoc responsum: est enim inintelligibile, quonam modo mediū contingens, & medium necessarium concurrant in vno, eodemque syllogismo categorico ad causandam conclusionem: immò totam artis syllogisticæ fabricam, quæ tribus tantū terminis constare debet, euerti necesse est. Porrò vnum medium cum duabus extremitatibus constituit vnū syllogismum, cui sit alterum medium addideris cum duabus etiam extremitatibus (harum enim respectu dicitur, & est medium) iam erunt sex termini, ex quibus necessariò consurget duplex syllogismus, velis, nolis: ergo impossibile est, quod ex medio contingente, & ex medio necessario procedat vna numero vtriusque syllogismi conclusio. Patet consequentia: quia medium probabile ponit connexionem contingentem duarum extremitatum cum ipso, medium verò scientificum statuit alteram connexionem necessariam extremitatum cum ipso, quæ duo media omninò constituunt duos syllogismos cum duabus conclusionibus specie distinctis.

§. 18. Contra *tertio*; prædictam solutionem validè eneruat M. Lynceus exemplo corporis mobilis dum diuersis motoribus subijcitur; nam repugnat idem mobile, prout subiectum diuersis motoribus simul eodem tempore moueri tardè & velociter, seù motu tardo, & veloci determinari circa eumdem terminum localem; ergo repugnat similiter eumdem intellectum, etiam prout determinatum diuersis medijs ferri in eamdem veritatem imperfectè, & formidolosè, & simul perfectissimè, & certè. Antecedens liquet; consequentia probatur; sicut velocitas motus corporalis est modus includens priuationem tarditatis ex parte subiecti, ita formido actualis (vel radicalis) est modus cognitionis intellectualis exigens ex parte cognoscentis priuationem euidentiæ eiusdem obiecti, quod imperfectè, & formidolosè cognoscit: ergo sicut diuersitas motoris nequit componere motū velocem cum motu tardo in eodem mobili, neque diuersitas mediorum componere poterit in eodem intellectu cognitionem imperfectam, & formidolosam cum cognitione certa, & perfectissima respectu eiusdem veritatis attingendæ. Vis huius argumenti tota pendet ex illo principio infallibili, quod in nostro fundamento ex D. Thoma deprompsimus, nempè quod imperfectio ex parte subiecti formam constituit simpli-

plicitet imperfectam imperfectione priuatiua, idest, quem exigat subiectum priuatum absolutè illa perfectione vlteriore, ad quam ex natura rei non ordinatur. Scientiam Fidem dicitur imperfecta imperfectione ex parte subiecti, eo quod exigat illud absolutè priuatum visione illius, quod creditur: ponit exemplum Caietanus in motu, quod iam supra dedimus, quæ adeò manifesta visa sunt subtilissimo Cardinali, vt hæc subdiderit: *Hanc doctrinam benè notato, quoniam ex ea habes solutionem ad omnia opposita, & quare Fides opinio, & scientia de eodem sint incompossibiles in eodem.*

§. 19. Hinc fit, quod non solùm in exemplo mobilis, quo vtitur Lynceus, sed quandocumque comparatur forma perfecta cum imperfecta ex parte subiecti, erunt omninò incompossibiles, & nostrum vigebit argumentum: atque item è contra omnia argumenta, quæ nobis objiciunt Aduersarij in formis, quæ interdum coeunt in vnum subiectum, non vrgebunt nos, quoniam non procedunt de formis modò explicato imperfectis, qualem dicimus esse opinionem, & fidem humanam respectu scientiæ, & visionis in eodem subiecto.

§. 20. Iam verò exemplum lucis candelæ, & Solis meridiani, quo interdum nostrates vtuntur vt monstrent, eamdem partem aeris non posse reddi languidè, imperfectèque lucidam, simulque lucidam summè, & perfectissimè; vnde similitudinem ducunt ad perfectam, & imperfectam claritatem eiusdem intellectus; Exemplum (inquam) istud apositissimum est, perperàmque ab Arriaga reijcitur: ait enim [*Exiguam candelam* in præsentia Solis nihil efficere, quia à luce intensiore Solis illuminatus est aer supra intensionem candelæ; vnde nihil efficit, quia agens physicus non potest supra se *passum intendere*] Sed verò Arriaga aberrat à vero, reddens non causam pro causa eiusmodi incompossibilitatis: debuit enim non recurrere ad causas efficientes extrinsecas; sed attendere ad imperfectionem subiecti. Nam revera ideò eadem pars aeris non est clara languidè, & imperfectè ad lucem candelæ in præsentia Solis, quia non habet illam obscuritatem, quam talis claritas imperfecta exigit in subiecto: quod quidem per eiusmodi languidam, exiguamq; claritatem constituendum erat cum imperfectione quadam priuatiua, seu cum priuatione splendidissimæ, & meridianæ claritatis: proindeque claritas perfectissima (siue causetur efficienter à Sole, siue ab alio agente, non enim curamus causas extrinsecas) destruit, & dissipat suam illam exiguam, & languidam, qua esset informandus aer, & sola prorsus lucet. Haut secus igitur benè possunt simul adduci medium probabile, & medium demonstratiuum ad vnã, eamdemque conclusionem: ast verò nullatenus generabunt duos assensus, sed vnus dumtaxat, cumque scientificis, vt notat optimè Sotus. Sed videamus age, periclitemurque contrariæ partis argumentorum vires.

THEOREMA II.

Argumenta Thomisticam sententiam impugnantia eneruantur.

§. 21. Omnia aduersariorum argumenta reducuntur ad tres clases: in prima, objiciunt non nullos actus imperfectos cognitionis, qui cum perfectis in eodem intellectu interdum cohærent. In secunda adducunt vetera, quæ sibi met ipsis Theologi objicere solent argumenta, quæ contendunt, Fidem supernaturalem cum actu, visionis concurrere simul posse. In tertia denique nonnullos actus imperfectos voluntatis opponunt, qui cum perfectis in eadem potentia volitiua reperiri solent. Singulas clases breuiter percurram. Objiciunt primò: tota repugnantia, vt actus opinatiuus simul cum scientifico in eodem intellectu non concurrat, est, quia per vnum actum iudicatur, rem posse aliter se habere; & per alium, non posse rem aliter se habere; at qui dum opinio habetur per medium, quod existimatur necessarium, & euidens, non iudicatur, rem posse aliter se habere: ergo eo saltem euentum actus scientiæ, & opinionis in eodem intellectu concurrent. Maior, & consequentia patent: minor facilè suadetur ex nostra doctrina, & iuxtà quam formido actualis, vel formalis non est de essentia opinionis: ergo.

§. 22. Data maiore præiudicio, seu existimatione formali, vel virtuali; minorem distinguo: non iudicatur rem posse aliter se habere, verò iudicio formali, vel virtuali, nego minorem: cum errore intellectus transeat minor, & nego consequentiam. Nam vt Caietanus docet, eiusmodi assensus per medium contingens existimatum necessarium non est opinatiuus formaliter, sed actus quidam ignorantiæ prauæ dispositionis intellectus, qui circa medium, & conclusionem eo euentu decipitur, quæ si adhuc velis opinatiuum esse, nequit non esse formidolosus radicaliter, seu virtualiter; dato quod formidine actuali, quæ opinioni essentialis non est, careat pro tunc: eo enim ipso, quod medium sit contingens, non plenè, nec omninò determinat, neque conuincit intellectum ad veritatem propositionis colligendæ; sed potiùs ille assentitur debili quodam, vacillantique modo, & quasi aliqua ex parte indeterminatus, id, quod prorsus essentiale, & indefectibile est omni assensui opinatiuo quantumuis medium existimetur necessarium, nisi ignorantia supra indicata laboret intellectus: qui hanc formidolosam adhæsionem in seipso experitur exercitè, quamuis in actu signato, seu quasi reflexè non iudicet, se circa illam veritatem fluctuare.

§. 23. Obiicies secundò: non repugnat cognitionem imperfectam simul cum cognitione valde perfecta determinare intellectum circa idem obiectum: ergo nec repugnat actum opinatiuum cum scientifico eumdem intellectum circa idem obiectum informare. Consequentia est bona: tota enim ratio negandi huiusmodi compatibilitatẽ est; quia opinio est cognitio imper-

perfecta, obscura, incerta, &c. Antecedens probatur primo; nam intellectus Christi Domini simul cum cognitione beatifica habet reipsa cognitionem acquisitam, seu naturalem cuiuspiam obiecti; sed cognitio acquisita, seu naturalis est cognitio imperfecta respectu cognitionis beatificæ; ergo non repugnat in eodem intellectu cognitionem imperfectam cum perfectissima circa idem obiectum communi re.

§. 24. Probatur secundò idem antecedens: Beatus habet notitiam intuitiuam Dei per lumen beatificum, & simul abstrictiuam per scientiam naturalem, vt apud Theologos incompertum est, atqui hæc secunda est imperfectissima, & obscurissima cognitio in comparatione ad primam: ergo non repugnat, cognitionem imperfectam simul cum cognitione valde perfecta determinare intellectum circa idem obiectum.

§. 25. Respondeo, nos non loqui de qualibet imperfectione actus, sed de subiectiua, vt explicata à D. Thoma, quæ subiectum constituit, seu exigit priuatiuè imperfectum. Imperfectio autem actuum, qui in argumento adducuntur, est negatiua, & absoluta, qualis est ea, qua equus v.g. est imperfectior homine, sensio olfatus est imperfectior visione oculorum, &c. neq; enim cognitio acquisita est dispositio ad Beatificam, neque notitia abstractiua est via ad intuitiuam, sicuti opinio est actus quidam vialis, & dispositiuus ad scientiam, teste D. Thoma 3.p. q.3. artic.3. *Quod opinio* (inquit) *ex syllogismo Dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, &c.* Sicut ergo motus est actus in potentia ad terminum, quo priuatur, ita opinio est actus imperfectus idest in potentia, & priuatione euidentiæ, seu perfectissimæ certitudinis, quam affert scientia. Vndè in forma distinguo antecedens; non repugnat cognitionem imperfectam simul reperiri cum perfectissima in eodem intellectu: imperfectam priuatiuè, nego antecedens; imperfectam negatiuè, seu absolutè, transeat antecedens: sola enim imperfectio priuatiua dicit oppositionem inferentem contradictoria cum perfectione vlteriore.

§. 26. Obijciunt tertio pro secunda classe: non minus obscurus, quam opinatiuus est assensus per fidem supernaturalem: sed assensus fidei compossibilis est cũ visione clara eiusdem obiecti: ergo & opinio, &c. Minorem ostendunt ex verbis Christi Ioannis 20. *Quia vidisti me Thoma credidisti, Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ecce docet Christus (inquit Arriaga) Thomam credidisse, quia videbat, quia ex visione conuictus est ad præbendum assensum Christo, & Apostolis de Resurrectione dicentibus; ergo fides non repugnat cum visione.

§. 27. Vetustum est argumentum, & quod iampridem sibi obiecerat Diuus Thom. 2.2.q.1. art.4. vbi sic illud soluit: *Ad primum dicendum, quod Thomas aliud vidit, & aliud credidit: hominem vidit, & Deum credens confessus est, cum dixit Dominus meus, & Deus meus.* Nec quicquam vrget Arriaga, aiens, Christum supponere, esse alios qui credant, quæ vident, dum dicit, esse Beatos, qui credunt, quæ non vident; alioqui non valeret illa contrapositio inter Thomam, & alios. Dicimus enim nil aliud ibi Christum voluisse, nisi alios esse credituros in Deum, quin fuerint Testes oculati ipsius Resurrectionis Dominicæ, vt verè Thomas fuit.

§. 28. Obijciunt quartò illud Apostoli ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quod sit, & quod remunerator sit*: quibus significat Paulus, debere fideles vniuersos credere, quod Deus sit: atqui Philosophi scientificè, & per demonstrationem cognoscunt, Deum esse: ergo simul potest demonstratiuè sciri, quod fide Diuina creditur. Consequentia est manifesta, alioqui Philosophus Christianus erit peioris conditionis, seu (vt loquitur Comptonus) peiore loco vir doctus foret, quam rusticus, qui ea omnia fide supernaturali, & meritoria credit.

§. 29. Decreueram nec verbis facere à fide supernaturali, quia ineptiùs, quam res Theologicas, & sanè grauissimas inter Tyrones Dialecticos non pro dignitate versare; sed argumentum, quod M. Sanchezius appellat *importunum*, & M. Parra *molestum in causa est*, vt nonnulla adijciamus vltra crepidas, vt in paræmia est. Obiectio est antiquissima, & quam millies solutam nostrates ferè à quadringentis annis exhibuerunt: & nihilominùs moderni, ac mustacei Scriptores nunc vt recentissimam nullo addito robore, aut nouam nostræ responsionis impugnatione) toties nobis illam occinunt. Audi Sãctum Doctorem ad hęc ipso in Apostolum Cõmentario Angelicè respondentem lectione secunda.

§. 30. *Contra autem* (inquit) *illud, quod dicit, quod oportet credere, quia Deus est, quod dictum est supra, quod creditum non potest esse scitum, neque visum: Deum autem esse, est demonstratum.* Ecce argumentum. *Respondeo* (inquit) *dicendum est, quod de Deo potest multipliciter haberi notitia: vno modo per Christum, in quantum scilicet est Pater vnigeniti, & consubstantialis, & alia, quæ specialiter Christus de Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto docuit, quantum ad vnitatem essentię, & trinitatem personarum: & hoc tantum est creditum: nec in veteri testamento fuit explicite creditum, nisi à maioribus tantum. Secundo modo, quod solus Deus colendus est, & sic etiam erat creditum à Iudæis. Tertio modo, quod est vnus Deus, & hoc notum est ipsis Philosophis, & non cadit sub fidem.* Hactenus Sanctissimus Magister. Quibus non opus est solutionibus illis Thomistarum de præparatione animi, qua Philosophus Christianus non sit deterioris conditionis, quam rusticus. Item, quod illud præceptum sit tantum pro idiotis, qui demonstrationem habere non possunt de Dei existentia, &c. quæ fateor idoneæ, quidem sunt, & argumentum satis diluunt: ast non breuius, faciliusque ex prædictis respondemus: Apostolum loqui de notitia Dei primo modo explicato habita: Philosophos vero illam habere tertio modo, quæ non cadit sub fidem, proindeque obligari ad notiam Dei per Christum, quæ prorsus super naturalis est.

§. 31. Obijciunt quinto raptum Pauli ad tertium cœlum, vbi essentiam Dei vidit, atque omnia Mysteria gratiæ, & tamen non amisit fidem,

dem, vt docet D. Thomas: sed de his Theologi sunt, & Sacrorum interpretes consulendi. Vide interim M. Parram qui rem concinnius dirimit. Huc reuoco obiectionem Arriagæ aientis. Negandum non esse Beatam Virginem, & D. Ioannem elicuisse actus supernaturales fidei, & meritorios de Christi morte quantumuis de ea habuerint intuitionem: ergo non repugnat fides cum intuitione. Cęterum nos id rotundissimè negamus: neque hoc habet maiorem difficultatem, quam visio Thomæ Apostoli, similique responso diluitur; nempe Virginem Beatissimam vidisse hominem morientem; sed credidisse Deum, seù personam Diuinam ea morte nos redimere, eam mortem dignificare Deum hominem pati, &c. quæ omnia meritoriè potuit exercere.

§. 32. Obijciunt sextò prò tertia classe: non minus repugnat, actus oppositos circa idem obiectum componi in eadem voluntate, quàm in eodem intellectu: sed in eadem voluntate v. g. Christi Domini concedimus gaudium, & tristitiam de eadem sui morte, & passione: ergo, &c. Item Christi voluntas in via Deum simul amabat amore necessario, quia Beatus erat, & simul amore libero, quia per illum actum merebatur; non est enim meritum nisi cum libertate: atqui necessitas opponitur libertati, non minus, quam certitudo formidini: ergo in eadem voluntate componi possunt actus tàm oppositi, quàm sunt certitudo, & formido in eodem intellectu.

§. 33. Concessa maiore: nego suppositum minoris, nempè gaudium, & tristitiam Christi Domini fuisse circa idem obiectum formale. Eadem enim Passio illius erat bona respectu finis Redemptionis, hominumque salutis æternæ: erat autem mala quatenus dolorifera naturaliter, & afflictiua carnis, bonum autem, & malum minimè sunt idem obiectum formale. Adde quod nec eamdem partem voluntatis afficiebant eiusmodi actus: nam gaudium erat in voluntate rationali: tristitia vero insensuali, de quibus videndus D. Thomas 3. p. q. 18. art. 6.

§. 34. Similiter amor necessarius Christi Domini tendebat in Deum, vt amabilem bonitate necessaria, & secundum, quod clarè contingebat illam visione beata: Amor verò liber terminabatur in Diuinam bonitatem, vt participabilem à creaturis. Porrò obiectum voluntatis sola respectus variatione fit aliud formaliter: Sic gestare arma v. g. est bonum respectu militis, & respectu Monachi est malum: Non ita in intellectu, cuius veritas obiectiua etiam variatis medijs, est eadem semper, & vna, vt *Homo est risibilis* semper est eadem veritas formalis, siue probetur per medium necessarium *est rationalis*; siue per medium contingens *est Philosophus*. Hæc nostrates communiter Silubet, adi M M. Parram, & Lynceum, qui Neotoricorum plura minoris momenti soluunt argumenta.

THEOREMA III.

Quid dicendum, de habituum scientiæ, & opinionis compossibilitate?

§. 35. Valdè probabile est, scientiam, & opinionem, etiam; vt habitus, non posse in eodem intellectu circa idem obiectum formale cohærere, quæ sententia inter Thomistas plausibilis est, vt tradunt PP. Complutenses M. Ioan. à S. Thhoma. M. Parra, alijque Iuniores: quorum fundamentum est: quia habitus, & actus versantur circa idem obiectum; & habent eamdem rationem formalem attingendi illud; ergo si actus repugnant, etiam habitus repugnabunt.

§. 35. Confirmat M. Parra: Ex actibus incompossibilibus causantur habitus incompossibiles, vt docet Aristoteles 2. Ethicorum: atqui actus scientiæ, & opinionis sunt incompossibiles per nos; ergo causant habitus incompossibiles,

§. 37. Confirmant item Complutenses: ideo albedo, & nigredo sunt naturaliter incompossibiles in Subiecto, quia natæ sunt causare effectus incompossibiles, vt disgregare, & non disgregare visum; ergo si actus scientiæ, & opinionis sunt reuera in eodem intellectu incompossibiles, habitus etiam nati eos causare in eodem componi nequibunt.

§. 38. Multò tamen probabilius est, habitum opinionis cum habitu scientiæ in eodem intellectu, & circa idem obiectum cohærere posse: in cuius suffragium adeo clara video testimonia D. Thomæ, vt sine periculo ab eius sententia recedendum non putem. Equidem omnia, quæ aduersarij producunt, vt probent, actus opinionis, & scientiæ in eodem intellectu circa idem reperire posse; nequeunt aptius explicari, quam dicendo, Sanctum Doctorem de habitibus fuisse loquutum. Profecto in 3. dist. 31. qu. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. ad 4 *Opinio, & scientia* (inquit) *quamuis sint de eodem non tamen secundum idem medium, sed secundum diuersa, et ideo possunt esse simul: sed Fides, & visio patriæ sunt de eodem, & secundum idem medium, & ideo perfectio vnius non patitur imperfectionem alterius*. Hæc ille, quæ sanè adeo clara sunt, vt præstabilius sit, illa de habitibus interpretari, quam dicere cum Complutensibus, Sanctum Doctorem mutasse sententiam. Tuentur hanc nobiles Thomistæ, vt Illustrissimi D. Arauxo, M. Ioan. à S. Thoma in Theologicis M. Lynceus, qui eos refert, D. Rubius, alijque iuniores.

§. 39. Probatur ratione: Nulla assignatur repugnantia quominus habitus opinionis possit simul esse cum habitu scientię in eodem intellectu circa idem; ergo id prorsus est possibile saltem in gradibus remissis. Antecedens suadetur: repugnantia ab aduersarijs adducta est nulla: Quoniam ab actibus omnino incompossibilibus non benè colligitur, omnes habitudines, potentias, vel inclinationes ad illos terminatas esse etiam in actu primo incompossibiles, quantu-

tumuis ſpecificentur à ſuis actibus: oſtendo hoc: velle, & nolle ſunt actus incompoſſibiles, & tamen ad eamdem voluntatem ſpectant, quam ſpecificant; Aſsenſus, & diſsenſus omninò quidem repugnantes eumdem intellectum reſpiciunt, non duos, Actus temperantiæ, & intemperantiæ ſunt contrarij, & tamen habitus temperantiæ, & habitus intemperantiæ manent in eodem ſubiecto, vt experientia docet in eo, qui recenter temperantiam acquiſiuit, qui adhuc experitur in ſe pronitatem illam ad actus intemperatos anterioris vitij. Iam verò materia prima ſimul habet inclinationem ad formam habitam, & ad habendam cum diſpendio præcedentis: & tamen nequit eadem forma haberi; & non haberi, Denique formæ contrariæ, & incompoſſibiles ſi habituales ſint, & permanentes ſolent paſſim in gradibus remiſſis reperiri in eodem ſubiecto; Calor enim, & frigus reperiuntur in tepido, Albedo, & nigredo fæderantur in fuſco; & tamen earum actus, nempe diſgregare, & non diſgregare viſum, ſunt oppoſiti, & incompoſſibiles; Mitto ſexcenta. Ergo tametſi actus ſint alioqui incompoſſibiles in eodem ſubiecto, non è veſtigio colligitur indè benè, habitudines, quas illi ſpecificant eſse ſimiliter omninò incompoſſibiles: proindeque habitus ſcientiæ, & opinionis ſaltem in gradu remiſso componi poterunt in eodem intellectu circa dem, tametſi actus non poſſint.

§. 40. Hinc facilè diruitur fundamentum Complutenſium: quinimmò eorum confirmatio de albedine, & nigredine potius nobis fauet, vt rem intuenti patebit. Ioannes tamen Poncius illos impugnat, ſic: Quod ſi eorum ratio valeret, etiam conuinceret, quod actus opinatiuus, & habitus ſcientificus eſſent incompatibiles, quod eſt contra ipſos, & omnes. Sed verò Complutenſes facilè concedent ſequelam; negabunt tamen, id eſse contra ſe: cum potius doceant num. 43. habentem ſcientiam non poſse elicere actum opinatiuum circa eamdem cõcluſionem, quantumuis vtatur medio probabili. Quos equidem Poncius debuit attentius legiſse, vt ritè impugnaret. Ariſtoteles adductus pro incompoſſibilitate habituum in operando interpretandus eſt: ij equidem meritò dicuntur habitus incompoſſibiles, qui ſimul eodem tempore, eodemque ſubiecto ſuos nequeunt actus exercere. Et hæc ſufficiant pro libris de Poſteriore Analyſi in laudem, gloriam Dei Optimi Maximi, Beatiſſimæ Virginis Deiparæ ab Archangelo ſalutatæ Patris noſtri Antonij cognomento Magni, & Angelici Doctoris Eccleſiæ S. Thomæ Aquinatis perenniter ceſsura.

Omnia quæ ſcripſimus; diximus Iudicio, & correctioni

Sanctæ Matris Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ ſubiecta ſunt.

F I N I S.

INDEX
Rerum, & Verborum, notatu dignorum.

Ne citationum multitudine defatigens (Lector amice) non nisi Dissertationem, & Paragraphum citabo. Quòd si alicubi Paragraphum quartam, *vel* nonam *dici offenderis, ne nobis succenseas quæso, est enim generis fœminini, vt inter idoneos Scriptores notauit docuitque Sçlius Rodiginius lib. 15. cap. 20. id non pauci de latinitate gloriosi non aduertentur.*

T

ERRATA

ERRATA,

Quibus Opus hoc respersum, Author excusat.

N*Ihil esse tam cultum, nihilque cumulatum, cui non aliquid addi adeò possit*; vox est doctissimi Petrarchæ lib. 2. Senij Epist. 3. proindequè nec vllus esse poterit tam felix ingenij partus, quem defectuosa vitiositas non inficiat, vel planè corrumpat. Si etenim vel in ipsis naturæ operibus, quosdam notare licet monstruosæ defectibilitatis errores, imo & in ipso solis globo nigricantes quædam notulæ attentas Astrologorum inspectiones non effugiunt: quid ni & in ijs operibus, quæ fæcundo intellectus gremio conceptæ, obstætricante Typographi manu in lucem prodeunt, næuos aliquos, licet leues, Lima tamen censoria detergendos indigitare liceat? Ita contigit & mihi Lector Beneuole, in ipsissima huius Operis impressione. Omnibus numeris absolutam, ab omnibus mendis purgatam, cupiebam (fateor ingenue:) prodire in publicum hanc Logicam, eo ipso quia Thomisticam; ad mentem illius Doctoris efformatam, qui fons Doctorum, Gemma radians, veritatis trames, *certissima Christianæ doctrinæ regula*, *Diuinæ voluntatis interpres*: Vniuersę Ecclesiæ lumen præfulgidum, errorum propulsans nubila appellatur: accidit tamen lubrico impressionis, potius, quam ex destinata malitia, vt sparsim in contextu verborum syluescant aliquæ errorum notulæ, sensum quidem, & sententiarum veritatem minime variantes, interea tamen per subtractionem, vel commutationem Literarum, verba dissona, & inconnexa reddentes. Tuum proinde erit Lector Beneuole, hos inuoluntarios defectus, si non emendare totaliter, saltem prudenti dissimulatione excusare: maximè si memor fueris, etiam Libros habere sua Originalia piacula, quæ contrahunt, aut amanuensium ignauia, aut Typorum iniuriâ. Estque difficile in nullo vel diligentissimos Scriptores peccasse. Imo supra hominem est, vbique sine lapsu, labiles atramenti vndas plumis enauigasse. *Mihi sufficit*: (*vtar verbis Hieronymi*) *sic loqui vt intelligar*: tibi non sufficiat erratis indignari, vel Authori Operis succensere; sed potius inuoluntarios hos lapsus excusare, illisque compati: potissimum, cum in culpam cedere non debeat, quod (post sedulam licet in corrigendo diligentiam) prohiberi non potuit.

B. Pius V. in Bulla Mirabilis Deus &c.

Ad Damasum,